Ayuntamiento de Madrid

Ayuntamiento de Madrid

Ayuntamiento de Madrid

Par
675

Ayuntamiento de Madrid

Ayuntamiento de Madrid

Ayuntamiento de Madrid

EPITOME

# ADAGIORVM

## D. ERASMI ROTERODAMI,

IN LOCOS DIGESTA COMMVNES, ſingulari fide recognita, & multis au-cta locis, in quibus antea manca videbatur.

Huic adiecta proximè,

PARS ALTERA *auctorum ſanè multorum, qui prouerbia poſt Eraſmum ediderunt.*




*PARISIIS,*

Apud Ægidium Beys, ſub ſigno Lilij albi, via Iacobæa.

M. D. LXXXIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Ayuntamiento de Madrid

EPITOME

# ADAGIORVM

D. ERASMI ROTERODAMI,

IN LOCOS DIGESTA COMMVNES, ſingulari fide recognita, & multis au-cta locis, in quibus antea manca videbatur.

Huic adiecta proximè,

PARS ALTERA *auctorum ſanè multorum, qui prouerbia poſt Eraſmum ediderunt.*




*PARISIIS,*

Apud Ægidium Beys, ſub ſigno Lilij albi, via Iacobæa.

M. D. LXXXIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Ayuntamiento de Madrid

Ayuntamiento de Madrid

# AEGIDIVS BEYS LECTORI CANDIDO. S.

OPTIME *dictum à quodam vetere: Quam quiſque norit artem in hac ſe exerceat: quo nimirum docentur omnes qui virtutem colunt (cuius vt vnum nomen ſit, officia certe varia ſunt, peneq́; innumera) ea munia conſectentur quibus ſe primùm addixerunt, ſibi, reiq́ue publicæ conſulendo. Ego verò, amice lector, ex quo tempore cœpi meam, vt ita loquar, Spartam ornare, nihil habui priùs, quàm vt officioſè & honeſtè rem litterariam, quo ad eius maximè poſſet à me fieri, iuuarem, eoſq́ue mihi ad imitandum proponerem, qui ſedulam in eo & laudatam operam nauarunt, quorum tamen aſſequi diligentiã vix potui hactenus, vt pridem animo deſtinaram, ſummis & grauiſſimis cauſis, tum verò maximè patriæ communis perturbationibus, vt alij multi, deterritus. Sed quia didici ex ſapienti Stoico, & poſt malam ſegetem ſerendum eſſe: quodq́ue Dei beneficio, incipiat animus colligere ſeſe (quaſi poſt longam, necdum tamen prorſus intermiſſam iactatio-*

ã ij

*nem, curaui tibi Nonium Marcellum nitidis typis, vna cum notis & emendationibus doctiſſimorum aliquot virorum in lucem emittere: quem proximè ſequūtur duæ Adagiorum Epitomæ, quas ante annos fermè ſeptem ſtudioſis omnibus deuoueram. Quia enim horum libellorum exemplaria toto penè decennio deſiderarentur: eſſentque longè multi, qui propter rei familiaris anguſtias ſibi minimè comparare poſſent magnum opus Adagiorum: alij etiam qui ea compendiorum non pœnitenda commoditate contenti, facilè carerent amplioribus illis Chiliadum paginis: quàm potui diligenter & accuratè, vtranque Epitomen recognitam typographo mãdaui excudẽdam. Prior illa Eraſmi in locorum communium digeſta claſſes, quia multis in Adagijs manca hucuſque videbatur, facta eſt me ita curante auctior in multis ſanè locis, quod erit facillimum videre ijs qui noſtram hanc editionem cùm alijs omnibus conferre volent. Alterum verò Adagiorum tomum ex varijs contextum artificibus, opera primum ſtudioque Victoris Giſelini* N.D. *concinnatam ſeorſim edidi, paucis quibuſdam immutatis, ſed quæ ad noſtram editionem inprimis conferre viderentur. Non enim id ſum molitus vt cui eſſet fraudi, aut vt importuno labore vel intempeſtiuo laudem alicuius meritam præripi paterer, quod nequaquam in me reciperem, neque ij e-*

Ayuntamiento de Madrid

tiam cogitarunt qui me in eo perficiundo opera candidè prompteque iuuerunt: ſed ut liber commodiùs ſe ſtudioſis commendaret: de cuius utilitate ſi tecum agere pluribus inſtituerem, mihi viderer rẽ actam agere, teque horarum aliquot iactura ab huius lectione remorari. Tantũ adiecimus ſuis locis obſeruationes quaſdam & additamenta Giſelini ad prouerbia nonnulla, ex quibus lucem ſpero aliquam fieri Adagiis, tibi non ingratam. Et hæc quidem ſunt de quibus te admonitum volui, ne mei laboris & induſtriæ neſcius eſſes. Vale, Lutetiæ, Anno. CIϽ.IϽ.LXXXIII.



Ayuntamiento de Madrid

# AVCTORVM PRAECIPVORVM CATALOGVS, E QVORVM monumentis ſunt collectæ Chiliades Adagiorum.

GRAECI POETAE.

Homerus.
Euſtathius huius interpres.
Pindarus. Orpheus.
Pindari interpres.
Æſchilus tragicus.
Sophocles.
Euripides.
Ariſtophanes & in hūc commentarij.
Epigrammata Græca diuerſorum.
Callimachus.
Aratus.
Apollonius Argonauticorū auctor, & huius interpres.
Nicander.
Oppianus.
Lycophron, & huius interpres.
Phocylides.
Theognis.
Theocritus.
Theocriti interpres.
Heſiodus.
Menander.

HISTORICI.

Herodotus.
Thucydides.
Plutarchus de Vitis.
Dionyſius Halicarnaſſæus.
Xenophon.
Pauſanias.
Ioſephus.
Herodianus.
Diogenes Laërtius.

COSMOGRAPHI.

Strabo. Stephanus.
Ptolemæus. Mela.
Solinus.

ORATORES.

Demoſthenes, & interpres.
Æſchines.
Iſocrates.
Ariſtides. Lyſias.
Syneſius.
Alciphron.
Aphthonius.
Lucianus.
Philoſtratus.
Hermogenes.
Syrianus.

PHILOSOPH.

Plato. Ariſtoteles.
Themiſtius.
Proculus.
Ioannes Grammaticus.
Alexander Aphrodiſęus.
Theophraſtus.
Plutarchus de moralibus.
Dioſcorides. Porphyrius.
Hippocrates. Galenus.
Æſopus. Orus.

THEOLOGI.

Origenes. Lactantius.
Tertullianus.

Ayuntamiento de Madrid

Hieronymus. Auguſtinus.
Ambroſius. Baſilius.
Nazianzenus. Euſebius.
Chryſoſtomus.
Gregorius Theologus.

GRAMMATICI MIXTI.

uidas. Eudemus.
Etymologicon.
Stephanus. Didymus.
Iulius Pollux.
Ariſtoph. Grammat.
Nicolaus Stobæus.
Zenodotus.
Apoſtolius Bizantius.
Diogenianus.
Phurnutius. Heſychius.

LATINI POETAE.

Plautus.
Terentius.
Virgilius. Horatius.
Ouidius. Catullus.
Lucanus. Lucretius.
Martialis. Perſius.
Iuuenalis. Tibullus.
Propertius. Auſonius.
Claudianus.
Publius Mimographus.
Statius. Q. Curtius.
Silius Italicus. Prudentius.

HISTORICI.

Salluſtius. Liuius.
Ælius Lampridius.
Iuſtinus. Corn. Tacitus.
Iulius Capitolinus.
Suetonius.
Valerius Maximus.
Procopius.
Ammianus Marcellinus.
Apuleius.

GRAMMATICI.

Nonius Marcellus.
Feſtus Pompeius.
Marcus Varro.
Diomedes.
Donatus. Seruius.
Porphyrion. Acron.

ORATORES.

M Cato.
M. Tullius Cicero.
Quinctilianus.
Seneca.
Plinius Cæcilius.
Aſconius Pædianus.

MIXTI.

Plinius auunculus.
Aulus Gellius.
Macrobius. Ælianus.
Petronius Arbiter. Iſidorus.
Angelus Politianus.
Rodolph. Agricola.
Hermolaus Barbarus.

PHILOSOPHI.

Pandectæ Iuris.
M. Varro.
M. Cato.
Columella.
Vitruuius.
Vegetius. Anianus.

FINIS.

Ayuntamiento de Madrid

# Priuilegij Sententia.

*Cautum eſt authoritate Regia, ne quis alius præter* Ægidium Beys Librarium iuratum, *Librum cui titulus eſt*, Epitome Adagiorum D. Eraſmi Roterodami in locos communes digeſta, ſingulari fide recognita, & multis aucta locis, in quibus antea manca videbatur. Huic adiecta pars altera, auctorum ſane multorum, qui Prouerbia poſt Eraſmum ediderunt. *ante decennium ab editione proximum, in hoc Francorum Regno imprimat, neue alibi impreſſum vendat: idque omnibus perinde clarum, notum, indictúmque habeatur, ac ſi Regij diplomatis ſententia operis initio præfigatur, finiue poſtponatur. Secus qui faxit, & libris ipſis, & pœnis, dicto Regio diplomate contentis afficietur. Datum Pariſiis vij. Decembris.* 1582. *De Conſilij ſententia ſic ſignatum.*

FORTIN.

Ayuntamiento de Madrid

Ayuntamiento de Madrid

Ayuntamiento de Madrid

# ADAGIORVM D. ERASMI ROTERODAMI EPITOME.

## *QVID PAROEMIA.*

PAROEMIA (vt definit Eraſmus) eſt celebre dictum, ſcita quapiam nouitate inſigne. Vt Dictum generis, Celebre differentiæ, Scita quapiam nouitate inſigne, proprij vicē obtineat.

## Quid Parœmiæ proprium, & quatenus.

Peculiariter autē ad prouerbij rationem pertinēt duo, vti celebratum ſit, vulgóque iactatum. Deinde ſcitum, vt aliqua ceu nota decernatur à ſermone commune: id verò erit, quod antiquitate pariter & eruditione commendetur. Celebritas autem adagiorum eſt ex oraculis numinum, ſapientum dictis, poëta quopiam maximè vetuſto, ſcena, hoc eſt Tragicorum & Comicorum actis fabulis, fabularum argumentis, apologis, euentu, hiſtorijs, apophthegmatis, verbo temerè dicto. Denique mores, ingenium, ſeu gentis ſiue hominis alicuius, ſiue etiam animantis. Poſtremò rei quoque vis quæpiam inſignis ac vulgò nota, locum fecerunt adagio.

## Quibus ex rebus nouitas accedat Parœmiæ.

Nouitatem nonnunquam ipſa res ſecum adfert, nonnunquam eam figura conciliat, vt Metaphora quæ penè ſemper adeſt, & multas partes complectitur, Hyperbole, Aenigma, quod nihil aliud eſt, quàm obſcurior allegoria, Alluſio nonnunquam dialectus, id eſt, verbi proprietas, Ambiguitas item eloquendi nouitas, quanquam hæc ipſa nouitas proficiſcitur à figura. Denique in parœmijs omnes ȣ̃ γελοίȣ, id eſt, ridiculi formas inuenies.

## Quomodò Parœmia differat ab ijs, quæ videntur illi confinia.

Sunt autem quædam affinia parœmijs, vt γνῶμαι, id eſt, ſententiæ: ad hæc αἶνοι, id eſt, apologi: tam apophtheg-



Ayuntamiento de Madrid

mata, præterea ſcommata, id eſt, ſalſè dicta. Ea facilè licebit ab adagio ſecernere, ſi ad definitionem recurras. Verùm quando hæc ſingula poſſunt non eſſe parœmiæ, ſatis patet quòd à parœmia ſunt diuerſa. Quanquam ſunt in hoc genere quædam adeò commodè dicta, vt facilè poſſint in adagiorum ordinem adſciſci.

## Commendatio Prouerbiorum à dignitate.

Cognitionem prouerbiorũ non in poſtremis habitam, vel illud ſat argumenti puto, quòd primi nominis auctores de his volumina contexere non dedignati ſunt. Quorum primus Ariſtoteles philoſophus, teſte Laërtio. Chryſippus ad Zenodotum. Cleanthes item. Reperiuntur non nulla prouerbiorum collectanea Plutarchi nomine. Citantur inter parœmiographos ab Athenæo, Clearchus Solenſis, & Ariſtides. Deinde Zenodotus, qui Didymi Tarrhæique parœmias in compendium redegit. Citantur & Theophraſti prouerbia in commentariis in Demoſthenem. Opus quod Zenobij titulo circunfertur, à me ſub Zenodoti nomine citabitur. Citatur ab hoc Milo quiſpiam parœmiographus, item & Dæmõ. Extant & Diogeniani collectanea. Multa refert Heſychius, multa Suidas, qui Theætetum quendam auctorem adducit. Sed quid ego hos, cùm ſapientes quidem Hebræi non dubitarint hoc titulo libros aliquot edere? Nec illud argumentum leue, quod inter auctores, vt quiſque fuit eruditiſſimus eloquẽtiſſimus'que, ita quám plurimum adagiorum ſuis libris aſperſit: quales ſunt apud Græcos Plato, Ariſtoteles, Plutarchus. Iam vt ad Latinos veniam, omiſſis vtroque in genere Grãmaticis ac poëtis, & M. Varrone, qui titulos quoſdam prouerbiales Menippeis adſcripſit, Romani principes magnis de rebus conſulti, aliquãdo prouerbio reſpõdiſſe inueniũtur. Quis non veneretur hoc genus ſermonis, quũ ipſe Chriſtus peculiariter eo delectatus ſit; Apud Græcos his philoſophi & ſapientes reſponderunt. Nec antiquius vllum fuit doctrinæ genus quàm parœmiarum.

## Ad quas res vtilis Parœmiarum cognitio.

Nec minus vtilitatis ineſt prouerbiis, quàm olim adfuerit dignitatis. Cõducunt enim cùm ad alia permulta, tum potiſſimùm ad quatuor, ad perſuadẽdum, ad philoſo-

Ayuntamiento de Madrid

phiam, ad decus & gratiam orationis, ad intelligendos optimos quoſque auctores.

## Commendatio à difficultate.

Vt non eſt mediocris artificij, gẽmulam ſcitè includere anulo, & aurũ purpuræ intertexere, ita non eſt (mihi crede) cuiuſuis parœmiam aptè decenter'que orationi inſerere.

## Quatenus vtendum Adagijs.

Primùm meminiſſe oportebit, vt quod Ariſtoteles admonuit de epithetis, id in adagiis vſurpandis obſeruemus, nempe, vt illis vtamur non tanquam cibis, ſed condimentis, id eſt, non ad ſatietatem, ſed ad gratiam. Prætereà, non quouis in loco. Deinde, ne nimis crebrò. In epiſtolis tamẽ familiaribus licebit paulò liberiùs hoc genere ludere.

## Varius prouerbiorum vſus.

Poteſt variari prouerbiorum vſus, vt idem dictum ad cõplures ſenſus accõmodes. Vt huiuſce rei vnum exẽplũ habeas, pertuſum doliũ, vel ad obliuioſum, vel ad profuſum, vel ad auarum, vel ad futilem, vel ad ingratũ traduci poteſt. Effluit enim quidquid infuderis in animum immemoris. Apud prodigum nihil durat auari cupiditas nunquam expletur, futilis & garrulus nihil continet.

DE FIGVRIS PROVERBIALIBVS ANTEA dictum. Nunc fontes aliquot indicabimus, à quibus genus figurarum duci poſſit.

## Ab ipſa re.

Sumuntur enim interdum ab ipſa re, quoties hominem ſceleſtũ, ſcelus appellamus; dedecoroſum dedecus, peſtilẽtem, peſtẽ, lurconem, barathrum, tenebrionẽ, tenebras, cõtaminatũ, labem. Qualia & per comparationem efferre licebit, ſcelere ſceleratior, ipſa nequitia nequior, cæcitate cæcior, loquacitate loquacior.

## A rebus ſimilibus

Huic proxima ſunt quæ à rebus ſimilibus trahuntur: vt, Melle dulcior, Niue candidior.

## Ab animantibus.

Muliere loquacior, paſſere ſalacior, hirco libidino-



Ayuntamiento de Madrid

ſior, ceruo viuacior, luſcinia vocalior, vulpe fraudulẽtior, lepore timidior, piſce ſanior.

## A perſonis Deorum.

Mercurio facundior, Venerere formoſior, Diana intactior, ipſis Charitibus humanior, &c.

## A perſonis fabuloſis.

Hectore facundior, Tantalo eſurientior, Cyclope immanior, Oreſte inſanior, Vlyſſe doloſior, Iro pauperior.

## A perſonis comœdiarum.

Dauo verſutior, Enclione parcior, Phormione confidentior, Thaide blandior.

## A perſonis hiſtoriarum.

Catone ſeuerior, Crœſo ditior, Zoilo inuidentior, Timone inhumanior, Numa religioſior, &c.

## A gentibus.

Pœno perfidior, Scytha aſperior, Parthis vanior, Thracibus bibacior, Care vilior.

## Ab officijs.

Lenone magis periurus, Milite glorioſior, &c.

## De præmollienda Parœmia.

Iam illud admonendum in vſurpandis prouerbiis videtur, quod in verbis nouatis, aut duriùs tranſlatis fieri Fabius iubet, videlicet προεπιπλήττειν τῇ παροιμίᾳ, hoc eſt, præcaſtigare, & velut occurrere parœmiæ, ſi quando vel obſcurior, vel alioqui durior videbitur. Græci his fermè modis hoc faciunt, κατὰ τὴν παροιμίαν, ὥς φασι, φασί. τὸ λεγόμενον, τὸ τοῦ λόγου. ὡς παλαιός φησι λόγος. ὥσπερ λέγουσιν. ὡς λέγεται. ὡς λέγομεν παροιμιαζόμενοι: ὡς λέγουσιν οἱ παίζοντες. καλῶς εἴρηται. Id eſt, Iuxta prouerbium, vt aiunt, aiunt, quod dicitur, quod dici ſolet, vt antiquum ait dictum, vt dicunt, vt dicimus prouerbio, vt dicunt iocantes, rectè dictum eſt. Iiſdem fermè rationibus vtuntur Latini: Aiunt vt aiunt, vt eſt in veteri prouerbio, iuxta vulgò tritum ſermonem, queadmodum vulgò dici conſueuit, vt vetus verbũ vſurpem, vt adagio dictum eſt, verè hoc dicunt.

ABER•

Ayuntamiento de Madrid

## A ianua aberrare.

Τίς ἂν θύρας ἁμάρτοι, id eſt, Quis aberret à ianua? Dici ſolitum, vbi quis penitus aberret à vero, totóque fallitur iudicio. Affine videtur huic prouerbio quod apud Platonem legitur in Phœdro, Λυσίας τοῦ παντὸς ἡμάρτηκε, id eſt, Lyſias prorſus aberrauit. *Ariſtotel.*

## Tota erras via.

Τῇ πάσῃ ὁδῷ ἀφαμαρτάνεσθαι, id eſt, Tota aberrare via. *Terent.* Prouerbium eſt in eos, qui vehementer aberrant. Tranſlatum à viatoribus, qui non nunquam ita ſolent aberrare à via, vt non ſine diſpendio quidem, tamen quò tendebant, perueniant: nõ nunquam ſic aberrant, vt longè diuertant, & in diuerſum tendãt. Vnde & exorbitare dicuntur, qui à verò aberrant. Quinetiam hodie dictitant, eos in via eſſe, qui recto conſilio quippiam inſtituunt: extra viam, qui qua non oportet ratione, rem aggrediuntur. Sunt fermé prouerbiales & illæ metaphoræ doctis vſitatiſſimæ: Depellere à via, Reducere in viam, Monſtrare viam, facere viam, ſternere viã, aperire viam, percludere viam, Intercludere viam. Celebre habetur & illud apophtegma: Bene currunt, ſed extra viam.

## Toto cælo errare.

Huic confine eſt, quod vſurpat Macrobius Saturnalium libro III. Nunquam ne, inquit, pretextate tibi venit in mentem toto, vt aiunt, cælo erraſſe Virgilium?

## Extra calcem

Extat apud Ammianum, lib. 21. quod eſt, extra propoſitum, quamuis videatur legendum: extra callem, vbi quis digreditur à re propoſita.

### AB INITIO AD FINEM.

## Ab ipſo lare.

Ἀφ' ἑστίας ἄρχου, id eſt, à lare incipe. Hoc eſt à domeſticis ac familiaribus initium ſumito. *Ariſtides.* Rectè dicetur in magiſtratus, & alienæ vitæ cenſores, quorum officium eſt, vt in primis ſuam ſuorumque vitam corrigant. Interpres Ariſtidis admonet dici ſolitum de iis, qui ab

ipſo ſtatim initio vel boni ſunt vel mali: quaſi dicas, ab ipſis incunabulis, quòd Lar ſtatim naſcentes excipiat.

## A capite vſque ad calcem.

*Homerus.* Cùm rem totã ſignificamus, A capite vſque ad calcẽ, dicimus. Cuius adagij triplex poteſt eſſe vſus. Aut enim ad corpus referetur, aut ad animum, aut ad rem, qui duo poſteriores plus obtinent venuſtatis, nimirũ quo plus habent figuræ. Ad corpus, apud Homerũ: Ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς, id eſt, à capite vſq; ad pedes. Horatius: Talos à vertice pulcer ad imos. Ad rem, vt apud Ariſtophanẽ in Pluto: Audi ergo, quando totum ego negotium à pedibus vſque tibi ad caput perſenſeo. Hieronymus: Contuli cum eo à vertice, vt aiunt, vſque ad extremum vnguem. Ad animum hoc pacto poterit trãsferri. Ego tibi mores & ingeniũ illius, breuiter hominẽ quãtus eſt, à ſummo, vt aiũt, capillo ad imum vſq; calcaneum depingam. Huic affinia ſunt: Tu huius rei es caput, Caput tyrannidis, Seditionum fons, Ad calcem venire, in calce operis, In extremo literarum tuarum calce, Ab ipſo exordiri capite, A calce ad caput recurrere, &c.

*Tullius.*

## A capite arceſſere. A fonte ducere.

Quum res ab eo repetitur quod eſt in negotio præcipuum, à capite arceſſi dicitur.

*Philoſtratus.*

## Prora & puppis.

Πρώρα καὶ πρύμνη id eſt, Prora & puppis. Prora itaq; & puppi, ſummã cõſilij noſtri ſignificam⁹: vt pietas ſtudiorũ noſtrorũ prora & puppis eſſe debet. Quibuſdam omnium rationũ prora & puppis eſt pecunia. Cõſimili figura dictũ eſt in Apocalypſi: Ἐγώ εἰμι ἄλφα καὶ ω. Ego ſum alpha & ω. Ego ſum rerum omnium ſumma.

## Venimus ad ſummam lineam.

Euripides in Antigone: ἐπ' ἄκραν ἥκομεν γραμμὴν κακῶν. Id eſt, deuenim⁹ ſummam ad malorũ lineam. Horatius; Venimus ad ſummum fortunæ, 2. Epiſt. 1.

## A carceribus.

Ἀπὸ βαλβίδων, id eſt, A repagulis, ſiue carceribus. Interpres Ariſtophanis oſtẽdit metaphorã mutuo ſumptã à ſtadiis in quib⁹ carceres erãt repagula quædam, vnde curſus initiũ erat. Vnde frequẽtes illæ apud Latinos etiã ſcriptores formulæ, A carcerib⁹ ad metam, A meta ad carceres.

Ayuntamiento de Madrid

Ἀπὸ βαλβίδος, id eſt, A carcere, ſiue repagulo, id eſt, ab ipſo rei principio. Sũptum è certaminibus equeſtribus, vbi curſus initium eſt à carcerib⁹, id eſt, repagulis, finis meta. Itaq; cùm exorſum negotij ſignificamus, ab ipſis carceribus dicimus, cùm finẽ, ad metã vſq;. Veluti, ſi quis dicat fœdum eſſe, ſi quis artifex ab ipſo ſtatim carcere peccet: aut, neminem tam ignauũ, qui non ἀπὸ βαλβίδος ſtrenuus eſſe videatur.

## Ad calcem peruenire.

Pro eo, quod eſt, ad metam finemq;. Tullius: Vt cum æqualibus poſſis viuere, cum quibus tãquam è carceribus miſſus, cum iiſdem ad calcẽ, vt dicitur, peruenire. Idem de Senectute: Nec verò velim quaſi decurſo ſpatio à calce ad carceres reuocari. Ad hanc formam etiam attinent vſque ad plaudite, id eſt, vſque ad extremum finem: Extremum fabulæ actum peragere.

## Ab ouo vſque ad mala.

Ab initio cõuiuij vſq; ad finem. Horatius Satyra 3. Si collibuiſſet, inquit, ab ouo Vſque ad mala, citaret Io Bacche modò ſumma Voce, modò hac reſonãſque chordis quatuor ima. Antiquitus enim cenam ab ouis auſpicabãtur, malis finiebant. Erit venuſtius, ſi longius trahatur, pro toto opere, toto colloquio, tota nauigatione.

## A linea incipere.

*Ariſtides.*

Ἀπὸ γραμμῆς ἄρχεσθαι. A linea incipere dicũtur, qui ab ipſo rei exordio ſumũt initium. Sumpta metaphora ab his qui curſu certãt in ſtadiis. Nam iis linea quædã ducitur, ad quã ex æquo ſtent, donec currẽdi ſignum accipiãt. Tertul. lib. 1. aduerſus Marcionem: Age igitur ad lineas, rurſus & ad gradũ. Ad lineas dixit, pro eo quod eſt, Ab integro.

## A teneris vnguiculis.

Ἀπὸ τῶν ἁπαλῶν ὀνύχων, id eſt, A teneris vnguiculis, id eſt, à prima pueritia. Trãſlatum à catulis, quorum vnguiculi nondum duruerunt. Horatius: Et inceſtos amores De tenero meditatur vngui. *Plutarchus.*

## Ab incunabulis.

*Plautus.*

Eũdem habet ſẽſum, A primis vitæ rudimẽtis. M. Tullius orationis incunabula vocat, primã illam à fundamẽtis institutionem. Et Virgillius: Gentis cunabula noſtræ.

Ayuntamiento de Madrid

Similiter & crepundia pro prima ætate accipiuntur.

*Heſiodus*

## Principium dimidium totius.

Α'ρχὴ ἥμισυ παντός. Principium dimidium totius. Hoc adagio ſignificatum eſt, maximam difficultatis partem in aggrediendo negotio ſitam eſſe. Horatius: Dimidium facti, qui cœpit, habet.

## Caput.

Præcipuam negotij partem, aut auctorem rei, Caput vocamus. Terentius: Te eſſe huic rei caput. Eundem in modum & arcem dicimus rei cuiuſpiam. Ariſtoteles: ὡς ἀκρόπολίς ἐστι σωτηρίας. Quoniam incolumitas arx eſt. Plato: Κεφάλαιον δὴ παιδείας λέγομεν τὴν ὀρθὴν τροφήν. Caput eruditionis cenſemus rectam educationem. Plautus: Ego caput huic argento fui hodie reperiundo. Ego pes fui. Quin nec caput, nec pes ſermonis apparet.

## Quodcunque in ſolum venit.

Id eſt, Quidquid in rerum natura producitur. Tullius? Hinc quodcunque in ſolum venit, vt dicitur effingis, atque efficis. Ridet atomos Epicureorum, ex quibus illi cuncta progigni credunt, quidquid vſquam naſcitur in vniuerſo.

## Exordiri telam.

Rem enim, quam arte, conſilioque inſtituimus, exordiri dicimur. Plautus: Exorſa hæc tela eſt non malè omnino mihi. Tullius dicit Pertexere, pro perficere. Pertexe modò, inquit, Antoni quod exorſus es.

## Scindere glaciem.

Eſt aperire viam, & incipiundo negotio priorem eſſe. Tranſlatum à nautis, quorum vnus aliquis præmittitur qui flumine concreto, glaciem perrumpat, reliquisque viam aperiat.

*Tullius.*

## Ea tela texitur.

Id eſt, eiuſmodi negotium in manibus eſt, & res inceptantur tales. Tranſlatio ſumpta à textoribus.

*Quintil.*

## Toto organo.

Ea toto organo inſtructa rectè dixeris, quæ numeris omnibus conſtant, & vndique quadrant. Sumptum & hoc à muſicorum inſtrumentis.

Ayuntamiento de Madrid

## A fronte atque à tergo.

Πρόσσω καὶ ὀπίσω, id eſt, A fronte atque à tergo. Eſt diligenter inſpicere, & præterita cum preſentibus ac futuris conferre. Homerus. Οὐδέ ποῖδε νοῆσαι, ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω, id eſt, Nec nouit ſimul à tergo atq; à fronte videre. *Plautus.*

## A cælo vſque ad terram.

Ἀπὸ οὐρανοῦ μέχρι γῆς. Prouerbialis figura, perinde valens quaſi dicas: quacunque de re, ab extremo initio, vſque ad ſupremum finem.

## Ne inter apia quidem ſunt.

Οὐδ' ἐν σελίνοις εἰσίν, id eſt, Ne in apio quidem ſunt: pro eo quod eſt, ne ingreſſum quidem aut initium rei attigerunt. Sumpta metaphora ab ijs, qui hortos ingrediuntur. Nam antiquitus extremus ille hortorum ambitus apio conſerebatur, quem qui nondum præteriiſſent, velut in horti limine adhuc eſſe videbantur. Ariſtophanes in Veſpis: In apio nondum eſt vel ipſo, ſed nec in rutis adhuc, hoc eſt, nec initium habet eorum, quæ ſunt futura. Vel ne in apio quidem: quaſi dicas, ne in primis quidem rudimentis.

## Fores aperire.

*Plinius.*

Ἀνοίγειν τὴν θύραν, id eſt, Fores aperire, prouerbio dicebatur, qui rei cuiuſpiã ingreſſum initiumq; pateſaceret.

# ABSVRDA, INDECORA, PRAEPOSTERA.

## Fluuius quæ procul abſunt, irrigat.

Ποταμὸς τὰ πόῤῥω πιπίζων, τὰ δ' ἐγγίον κατὰ λείπει, id eſt, Fluuius quæ longè diſſita ſunt, irrigat quæ proxima ſunt præterit. De his dici cõueniet, qui bene merentur de externis & nihil ad ſepertinẽtibus, ſuos negligunt. Apparet ductum, quòd vbi fluuius oritur, minor eſſe ſolet, minusq; argillæ ſecũ trahens: & quo longiùs receſſit à fonte, hoc eſt copioſior, vberiorq;. *Diogenian.*

## Fruſtra habet, qui non vtitur.

*Homerus.*

Τίπτε τόξον ἔχεις ἀνεμώλιον αὔτως, id eſt, Cur fruſtra tibi iam geſtatur inutilis arcus? Si quem increpare voles, quod ingenio, diuitiis, literis non vtatur, quum habeat. *Ariſtoph.*

## Aſinus auis.

Ὄνος ὄρνις, id eſt, Aſinus auis. Sumptum ab omine quo-

Ayuntamiento de Madrid

piam. Quidam enim cõſultus de eo, qui aduerſa laborabat valetudine, fortè fortuna conſpexit aſinum ſurgentem à lapſu, ſimulque alium quendam audiuit dicentem: Vide quo pacto Aſinus cùm ſit, ſurrexit. Id ominis arripiẽs ille protinus reſpondit, fore, vt valetudinarius ille reualeſceret: itaque iocatur Ariſtophanes, quaſi & aſinus auis eſſet, & augurii nonihil haberet. Dicetur non intempeſtiuè, cum ex indicio quopiam ridiculo colligimus.

## Herculis cothurnos aptare infanti.

Quinctilianus de peroratione: Nam in paruis quidem litibus, has tragœdias mouere, tale eſt, quaſi ſi perſonam Herculis & cothurnos aptare infantibus velis. Plutarchus commemorat apophthegma quoddam Ageſilai, non admodum ab hoc alienum: Cui cùm ſophiſta quiſpiam hoc nomine laudaretur, quòd res minimas dicendi artificio maximas efficeret, negauit is vel cerdonem bonum ſibi videri, qui paruo pedi magnum induceret calceũ, ſignificans orationem oportere cum re congruere, non aliter quàm veſtis conuenire debet corpori.

*Plutarchus.*

## Lumen ſoli mutuas.

Τὸ φῶς ἡλίῳ δανείζεις, id eſt, Lumen ſoli mutuum das. Cùm docemus doctiſſimum, monemus vehementer prudentem: aut, cùm conamur exponere, quæ per ſe ſunt clariſſima: aut ſermone celebrare, quæ ſua ſponte ſat illuſtria ſunt. Sol enim fons omnis luminis putatur.

*Theocritus.*

## Ranæ aquam.

Βατράχῳ ὕδωρ, id eſt, Ranæ aquam, ſubaudiendum, miniſtras. Vbi quid exhibetur, quo vel præcipuè gaudet is, qui accipit. Rectè accomodabitur, vbi quid datur ei qui abundat.

*Tulleus.*

## Soli lumen inferre.

Quinctilianus dixit eum ſoli lumen inferre, qui rem per ſe euidentiſſimam conaretur argumentationibus probare.

## Sus Mineruam.

Tritiſſimũ apud Latinos auctores adagium: ὗς τὴν ἀθηνᾶν id eſt, Sus Mineruam, ſubaudiendum, docet, aut mouet. Dici ſolitum, quoties indoctus quiſpiam atque inſulſus cũ docere conatur, à quo ſit ipſe magis docendus. Et cùm quis docet alterum, cuius eſt ipſe inſcius, propterea quod

Ayuntamiento de Madrid

Mineruæ artium & ingeniorum tutela tribuitur, à Poëtis.

## Mercurius infans.

Ἑρμῆς ἀμύητος, id eſt, Mercurius infans, ſiue indoctus. Ironiæ prouerbialis, vbi quis fingit ſe rudem eius artis cuius eſt callentiſſimus. Mercurius enim eloquentiæ diſciplinarumque parens eſt. In vulgaribus exemplaribus habetur, Mercurius prophanus & non initiatus Quis enim myſteriorum peritior quàm Mercurius, interpres Deorum ſuperis & inferis ex æquo communis, denique μυσταγωγὸς ipſe, hoc eſt, myſteriis præfectus?

## Sus cum Minerua certamen ſuſcipit. *Theocritus.*

Ὗς ποτ' ἀθηναίαν ἔριν ἤρισε, id eſt, Cum diua eſt auſus ſus decertare Minerua. Quoties indocti ſtolidique & depugnare parati, non verentur ſummos in omni doctrina viros in certamen litterarium prouocare.

## Veſpa cicadæ obſtrepens. *Theocritus.*

## Pica cũ luſcinia certat, Epopa cũ cygnis.

Σφὴξ βομβεῦσι τέττιγος ἐναντίον, id eſt, Scilicet obſtrepitans argutæ veſpa cicadæ. Quadrabit in eũ, qui certat longê impar cum ſuperiore: Aut qui negotium faceſſit longê ſe præſtantioribus.

## Currus bouem trahit. *Lucianus.*

Ἡ ἅμαξα τὸν βοῦν ἐλαύνει, id eſt, Currus bouẽ ducit, de re quæ præpoſterè geritur. Tranſlata metaphora à plauſtris per decliue retro labẽtib⁹, vnaque ſecũ bouẽ auferẽtibus.

## Cancer leporem capit.

Καρκίνος λαγωὸν αἱρεῖ, id eſt, Cancer leporem capit. De re nequaquam veriſimili, dictuque abſurda. Veluti ſi quis dicat ab indoctiſſimo ſuperari doctum.

## Velocem tardus ſequitur.

Κιχάνει τοι βραδὺς ὠκύν, id eſt, Aſſequitur celerem tardus. In eum competet, qui viribus imbecillior, arte atque ingenio vincit potentiorem. Homerus: non nunquam aſſequitur tardus celeremque, citumque. Eodem pertinet Apologus de vulpe & coruo, prædam eandem curſu petentibus: quã vulpes, celeritate impar, ingenio ſibi vindicauit.

## Virgultea ſcaphula Ægæũ tranſmittere. *Lucian.*

Ἐπὶ ῥιπὸς τὸ Αἰγαῖον διαπλεύσαι, id eſt, Virgulto

Ægeum trãſmittere. In eos dicitur, qui rem ſupra modum arduam, leui opera conficere tentant. Extat & hic inter ſententias prouerbiales, citatus item ab Ariſtophanis interpete Θεῦ θέλοντος κἂν ἐπὶ ῥιπὸς πλέοις, Deo fauente nauiges vel vimine.

## Archilochi melos.

*Pindarus.* Ἀρχιλόχου μέλος, id eſt, Archilochi cãtio. Dicebatur hymnus qui ad multos poterat accõmodari, qualem ferunt Archilochi fuiſſe repertum, qui fuerit ante Pindarum, & alios hoc genus lyricos, qui ſingulos proprijs laudibus exornabant. Archilochi carmen erat idem in omnes, quod cithara canebatur. Citharœdus tantum ad ſingula cantionis interualla, victorum nomina ſua voce repetebat: veluti ſi Herculem laudabat, accinebat, Tenella Callinice χαῖρ' ἄναξ ἡράκλεις· Aut aliud, ſi quem alium canebat. Quadrabit in rem priſcam ac rudem.

## Agninis lactibus alligare canem.

Ballio in Pſeudolo Plautina: Quia pol qua opera credam, tibi vna opera alligem fugitiuum canem agninis lactibus. Qui canem alligat inteſtinis agninis, is non modò canem amittit, verùm & prædam vltro dederit fugitiuo. Sic qui credit homini malæ fidei, & rem perdit, & fruſtrà obligatum habet eum, qui non eſt ſoluendo. Lactes enim dicuntur inteſtina molliora.

## Diſertè ſaltare.

Cornelius Tacitus in dialogo de oratoribus, ſignificat hoc cõuitium fuiſſe iactatum in oratores ſuorum temporum, qui laſciuia verborum & leuitate ſententiarum, licentiaque compoſitionis hiſtrionales modos exprimebant, atque adeò laudis, & gloriæ, ingenij que loco iactabant, ſaltari cantarique commentarios ſuos oratores temerè dicere, hiſtriones diſertè ſaltare. Argutia dicti in hoc ſita eſt: oratores hiſtrionicè dicebant, quod illis erat indecorum: hiſtriones ad oratorum actionem ſeſe accommodabant: ita factum eſt, vt illi peius dicerent, hi ſaltarent meliùs. Hiſtrionum eſt ſaltare, Oratorum dicere: quod qui peritè faciunt, diſerti vocantur. Locus autem duo diuerſa coniunxit.

## Eodem collyrio mederi omnibus.

Ayuntamiento de Madrid

Leges, admonitiones, & obiurgationes non opportet omnibus eaſdem admouere, ſed pro gentium, temporũ & ingeniorum varietate ſermonem attemperare. Hanc dexteritatem beatus Hieronymus enarrans epiſtolam in Epheſios, laudat in Apoſtolo Paulo, qui factus eſt omnia omnibus, vt omnes lucrifaceret. Verba Hieronymi citantur diſt. 29. Nec ad inſtar, inquit, imperiti medici vno collirio omnium oculos vult curare.

## Præpoſterè.

Cùm cenſemus rem præpoſterè geri, veluti cùm populus imperat principibus, aut diſcipulus docet præceptorem, cõueniet illud M. Tullij ex epiſtola ad Atticum lib. 1. (cuius initium eſt, Quæris ex me.) Ego inquit, reſpondebo tibi ὕστερον πρότερον ὁμηρικῶς. Eſt autem figura Grammaticorum, quam illi πρωθύστερον ſiue ὑστερόπρωτον appellant, cum quod prius eſt natura poſterius refertur, veluti ſi quis dicat: Cornelia Gracchos educauit ac genuit. In Homero talis tropus frequenter eſt obuius.

## Primas iactare haſtas.

M. Tullius lib. de oratore 2. Primas iactare haſtas dixit, pro velitari, quod ad Oratorem transfert, cuius dictio initio debet eſſe leuis ac ſedata, vt paullatim incandeſcat oratio. παροιμιῶδες erit, ſi ad diſputationis aut contentionis exordium transferatur. Idem vnico verbo dicitur, velitari.

## Omiſſis fontibus conſectari riuulos.

In eodem lib. non ſine prouerbij ſpecie dixit riuulos conſectari, pro eo, quod eſt, minùs ad rem pertinentia dicere, omiſſo eo quod eſt negotii caput.

## In herba luxuries

Ruſtici ſemina copioſiùs, quàm expedit, herbeſcentia, dicunt luxuriare: eam præproperam lætitiam, appellant luxuriem, quam immiſſis in agrum iumentis aut pecudibus corrigunt, quod illi vocant, depaſcere. Maro: Luxuriem ſegetum tenera depaſcit in herba. M. Tullius lib. 2. de orat. Quod ſi hic noſter Sulpitius faceret, multò eius oratio eſſet preſſior, in qua nunc interdum, vt in herbis ruſtici dicere ſolent, in ſumma vbertate ineſt luxuries quædam, quæ ſtylo depaſcenda eſt.

Ayuntamiento de Madrid

## Sus ſaltauit.

ὗς ἐκώμασεν, id eſt, Sus ſaltauit, aut comeſſatur, Diogenianus oſtendit dici ſolitum de iis, qui præter decorũ quippiam fecerunt.

## Quàm tragœdia Comici.

Vbi quis in aliena verſatur arena, inducti dicentur in tragœdiam Comici. Diuerſi generis ſunt Tragœdia & Comœdia; nec fas eſt tragicas perſonas in Comœdiam inducere, nec contrà.

## Iungere vulpes.

Ζευγνύει τὰς ἀλώπεκας. Id eſt, Vulpes iungere. De re palàm abſurda dicitur. Virg. in Palæſtra.

Qui Bauium non odit, amet tua carmina Mæui,
Atque idem iungat vulpes, & mulgeat hircos.

## Mulgere hircum.

τράγον ἀμέλγειν. Id eſt, Mulgere hircum, eundem habet ſenſum Lucianus: Quid, inquit, amici? an horum alter hircum mulgere videtur, alter cribrum ſupponere.

## Nocte lucidus, interdiu inutilis.

In nocte lucidus, die vel luce inutilis. De præpoſteris, qui ſapiunt, vbi nihil eſt opus: cùm opus eſt, ibi dormiunt.

## Quum aqua fauces ſtrangulet.

Ὅταν τὸ ὕδωρ τὸν φάρυγγα πνίγῃ, τί δεῖ ἐπιπίνειν. Id eſt Quum aqua fauces ſtrangulet, quid iam opus eſt bibere? Quadrat in eos, qui in abſurdiſſima ſententia pertinaciter manent, vel manifeſta negantes, quibus cum fruſtrà diſceptes.

## Tuum tibi narro ſomnium.

Τὸ σὸν ὄναρ σοι διηγοῦμαι. Id eſt, Tuum ſomnium tibi narro, id eſt, Narro tibi quod ipſe me rectius noſti.

## Nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri.

Heroicus eſt in eos, qui ad inſaniam vſque imprudentes, non verentur & confeſſa negare, & manifeſtè falſa pro certis affirmare; Nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri. Nimirum inter ſanos conuenit, & nucem corticem habere durum, & baccam oleæ, lapillum intus durum, proinde ludit operam, quiſquis cum id genus hominibus

Ayuntamiento de Madrid

minibus diſceptat, qui dicunt lucem tenebras, & tenebras lucem.

## Iupiter orbus.

Ζεὺς ἄγονος. Id eſt, Iupiter orbus. Vbi quis palàm falſa aſſeuerat. Conſtat enim Ioui quàm plurimos eſſe liberos vtpote Deo longe mulieroſiſſimo, ſalaciſſimoque, qui nonvna tantum corporis parte gignat, ſed è femore Bacchum, & è cerebro Palladem produxerit. *Suidas.*

## Balba non credit.

Ἡ ψελλὴ οὐ πιστεύει. Iocus prouerbialis, vbi quis ſua mala conatur diſſimulari, quæ præ ſe fert: etiam cùm diſsimulat: veluti, ſi quis neget ſe blæſum eſſe, idque ipſum non poſsit niſi blæſè dicere. *Laërtius.*

## Iugulare mortuos.

Pro eo quod eſt, inſectari defunctos, & pugnare cùm eis qui iam extincti ſunt: tranſlatum à bellis, in quibus ignauum ac ridiculum ſit proſtratos ac interfectos iugulare. Fiet lepidior metaphora, vt ſi quis dicat eum iugulare mortuos, qui librũ impugnet à nullo nõ damnatũ: aut diſputet aduerſus ſententiam, omnium ſuffragiis iam olim reiectam: aut ſi quis vituperet rem omnibus per ſe deteſtatam. Ariſtophanes ſcripſit τοὺς τεθνηκότας ἀποκτείνειν. Iſt eſt, Defunctos occidere.

## Mortuum vnguento perungis.

Νεκρὸν μυρίζεις. Id eſt, Mortuum vnguento perungis. De ſumptu ſuperuacaneo, ſiue cùm ſerò quid adhibetur. Moris erat apud Priſcos, maxime Aegyptios, defunctorũ cadauera, ne putreſcerent, vnguentis perungere. Qui mos & his temporibus apud principes, ſicut alia pleraque gentilium, magno ſtultitiæ argumento durat.

## Ad conſiliũ ne acceſſeris, antè quã voceris.

Hæc ſententia Catonis, teſte Plutarcho, prouerbialis fuiſſe videtur, cuius hæc ſunt verba: Ridiculus igitur, inquit, & prouerbio obnoxius Menelaus, ſiquidem conſultor factus eſt, non acceerſitus. *Pithagoras.*

## Aduerſus Solem ne loquitor.

Πρὸς τὸν ἥλιον τετραμμένον μὴ λαλεῖν. Id eſt, Aduerſus Solem ne loquitor, hoc eſt, manifeſtis ne repugnes.



Ayuntamiento de Madrid

## Lanam in officinam fullonis.

Qui præpoſterè rem gerunt, veluti ſi quis Theologo committat puerum in Grammaticis rudimentis inſtituendum, lanam in officinam fullonis ferre dicitur. Fullonũ enim ars, non rudem lanam, ſed iam contextũ pannum tractat. Galenus de differẽtia pulſuũ lib. 2. Quod ſi quis hæc exactè velit aſſequi, priùs exercitatum eſſe oportuit circa prædicamenta. Nam ſcitum eſt, quod dixit Archeſilaus, Nemo defert lanam in officinam fullonis. Quemadmodum enim eſt ordo in operandis lanis, ita eſt & in diſciplinis.

## More Carico.

Σχήματι καρικῷ, Id eſt, Figura, ſiue modo Carico, fieri dicebatur, quod ſordidè incompoſitéque fiebat, præſertim in rebus obſcenis: quod tamẽ ad alia trãsferri poteſt, velut ad mores indecoros atque inciuiles, ad orationem inconditam. Legimus & πλοίῳ καρικῷ, id eſt, naue Carica.

## Accepta candela.

Diphilus apud Athenæum lib. 15. in fabula, cui titulus ἀγνοία, Ἅψαντες λύχνον, λυχνεῖον ἐζητοῦμεν, id eſt, arrepta candela, candelabrum quærebamus. Cùm res improuidè geritur: oportuit enim candelabrum eſſe paratum antè quàm candelam attingeres.

## Nec aures habeo, nec tango.

*Hieronimus.* Nec aures habere, nec tactum, prouerbio dicebatur, cui in manifeſtis ab omnibus reclamabatur.

## Syncerum vas incruſtare.

Horatius: At nos virtutes ipſas inuertimus, atque ſyncerum cupimus vas incruſtare. Hoc eſt quæ per ſe recta ſunt, ea nominibus alienis impoſitis deprauamus, atque obtegimus: vel cum rebus per ſe decentibus tectorium inducimus.

## Iuxta fluuium puteum fodit.

Παρὰ ποταμὸν φρέαρ ὀρύττει. id eſt, Ad flumen puteum fodit. De ſtultam & inanem iumente operam. Finitimum illi: in ſyluam importat ligna.

## Per parietem loqui.

*Ouidius.* Dicitur qui ridiculè quid facit. Siue quòd obſtante pa-

Ayuntamiento de Madrid

riere neuter alterum audit.

## Priùs quàm aſſa ſit farina.

Πρὶν ὀπτῆσαι ἀλεῦρα. id eſt. Priùs quàm coxeris farinam, ſubaudiendum inſpergis, aut ſimile quippiam. Euſtathius in Odyſſea refert vtrumque, tum hoc, tum illud proximum. Solita autem eſt aſſis carnibus apud quoſdam inſpergi farina.

## Priùs quàm mactaris excorias.

Dicendum, vbi quid præpoſterè fieri videtur. Finitimum illi quod alibi retulimus: Actum agere.

## Priùs antidotum quàm venenum. *Hieronym.*

Conueniet vti, quoties aliquis ſe purgat, ante quàm accuſetur. Antidotus enim aduerſus venena datur. Hanc nemo ſumit, niſi guſtato veneno.

## Capra nōdū peperit, hœdus autē ludit in tectis. *Zenodotus.*

Αἴξ οὔπω τέτοκεν, ἔριφος δ' ἐπὶ δώματα παίζει. id eſt, Nōdū enixa capra, at iam ludit in ædibus hœdus. Qui gloriātur iam aſſequutos ſeſe, cuius ne fundamenta ſunt quidem iacta. Prius eſt enī peperiſſe, quā vt hœdus ludat in tectis.

## Annulus aureus in naribus ſuis. *Prouerb. 15.*

Vbi res quæpiam per ſe præclara, illic adhibetur, vbi minimè addecet. Vt ſi ſtulto contingant opes, fatuæ forma, genus ignauo, eloquentia viro improbo, magiſtratus imperito.

## In mari aquam quæris. *Martialis.*

Ἐν θαλάσσῃ ζητεῖς ὕδωρ. id eſt, In mari quæris aquam. Si quis in moribus ſceleſtiſſimi hominis vnum aut alterū admiſſum veſtiget, quum tota vita ſit contaminata.

## Vmbram ſuam metuere. *Socrates.*

Τὴν αὑτοῦ σκιὰν φοβεῖσθαι. id eſt, Suam ipſius vmbram metuere. Dicuntur, qui pueriliter trepidant, vbi nihil omnino ſit periculi.

## Furari litoris arenas. *Ouidius.*

Litoris arenas furari dicitur, qui rem ab omnibus neglectam & incuſtoditam tollit.

## Canem excoriatam excoriare. *Ariſtophan.*

Κύνα δέρειν δεδαρμένην. Id eſt, Canem excoriare exco-



Ayuntamiento de Madrid

riatam. Suidas ait dici ſolere de iis, qui iterum ea patiuntur, quibus aliquando fuerunt afflicti. Aut in eos dicitur, qui fruſtrà ſumunt operam.

## Nudo veſtimenta detrahere.

*Plautus.* Pro eo quod eſt, Ab eo ſperare emolumentum, cui ne ſit quidem quod auferri queat.

## Nudo mandas excubias.

*Zenodotus.* Γυμνῷ φυλακὴν ἐπιτάττεις. Id eſt, Nudo cuſtodiam mandas: Quoties negotij quippiam mandatur ei, cui deeſt præſtandi facultas, obeundæque prouinciæ propter inopiam neutiquam idoneus eſt.

## Caput artis eſt, decere quod facias.

*Quinctilia.* Id vſurpare licebit, non ſolùm vbi quid fiet parùm decorè, veluti ſi cantillet, aut luſitet ſenex, ſi præeat & obiurget iuuenis, verum etiam cùm negabimus quibuſlibet quiduis eſſe decorum.

## Gallos quid exſecas.

Γάλλους τί τέμνεις? Id eſt, Gallos quid exſecas. Quid actum agis? Nam Galli Cybelis ſacerdotes, ſua ſpõte ſunt exactis teſtibus.

## In aëre piſcari venari in mari.

*Plautus.* Quadrabunt ſimpliciter in eos, qui fruſtrà moliuntur. Vt ſi quis magiſtratibus vitam tranquillam, in voluptatibus beatam in opibus felicem quærat.

## Piſcem natare doces.

*Diogenian.* Ἰχθὺν νήχεσθαι διδάσκεις. Id eſt, Piſcem natare doces. Perinde eſt, ac ſi dicas: Doctum doces.

## Lupi alas quæris.

*Suidas.* Λύκου πτερὰ ζητεῖς. Id eſt, Lupi alas quæris. De iis, qui quærunt ea, quæ nuſquàm ſunt.

## Boue venari leporem.

*Plutarchus.* Τῷ βοὶ τὸν λαγὼ κυνηγετεῖν. Id eſt, Boue leporem venari. Dicuntur, qui rem abſurdam, ſtultam, ac præpoſteram aggrediuntur. Veluti, ſi quis in curia Romana citra pecuniam ambiat Epiſcopi dignitatem.

## Serenitati nubem inducit.

*Idem.* Εὐδίᾳ γὰρ ἐπάγει νέφος. Id eſt, Serenitati nubem inducit.

Ayuntamiento de Madrid

De eo qui inter pocula ludoſque virulentum aliquid admiſcet, quod offuſcata hilaritate frontem corruget, ſuperciliaque contrahat.

## Dum genua virent.

*Horatius.*

Studendum bonis literis, dum adhuc viget ingenium & ætas poteſt laboribus ſufficere.

## Ceruus canes trahit.

*Theocritus.*

Τὺς κυνύας ὁ ἔλαφος ἕλκει.i.Canes ceruus trahit. Inter adagia, quibus præpoſterũ quippiã ſignificamus, annumerandum. Præpoſterum enim eſt, vt ceruus venetur canes.

## Aquam igni miſcere.

*Plutarchus.*

Πῦρ ὕδατι μιγνύναι Id eſt, Ignem aquæ miſcere. Eſt contra rerũ naturam agere: omnia cõfundere, & perturbare.

## Faber cùm ſis.

*Idem.*

Τέκτων γὰρ ὢν, οὐκ ἐχρᾶλτες ξυλυργικά. Id eſt, Faber quum ſis, opera haud facis fabrilia. Congruet in eum, qui tentat ea, ad quæ non eſt idoneus, vt ſi rhetoricetur Scotiſta: aut ſi non diſputet Logicus.

## Elephantum ex muſca facis.

*Lucianus.*

Ἐλέφαντα ἐκ μύας ποιεῖς. Id eſt, Elephantum ex muſca facis. Id eſt, Res exiguas verbis multis attollis atque amplificas.

## Ebur atramento candefacere.

*Plautus.*

Ex genuinæ formæ cultum atque ornatum externum inducere, quo decus illud natiuum obſcuretur magis, quàm illuſtretur.

## Exacta via, viaticum quærere.

*Cicero.*

Quadrat in ſenes auaros. Laborat enim ea ætas plerunque hoc vitio, vt quò minùs ſupereſt vitæ, hoc magis ſit de victu ſolicita

## Qui ſeſe non habet Samum habere poſtulat.

Ὃς αὐτὸς αὐτὸν οὐκ ἔχει, Σάμον θέλει. Id eſt, qui ſeſe non habet, Samum cupit. Natum eſt ex hiſtoria quapiam, cuius meminit Plutarchus. Athenienſes vrbe victori tradita, poſtularunt vt Samum duntaxat ſibi relinqueret, atque is reſpondit ad hunc modum: Cùm veſtri fueritis, tum alios habere poſtulate.



Ayuntamiento de Madrid

## Leonis exuuium ſuper crocoton.

*Ariſtoph.* Λεοντῆ ἐπὶ κροκωτῷ. id eſt, Leonis exuuium ſuper crocotō. Cùm duo quæpiam copulantur, quorum alterum cum altero nequaquam congruit.

## Cantherium in foſſa.

*Liuius.* Hoc licebit vti, quoties quis ad id negotij trahitur, in quo nequaquàm valeat; aut vt res vehementer erit impedita periculoſàue. Contrarium èſt, equus in planitie. Nam vt equus in planitie multū valet, ita minimè in foſſa.

## Iocandum vt ſeria agas.

Ariſtoteles lib. moralium. Nicomachiorū 10. refert ſententiam Anacharſidis, qui taxarit eos, qui ſeria agunt, vt iocentur, quum iocus in hoc interdum admittendus ſit, vt ſerijs rebus vacare liceat. Ariſtoteles: Studere verò ac laborare ludendi gratia, ſtolidum videtur atque admodum puerile. At ludere vt agas ſeria, iuxta Anacharſidis ſententiam, rectè videtur habere.

## Ex natali emortualem facere.

In pſeudolo Ballio leno coactus reddere argentum, dicit: Certum eſt mihi hunc emortualem facere ex natali die. Emortualem dixit, pro triſti ac funeſto: Natalem, pro læto ac felici.

## Ibyci equus.

*Ariſtotel.* Ἴβυκος ἵππος. id eſt, Ibyci equus, in iocum prouerbialem abiiſſe videtur, de ijs qui nolentes, præter ætatem ac vires ad pericu'oſum negotium adigerentur.

## Caligare in Sole.

*Quinctil.* Pro eo quod eſt, inter clariſſima cæcutire. Idque ſolet accidere vitioſis oculis, qui nihil vidēt in luce, quā maximè perſpicua. Non inuenuſtè torquebitur in iſtos, qui velut obſcurum cauſſantur, quidquid eruditum fuerit.

## Te ipſum non alens, canes alis.

*Plautus.* Αὐτὸν οὐ τρέφων κύνας τρέφεις. id eſt, Quū teipſū nò alas, canes alis. Breuiter, conueniet in omnes, qui, quæ ad voluptatem aut ſplendorem pertinent, curant, neglectis his, quæ magis ſunt neceſſaria.

## Mari è foſſa aquam.

*Ouidius.*

Ayuntamiento de Madrid

Subaudiendum, infundis. Idem: In ſiluam vehere ligna.

## Mus non ingrediens antrũ cucurbitã ferebat.

Μῦς εἰς τρώγλην οὐ χωρῶν, κολοκύντην ἔφερε. Id eſt, Mus non potens ſubire antrum, geſtabat cucurbitam. In eum congruit, qui quum ipſe ſibi conſulere non poſſit, alijs conatur opitulari.

## Solem adiuuare facibus.

Gratianus cauſſa 6. q. 1. ex Anacleto Papa prouerbium refert in eos, qui hic vſurpant ſibi diuinum iudicium quod nullus hominum poterit effugere. Nam incerta ſunt hominum iudicia, neque ſecus ſe habẽt ad iudicia Dei, quàm fax ad ſolem. Si omnia, inquit in hoc ſæculo vindicata eſſent, locum diuina iudicia non haberent: ſuperuacuis laborat impendiis qui ſolem certat facibus adiuuare. *Zenodot.*

## Ad menſuram aquam bibunt, citra mẽſuram offam comedentes.

Μέτρῳ μὲν ὕδωρ πίνοντες, ἀμετρὶ δὲ μᾶζαν ἔδοντες. id eſt, Ad menſuram bibentes aquam, citra menſuram offam edentes. Vnde poterit accommodari in eos, qui ex ſummis deliciis opibuſque rediguntur ad extremam inopiam. *Plutarchus.*

## Aliorum medicus ipſe hulceribus ſcates.

Ἄλλων ἰατρὸς, αὐτὸς ἕλκεσι βρύων. id eſt, Alijs medicus, at ipſe hulceribus ſcates. In eos torquẽdũ, eſt ꝙ erratũ caſtigãt, inceſſuntque alienũ, intercutibus vitijs ipſi madentes. Illud vulgò tritiſſimum. Medice, tibi medicus eſto.

## Anus Eriphus.

Γραῦς ἔριφος. id eſt, Anus hœdus. Appollódorus apud Zenodotũ, ait anũ quandã fuiſſe, quæ vulgò dicta ſit Eriphia, quòd in virginitate conſenuiſſet, perinde quaſi eadem & anus eſſet per ætatem. & puella: quòd adhuc innupta.

## Titius.

Titium ſaltare dicebantur, qui incompoſitè ac ſolutè geſtiebant. Fuit enim huiuſmodi ſaltationis genus, quòd à Titio quodam malo oratore nomen inuenit.

## Anus ſaltat.

Γραῦς χορεύει. id eſt, Anus ſaltat. In eum conuenit, qui indecore quippiã facit: veluti ſi ſenex ludat nucibus, &c.



Ayuntamiento de Madrid

## Anus cothoniſſat.

Γϱαῦς χωθωνιζόμϵναι. Id eſt, Anus cothonizantes. Dicitur de vetulis indecorè laſciuientibus. Cothon Græcè temulentiam ſignificat. Inde fictum verbum χωθωνίζειν.

## In toga ſaltantis perſonam inducere.

*Martial.* Eſt quippiam facere neutiquam decorum. Veluti ſi ſenex, aut theologus ineptiat, aut ſi quis ſeriis miſceat ludicra.

## Camelus ſaltat.

Veluti ſi quis natura ſeuerus ac tetricus, affectaret elegans & feſtiuus videri, naturæ vim faciens. D. Hieronimus in Heluidium: Riſimus, inquit, in te prouerbium: Camelum vidimus ſaltantem.

## Lucernam adhibes in meridie.

*Diog. Laer.* Λύχνον ἐν μεσημβϱίᾳ ἅπτεις. Id eſt, Lucernam accendis in meridie. Id eſt, facis quippiam non ſuo tempore. Aut explicas, quæ per ſe ſunt clariſſima.

## Claue findere ligna, & ſecuri fores aperire.

*Plutarchus.* Τῇ κλειδὶ τὰ ξύλα σχίζειν, τῇ δὲ ἀξίνῃ τὴν θύραν ἀνοίγειν πειρῶς: Id eſt, Claue ligna ſcindere, ſecuri verò fores aperire conaris. Veluti ſi quis liberos metu ſtudeat emendare, ſeruos beneficiis ſibi adiungere.

## Cani das paleas, aſino oſſa.

Κυνὶ δίδως ἄχυϱα, ὄνῳ δὲ ὀστέα. Id eſt, Cani das paleas, aſino verò oſſa. Veluti ſi quis indocto munus mittat litterarium, erudito floſculos, aut gladium, baltheumue.

## Vulpes bouem agit.

*Suidas.* Ἀλώπηξ τὸν βοῦν ἐλαύνει. Id eſt, Vulpes bouem agit. Cùm res abſurdè geritur. Nihil enim vulpi cum agricolatione. Veluti ſi quis poëta de rebus ſacris concionetur.

## Ante barbam doces ſenes.

Cùm imberbis maiorem natu docet. Odi puerulos præcoci ſapientia: vt retulit Apuleius ex poëta innominato.

## Daſypus carnes deſiderat.

Δασύπους κϱεῶν ἐπιθυμεῖ. Id eſt, Daſypus carnes deſiderat. Dicitur in eos, qui ea requirunt ab aliis, quæ ipſis affatim

ſunt domi. Eſt enim daſypus de genere leporum,lepus autem eſt animal eſculentum.

### Tute lepus es, & pulpamentum quæris.

Donatus exponit prouerbium hoc in molles conuenire, propterea quòd, lepus à poſteriore parte,hoc eſt,à lumbis&clunibus palpamentum de ſe præbeat,eaque corporis parte lautiſſimus ſit.

### Sidera cælo addere. *Ouidius.*

Pro eo quod eſt,adiũgere quibus ipſis ſumma eſt copia.

### Culicem colant. *Matth. 23.*

Cæterùm ex Euangelicis adagiis illud non poſſum prætermittere, quod in ſuperſtitioſos quoſdam & præpoſterè meticuloſos dictum eſt à præceptore noſtro Ieſu, qui vel ignorantes,vel diſſimulantes, quibus in rebus ſita ſit vera Chriſtianaque pietas,in nugis ſibi nunc placent, nunc trepidant, in maximis ſecuri.

### Smaragdus in luce obſcurus.

Ἀείγνωτος σμάραγδος ἐν μὲν τῷ φάει σκοτεινός. Id eſt,Inſigniſ ſmaragdus in luce quidem obſcurus.In eos dici ſolitum,qui præpoſterè ibi ſemet occultarent vbi maximè conueniebat edere virtutis ſpecimen.

## ACCESSIO, PVSILLA, AVT NIMIA.

### Crœſi pecuniæ teruncium addere.

M.Tullius lib. de Finibus 4. Itaque in quibus propter earum exiguitatem obſeruatio conſequitur, ſæpe accidit vt nihil intereſſe noſtra fateamur, ſint illa, nec ne ſint:vt in Sole, quod à te dicebatur, lucernam adhibere, nihil intereſt aut terũcium addere Crœſi pecuniæ. Teruncij nũmi à tribus vncijs dicti vilitas prouerbio locum fecit. Crœſus Lydorum rex inter prodigioſè diuites celebratur.

### Piſcis eget ſale. *Ariſtotel.*

Ἰχθὺς δεῖται ἁλός. Id eſt,Piſcis eget ſale. De re abſurda & incredibili. Nec enim veriſimile eſt, piſces in mari agentes opus habere ſale.

### Holerum appoſitiones.

Αἱ τῶν λαχάνων προσθῆκαι. id eſt, Holerum additamenta.De re nullius momenti.Sumtum videtur ab holeribus appo-

ſitis in menſa, vili nimirum cibo. Auctor Diogenianus.

## Gleba aruum

Βῶλος ἀρούρᾳ. Id eſt, Glebam aruum. Vbi quis exigua maximis apponit, credens ſeſe nonnihil iuuare. Nil enim adfert momenti ſi gleba aruo adiungatur.

## Gutta vini.

Σταλαγμὸς οἴνου μυρίοις χοῶν πιδύσασι οὐ μίγνυται. Id eſt Gutta vini non miſcetur aqua ſæpius infuſa. Cùm paululo boni nimia mali vis admiſcetur. Diluitur enim & euaneſcit ſi pauxillum vini plurima corrumpas aqua.

## Ne maior thylaco acceſſio.

*Lucianus.* Hoc vti licebit prouerbio, cùm digreſſio longior eſt quàm ipſa res. Trãſlatum eſt à mulionibus, qui præter legitimum onus vaſcula quædam ſuperimponunt. Thylacus enim culeus eſt, ſiue mantica parata geſtandis oneribus. Ergo cùm digreſſio longior eſt, quàm res ipſa, vti licebit prouerbio.

### AD REM PERTINENTIA

## Nunc in regionem veni.

*Plutarchus.* Νῦν εἰς χώραν ἦλθον. Id eſt, Nunc in regionem veni. Ab iis dictitari ſolitum qui tãdem ſua ſponte illuc, quò oportuit, perueniunt. cùm diu non quieuerint

*Ariſtotel.*

## Ipſum oſtij limen tetigiſti

Αὐτὸν κέκρουκας τὸν βατῆρα τῆς θύρας. Id eſt, Ipſum attigiſti limen oſtij pede. Dici ſolitum, quoties ad rem ipſam peruenitur.

## Rem acu tetigiſti.

*Plautus.* Pro eo quod eſt: Rem ipſam diuinaſti, nihil aberrãs. Igitur acu tangere, perinde eſt, quaſi dicas, ipſiſſimum punctum attingere

## Ædibus in noſtris, quæ praua, aut recta gerũtur.

*Homerus.* Ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακῶν τ' ἀγαθῶν τε τέτυκται. Quo verſu monemur, vt ea potiſſimùm, quæ ad noſipſos pertinent curemus: externa atque aliena ne inquiramus.

*Ariſtophan.*

## Ipſi curandum.

Αὐτῷ μελητέον, ἀλλ' ἐπὶ τὸν οἶκον. Id eſt, Ipſi curandũ eſt, ſed in domum. Natum autem ab ædibus quibuſdã maximis, quæ locabãtur conducere volentibus. Græci ſcripto-

Ayuntamiento de Madrid

res torquent in eos, qui rebus alienis liberiùs vtuntur, vt ſolent, qui in conducto habitant.

## Omiſſis nugis rem experiamur.

Quis cõuitiis omiſſis iubebit ipſa re periculum fieri, vter vincat, aut vincatur, non inepte accõmodauerit illud Iliados χ. *Homerus.*

Sed præſtat pugnam commitere cominus, vt mox
Vtri Iupiter eſſe velit laudem dedecuſque,
Perſpicuum fiat.

## Pedem conferre.

Vbi propiùs acceditur ad rem. Auctor Cicero. Pedem referre, eſt iterare ſtudium vel contentionem.

## Ab vnguibus incipere.

Ἐχ' τῶ ὀνύχων ἄρχεσθαι. Dici ſolitum, quoties à leuiſſimis miniméque ad rem pertinentibus ordimur. Huic contrarium, A capite incipere, cùm illud quod præcipuum in cauſa eſt, aggredimur.

### ADVLATIO.

## Mercenarium præconium.

Laudes non ex animo tributas, ſed cõmodi gratia per adulationem oblatas, M. Tullius actione in Verrem 3. mercenarium præconium appellat. *Tullius.*

## Saluete equorum filiæ.

*Ariſtotel.*

Apparet ioco vulgari fuiſſe iactatũ in eos, qui emolumẽti gratia blandiũtur. In certamine mulorum cum is qui vicerat, propoſuiſſet exile precium pro carmine, Simonides recuſauit, indignans mulos celebrari ſuo poëmate: ſed vbi victor dediſſet magnum premium, carmen hoc fecit, Saluete, &c. Siluit enim quod eſsẽt ex aſinis nati.

## Verbis coquinariis.

Ῥήματα μαγειρικά. Id eſt, Verba coquorũ, venuſté dixit Ariſtophanes in Equitibus, pro verbis mollibus, blãdis ac dulcib᾿. Coquorũ enim eſt edulcare cibũ perſe ſubauſterũ.

## In hoſtio formoſus.

Ἐν θύρᾳ καλός. Id eſt, In oſtio formoſus. De iis, qui adamantur, vulgoque gratioſi habentur. Sumptum à veteribus, qui formoſorum, aut amaſiorum nomina arboribus, foliis ac parietibus inſcribebant. *Ariſtoph.*

Ayuntamiento de Madrid

## Python formoſus.

*Pindarus.* Πύθων καλός. Id eſt, Python formoſus. Python pro ſimiolo ponitur animali. Conueniet, vbi quis per adulationem falsò laudatur.

## Myoſobæ.

*Athenæus.* Μυοσόβαι, Myoſobæ, muſcarum abactores, à Perſarum deliciis natum adagium, vt indicat Athenæus, qui in conuiuiis Myoſobas adhibebant, quod apud Italos iam vulgare. Dicetur rectè in eos, qui in friuolis cuipiam obſeruire conantur.

## Haud quaquam difficile Athenienſem Athenis laudare.

*Ariſtotel.* Quemadmodum enim dixit Socrates, ὐ χαλεπὸν Ἀθηναίους ἐν Ἀθήναις ἐπαινεῖν. Id eſt, Haud difficile eſt Athenienſes Athenis laudare. Dictum eſt autem propter encomia orationesque panegyricas, quæ Athenis ex more exhibebantur iis, qui fortiter oppetiiſſent in bello: in quibus quia plurima dicebantur in laudem populi Athenienſis, pronis auribus audiebantur, propterea quòd ſuis quiſque laudibus fauet.

## Cura eſſe quod audis.

*Horatius.* Conuenit in diuites, qui ita demum felices fuerint, ſi id ſtudeant eſſe quod audiunt ab adulatoribus.

## Ficum cupit.

*Ariſtip.* Σῦκον αἰτεῖ. Id eſt, Ficum cupit. In eum dicebatur, qui commoditatis alicuius gratia blandiebatur. Athenienſes agricolis blandiri ſolebant, vt ab illis ficos præcoquos acciperent.

## De fera comediſti.

Ἀγρίαν βέβρωκας. Id eſt, De fera comediſti. Dicebatur olim oſcitanti. Nam vulgò creditum, carnem ferinam comeſam crebras oſcitationes excitare. Venuſtius erit, ſi commodè transferatur ad ſupinos, oſcitabundos & negligentes.

## Ἀδελφίζειν.

Dicuntur, qui vocabulis adoptiuis alicui blandiuntur, & fraterculum appellant. Horatius. Fratet, pater, adde.

## Demulcere caput.

Ayuntamiento de Madrid

Pro blandiri ſumptum ab adulantium geſtu. Hieronymus ad Auguſtinum: Prætermitto ſalutationis officia, quibus meum demulces caput. *Quinctil.*

## Refutantis laudem immodicam.

Οὔτι ἐγώ θεός εἰμι, τί μ' ἀθανάτοισιν ἐίσκεις. Id eſt, Nullũ ego ſum numen, quid me immortalibus æquas? Plutarchus monet, vt hoc Homericum carmẽ ſemper habeamus inpromtu, tànquàm pharmacum aduerſus venenum adulationis: aut vbi quis nos magnificentius quàm pro merito laudat *Homerus.*

## Cauda blandiri.

Κέρκῳ σαίνειν. Cauda blandiri dicuntur, qui ſpe cõmodi cuipiam adulantur, dictum apparet à canibus. *Ariſtoph.*

## Præſtat habere acerbos.

M.Tul. in dialogo de Amicitia: Scitum eſt enim illud prouerbium Catonis: Multò melius de quibuſdam acerbos inimicos mereri, quàm eos amicos, qui dulces videantur. Equidem vt præclaram eſſe ſententiam fateor, ita prouerbium eſſe negauerim. Tamen adſcribendum putauimus, nequis indiligentia prætermiſſum exiſtimaret.

## Benignior pellace vulpe.

Ὦ πλεῖον ἵλαος αἱμύλης ἀλώπεκος. Id eſt, Pellace quãtò eſt blandior vulpecula! De eo, qui commodi ſui cauſa ſimulat beneuolentiam.

## Lethale mulſum.

Θανάσιμον μελίκρατον. Id eſt, Lethale mulſum dicitur, quidquid ita iucundum eſt vt idem ſit pernicioſum. Legimus & Mellitum venenum apud Plinium. *Diogenian.*

## Χρηςολόγος.

Chreſtologi dicebantur, qui probè loquuntur, & improbè faciũt. Paulus in Epiſtola ad Romanos, huiuſmodi blandiloquentiam χρηςολογίαν vocat.

## Io pæan.

Athenæus ſic citat ἰὴ παιάν. Acclamatio prouerbialis, qua conſueuimus vti, re grauiter & feliciter peracta. Cui nõ videtur diſſimile illud, macte virtute. In triũphis acclamabatur, io triũphe. Horat. Non ſemel dicemꝰ io triũphe. *Horatius.*

## Polycrates matrem paſcit

Πολυκράτης μητέρας νέμει. Id eſt, Polycrates matrem paſcit. Hoc adagium ex hiſtoria petunt, narrantes Polycratē Samiorum tyrannum, matres militum, qui in bello interiiſſent, recenſuiſſe, easque locupletioribus ciuibus nutriendas tradidiſſe. Ego puto non incōmodè poſſe vſurpari, quoties aliquis in cōmendandis amicis eſt benignior officioſiorque.

## Ipſe ſemet canit.

Αὐτὸς αὑτὸν αὐλεῖ, Id eſt, Ipſe ſuimet tibicen eſt, hoc eſt, ipſe cuiuſmodi ſit, factis ipſis declarat. Adagium in vtrālibet partem poterit applicari, bonam vel malam.

## Magis ipſe Phryx.

*Æſopus.* Μᾶλλον ὁ Φρύξ. Id eſt, magis ipſe Phryx. Equidē coniicio dictatum, quoties ea magis probarētur, non quæ veriora ſint, ſed quæ adulantiùs dicta.

*Plato.*

## Pulcrè dixti, Bellè narras.

Καλῶς ἔλεξας. Huc pertinere videtur ironiæ illæ prouerbiales, paſſim in comediis obuiæ. Dixti pulcrè, Bellè narras. De re dictu vehementer abſurda. Plato in Euthydemo.

*Plutarchus.*

## Climacides.

Κλιμακίδες. Id eſt, Scalulæ. Per iocum vocari poterunt, qui ſe diuitibus ad quiduis obſequij ſubmittunt, etiam ſi ſordidiſſimum ſit.

## Gloſſogaſtores.

*Tullius.* Qui linguam habent venalem, ea loquētes, quæ ventri conducunt.

## Ex cohorte prætoris.

Qui ad omnē nutū præſtò ſunt, & cum auctoritate deligūtur ad hoc, aut ad illud exequēdū, ex cohorte prætoris appellari dicūtur. Miniſtri prætorū non egent alia excuſatione quàm vt dicāt, ſe, quod fecerūt, illorum iuſſu feciſſe: vt iam in prætorē ſit a[illegible], non in miniſtros. Simile imperiū in quoſdā cibo officiiſq; ſic deuinctos, vt nihil auſint recuſare.

## Conſeſſus in ludo talario.

Nec prouerbij ſpecie caret, quod habetur in epiſtola ad Atticū lib. 1. Cōſeſſus talarius, pro cōuentu hominum

Ayuntamiento de Madrid

parũ honoratorũ. Nam cõſeſſus, Græcè ϲυνέδριον, propriè dicitur Senatus aut iudicium, qui ſolent ex honeſtiſſimis deligi. In conſeſſu Talario, qui nequiſſimus eſt, primas tenet. verba Ciceronis hæc ſunt: Non enim vnquam turpior in ludo Talario conſeſſus fuit, maculoſi Senatores, nudi equites, Tribuni non tam ærarij, quàm vt appellantur ærati, pauci tamẽ boni inerãt, &c. Quanquam & is iocus eſt prouerbialis, quod ait illos vulgò appellari ſolere pro tribunis ærariis, tribunos æratos, hoc eſt obæratos, aut certè bene nummatos peculatu. *Tribuni ærati.* *Plautus.*

AEQVANIMITAS.

## In re mala, animo ſi bono vtare, adiuuat.

Fortiter ferẽdo vincitur malum, quod euitari non poteſt.

## Magiſtratũ gerens, audi & iuſtè & iniuſtè.

Ἄρχων ἄκουε καὶ δικαίως κ' ἀδίκως. Id eſt, Princeps iniqua & æqua pariter audias. Sumtum aiunt ex Solonis elegiis. Admonet, vt qui in tractandis Reipub. muneribus verſatur, patientiſſimis ſit auribus, æquoq; ſit animo, & benè & malè audire conſueſcat, neque facile populi vel laudibus, vel conuitiis à recto dimoueatur. *Iuuenalis.*

## Iactare iugum.

Eſt incommodè ferre ſeruitutis neceſſitatẽ. Trãſlatum à bobus, nondum aſſuetis iugo. *Plutarchus.*

## Ad finem vbi perueneris, ne velis reuerti.

Μὴ ἐπιστρέφεσθαι ἐπὶ τοὺς ὅρους ἐλθόντα, Id eſt, Ne reflectas, vbi ad terminũ perueneris, Finem vitæ æquo animo feras, ne dixeris illud Virgilij.

O mihi præteritos referat ſi Iupiter annos.

AEQVALITAS.

## Æqua concertatio.

Cùm ſignificabimus duos ex æquo paratos ad diſceptãdum rixãdumue licebit accõmodare carmen illud ex Iliad. 5. libro:

Τῶ μὲν δὴ χεῖράς τε καὶ ἔγχεα ὀξυόεντα
Ἀντίον ἀλλήλων ἐχέτην μεμαῶτε μάχεσθαι
Id eſt, Illi inter ſeſe iamiam pugnare parantes
Obtendunt, pariterq; manu, præacutaque pila.

## Par pari.

Ἴσον ἴσῳ. Par pari. Dicimus, vbi quid ex æquo mode- *Cicero.*

Ayuntamiento de Madrid

*Plinius.* ratum ſignificamus. Dictum à potatoribus, qui frequenter de æqualitate diſputant, interdum pugnis & enſibus. Sed olim æqualitas erat, vt tantundem adderent aquæ quantum eſſet vini.

*Homerus.*

## Pari iugo.

Pro eo quod eſt, pari ſtudio, parſque conatu. In eos qui negocium commune certatim agunt, in vel dicitur de amore æquali.

## Pertinax contentio.

Quoties oſtendimus obſtinatam ac muliebrem æqualium inter ipſos contentionem, quum neuter altero vult inferior videri. Conueniet illud, quod Iliados 4. lib. Iuno

*Strabo.* dicit ad Iouem:

*Καὶ γὰρ ἐγὼ θεός εἰμι, γένος δέ μοι ἔνθεν ὅθεν σοι. Id eſt,*
*Ipſa etiam Dea ſum, genus inde mihi, vnde tibi ortus.*

### ALIA ALIIS PLACENT.

## Felix Corinthus, at ego ſim Teneates.

Εὐδαίμων γε Κόρινθος, ἐγὼ δ' εἴην Τενεάτης. Id eſt, Fortunata Corinthus, at ipſe ſiem Teneates. Tenea vicus quidam haud procul à Corintho, nemoroſus & amœnus. Porrò

*Terent.* Corinthiorum opulentia inſignis fuit. Tempeſtiuum fuerit hoc vti, quoties in contentione duorum, non inficiabimur alterum per ſe præſtantius, verùm alterum magis arridere placeréque a[illegible]o noſtro.

## Quot homi[illegible]s, tot ſententiæ.

Idem: Suus cuique mos eſt. Perſius:
Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor vſus.
Velle ſuum cuique eſt, nec voto viuitur vno.

## Suum cuique pulcrum.

In eos, quibus ſua qualiacunque ſunt, tamen ſtudio magis quàm iudicio placent. Eſt autem à communi mortalium ingenio ſumta, quibus vſqueadeò inſita eſt illa Phi-

*Alcimus.* lautia, id eſt, amor ſui, vt neminem tam modeſtum, tam attentum, tam oculatum inuenias, quin in propriis æſtimandis quadam animi propenſione corruptus, cæcutiat, atque hallucinetur.

## Aſinus aſino, & ſus ſui pulcer.

Ὄνος τ' ὄνῳ κάλλιστον, ὗς δὲ τῷ συΐ. Id eſt, Aſinus aſello pulcer

pulcer eſt, & ſus ſui. Simile ſimili placet. Conueniet, vbi inter inhoneſtos, ſimilitudo morum & inſtituti conciliat beneuolentiam: veluti cùm miles placet militi, aleator aleatori, potator potatori, ſophiſta ſophiſtæ.

Balbinum polypus Agnæ delectat.

Eôdem pertinet quod alibi dixit Horatius:
Turpia decipiunt cæcum vitia, aut etiam ipſa hæc
Delectant, veluti Balbinũ polypus Agnæ. Nam Balbino ſtultè amanti, etiam polypus Agnæ amicæ ſuaue quiddam olere videbatur. Eſt autem polypus vitium narium graue olentium, itidem vt hircus alarum. Vnde & polypoſos & hircoſos dicimus.

## ALIBI DIMINVTVM, ALIBI REDDITVM.

*Athenæus*

Claudus optimè virum agit.

Ἄριστα χωλὸς οἰφεῖ. Id eſt, optimè claudus virum agit. Dici ſolitum vbi quiſpiam ſuam ſortem vel parùm egregiam anteponit alienæ, tametſi præſtãtiori. Sunt qui dicant claudos eſſe coïtus auidiores, indeq́; locum prouerbio datum. Ex Ariſtot. problem.

Non omnia poſſumus omnes.

*Virgilius.*

Homerus Iliados ν.
Haud quaquam poteris ſortitier omnia ſolus.
Nanque aliis diui bello pollere dederunt.
Huic ſaltãdi artem, voce huic citharaque canendi.
Rurſum alij inſeuit ſagax in pectore magnus
Iupiter ingenium, at multis eſt vtilis ille.

*Heſiodus.*

Facta iuuenum, conſilia mediocrium, vota ſenum.

Ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ δὲ γερόντων. Id eſt, Vota ſenum, conſulta virorum, & facta iuuentæ. Nam viribus ea ætas præpollet. In conſilium aſciſcendos mediocris ætatis viros, propterea quòd in his nonnihil detrito virium vigore, valeat tamen vſu rerum aucta prudentia. Senes vtpote religioſi, ſolent à Superis optima precari.

Marinam auditionẽ fluuiali abluit ſermone.

*Plato.*

Ἀλμυρὰν ἀκοὴν ἀποκλύσασθαι ποτίμῳ λόγῳ. Id eſt, Salſuginoſam ſermonem potabili diluit oratione. Quod audire



Ayuntamiento de Madrid

erat moleſtum, id diuerſa oratione edulcatur. Quod erat guſtus, id traductum eſt ad aures. Etenim quod palato aqua marina, id auditui ſermo placidus atque benignus.

## Quod alibi diminutum, exæquatur alibi.

In eum in quo deſideratur virtutis aliquid, ſed cuius iacturam alia quapiam dote compenſet. Veluti ſi quem intelligi velimus parum eloquētem, ſed admirabili tamen iudicio. Aut qui ſit indoctus quidem, ſed bene nūmatus, competet illud ex Iliados x.

Ὅς δή τοι εἶδος μὲν ἔην κακός, ἀλλὰ ποδώκης. Id eſt:

Qui ore quidem deformis erat, pedibus tamen acer.

## Semper ſeni iuuenculam ſubiice.

*Diogenian.* Αἰεὶ γέροντι νέαν ἐπιβάλλειν πόρην. Id eſt, Semper puellā virginem ſubiice ſeni. Admonens, vt prouectioris ætatis viri, puellam ducāt magis, quàm anum, ne ſi frigus acceſſerit frigori, languente Venere, ſteriles exiſtant nuptiæ.

## Non omnis fert omnia tellus.

*Virgilius.* Prouerbium erit, ſi traducatur ad diuerſas ingenij dotes. Theocritus: Illa quidem producit hiems, illa educat æſtas, cùm ſignificabimus, aliud agēdū iuueni, aliud ſeni, aliis atque aliis temporibus vtendum.

ALIENA A RE.

## Nihil ad verſum.

*Lucianus.* Οὐδὲν πρὸς ἔπος. Id eſt, nihil ad carmen. De iis, quæ longè diſcrepant ab iis quæ propoſita ſunt.

## Nihil ad fides.

*Idem.* Οὐδὲν πρὸς τὴν χορδήν. Id eſt, Nihil ad chordam. In eos, quorum vita vehementer eſt inæquabilis, quorúmue mores ab oratione diſſident.

## Nihil ad Bacchum.

*Suidas.* Οὐδὲν πρὸς Διόνυσον. Id eſt, Nihil ad Bacchum. Vbi quis ea nugatur, quæ ad rem præſentem nihil attinent. Dithyrambi olim in Bacchum cani erant ſoliti, deinde poëtæ mutata conſuetudine Aiaces, Centauros, & id genus fabulas deſcribere cœperunt, proinde ſpectatores per riſum acclamarunt, nihil ad Bacchum.

## Mira de lente.

*Rodulphus Agricola.* Quoties res humilis & puſilla magnificis laudib⁹ attolleretur opinor Græcis efferri hūc in modū. Δεινὰ περὶ φακῆς.

Ayuntamiento de Madrid

Quid ad farinas?

Τί πρὸς τ' ἄλφιτα: Id eſt, Quid ad farinas? Id eſt, Quid attinet ad parandas facultates; Id rectè detorquebitur ad artes ſteriles, vt poëticem. *Ariſtoph.*

Alia Menecles, alia Porcellus loquitur.

Vbi quis multum verborum effutit, quæ nihil ad rem pertineant. Huic ſimile die de tribus capellis.

Neque cælum, neque terram attingit.

Οὔτε γῆν, οὔτε οὐρανοῦ ἅπτεται. Id eſt, Neque cælũ, neq; terram attingit. De re vehementer abſurda atque aliena, quæque nulla vicinitate pertineat ad id, de quo agitur. *Lucianus.*

Quid ad Mercurium.

Τί πρὸς τὸν Ἑρμῆν, Id eſt. Quid ad Mercurium? Id eſt, Nihil ad rem. Nam Mercurius orationis eſt auctor.

Ego de alliis loquor, tu reſpondes de cepis.

Cùm aliud reſpõdetur, quàm rogaris. Vel contrà, cùm ineptè reſpondetur, ineptè ſciſcitanti. Confinia ſunt inter ſeſe cepæ & alia.

Falces poſtulabam. *Suidas.*

Ἀμας ἀπῄτουν. Id eſt, Falces poſtulabam. In eos, qui reſpondent id quod ad rem non attinet. Natũ hinc, quod agricolæ cuipiam à vicino falcem commodato petẽti, negauerit ille ſibi ligonem eſſe domi.

Extra chorum ſaltare.

Ἐκτὸς χοροῦ ὀρχεῖσθαι. Id eſt, Extra chorũ ſaltare. Dicitur, qui dicit aut facit à re, quam propoſuit, alienum aliquid. Liberum non eſt euagari iis qui choros ducunt, ſed certis limitibus tenentur.

Vltra ſepta tranſilire. *Plato.*

Ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν. Id eſt, Septa tranſilire. Congruit in eos, qui à propoſito digrediuntur.

Extra oleas fertur.

Ἐκτὸς τῶν ἐλαιῶν φέρεται. Id eſt, Extra oleas fertur. Vbi quis terminos præſcriptos tranſgreditur. Stadia in quibus olim certabatur oleis per ſeriem poſitis vtrinque ſepiebantur, quas preterire non licebat. *Gregor. Nazianzenus.*

Incita equum iuxta nyſſam.



Ayuntamiento de Madrid

Κέντει τὸν πῶλον παρὰ τὴν νύσσαν. Id eſt, Stimula equum iuxta lineam. Dicebatur, vbi ſermo loquẽtis aberrat ab eo, quod eſſet inſtitutum. Sumptum ab equeſtri curſu, qui inter perſcriptas metas ac lineas agebatur, quas tranſilire nefas erat.

## Haud contra oſtium.

*Ariſtotel.* Οὐ κατὰ θύρας. Id eſt, Haud contra ianuam: pro eo quod eſt, non propè ad rem & ad id de quo agitur.

## Nihil ad rem.

In eum qui dixerit abſurdè quippiam, & alienum à re propoſita, quadrabit illud Home. Νήπιος εἰς ὦ ξεῖν' ἢ τηλόθεν εἰλήλουθας. Id eſt, Hoſpes ſtultus, aut longinquis aduena ab oris Nuper ades.

## Meos corymbos necto.

Τοὺς ἐμοὺς κορύμβους πλέκω. Id eſt, Meos necto cincinnos. Vbi quis reſpõdet, quod nihil pertinet ad interrogata. Sũptum ex comœdia quadã, in qua neſcio quis diuerſa reſponderat per diſſimulationem.

## Omiſſa hypera, pedem inſequeris

*Hyperides.* Ἀφεὶς τὴν ὑπέραν, τὸν πόδα διώκει. Id eſt, Omiſſa hypera, pedem ſectatur. Conuenit vbi quis omiſſis his, quæ magis ad rem attinebãt, leuicula quæpiam curat. Hyperæ, nautici funes ſunt, quibus antẽnarum cornua traducũtur. Pedem autem vocant imam claui partem.

## De curru delapſus.

Ἐξ ἁμαξῶν ὁ μένος. Id eſt, De curru delapſus. In hodiernum quoque vulgò durat adagium in eum, qui oblitus propoſiti, aliò ſe transfert, aut qui in ſentẽtia labaſcit. Quemadmodum, Ab aſino delapſus.

## Quò terrarum raperis.

Qui non ſunt attẽti ad rem propoſitam, negãtur eſſe domi. Qui longiùs aberrant à vero, in aliena regione eſſe dicuntur.

## Me mortuo, terra miſceatur incendio.

*Suetonius.* Eadem ſententia hodiè vulgò durat inter mortales: Mihi inquiunt, morienti, mundus vniuerſus moritur: qua ſignificãt, nihil ſua referre, quid poſteris accidat, vel boni, vel mali, quum ipſi tollantur è vita, nequaquam ſenſuri: Carmen ſumptum ex aliqua vetere Tragœdia, cuius me-

Ayuntamiento de Madrid

minit Tranquill. in Nerone.

## Mihi iſthic nec ſeritur, nec metitur.

Id eſt, Iſta res nihil ad me pertinet, vt quæ neque meo fiat periculo, neque emolumēto, metaphora notiſſima eſt. *Plautus.*

## Non luctu, ſed remedio opus in malis.

In malis, non lamētis, ſed auxiliis vtendum. Ad id cōuenit illud Iliados Ω: *Homerus*

*Οὐ γάρ τι πρῆξις πέλεται κρυεροῖο γόοιο.*

Quippe nihil miſero fletus, lamentaque proſunt.

## Omni pedi eundem calceum inducere.

Galenus l. Therapeutices 9. Ἐκεῖνοι μὲν οὔτε ζητοῦσιν οὔτε ἴσασιν, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὴν παροιμίαν, ἐπὶ παντὶ ποδὶ πάντας ὑποδοῦσιν. Id eſt: Iſti quidem igitur neq; inquirūt, neq; ſciūt. Quin magis iuxta prouerbiū, eodē calciamēto calceāt omnes. Loquitur de quibuſdā medicis imperitis, qui non habita ratione morborum, eadem remedia admouent omnibus, quum diuerſa mala, diuerſam curationem deſiderent. *Galenus.*

## Reſpublica nihil ad muſicum.

Hæc perſuaſio quēadmodū olim multorum animos occupauit, ita nūc quoq; multis inhæret, vt credāt doctos ac probos viros non eſſe accommodos ad gubernandam Rēp. Plato abſtinuit, Socrates fruſtrà tētauit; Demoſtheni & Ciceroni parum feliciter ceſſit, &c. Id venuſtè expreſſit Ariſtophanes in Equit. Nam illic principatum recuſanti quòd muſices eſſet imperitus ita reſpondetur: *Ariſtoph.*

Ἡ δημαγωγία γὰρ οὐ πρὸς μουσικοῦ
Ἔτ' ἐστὶν ἀνδρὸς οὐδὲ χρηστοῦ τοὺς τρόπους. Id eſt:
At gerere nunc Rempub. non eſt viri
Qui muſicus ſit, ac probatis moribus. Muſices nomine omnem liberalem eruditionem deſignabant veteres.

## Ἐξορχεῖσθαι.

Qui fugiūt, & ab eo quod agitur aliò ſe vertūt, Græcis ἐξορχεῖσθαι dicuntur, ſumta metaphora à ſaltationibus præſertim ſacris, vnde ſubtrahere ſeſe inauſpicatum erat.

### ALIENA CVRANTIS.

## Bellum Cononi curæ fuerit.

Πόλεμος Κόνωνι μελήσει. Id eſt, Curabit prœlia Conon. Proinde conueniet ad hunc modum reſpōdere curāti negotium, quod ad ſe nihil attineat. Conon dux Athenienſiū



Ayuntamiento de Madrid

exercitatiſſimus in bello, primùm nauali prælio victus à Lyſandro, redintegratis copiis, eundem terreſtri prælio ſuperauit, & Athenis libertatem reſtituit. *Plutarchus.*

## In alieno choro pedem ponere.

Ἐν ἀλλοτρίῳ χορῷ πόδα τίθεσθαι. Id eſt, In alieno choro pedem ponere. Eſt ſeſe miſcere negotiis alienis, & aliorum ſibi vindicare partes. *Homerus.*

## Ne depugnes in alieno negotio.

Vbi ſignificabimus nos nolle noſmet admiſcere liti alienæ, quæ nihil ad nos pertineat, ſed permiſſuros, vt ipſi inter ſeſe ſuo decertent periculo, quorum negotium agitur, verſiculo fuerit locus ex Iliad. 3. lib.

Proque Helena, proque omni re decernere ſolos. Dictũ eſt de Menelao & Paride ſingulari certamine cõgreſſuris.

## Quæ ſupra nos, nihil ad nos.

*Socrates.* Τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. Id eſt, Quæ ſupra nos, nihil ad nos. Dictum Socraticum, torqueri poteſt in illos, qui de negotiis Principum aut theologiæ myſteriis temerè loquuntur. Vertere licebit & in contrarium. Quæ infra nos, nihil ad nos.

## Vtere curru, de aſinis nihil laborans.

*Suidas.* Quibus plauſtrum eſt domi, nihil neceſſe habent deportandis oneribus, aſinos aliunde conducere.

## Stultior Morycho.

Μωρότερος εἶ Μορύχου. Id eſt, Stultior es Morycho: Mihi videntur peculiariter obnoxii adagio, qui domeſticorum negotiorũ negligẽtes, foris agunt, aliena curãtes.

### ALIIS SAPERE.

## Aliis proſpiciens, non ſibi.

Si libebit in quempiam iocari, qui aliis ſua mala prædixerit, ſuum ipſius malum non præuidens, non incõcinniter accommodabimus illud ex Homeri Bœotia.

Ἀλλ᾽ οὐκ οἰωνοῖσιν ἐρύσατο κῆρα μέλαιναν.

Ar non auguriis, fatum ſibi depulit atrum.

## Facilè cùm valemus, recta cõſilia ægrotis damus.

*Terentius.* In admonẽdo ſapimus omnes, verũ vbi peccamus ipſi, nõ videm⁹ propria. Omnes ægrotãtibus rectè præcipiũt quid fugiẽdũ, quid agendum, & obiurgãt non nunquàm

Ayuntamiento de Madrid

quòd ſalutis cauſſa non obtemperent bene monentibus.

## Quarta luna nati.

*Euſtathius.*

Ἐν τετράδι γεγενῆσθαι. id eſt, Quarta luna nati. Dicuntur, qui parum feliciter nati ſunt, propterea quòd Hercules hac luna natus feratur, cuius omnis vita voluptatum omnium expers, ac laborum plena fuit. Dici poteſt & in eos, qui laboribus ſibi neutiquã frugiferis fatigãtur.

ALIENO PERICVLO.

## De alieno ludis corio.

*Apuleius.*

Prouerbio dicuntur, qui ſecuriùs agunt, ſed alieno periculo, vt apud Plautum, De meo tergo degitur corium. id eſt, Res meo fit periculo.

## Non eſt meum negotium, Multùm valeat.

*Diogenian.*

Οὐκ ἔστ' ἐμὸν τὸ πρᾶγμα, πολλὰ χαιρέτω. id eſt, Multùm valeat, haud eſt meum negotium: quoties negabimus nos laborare de re, quæ nihil ad nos pertineat.

## Alienam metis meſſem.

*Ariſtoph.*

Ἀλλότριον ἀμᾷς θέρος. id eſt, Alienam metis meſſem. In hos, qui negotium non ſuum parum diligenter curant. Fit autem hominum more, vt in ſuopte quiſque negotio longè ſit attentior, quàm in alieno.

## Innocuus alium adſpiciam, meum habentem malum.

*Ariſtotel.*

Ἐξάντης λεύσσω σὺ μὲν κακὸν ἄλλον ἔχοντα. Id eſt, Indemnis ſpectabo alienum mala noſtra ferentem. Hoc eſt, Ex aliorum malis ipſe rebus meis conſulam. Feliciter ſapit, qui alieno periculo ſapit.

AMICITIA.

## Amicitia ſtabilium, felicitas temperantiũ.

*Ariſtotel.*

Ariſtoteles hanc ſententiam velut è medio ſũmtam refert. Amicitiam eſſe ſtabilium, & felicitatem eorum, qui ſua ſorte contenti ſunt. Ὀρθῶς λέγεται ὅτι ἡ φιλία τῶν βεβαίων, ὥσπερ ἡ εὐδαιμονία τῶν αὐταρκῶν. Amicitia virtute, non pecunijs aut forma concilianda eſt. Etenim ſi rebus caducis reconcilietur, caduca ſit & ipſa neceſſe eſt. Nihil autem in rebus humanis habile, præter vnam virtutem, quæ ſolà fortunæ ludibrijs obnoxia non eſt.

*Bias.*

## Ama tanquàm oſurus, oderis tanquàm amaturus.

Δεῖ φιλεῖν ὥσπερ μισήσοντα, μισεῖν δ' ὥσπερ φιλήσοντα. Id eſt, Sic amandum, tanquàm ſis oſurus: ſic oportet odiſſe, tanquàm ſis amaturus. Cicero: Hoc quidem præceptum, cuiuſcunque eſt, ad tollendam amicitiam valet. Illud potiùs præcipiendum fuit, vt eam diligentiam adhiberemus in amicitijs parandis, vt nequando amare inceperimus eum, quem aliquando odiſſe poſſemus.

*Terent.*

## Amantium iræ.

Τῶν φιλούντων ὀργαί. id eſt, Amantium iræ. Vbi, qui non ex animo indignantur inuicem, aut de iracundia neutiquam duratura. Mimus: Diſcordia, fit carior concordia.

*Porphyrion.*

## Mores amici noueris, non oderis.

Eum nos inter Græcas ſententias repertum reſtituimus. Eſt enim huiuſmodi: φίλου τρόπους γίνωσκε, μιμήσῃς δὲ μή. Admonet in amicorum moribus quædam vitia diſſimulanda, ſic vt intelligantur quidem, ſed tamen tolerẽtur.

*Hermol. Barb.*

## Nouos parans amicos, ne obliuiſcere veterum.

Νέους φίλους ποιῶν, λῶστε, τῶν παλαιῶν μὴ ἐπιλανθάνου. id eſt, Nouos parans amicos, optimè veterum ne obliuiſcere. Torqueri poteſt & ad mutata ſtudia, ad quæ conuenit nonnunquam reſpicere, etiam poſteaquàm diuerſæ te addixeris diſciplinæ.

*Theocrit.*

## Nõ potes Tethidem ſimul & Galateam amare.

Id eſt, Non idem diuerſa ſequi, velut litteras & pecuniam, voluptatem & gloriam, mundum & Chriſtum. Nã Galateæ fluuio malè conuenit cum marinis fluctibus.

## Vnus Deus, & plures amici.

Εἷς θεὸς καὶ πολλοὶ φίλοι. id eſt, Vnus Deus, & plures amici. Prouerbium monet quàm plurimos parandos eſſe amicos, quòd hi ſecundum Deum plurimum opitulari poſſint. Opinor à vulgo ſumtum, non ex auctoribus.

## Mus non vni fidit antro.

Locus erit adagio, ſi quem admonebimus, vt ſibi plures amicos paret, aut vnà cum opibus ſtudeat Philoſophiæ, vt ſi fortuna quod ſuum eſt eripiat, in literis ſit præſidium.

Ayuntamiento de Madrid

## Neque nulli ſis amicus, neque multis.

Μηδὲ πολύξεινον, μηδ' ἄξεινον καλέεσθαι. id eſt, Nec multis, at nec nulli dicaris amicus. Citra vllius amici conſuetudinem viuere, ferinum atque iniucundum eſſe videtur. Rurſum nec vehementer amare poſſumus ſimul multos, nec pluribus morem gerere. *Heſiodus.*

## Ne cuiuis dexteram inieceris.

*Pythagoras.*

Μὴ παντὶ ἐμβάλλειν δεξιάν. id eſt, Ne cuiuis porrigas dexteram. Hoc eſt. Ne temerè quemlibet in familiaritatem admittas, ſed deligas quem diligas. Dextera, fidei & amicitiæ ſymbolum.

## Amicorum omnia communia.

Τὰ τῶν φίλων κοινά. id eſt, Amicorum communia omnia. Aulus Gel. teſtatur Pythagoram non ſolùm huius ſentẽtiæ parentem fuiſſe, verùm etiam huiuſmodi quandam vitę ac facultatum communionem induxiſſe, qualem Chriſtus inter omnes Chriſtianos eſſe vult. Nam quicunque ab illo in cohortem illam diſciplinarum recepti fuiſſent, quod quiſque pecuniæ familiæque habeſant, in medium dabãt. Quod re atque verbo Romano appellatur cœnobiũ, nimirum à vitæ fortunarumque ſocietate.

## De manu in manum.

Cicero: Totum denique hominem tibi trado de manu, vt aiunt, in manum tuam iſtam, & victoria & fide præſtãtem. Traduntur & qui commendantur.

## Ex ſinu illius.

*Cicero.*

Quos ex intima familiaritate volumus intelligi: hos è ſinu illius aut illius eſſe dicimus.

### Χρήσει καὶ κτήσει.

Qui ſe totũ alicuiuis haberi volebat, dicebat χρήσει καὶ κτήσει tuus ſum, hoc eſt, & vſufructu & proprietate. Siquidem in poſſeſſionibus ſæpenumerò fit, vt penes alium ſit dominium, penes alium vſusfructus. M. Tullio Curius libro 7. Si vales bene eſt, ſum enim χρήσει μὲν tuus, κτήσει δὲ Attici noſtri. Ergo fructus eſt tuus, mancipium illius.

## Ipſis, & Chijs.

*Ariſtopha.*

Αὐτοῖς καὶ Χίοις. Non obſcurum eſt has voces ex ſolenni more, vulgò iactatas, quoties aliquis ſibi bona præcaba-

Ayuntamiento de Madrid

tur, & amicis. Qui ſibi vni bene precatur nulla facta mentionē amicorum, aut benefactorum, facetè ſuccinetur, καὶ χοίσιν.

## Vultu ſæpè læditur pietas.

M. Tullius in oratione pro Roſcio, obiter citat ſententiā à ſapientibus iactatam. Etenim, inquit, ſi id quod præclarè à ſapientibus dicitur, vultu ſæpe læditur pietas, quod ſupplicium acre ſatis reperietur in eum, qui mortem obtulerit parenti, pro quo mori ipſum ſi res poſtularit, iura diuina atque humana cogebant. Prouerbium admonet pietatem erga parentes adeò religioſè colendam, vt non ſolùm non offendamus eos verbis, aut factis impijs, ſed ne vultu quidem atrociore, aut contumatiore. Habent enim oculi, frons & ipſe vultus ſuum ſermonem. Euangelium altius repetit, nimirum ab ipſo fonte cordis, in quo concipitur ira. Ea erūpit in vocē indignationis, ſed incertā: proximus gradus eſt manifeſtū conuitium, tertius homicidiū.

## Sal & menſa.

Apud priſcos hoſpitij ius fuiſſe ſanctiſſimum aliâs nobis eſt dictum. Id cōtrahebatur ſalis & menſę conſortio. Quēadmodum apud Germanos acceptus à propinā̄te cyathus adimit omne ius agendi iniuriarum. Æſchines de perperam obita legatione: Τοὺς γὰρ τῆς πόλεως ἅλας, καὶ τὴν δημοσίαν τράπεζαν περὶ πλείστου δή φησι ποιεῖσθαι, Id eſt. Etenim ciuitatis ſalem, publicamque menſam, ait ſe plurimi facere. Manent huius hoſpitalitatis publicæ, veſtigia in hunc vſque diem apud Germanos.

## Philoteſius crater.

*Plutarchus.*

Κρατὴρ φιλοτήσιος, dicitur quo in conuiuijs conciliantur amicitiæ, qui mos etiamnum durat apud Germanos, quibus turpiſſimum eſt poſt acceptum Philoteſium poculum, veterum offenſarum quamtumuis capitalium meminiſſe, ne iudices quidem admitterēt actionem iniuriarū. Heſychius indicat hanc φιλοτησίαν ſolere adhiberi poſt cenam, quum in ſignum amicitiæ ex eodem poculo de eodem vino bibunt omnes. Qui mos apud nos nondum exoleuit, ſed rarior eſt ob metum nouæ lepræ, qua plerique laborant.

Ayuntamiento de Madrid

### Amicitiæ æqualitas, amicus alter ipſe. *Pythago.*

Τὴν φιλίαν ἰσότητα εἶναι. id eſt, Amicitiam æqualitatem eſſe, & eandem animam, & amicum, alterum ipſum. Neque quidquam non commune, vbi fortunarũ æqualitas, neque diſſenſio, vbi idem animus, neque diuortium, vbi coagmentatio duorum in vnum.

### Amicus amico. *Terentius.*

Φίλος τῷ φίλῳ. Quadrabit in eos, qui nullum officium refugiunt, modò gratum faciant amicis.

### Amicus magis neceſſarius, quàm ignis & aqua. *Plutarchus.*

Ἀναγκαιότερος πυρὸς καὶ ὕδατος ὁ φίλος. id eſt, Amicus magis neceſſarius quam ignis & aqua. Hyperbole prouerbialis admonens neminem eſſe tam diuitem, quin opus habeat amicorũ officijs. Quemadmodum enim citra ignem & aquam non conſtat hominum vita, ita nec ſine conſuetudine atque opera familiarium.

### Naæra & Charmione.

Νάαιρα καὶ Χαρμιόνη. id eſt, Naæra & Charmione: De fidis amicis dici ſolitum ſcripſit Zenodotus, quique non dubitarent vel mortis comites eſſe amicis, Naæra & Charmione duæ erant Cleopatræ reginæ pediſſequæ, que ſpontaneã Cleopatræ mortẽ ſunt imitatæ, ac ſemiuiuæ repertæ ſunt, dominæ iã mortuæ coronã capite delapsã reponẽtes.

### Qui circa ſalem & fabam. *Plutarchus.*

Περὶ ἅλα καὶ κύαμον. id eſt, Iuxta ſalem & fabam. In eos dicebatur, qui ſe ſimularent ſcire. quod neſcirent. Siquidem diuini reſponſuri, fabam & ſalem apponebant.

### Salem & menſam ne prætereas. *Origen.*

Ἅλα καὶ τράπεζαν μὴ παραβαίνειν. id eſt, Salem & menſam ne prætereas. id eſt, ne negligas amiculorum conſuetudines, aut, ne violes amicitiæ iura. Nam his rebus olim conciliabantur amici,

### Intempeſtiua beneuolẽtia, nihil à ſimultate differt. *Suidas.*

Ἄκαιρος εὔνοια οὐδὲν ἔχθρας διαφέρει. Id eſt, Par odio importuna beneuolentia. Quadrabit in cos, qui dum

officioſi ſtudent eſſe, non habita temporis ratione, nocēt, aut moleſti ſunt ſedulitate, veluti, qui non apto tempore obiurgant amicum, aut qui immodicis & intempeſtiuis laudibus conciliant homini inuidiam: Aut pecuniam ſuppeditant adoleſcenti, qua fit deterior.

*Athenæus.*

## Non ſunt amici, amici, qui degunt procul.

Τηλοῦ φίλοι ναίοντες οὐκ εἰσὶ φίλοι. id eſt, Haud ſunt amici, amici, qui degunt procul. Præthereà vulgò, vt ſimul atque è conſpectu neceſſariorum ſeiuncti ſumus, neſcio quomodo obrepat obliuio quædam familiarium, vt id iam omnibus in ore ſit: Qui ſemotus eſt ab oculis, eundem ab animo quoque ſemotum eſſe. Id tamen referri ſatius eſt ad officiorum communionem, quæ ab amicis prætermittitur abſentibus.

*Ariſtotel.*

## Multas amicitias ſilentium diremit.

Πολλὰς φιλίας ἀπροσηγορία διέλυσεν. id eſt, Multas amicitias ſilentium diremit. Admonet adagium, aſſiduo conuictu ac frequentibus alloquijs neceſſitudines ali, intermiſſione & abſentia diſſolui. Silentium enim hic non ſimpliciter ſilentium ſignificat, ſed illud ſilentium, quum quis non appellat ac ſalutat amicum.

*Theocritus.*

## Abijt & taurus in ſiluam.

Ἔβα καὶ ταῦρος ἀν' ὕλαν. id eſt, Abijt & taurus in ſiluam. Paſtorale prouerbium, allegoria ſubturpicula, ſignificans diuortium, ac neglectum veteris amicæ.

## Vbi amici, ibi opes.

Plautus in Trucu. Verum eſt verbum, quod memoratur; Vbi amici, ibidem & opes. Senſus eſt, potiores eſſe amicos, quàm pecuniam: & ad vitæ præſidium plus habere *Aul. Gel.* momēti amicos citra pecuniā, quàm abſque amicis opes.

## Vſque ad aras amicus.

Μέχρι τοῦ βωμοῦ φίλος εἰμί. id eſt, Vſque ad aram ſum amicus. Admonet prouerbium nonnunquàm, quo conſulamus amicorum commodis, eorumque voluntati morem geramus, fas videri paullulum à recto deflectere. Verùm eatenus, ne propter hominem amicum numinis reuerentiam violemus.

## Amicorum eſt admonere mutuum.

Ayuntamiento de Madrid

Sententia prouerbialis videtur, quàm legimus Iliad Λ.

Ἀγαθὴ δὲ παραίφασις ἐστὶν ἑταίρου. Id eſt:

Bonus eſt affatus amici, admonitoris,

Hanc licet vſurpare, ſi quando dicemus amici munus eſſe, vt amicum ſi quid erret, liberiùs admoneat. *Plutarchus.*

## Animo ægrotanti medicus eſt oratio.

Ψυχῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λογοί. id eſt, Animo ægroto medicus eſt oratio. Huc alluſit Horatius:

Sunt verba & voces, quibus hunc lenire dolorem
Poſſis, & magnam morbi depellere partem.

## Fidus amicus.

Fidus amicus non eſt poſthabendus germano.
Homerus Odyſſ. Θ.

Εἵνεκά πού τις ἑταῖρος ἀνὴρ κεχαρισμένα εἰδὼς,
Ἐσθλὸς, ἐπεὶ οὐ μέν τοι κασιγνήτοιο χερείων. Id eſt,
Si quis forſan amicus ſit gratuſque bonuſque:
Quando quidem is non inferior vel fratre putandus.

## In ære meo eſt.

*Cicero.* Quem nobis officijs obſtrictum ſignificamus, ita vt iam totus certóque noſter ſit, cùm in ære noſtro dicimus eſſe. Nam antiquitus omnis pecunia ærea erat, auri vſu nondum reperto, in feriendis numiſmatis.

## Ἀμφιθαλὴς ἔρως.

*Ariſtoph.* Id eſt, Vtrinque florens amor, olim dicebatur, quoties vterque pariter eſſet incolumis, ac mutuo reſponderet amore. Nam dimidiati dicimur, quoties amicus diſtrahitur, velut altera pars noſtri.

## Syncretiſmus.

*Plutarchus.* Συγκρητισμός. Cretico prouerbio dicebatur quoties fieret, vt qui modò videbantur hoſtes acerrimi, repente in ſummam concordiam redigerentur, Id quod frequenter euenire ſolet, maximè ſi quando malum aliquod inciderit, vtrique commune. Sumptum à Cretenſibus.

## Conciliant homines mala.

*Ariſtotel.* Συνάγει τοὺς ἀνθρώπους κακά. id eſt, Conciliant homines mala. Sententia prouerbialis, quæ declarat, quòd vulgò fit, ex hoſtibus non nunquam amicos fieri, propter malum aliquod incidens, vtriuſque commune.

Ayuntamiento de Madrid

## Cum amico non certandum æmulatione.

Cum amico & bene merito non eſt ſuſcipiendum certamen, ne quid obſcuretur amicitia, propter æmulationem huiuſmodi comitem contentionum. Id innuit Homerus Odyſſ.Θ.

Τίς ἂν φιλέοντι μάχοιτο. Id eſt,
Quis namque benignus cum hoſpite pugnet.

Herodes.

## Quæruli in amicitia.

Οἱ φιλομεμφέες, εἰς φιλίην οὐκ εὐφυέες. Id eſt, Qui queruli ſunt in amicos, non ſunt ad amicitiam idonei. Conniuere ad amicorum vitia decet: quæ res & iungit, iunctos & ſeruat amicos.

## Lingua amicus.

Ἀπὸ γλώττης φίλος. Id eſt, Lingua amicus, qui verbis oſtendit non re præſtat beneficium.

Theognis.

## Felicitas multos habet amicos.

Εὐτυχία πολύφιλος. Id eſt, Felicitas multos habet amicos. Notior eſt ſententia, quàm vt requirat interpretem.

Cicero.

## Oculis ferre, in ſinu, in capite.

Prouerbialia ſunt & illa, oculis ferre, in ſinu ferre, ſi quis quem inſigniter amat, fouetque. Tranſlatum à matribus tenerè liberos ſuos amantibus, à quibus non dimouent oculos, ſolicitæ, ne quid illis accidat incommodi, geſtantque in ſinu atque in complexu. Non diſſimile eſt, quod eſt apud Platonem lib. de Repub. 10. ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς περιφέρειν. Id eſt, Super capita ferre.

## Felicium multi cognati.

Id hodie vulgò dicunt, Locupletum plurimos eſſe cognatos. Qui nihil habet, nullum amicum habet.

Tullius.

## Amicus certus in re incerta cernitur.

Quo ſignificatū eſt, amici fidē in rebus aduerſis explicari.

Plutarchus.

## Ollæ amicitia.

Χύτρας φιλία. Id eſt, Ollæ amicitia. In amicos iſtos vulgares quadrabit, quos patina non beneuolentia conciliat

Ariſtides.

## Viri infortunati procul amici.

Ἀνδρὸς κακῶς πράσσοντος, ἐκποδὼν φίλοι. Id eſt, Viri ſiti in malis, amici ſunt procul. Notat mores amicorum

Ayuntamiento de Madrid

vulgarium, qui hirundinum ritu pro ratione temporum aduolant ac deuolant, aduolant, vbi res ſecundæ, deuolãt ingruente tempeſtate.

## Plures adorant Solem orientem, quàm occidentem

*Plutarchus.*

Πλείυς προσκυνῦσι τὸν ἥλιον ἀνατέλλοντα ἢ δυόντα. Id eſt, Plures adorant Solẽ orientem, quàm occidentem. Iuueni magis adhæretur, quàm ſeni. Pompeius hoc adagio Cinnæ minatus eſt, ſentiebat enim ſe ſolem orientem, nimirum iuuenem in dies magis fama creſcentem, illud occidentem, & cuius gloria iam conſeneſceret.

## Ad felicem inflectere parietem

*Ariſtoph.*

Πρὸς τὸν εὖ πράττοντα τοῖχον ῥέπειν. Id eſt, In felicẽ parietem vergere. Ariſtophanis interpres tranſlatum exiſtimat ab iis, qui naui vehuntur, qui ſi quando nauis alterum latus fluctu deprimatur, protinus in alterum latus tranſcurrunt, quod altius extat ab vndis.

## Nudæ gratiæ.

*Horatius.*

Admonet, vt nihil inter amicos fictum aut fucatum ſit, verum nuda ſimpliciaque omnia.

## Sapientes tyranni, ſapientium congreſſu

*Plato.*

Σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ. Id eſt, Commercio ſapientium Princeps ſapit. Refertur à Gellio lib. 13.

## Amicitias immortales eſſe oportet.

*Liuius.*

Verùm eò rediêre mores mortaliũ, vt ſimultates ſint immortales, amicitiæ plus quàm vitreæ. Omnium tardiſſimè ſeneſcit ira: beneuolentia ad quamuis leuem occaſionem interit.

# AMOR.

## Caunius amor.

*Diogenian.*

Καύνιος ἔρως. De fœdo amore dicebatur. Biblis Caunũ fratrem impotenter adamauit, à quo quum eſſet repulſa, ſibimet necem conſciuit.

## Liberorum amantior, quàm Gello.

Γελλὼ παιδοφιλοτέρα. Id eſt, Puerorum amãtior Gello. Dici ſolitũ vel in eos, qui morte præmatura periiſſent, vel in eos, qui mira quidem charitate filios proſequerẽtur,

Ayuntamiento de Madrid

ſed eoſdem indulgentia, deliciiſque corrumperent. Aiunt Gello virginem quampiam fuiſſe, quæ puella adhuc, vita deceſſerit.

## Iniuria ſoluit amorem.

In Græcorum epigrammatibus prouerbij titulo citatur ὕβρις ἔρωτας ἔλυσε. Id eſt, Iniuria ſiue cõtumelia ſoluit amores: quòd contemptus amor plerunque vertitur in iram, ira in odium.

## Manſum ex ore: vel præmanſum in os inſerere.

*Lucillius.*

Quos tenerè amamus, his mãſum ex ore dare dicimur quod à matribus ac nutricibus mutuò ſumtum eſt, quæ pueris adhuc edentulis cibum præmanſum in os inſerũt.

## Medullitus, oculitus.

*Plautus.*

Intimum affectum veteres variis modis exprimebant, ex corde, ex animo, toto pectore, de quo diximus, penitus, ex intimis præcordiis, medulitus, animitus, oculitus.

## Vt lupus ouem.

*Plato.*

Ὡς λύκος ἄρνα φιλεῖ. Id eſt, Vt lupus ouem amat: qui ſui commodi gratia ſimulat amorem. Nam is vulgò dicitur amor, cùm reuerà ſit odium

## Vt phrygius amauit Pieriam.

Plutarhus in lib. Περὶ γυναικῶν ἀρετῶν, oſtendit ad ſuam *Plutarchus.* vſque ætatem duraſſe conſuetudinem, vt vxores optarent ſic amari à viris: ὡς Φρύγιος ἠράσθη Πιερίας, id eſt: Quemadmodum Phrygius amauit Pieriam, &c.

## Ceſtum habent Veneris.

*Homerus.*

Τὸν Κυπρίδος κεστὸν habere dicuntur, qui nouis modis quemlibet in amorem ſui pelliciunt. Iuno concubitura cum ſuo Ioue, Venerem adit, atque ab ea cingulum gratiarum & amorum reconciliatorem commodatò petit.

## Ex adſpectu naſcitur amor.

*Diogenian.* Ἐκ τοῦ εἰσορᾶν γὰρ γίγνεται ἀνθρώποις ἐρᾶν. Id eſt, Amor ex videndo naſcitur mortalibus. Senarius prouerbialis, admonens oculos amorem potiſſimùm conciliare. Non enim amatur incognitũ, ex conuictu oritur amor mutuus. Et oculi præcipuè ſunt ad amandum illices. Si neſcis, oculi ſunt in amore duces.

Adamantis

Ayuntamiento de Madrid

## Adamantis tenerè.

In eum, qui tenerè diligit quępiam, vel adamat magis, ita vt non patiatur vel leuiſſimis incommodis à quoquam affici, non inſcitè torſeris illud Homeri Iliad. 4.

Ὠ'ς ὅτε μήτης
Παιδὸς ἐέργει μυῖαν, ὅθ' ἡδέι λέξεται ὕπνῳ. Id eſt.
Non ſecus atque genitrix
Muſcam arcet puero ſommo officioſa cubanti.

## Paruus ſemper tuus pullus.

Μικρὸς ἀεὶ σοὶ πῶλος. Id eſt, Paruus ſemper tuus pullus. Conueniet in eos, qui tametſi natu grandiores, tamen verborum deliciis affectant videri iuuenculi.

## Aureæ compedes.

*Diogenes.*

Χρυσαῖ πέδαι. Id eſt, aureæ compedes. Dicitur ſeruitus ſplendida & amabilis, qualis eſt in aulicorum vita, Diogenes dicebat Ariſtippum in aula regia aureis teneri compedibus, ne poſſet auolare.

## E Creta raptus.

Apparet furtiuũ amorẽ, his verbis olim ſignificatũ fuiſſe, quòd aliquoties illinc virgines à negotiatorib⁹ auchcrẽtur. *Plutarchus.*

## Capite geſtare.

Ε'πὶ ταῖς κεφαλαῖς περιφέρειν. Id eſt, In capitibus circunferre. Quos tenerè amamus, capite geſtare dicimus. Tranſlatum apparet à matribus ac nutricibus, quæ in infantulos cunis impoſitos capite portant. *Plato.*

## Qui non zelat, non amat.

Auguſtinus indicat vulgò hoc iactatum, quod ſanè hodie fertur, quũ negant illic eſſe amorem vbi non eſt zelotypia. Et nullus amor ſine metu, aiunt.

## Muſicam docet amor.

Μουσικὴν ἔρως διδάσκει, κ' ἄν τις ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν. Id eſt, Muſicem docet amor, & ſi fuerit indoctus, priùs. Senſus eſt, Amorem ad induſtriam excitare animum, vt non mediocris ad diſcendum gradus, eum amare qui doceat.

## Iynge trahor.

*Pindarus.*

Ι'ϋγγι ἕλκομαι ἦτορ. Id eſt, Iynge trahor animo. Qui vehementi & impotẽti deſiderio trahũtur ad aliquid, Iynge trahi dicuntur. Iyngem aiunt fuiſſe filiam Echûs, alij Pa-



Ayuntamiento de Madrid

thûs quæ quum amatoriis venenis incitaſſet Iouem in amorem Iûs, à Iunone irata, verſa eſt in auem.

## ANCEPS ET DVBIVS.

### Neceſſarium malum.

*Strabo.* Ἀναγκαῖον κακόν. De iis, quos neque reiicere poſſis, quòd quibuſdam in rebus opus ſit eorum opera, neque commodè ferre, quòd viri ſint improbi, dictum hybreæ de Enthydamo, qui quãquam tyrannicum haberet aliquid, vtilis tamen erat ſuæ ciuitati.

### Neque cum malis, neque ſine malis.

Ariſtophanes apud Suidam in Lyſiſtrata: Οὔτε σὺν πανωλέθροισιν, οὔτε ἄνευ πανωλέθρων. Id eſt, Nec ſimul cum peſtibus, nec rurſus abſque peſtibus. De vxoribus dictũ, cum quibus incõmodè ſanè viuitur: ſed nec citra has conſtant familiæ. Simile illi quod eſt in epigrãmatibus: *Martial.* Nec tecum poſſum viuere, nec ſine te.

### Polypi caput.

*Plutarchus.* Πολύποδος κεφαλή. Id eſt, Polypi caput. In hominẽ varium, & in quo pariter & vitia quædam & virtutes inuenias. Proinde poëticen Polypi caput vocant, in qua ſicut ſunt permulta cognitu tum iucunda, tum frugifera, ita ſunt nonnulla, niſi caueas, peſtilentia

### Gaudium dolori iunctum.

Quum pariter accidit quòd & gaudeamus & doleamus, *Homerus.* quod genus, ſi tui parẽtes opulẽti vita deceſſerint, partim excruciatur morte ſuorũ, partĩ gaudet hereditatis obuẽtu atq; acceſſione libertatis, cõueniet illud Odyſſeæ τ.

Τὴν δ' ἅμα χάρμα καὶ ἄλγος ἕλε φρένα. Id eſt:
Lætitia huic merorque ſimul præcordia cepit.

### Plus aloës, quàm mellis habet.

*Iuuenalis.* Apuleius in Florid. Verum verbum eſt profectò quod aiunt, nihil quidquam tam proſperè diuinitus hominibus datum, quin & tamen admixtum ſit aliquid difficultatis.

### Quid primum aut vltimum?

Τί πρῶτον ἢ τί ὕστατον. Id eſt, Quid primum aut vltimũ? *Lucianus.* Quoties aut rerum copiam tantam ſignificamus, vt hæſitemus vnde potiſſimũm exordiamur. Aut quum perplexi dubitamus quid primum agere debeamus.

### Etiam capillus vnus.

Ayuntamiento de Madrid

Etiam capillus vnus habet vmbrã ſuam. Quãtũuis puſillũ cõmodũ iuuat, quãtũlibet exiguum delictum nocet.

### Vtroque nutans ſententia. *Zenodotus.*

Δίσχωλοι γνῶμαι. Id eſt, Vtroque claudicantes ſententiæ. Conueniet vtique in hominem lubricæ fidei, & incertarum partium.

### Volens, nolente animo. *Homerus.*

Ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ. Id eſt, Volens inuito ſanè animo. Nonnũquam de ambigẽte animíque incerto dicitur. Tu voluntate coactus es tua. Terent in Andria.

### Nolens volens.

Euripides in Hecuba:

Ὁ δ᾽ οὐ θέλων τε καὶ θέλων. Id eſt:

Atque ille nolens pariter ac volens.

### Vnica filia duos parare generos.

Vbi quis idẽ beneficiũ duob⁹ ſimul pollicet̃, aut pro eodẽ officio, quod alteri præſtiterit, à duobus gratiã repoſcit.

### Inter pueros ſenex.

Ἐν παισὶ μὲν γέρων. Id eſt, Inter pueros ſenex. Cõueniet in hominem grãdiuſculum, maiorem, quàm vt puer videri poſſit, minorem, quàm vt vir.

### Aut cucurbitæ florem, aut cucurbitam.

Ἢ κρίνον, ἢ κολοκύντην. Id eſt, Florem, aut cucurbitam. Id perinde valet quaſi dicas, aut mortem, aut vitam, aut lucrum, aut damnum. Incertum autem, vtrum mox euaneſcat, aut flos cucurbitam ſit pariturus.

### Aut Plato philoniſſat, aut Philo platoniſſat. *Hierony. de illuſtribus.*

Ἢ Πλάτων φιλωνίζει, ἢ Φίλων πλατωνίζει. Per allegoriã torqueri poterit ad quoſuis inter ſeſe vehemẽter ſimiles.

### Aut oportet tragœdias agere om̃s, aut inſanire.

Ἢ χρὴ τραγῳδεῖν πάντας, ἢ μελαγχολᾶν. Id eſt, aut furere oportet, aut agere tragœdias. Dici ſolitũ de iis, qui ſemper quaſi ſtupẽt frigẽtq;, & nec gaudere poſsũt ex animo, nec dolere. porrò tragœdia vehemẽtiſſimis cõſtat affectib⁹, ita vt tragœdias agere, videatur eſſe quidã inſaniæ ſimillimũ. *Archelaus.* *Athenæus.*

### Oportet teſtudinis carnes, aut edere aut nõ edere

Ἢ δεῖ χελώνης κρέα φαγεῖν, ἢ μὴ φαγεῖν. Id eſt, Teſtudinis



Ayuntamiento de Madrid

carnem aut edas, aut non edas. Addunt teſtitudinis carnem ſi modicè edatur, ventris tormina facere, rurſum ſi copiosè, lenire. In eos, qui negotium ſuſceptum frigidè ducũt, neque explicantes, neque relinquentes.

*Zenodotus.*

## Aut mortuus eſt, aut docet literas.

Ἤτοι τέθνηκεν, ἢ διδάσκει γράμματα. Significat olim cuipiam omninò malè eſſe, tametſi parum liqueret, quid rerum ageret. Id hac occaſione venit in vulgi ſermonem. Athenienſes parum feliciter aliquando pugnauerunt aduerſus Siculos, permultis occiſis atque captis, qui fuga relapſi redierant Athenas, rogati quid hic aut ille faceret, reſpondebant: Aut periit, aut docet literas: nam captiui, Siculorum filios literas docere coacti ſunt.

*Athenæus.*

## Aut quinque bibe, aut tres, aut ne quatuor.

Ἢ πέντε πίνειν, ἢ τρία, ἢ μὴ τέτταρα. Id eſt, Aut quinque bibe, aut tria, aut ne quatuor. præſcribit modũ diluẽdi vini, Hæc autẽ tẽperatura maximè placebat antiquis, vt quinque vini cyathis duo adderentur aquæ, aut duobus vnus.

## Excubias agere in Naupacto.

*Zenodotus.*

Φρουρῆσαι ἐν Ναυπάκτῳ. Id eſt, Excubare Naupacti. Achiui capta Naupacto, Pauſaniam excubiis, cuſtodiæq́; præfectum interfecerunt. Vnde res in iocum vulgi videtur abiiſſe, aduerſus eos, qui pereunt ignauia ſua: Aut, qui munus odioſum ac plenum diſcriminis adminiſtrant.

## Quocunque pedes ferunt.

Quadrabit, vbi nihil certum ſpectatur, ad quod noſtri dirigantur conatus. Horatius in Odis:

Ite pedes quocunque ferent, quocunque per vndas.

## In triuio ſum.

*Theognis.*

Ἐν τριόδῳ εἰμὶ λογισμῶν. Id eſt, In triuio ſum conſilij. In eos qui dubitant, quique incerti ſunt animi, hæſitantes quid potiſſimum eligant. Nam viam pro ratione conſilij frequenter apud Græcos auctores reperies.

## Ancipitis conſilij.

Ad ſignificandũ hominem perplexum, & ancipitis ſententiæ, ſuſpẽſumq́; animo, congruet illud Homer. Iliad. 8.

Μεσσηγὺς γαίης τε, καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος. Id eſt,
In medio terræ ſimul & ſtellantis Olympi.

Ayuntamiento de Madrid

## Ancipitis animi.

Animus anceps & incerti cõſilij, indicatur hoc verſu, qui eſt Ilad.ξ.

Δοχθὰ δ' μοὶ κραδίη μέμονε φρεσὶν ὁρμαίνοντι·

Huc animus mihi verſanti inclinabat & illuc. *Suidas.*

## Haſta caduceum.

Δόρυ κηρύκειον. Id eſt, Haſta caduceũ. Dici ſolitũ, quoties aliquis ſimul & minaretur, & ad concordiã inuitaret.

## Delphicus gladius.

Δελφικὸν ξίφος. Id eſt, Delphicus gladius. De re dicebatur ad diuerſos vſus accõmodabili. Nã Delphicus gladius ad eum modum erat fabrefactus, vt eodem ſimul & ſacras mactarẽt victimas, & nocentes afficerẽt ſupplicio. Licebit & in ſerium ſenſum accõmodare prouerbium, vt ſi quis eruditionẽ, Delphicũ appellet gladiũ, quòd in omni ætate, omni vitæ cõditione ſit vſui. Nam literæ iuuenibus ſunt neceſſariæ, ſenibus iucundæ, pauperibus opes ſuppeditãt, opulentis adiũgũt ornamẽtũ, in rebus aduerſis ſolatio ſunt, in ſecũdis gloriæ, claro natis genere ſplendorem augent, obſcuro genere natis claritatis initium cõciliant. *Ariſtotel.* *Laus doctrinæ.*

## Iiſdẽ è literis comœdia ac tragœdia cõponitur.

Ἐκ τῶν αὐτῶν τραγῳδία γίνεται, καὶ κωμῳδία γραμμάτων.

Cõueniet in eos, qui eadem de re norunt diuerſa fingere. Aut qui eadem opera diuerſa poſſunt.

## Nauis, aut galerus.

Πλοῖον ἢ κυνῆ. Id eſt, Nauis aut galerus: De re ancipiti dicitur. Nec inuenuſtè dicetur in eos, qui cultu moribuſque diuerſam perſonam præ ſe ferunt. *Ariſtoph.*

## Tertium caput.

Τρίτη κεφαλή. Id eſt, Tertiũ caput. In onerũ baiulos dictũ, qui nõ humeris modò, verùm & capite geſtãt onera. *Plutarchus.*

## Triceps Mercurius.

Τρικέφαλος Ἑρμῆς. Id eſt, Triceps Mercurius. Dictũ videtur in ambiguos, ancipiteſq;, aut inuehemẽter aſtutos. *Philocorus.*

## Pſecas, aut ros.

Ψεκὰς ἢ δρόσος. Id eſt, Pſecas, aut ros. In crebriùs expuẽtes dictitabatur. Pſecas enĩ aſperſio illa ac velut irroratio vocatur, quoties minutiſſimis guttulis irrigamur, vt plu- *Diogenian.*



Ayuntamiento de Madrid

uia rori ſimillima. Vocantur enim pſecades ancillæ, quæ delicatârũ matronarũ capillos, medicato fuco conſpergũt.

APERTE ET CRASSE.

## Præmanſum in os inſerere.

Marcus Tullius in Oratore ſuo prouerbij vice vſurpat, pro eo quod eſt, rem in docendo nimis enucleatè nimiſque fruſtulatim tradere. Quod facere quidam aſſolent, qui veluti ingeniis auditorum diffidant, ita nihil omittunt, inculcantes etiam minutiſſimas nugas. Sumta eſt figura à nutricibus, quæ pueris adhuc edentulis cibum præmanſum in os inſerunt.

*Columella.*

## Craſſâ Minerua. Pingui Minerua.

Minerua artibus atq; ingeniis præſidet. Dicitur pinguiori Minerua fieri, quod inconditius, ſimpliciuſque quaſi indoctius fit, non autem exquiſita arte, nec exactiſſima cura.

## Craſſiore Muſa.

Παχυτέρᾳ μούσῃ. Quinctilianus: Libet propter quoſdam imperitiores etiam craſſiore, vt vocant, Muſa, dubitationem huius vtilitatis eximere. Inuenitur aliquoties apud ſcriptores non inidoneos, Pinguiore formula, pro eo quod eſt, planius atque intelligibilius.

APPROBANDI.

*Plinius.*

## Premere pollicem. Conuertere pollicem.

Antiquitus in pollice fauoris erat, ſtudiíque ſignificatio. Qui faueret, pollicem premebat: qui minùs faueret, pollicem conuertebat.

*Ariſtotel.*

## Album calculum addere. Et ſimiles figuræ.

Λευκὴν ψῆφον προσθεῖναι. Id eſt, Album calculum addere: Pro approbare ſubinde legimus apud doctos. Inde ſumtum, quòd antiquitus miſſis in vrnam calculis, ita ferebantur à iudicibus ſententiæ, vt albis abſoluerent, nigris damnarent. Qui ſi forte fortuna fuiſſent æquales, tamen liberabatur reus.

*Horatius.*

## Creta notare. Carbone notare.

Creta notare, pro eo quod eſt approbare, & Carbone notare, quod eſt damnare.

*Heſiodus.*

## Momo ſatisfacere.

Τῷ μώμῳ ἀρέσκειν. Id eſt, Momo ſatisfacere. Prouer-

Ayuntamiento de Madrid

bialis eſt hyperbole. Heſiodus in Theogonia Momi cuiuſdã meminit, quẽ ait, Nocte matre, Sõno patre progenitũ. Huic Deo mos eſt, ipſum quidem nihil operis ædere, ſed aliorum Deorum opera curioſis oculis contemplari, & ſi quid eſt omiſſum, aut perperam factum, id ſumma cum libertate carpere. Nam μῶμος Græcè reprehenſionem ſonat. Ergo prouerbij ſpeciem habebunt omnes id genus formulæ: Haud dubitẽ tecũ, vel Momo iudice decertare. Inculpatior eſt eius viri vita, quàm vt vel Momus ipſe poſſit carpere. Hæc vel Momo ipſi ſatisfaciant.

## Pedibus in ſententiam diſcedere.

*Gellius.*

Non eſt viri prudentis, quidquid vxori libuerit, protinus in illius ſentẽtiã pedibus diſcedere. Aut par eſt, vt affectus in rationis ſententiam pedibus diſcedat, non contrà.

## Omne tulit punctum. Omnium calculis.

Legimus pro eo, quod eſt omniũ ſententia & cõprobatione. Horatius: Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.

## Vno ore.

Vno ore, pro ſummo cõſenſu, paſſim apud auctores obuiũ eſt, vt Terẽtius: Vno ore omnes, omnia bona dicere.

## Vt Phydiæ ſignum.

Quæ primo ſtatim adſpectu probantur, omnium ſuffragiis, vt Phidiæ ſignum placere dicuntur.

## Ne Iupiter quidem omnibus placet.

*Theognis.*

Οὐδὲ γὰρ ὁ Ζεὺς, Οὔθ' ὕων πάντας ἀνδάνει οὔτ' ἀπέχων. Id eſt, Neque Iupiter ipſe, Siue pluat, ſiue nõ, vnicuiq; placet. Hodieque vulgo dicũt: Neminem inueniri qui ſatisfaciat omnibus, nam alia aliis probantur.

## Seruum haud veho.

*Ariſtoph.*

Δοῦλον οὐκ ἄγω. Id eſt, Seruum ego haud veho. Niſi, qui priùs pro carnibus certauerit, Certamine in nauali. Id eſt, Non admitto ſeruum, niſi multis magniſque ſpectatum experimentis.

## Si tibi amicum, nec mihi inimicum.

Plato in Theæteto: Ἀλλ' εἰ οὕτως ὦ Θεόδωρε σοὶ φίλον, οὐδ' ἐμοὶ ἐχθρὸν, φασὶν οἱ παροιμιαζόμενοι. Id eſt, Si iſtud tibi amicum Theodore, nec mihi eſt inimicum, quemadmodũ



Ayuntamiento de Madrid

prouerbio dicunt. Hoc eſt, Si tibi res placet, mihi non diſplicet. Vſus erit, quoties alienæ obſequimur voluntati.

## ARROGANTIA, IACTANTIA'QVE.

### Sine vt incolumis redeat.

Habet prouerbij ſpeciem, quod eſt apud Theocritum in Hodœporis.

Εἶα λέγ', εἴτι λέγεις, καὶ τ' ξεῖνοι εἰς πόλιν, αὖτις
Σῶον τ' ἄφες. Id eſt,
Dic age, ſi quid dicis, & hoſpes vt vnde profectus
Viuus eò redeat, permittito. Sic & hodie dicimus iis, qui verbis & conuitiis ferociũt: Eia, ſine hominem viuere.

### Arcem ex cloaca facere.

Qui rem hominemúe nihili laudibus magnificis attollunt, dicuntur arcem ex cloaca facere. Tullianum eſt.

*Seneca.*

### Gallus in ſuo ſterquilinio multum poteſt.

In alieno timidiores ſumus omnes, in ſuo quiſque regno ferocior eſt & animoſior.

*Iuuenal.*

### Tollere criſtas.

Tranſlatum ab auibus criſtatis, in quibus criſtæ erectiores alacritatis atque animorum indicia ſunt.

*Plinius.*

### Attollere ſupercilium. Ponere ſupercilium.

In his pars animi, his negamus, annuimus. Hæc maximè indicant factus. Superbia aliubi conceptaculum, ſed hic ſedem habet, in corde naſcitur, hic ſubdit, hic pendet.

*Ariſtoph.*

### Nauphracton tueri.

Ναύφρακτον βλέπεις. Nauphracton Græcè, claſſis eſt ad bellum inſtructa. Solent autem in triremibus magna quædam ineſſe foramina, oculorum inſtar, per quæ remos inſerunt. Vnde velut ænigmaticè dictum, Claſſis more intueris. De his, qui latis ac prægrandibus, aut toruis & minaculis oculis quempiam adſpicerent.

### Tollere cornua.

Pro eo, quod eſt, animo efferri. Tranſlatum à pecoribus, quæ cornibus minantur. Ouidius: Tunc pauper cornua ſumit.

### Arrogantia non ferenda.

In eos, qui intoleranda ſunt arrogantia, non inſcitè tor-

Ayuntamiento de Madrid

quobitur illud Odyſſ. o. ab Eumæo dictum in procos:

Τῶν ὕβρις τε βίη τε σιδήρεον οὐρανὸν ἥκει. Id eſt:

Horum viſque animuſque ferox, contingit Olympum.

## Tuo te pede metire.

*Horatius.*

Monet adagium, ne quis ſe dilatet vltra conditionem ſuam, neue ſeipſum ex aſſentatorum laudibus, aut vulgi opinione, aut fortunæ fauore, verùm propriis ac veris dotibus animique virtutibus æſtimet.

## Vltra peram ſapere.

*Lucianus.*

Ὑπὲρ τὴν πήραν φρονεῖν. Id eſt, Vltra peram eſſe ſolicitum. Quadrabit vel in pauperem, vel in philoſophum, ſed præcipuè in Chriſtianum, quem Ieſus vetat cogitare de craſtino.

## Videberis, me videns, planè Martem videre.

*Ariſtoph.*

Βλέψειν γὰρ ἀντικρὺς δόξεις μ' ἄρην. Id eſt, Martem videre me, videberis palàm. De his, qui ſe ſtrenuè pollicebantur opitulaturos, ac Martem quendam acturos.

## Hamaxiæa.

Ἁμαξιαῖα. Prouerbiali verbo dicebantur ampla, magnificáque. Perinde ſonat quaſi Latinè dicas plauſtralia, id eſt, tanta, vt iuſtum plauſtri onus videri poſſint.

## Sophocles, Laudiceni.

Qui ad oſtentationem dicebant, aut recitabant, vulgato conuitio Sophocles & Laudiceni dicebantur.

## Baſilica facinora.

*Plinius.*

Antè admonuimus quidquid magnificum eſſet appellari ſolere βασιλικὸν, vt valeret βασιλικῶς: & magnificas ædes baſilicas appellabant. Plautus in Trinũmo, de ſeruo nullius rei, ſed philoſophica quædam loquẽte: Dij, inquit, immortales, baſilica hic quidem facinora incœptat loqui.

## Campana ſuperbia.

*Tullius.*

Felicitatis comes eſſe ſolet ferocia. Campaniam autem Italiæ quondam fuiſſe regionem longè beatiſſimam teſtantur cum alij complures, tum Plin. lib. 3. cap. 5. Conſtat autem Capuam olim cum Roma de principatu concertaſſe. Hinc Campana ſuperbia, & Campana arrogantia in prouerbium venit.

Ayuntamiento de Madrid

Dea excogitauit.

Ariſtophanes in Equitibus:

Τὸ μὲν νόημα τῆς θεοῦ, τὸ δ' κλέμμ' ἐμὸν  Id eſt,

Excogitauit dea, meum ſed furtum erat.

Non ſine prouerbii ſpecie dictum eſt in Rhetores, qui apud populum iactabant, Mineruam ipſis quod ſuaderent miſiſſe in mentem, & tamen rerum geſtarum gloriam ſibi vindicabant. Color ſumtus eſt ex Homero, vbi quoties facti ratio reddi non poteſt, Pallas ducitur ſuggeſſiſſe. Pallas Athenienſium erat protectrix. Comicus autem ioci gratia, pro ἅρπαγμα poſuit κλέμμα, notans Cleonis rapacitatem.

Laureolam in muſtaceis quærere.

M. Tullius in epiſtolis ad Atticum: Bibulus cœpit laureolam in muſtaceis quærere, hoc eſt, ex friuolis negotiis captare famam haud præclaram, neque magnificam. Eſt autem muſtaceum, ſiue muſtaceus libi genus, cui aliquid additur de virga lauri deraſum, ac decoquitur ſuppoſitis lauri foliis, vt indicat Cato lib. de Agricultura.

Palmarium facinus.

Palmarium facinus, pro inſigni ac triumpho digno, dixit Terentius in Eunucho: Tum hoc alterum id vero eſt, quòd mihi puto palmarium.

Pulcrum ſepulcri elogio.

Non videbatur in prouerbiorum claſſem referendum, niſi nominatim prouerbij titulo referretur apud Procopium libro de bello Perſico 1. Mihi autem antiquum placet prouerbium, quàm pulcrum eſt in ſepulcri elogio imperatorem aſſcribi. Quoſdam noui qui in extremo vitæ magnis impendiis redemerunt galerum cardinalitium, vt in ſepulcro titulus aſſcriberetur.

Phaniæ ianua.

Φανίου θύρα. Euſtathius in Odyſſ. 23. oſtendit dictum de iis, qui ſimulant ſeſe congeſtas opes habere, quæ nuſquam ſunt. Ductum à Phania quodam, qui falſam de ſe præbuerit opinionem, quaſi multam diuitiarum vim domi conſtructam ac reconditam haberet.

Sybaritæ per plateas.

Συβαρῖται διὰ πλατείας. Contra faſtuoſiùs ingredien-

Ayuntamiento de Madrid

tes per viam, ſeſeque velut oſtentantes. Sumtum à faſtu, luxúque Sybaritarum.

## Cicadis pleni. *Ariſtoph.*

Τεττίγων ἀνάμεστοι. Id eſt, Cicadis operti. In glorioſos ac ſtultos olim dicebatur, aut obſoletis ac iam deſitis vtentes. Atticis olim mos fuit capillis aureas cicadas addere: quo ſymbolo ſignificabant ſe indigenas: vt & cicadæ non aliunde commigrant, ſed inibi naſcuntur vbi viuunt.

## Ex Academia venis. *Atheneus.*

Ἀκαδημίηθεν ἥκεις. Id eſt, Ex Academia venis. De ſeuero & compoſito ceu docto. Sumta à Platonis ſchola.

## Ingredi Iunonium. *Idem.*

Βαδίζειν ἡ χιτὸν ἐμπεπλεγμένον. Id eſt, Ingredi complicatum Iunonis ſacrum. Dictum apparet in faſtuoſum ac lentum quorundam inceſſum.

## Summis vnguibus ingredi. *Ariſtoph.*

Ἐπ' ἄκρων ὀνύχων. Id eſt, Summis vngulis. In eos, qui auidiùs auſcultabant. Nam ij ſolent ſemet in ſummos pedes erigere. Summis ingrediens pedum vnguibus, in faſtuoſos.

## Cælum territat.

Virgilius in Æneide: Et cælum territat armis. Conuenit in minaces & feroces, Thraſoneſque magniloquos. Sumta videtur à bello Giganteo, &c.

## Ex vno multa facere. *Plato.*

Ἐξ ἑνὸς πολλὰ ποιεῖν. In eos, qui rem quempiam minutim ſecabant. Quadrabit in eos, qui idem aliis modis variant, vt non iam vnum, ſed plura videantur.

## Cælum digito attingere. *Tullius.*

Dicuntur, qui longè ſupra mortalium conditionem à Diis proximi eſſe videntur. Cognatum illi: In cælo eſſe.

## Iouis ſandalium. *Suidas.*

Τοῦ Διὸς σάνδαλον. Id eſt, Iouis crepida. Per ironiam dicebatur in eum, qui magni quippiam videri vellet, propter Principis alicuius familiaritatem. Velut ſi quis inſolens ſit ac ferox, quòd regius ſit coquus, aut imperatoris ſatelles, aut pontificius tonſor.

Ayuntamiento de Madrid

## Imperitus ſubligaculo indutus omnibus id oſtentat.

In eum, qui propter inſolentiam, etiam ineptiſſimis rebus effertur.

## Faſtuoſus maximus.

*Diogenes.*

Κόμπος Μάξιμος. In eum dicebatur, qui ſibi plus ſatis arrogaſſet in ſapientia. Sumptum à moribus Maximi, cuiuſpiam arrogantis, & ſibi immodicè placentis.

## Tanquam Argiuum clypeum abſtulerit ita gloriatur.

*Zenodotus.*

Ὡς τὴν ἐν Ἄργει ἀσπίδα καθελὼν σεμνύνεται. id eſt, Superbit tanquàm Argiuum clypeum detraxerit. In faſtuoſos & magnificentius ſeſe gerentes dicebatur. Aiunt apud Argiuos ſacrum quendam eſſe clypeum clauis affixum, vt facilè detrahi non poſſit.

## Homo bombylius.

*Idem.*

Βομβύλιος ἄνθρωπος. id eſt, Bombylius homo. Dicitur verboſus, multiq́ue ſtrepitus, ceterùm inutilis. Bombylius Græcis, apis genus à ſonitu appellatum, ad mellificium inutile.

## De pulmone reuellere.

Pro èo quod eſt, Stultam & arrogantem opinionem animo eximere. Perſius: Dum veteres auias tibi de pulmone reuello. Tumorem animiq́ue faſtum in pulmone collocāt.

## Ipſe dixit.

Αὐτὸς ἔφα. Quoties tantam cuiuſpiā autoritatem ſignificamus, vt ea vel citra rationem ad quiduis credendum ſufficiat. Illud admonendum videtur in hac parœmia, perinde valere quaſi dicas: Dominus dixit, vt Pythagoras ab Ægyptiorum vatibus videatur didiciſſe figuram hanc Prophetis familiarem.

## Auro loquente, nihil pollet quæuis oratio.

Suadere ſiquidem nouit, & loquens nihil. Prouerbium indicat munera vbique longè plurimum valere.

*Horatius.*

## Ne mihi Suffenus eſſem.

Ne mihi ipſi blandirer, ac ſtultè meipſum admirarer. Suffenus erat poëta lōgè ineptiſſimus, in aliorum vitia di-

Ayuntamiento de Madrid

cax, ad ſua cæcus. Suffeni ſimillimum Mæuiū facit Horat.

## Pennas nido maiores extendere.

*Idem.*

Pro eo quod eſt, Rem fortunamque quam mediocrem aut tenuem à maioribus acceperis, auctiorem reddere. Quòd quidem ſi virtute fiat, ſumma laus eſt.

## Ne ſutor vltra crepidam.

*Plinius.*

Id eſt, Ne quis de his iudicare conetur, quæ ſint ab ipſius profeſſione aliena. Natum ab Apelle, qui propoſitis vulgò ſuis tapellis, non paſſus fuit à ſutore reprehendi, quod ſuæ artis non eſſet.

## Cænei haſta.

*Ouidius.*

Cæneus è puella verſus eſt in virum, annuente Neptuno cui illud etiam donatum eſt, ne ſaucius vllis vulneribus fieri, ferroúe occumbere poſſet. Ferunt hunc certaſſe cum Apolline, prætereà morem huic fuiſſe, vt qui ad ſeſe venerint, iuberet per ſuam haſtam iurare.

## Gigantum arrogantia.

Γιγάντων ἀπόνοια. Gygantum amentia, Vbi quis viribus ſuis fretus, temerè, nulloque conſilio res non tentandas llirerur.

## Magis ſibi placet, quàm Peleus in machæra.

*Zenodotus.*

Μέγα φρονεῖ μᾶλλον ἢ Πηλεὺς ἐπὶ τῇ μαχαίρᾳ. In eum competit, qui præter modum re quapiam inſolens eſt, ac tumet. Aiunt autem hunc gladium à Vulcano fabrefactum à Diis dono datum fuiſſe Poleo, virtutis illius ac prudentiæ ſymbolum. Quo quidem ille vtens & in præliis & venatibus, conſequebatur quidquid optabat.

## Hic Rhodus, hic ſaltus.

*Aeſopus*

Αὐτοῦ Ῥόδος, αὐτοῦ πήδημα. Vulgò iactatum de ijs qui ſeſe de negotiis iactarent inſolentiùs, cuius fides non extaret: Conueniet item, vbi quis iubetur re præſtare quod alibi ſe feciſſe iactat.

## Atticus in portum.

Ἀττικὸς εἰς λιμένα. In eos dicebatur, qui illic virtutem oſtentare ſolent, vbi tutum eſt, atque vbi nihil opus eſt. A nautis Atticis ſumtum, qui portum ingreſſuri, oſtentandi ſui gratia, magnificè ſeſe gerebant, in ipſa re non perinde ſtrenui.

Ayuntamiento de Madrid

*Archelaus.*

### Calliphanes.

Καλλιφάνης. Calliphanes, ridicula quædam huius nominis ambitio, prouerbiali ioco fecit locum. Aiũt enim huic fuiſſe poëtæ morem, vt diuerſorum carminum & orationum initia conſcriberet, ad tres aut quatuor verſus, eaque pronunciaret, oſtentaretque, quò commentum ignorantibus, multiſcius & eruditus videretur.

### Bullatæ nugæ.

Ventoſa atque inania, bullæ dicuntur. Perſius,
Non equidem hoc ſtudeo, bullatus vt mihi nugis
Pagina turgeſcat dare pondus idonea fumo.

### Vino vendibili ſuſpenſa hedera nihil eſt opus.

Id eſt, Vera virtus non eget alienis præconiis. Aut res præclaræ per ſe placent, neque deſiderant exoticam cõmendationem.

*Suidas.*

### Selliſſare.

Σελλίζειν, Prouerbiali ioco dicebantur glorioſi, faſtuque pręturgidi. Suidas admonet ſumtũ à moribus Selli cuiuſpiam, qui quum re eſſet perquàm tenui, tamen affectabat haberi diues.

*Plato.*

### Diuinum excipio ſermonem.

Θεῖον ἐξαίρω λόγον. Quoties, opinor, glorioſiùs aliquid dictũ eſſet, ominis gratia deos excipiebant, qui nihil non poſſunt & quibus nemo præſcribit. Homerus : θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται, Dij tamen omnia poſſunt.

## ASPERITAS, MOROSITAS.

### Inexorabilis.

Inexoratu difficilem ac præfractum, ſuoque relinquendum ingenio, vel in eum cuius operam nihil moramur, appoſitè torquebitur illlud Iliad. I.

Ἀλλ᾽ ἤτοι κεῖνον μὲν ἐάσομεν, ἤ κεν ἴῃσιν, ἦ κε μένῃ. id eſt,
Quin magis ipſius hunc animo, ingenioque ſinamus.
Siue venire velit, ſiue hic remanere.

*Horatius.*

### Ferreus, aheneus.

Ferrea atque ahenea dicuntur, quæ ſolida firmaque ſignificamus. Cicero ferreum ſcriptorem pro imperito accepit.

Ayuntamiento de Madrid

## Verſatilis Artemon.

*Plutarchus.*

Ὁ περιφόρητος Ἀρτέμων. Aiunt dici ſolitum de his, quorum gratiâ vehementer decertatur. Nam Artemonem adoleſcentem fuiſſe quempiam, certatim adamatum à mulieribus ob inſignem formam, quem ſuſpicor ob id dictum periphorethon, vel quòd circumferretur in ore omnium verſans.

## Cornea fibra.

Perſius: Neque enim mihi cornea fibra. Cornea, & duriſſima ſunt, & ſenſu carent. Vnde qui carent humanis affectibus, robur, adamantem, ſilicem, ferrum, cornu in pectore geſtare dicuntur.

## Scytharum oratio.

*Lucianus.*

Σκυθῶν ῥῆσις. Græci quidquid agreſte, quidquid barbarum ac ſæuum intelligi vellent, id Scythicum appellabant.

## Pandeletias ſententias.

Πανδελετίους γνώμας. Id eſt, Pandeletiam, ſententiam, appellat in deterioribus Cratinus, vt citant, moroſam ac moleſtam.

## Thymbra victitans.

Θυμβροφάγοι, id eſt, Thymbra victitantes. Adagio dicebantur, vel qui tutiùs ac liberiùs vitam agerent, vel qui moribus eſſent parum blandis, vel qui hilariter, ac citraque ſolicitudinem paruo contenti viuerent, quòd thymbra herbæ genus ſit.

## Scabroſior leberide.

*Suidas.*

Κεντρότερος λεβηρίδος. id eſt, Aſperior leberide. De vehementer aſperis & inſuauibus. Nam leberis Græcis dicitur exuuium illud vel ſerpentum, vel piſcium exuentium ſenectam.

## Totus echinus aſper.

*Ariſtop.*

Ἅπας ἐχῖνος τραχύς. In moroſos & iniucundis moribus quadrat. Echinus piſcis & item Erinacius vndique ſpinis obſeptus, vt nuſquam impunè poſſis attingere. Eſt & hominum huiuſmodi genus, cum quibus nulla ratione poſſis agere citra litem.

## Durus alloquijs.

Ἄτεγκτος ἄνθρωπος προσηγορήμασιν. Id eſt, im-

mobilis alloquio. Ductum à cera, quæ tractando molleſcit. Atecton autem dicitur, quòd non queat liquefieri. Competet igitur in hominem inexorabilem.

## Echino aſperior.

*Plinius.* In hominem intractabilem & inſuauibus moribus dictum. Metaphora ſumta ab animãte, cuius duplex eſt genus, terreſtre ſpinis obſitum, & maritimum priuata vndique teſtudine ac ſpinis obductum, quibus ſe pedum vice voluit, auctore Plinio.

## Corinthus & collibus ſurgit, & vallibus deprimitur.

In adagium vbinam poſſit eſſe vſui, non ſatis video niſi quis detorqueat ad hominem intractabilem, aſpero ingenio. Strabo ſcribit, Corinthios opibus & artibus egregiis præcelluiſſe, cæterùm regionem illorum non admodum fuiſſe feracem, quòd inæqualis eſſet & aſpera, ac petricoſa.

## Etiam quercus bacchatur.

Καὶ δρῦς, Μαινὰς ἐγένετο. Id eſt, Etiam quercus, Mænas facta eſt. De iis, qui vix deliniuntur. Ab Orphei fabula, quercus ſua cithara demulcentis. Mænades ſunt mulieres afflatæ Baccho.

## Agamemnonis hoſtia.

Ἀγαμέμνονος θυσία. Id eſt, Agamemnonis victima. Quondam in duros ac perſuaſu difficiles dicebatur. Inde natum, quòd Agamemnone rem diuinam in Troia facturo bos effugerit, vixque toto negotio comprehenſus, reductus eſt.

## Matiolœchus.

Ματτιολοιχός. Vulgato conuitio dicebatur liguritor, & in minimis etiam rebus exquiſitus. Proinde quadrat in eos, qui per fraudem minimis è rebus ſectantur compendium. Merula ait, Matiolœchus eſſe cibi genus.

## Ne moue feſtucam.

Μὴ κάρφος κίνει. Vbi quis omnis ſtrepitus impatiens eſt. Quoſdam videas vſque adeò moroſos, vt quidquid agas offendantur, etiam ſi ſtipulam duntaxat moueas.

Alaſſo

Ayuntamiento de Madrid

## A laſſo rixa quæritur.

Seneca.

Apparet dictum in quoſdam moroſiores, & ad rixandũ procliuiores, non quod offendantur, ſed quòd alioqui animo malè affecti ſint, vt ſunt difficiles ac ſubmoroſi, quibus fortuna aduerſa eſt.

## Difficilis vir,

Δεινὸς ἀνὴρ τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόῳτο. id eſt,

Forſan & innocuum culpet vir ſæuus & acer.

Hunc Homeri verſiculum olim in Demoſtenem vulgò iactatum fuiſſe, multorum auctorum teſtimonijs conſtat, proptereà quòd accepta pecunia nonnunquam & malos defenderet, & oppugnaret bonos.

## Durus & implacabilis.

Plutarchus.

In hominem impendio rigidum & implacabilem rectè torquebis illud Homeri Odyſſ. κ.

Σοὶ δέ τις ἐν στήθεσσιν ἀκήλητος νόος ἐστί. Id eſt.

At tibi non vnquam placanda in pectore mens eſt.

Κερασβόλος.

Plutarchus docet homines præfractos, & aſperis moribus, & intractabiles, κερασβόλους vocari ſolitos. κερασβόλα dicuntur ab agricolis ſemina, quæ priuſquam decidant in terram, incidant in cornu boũm: eáque ſemina putantur prouenire multò duriora.

## Scytha malus.

Tanta erat barbaries & immanitas Scythicæ gentis, vt ipſa etiam appellatio ceſſerit in prouerbium, quemadmodum hodie crudelem hominem appellamus Turcam, & immane facinus, Turcicum? Æſchines in oratore, περὶ παραπρεσβείας, Καὶ δέομαι σῶσαί με, καὶ μὴ τῷ λογογράφῳ καὶ Σκύθῃ κακῷ ὅτι παραδοῦναι. Id eſt, Obſecro vt ſeruetis me, neue logographo, maloque Scythæ me tradatis.

## Inexorabilis, Et Durus.

In durum & inexorabilem competet illud ex Odyſſ. ψ.

Σοὶ δ' αἰεὶ κραδίη στερεωτέρη ἐστὶ λίθοιο. Id eſt,

At tibi perpetuò cor ſaxo durius omni eſt. Ita Telemachus ad matrem.

### ASSIDVITAS.

## Minutula pluuia imbrem parit.



Ayuntamiento de Madrid

Ψεκάδες ὄμβρον κυήσασαι. id eſt, Minutæ guttulæ imbrem parientes. Quoties res initio puſilla, creſcit in maius. Quare in minutis vigilandum, ne paullatim incidamus in maxima incommoda.

## Aſſidua ſtilla ſaxum excauat.

Ῥανὶς ἐνδελεχοῦσα κοιλαίνει πέτραν. Id eſt, Stillicidium perpetuum ſaxum excauat. Admonet nihil eſſe tam durũ, quod non emolliat, nihil tam arduum, quod non efficiat aſſiduitas. Plinius tradit inueniri ſilices formicarum pedibus attritas, idque grauiſſimum exemplum eſſe putatur, quantam vim habeat aſſiduitas.

*Zenodotus.*

## Bis ſeptem plagis Polypus contuſus.

Δὶς ἑπτὰ πληγαῖς πολύπους πλυνόμενος. id eſt, Plagis adactus Polipus quatuordecim. Dici ſolitum, vbi quis multo tandem malo fit emendatior. Aiunt Polypum piſcem captũ diu multumque tundi, cædique ſolere, quo mitior fiat & ad eſum accommodatior.

## Dicendo dicere diſcunt.

Ἐκ τοῦ λέγειν τὸ λέγειν πορίζεται. id eſt, Dicendo cõſequimur vt diſcamus. Quadrat ad cuiuſuis rei peritiam, quam potiſſimũ vſus ſuppeditat, optimus omniũ rerũ magiſter. Proinde prouerbiales oẽs erũt id genus. Fabricando fabricam diſces, Canẽdo muſicã, Scribendo diſces ſcribere.

## Latũ vnguẽ, ac ſimiles hyperbolæ prouerbiales.

Tranſuerſum digitum aut vnguem diſcedere, frequenter eſt apud Ciceronem, pro eo quod eſt, quàm minimo ſpatio. Fit autem feſtiuior metaphora, quoties his verbis perfectam imitationem ac plenum vndequaque conſenſum ſignificamus: vt, Ab hac regula mihi non licet tranſuerſum, vt aiunt, vnguem diſcedere.

## Taurum tollet, qui vitulum ſuſtulerit.

*Virgilius.* Vide, Degenerantium in peius.

## Noctesque diesque.

*Homerus.* Νύκτας τε καὶ ἤματα. Qua figura, aſſidua & infatigabilis diligentia paſſim ſignificatur. Horatius:

Nocturna verſare manu, verſare diurna.

## Velut vmbra ſequi.

Ὥσπερ σκιὰ ἕπεσθαι. Velut vmbra ſequi dicitur, qui nuſquã deeſt. Plaut. Decretum eſt mihi quaſi vmbra quoquò ibis

Ayuntamiento de Madrid

tute, perſequi, Vnde aſſeclas indiuiduos vmbras vocamus: Horat. locus eſt & pluribus vmbris.

Ne altero quidem pede. *Diogenian.*

Μὴ δ' τ' ἕτερον πόδα. Id eſt, Ne alterum quidem pedem diſcedere. Lucianus? Qui ex Æthiopia nũquam vel alterum promouerit pedem. Annumerandum illis: Latum vnguem, &c.

Saxum volutum non obducitur muſco.

Λίθος κυλινδόμενος τὸ φῦκος οὐ ποιεῖ. Id eſt, Muſco lapis volutus haud obducitur. Qui non poteſt eodem loco conſiſtere, rarò fit vt diteſcat.

Multis ictibus deijcitur quercus.

Πολλαῖς πληγαῖς δρῦς στερρὰ δαμάζεται. Id eſt, Multis rigida quercus domatur ictibus. De re factu quidem ardua, quæ tamen aſſidua induſtria peruincatur.

Exercitatio poteſt omnia. *Periander.*

Μελέτη πάντα δύναται. Id eſt, Cura omnia poteſt. Significat autem nihil eſſe tam arduum, quod diligentia, curaque non efficiatur.

Virgil. in Georg. Labor omnia vincit
Improbus, & duris vrgens in rebus egeſtas.

Ne genu quidem flexo. *Philoſtratus.*

Οὐδὲ γόνυ κάμψας. Dictum eſt pro eo, quod eſt, Ne tantillum quidem. Etenim ſi iam incipit ad quietem componere ſeſe, primum genu flectit. Itaque perinde valet quaſi dicas: Citra reſpirationem, ſine omni intermiſſione.

ATTENTIO, ET ECONTRA.

Purgatis auribus. *Plaut.*

Pro attentis auribus & vacuis. Nam ſordes in auribus collectæ auditum hebetant, exemtæque reddunt acriorẽ.

Mens peregrina. *Terentius.*

Νοῦν τὸν ξένον. Mentem peregrinam habere dicuntur cogitabundi, nec ſatis ob id attenti ad ea, quæ coràm aguntur.

Præſens abſens. *Ariſtoph.*

Παρὼν ἀποδημεῖ. Id eſt, Præſens peregrinatur. In eum dicendum, qui non animaduertit ea, quæ dicuntur, cogitatione alijs in rebus occupata.

Auribus arrectis. *Virgil.*



Ayuntamiento de Madrid

Quadrabit in illos, qui ſitienter, & auidè auſcultant, quæ dicuntur, aut exſpectant quid dicendum ſit.

### Erecti.

Accommodum erit, vbi ſignificabimus aliquem toto pectore attentum ad rem quampiam. Erigunt enim ſe totos & ſummis nonnunquam inſiſtunt pedibus, qui auſcultant, aut ſpectant auidius.

### Auſculta & perpende.

Quoties ſignificabimus nos aliud dicturos quod ad rem pertineat, quodque ratum ac certum futurum ſit, conueniet illud Homer. Iliad. 1.

Ἀλλὸ δέ τοι ἐρέω, σὺ δ᾽ ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσι. Id eſt, Immo aliud quiddam, tu mente recondito, dicam.

### Hoc age.

Quum aliquem iubemus eſſe attentum, dicimus, Hic eſto: aut Hoc age.

### Conſulendum, & conſilijs parendum.

Quum admonebimus quempiam, vt viciſſim & rectum conſilium alijs det & ab alijs accipiat, aut vt & ſecum rem diligenter perpēdat, & alienā ſententiā auribus attentis audiat, non intempeſtiuū erit illud ex Iliados. β.

Ἀλλὰ ἄναξ, αὐτός δ᾽ εὖ μήδεο, πείθεό τ᾽ ἄλλῳ. Id eſt: Ipſe age, res bene conſulito, & pareto viciſſim.

### Ceram auribus obdis.

Κηρὸν τοῖς ὦσιν ἐπαλείφεις. Id eſt. Ceram auribus oblinis Qui recuſant audire vel æqua, vel iniqua. Natum ab Vlyſſis cera, qua ſuas & ſociorum aures obturabat.

## AVDACIA.

*Tullius.*

### Fortes fortuna adiuuat.

Propterea quòd id genus hominibus fortuna quaſi faueat, infenſa ijs, qui nihil audent experiri, ſed veluti cochleæ perpetuò latent intra teſtas.

### Animus præſens.

Animi præſentia vtilis vbiq; propterea quòd timiditas vel à cōſcientia, vel ab animi paruitate videatur proficiſci. Huic ſententiæ ſuffragatur Homericū illud ex Odyſſeæ η.

θαρσαλέος γὰρ ἀνὴρ ἐν πᾶσιν ἀμείνων
Ἔργοισιν τελέθει, εἰ καί ποθεν ἄλλοθεν ἔλθοι, Id eſt

Omnibus in rebus potior vir fortis & audax,
Sit licet hoſpes, & è longinquis venerit oris.

## Animus heptaboëus.

Θυμὸς ἑπταβόειος. De magno fortíque & inuicto dictu. Epithetum ſumtū à clypeo Aiacis, quem Homerus Græcè heptaboëon appellat, quòd ſeptem boum tergoribus eſſet obductus, atque ob id impenetrabilis.

## Aqua ſuperfluit.

Ὕδωρ παραρρεῖ, Id eſt, Perfluit aqua. Zenodotus & Suidas admonent dici ſolitum de eo, qui nihil negotij recuſaret, & quidlibet quod mādatum eſſet effecturum ſeſe polliceretur, quippe vſque adeò promtus ad quiduis ſuſcipiendum, vt nec nauim perfluentem ingredi grauaretur.

## Martis pullus.

Ἄρεος νεόττιον. Martis pullum vocāt, ad bella magnopere propenſum. *Ariſtophan.*

## Alter Hercules.

Οὗτος ἄλλος Ἡρακλῆς. Id eſt, Hic alter Hercules. De viro præſtrenuo, ac laborum tolerantiſſimo. *Ariſtotel.*

## Non abiicit animum.

De eo qui ne in afflictiſſimis quidem rebus ſpem aut conſilium abiicit, ſed de recipiendo ſe vtcunque cogitat, appoſitè dicetur, quod de Vlyſſe dixit Odyſſ.ε. Homer.

Ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ὥς σχεδίης ἐπελήθετο τειρόμενός περ. Id eſt,
Ac neque ſic licet afflictus obliuia cepit. Nauigij.

## Ne quid moueare verborum ſtrepitu.

Qui monebit aliquem, ne ſæuis verbis, ac minis deterreatur, quò minùs experiatur, accommodabis illud Homeri ex Iliad. Υ. ab Apolline dictum Aeneæ.

Ἀλλ᾽ ἰθὺς φέρε χαλκὸν ἀτειρέα, μηδέ σε πάμπαν
Λευγαλέοις ἐπέεσσιν ἀποτρεπέτω καὶ ἀρειῇ. Id eſt,
Quin rigido ferro magis obuius ito, nec vnquam
Te ſæuis dictis deterreat ille, miniſq́;.

## In diſcrimine apparet qui vir.

De periculoſa difficilíque & eiuſmodi quæ virū cordatum ac ſtrenuum requirat, conueniet illud ex Iliad. ν.

Ἔνθ᾽, ὅ, τε δειλὸς ἀνὴρ, ὅς τ᾽ ἄλκιμος ἐξεφαάνθη. Id eſt,
Illic qui vir iners, qui ſtrenuus ipſa docet res.



Ayuntamiento de Madrid

## Non cedendum malis.

Si quãdo admonebis, non oportere cedere vel aduerſariis, vel aduerſæ fortunæ inſultibus, aut non eſſe certandum cum fugitiuis, non inſcitè detorſeris illud ex eodem libro:

Οὐκ ἄν ἐν αὐχένι ὄπιθεν πέσοι βέλος, οὐδ' ἐνὶ νώτῳ,
Ἀλλά κεν ἢ στέρνων ἢ νηδύος ἀντιάσειε. Id eſt,
Ne feriat iaculum ceruicem aut terga, ſed ipſum
Aut ventrem, aut pectus feriat aduerſa ſagitta.

Gellius.

## Achilles.

Inſigni fortitudine Duces, appellabimus non inuenuſtè Achilles.

## Achilleum argumentum.

Rationem & argumentum Achilleum vocabimus, quod ſit inſuperabile & inſolubile.

## Qui cum contemptu vitæ inuadunt.

In eos qui gladiatorio, ſicut ait Terẽtius, animo quẽpiam impetunt, vt aut perdant, aut pereant, cõueniet illud ex illiad. μ.

Ἀ' γροτέροισι σύεσσιν ἐοικότες. Id eſt, Similes agreſtibus apris. Tradunt enim viatores hos prouocatos rectà impetere prouocantem, nec lancea vitata.

## Neque terræ motus timet, neque fluctus.

Ariſtoteles libro moralium Nicomachiorum tertio, docẽs eos, qui non habitu virtutis, ſed immanitate quadã naturæ nihil omnino formidant, nequaquam appellãdos eſſe fortes, ſed μαινομένους καὶ ἀναλγήτους, hoc eſt, inſanos & ſtupidos, ſenſuſque expertes. εἴη δ', inquit, ἄν τις μαινόμενος καὶ ἀνάλγητος, εἰ μηδὲν φοβοῖτο μήτε σεισμοὺς μήτε κύματα, καθάπερ φασὶ τοὺς Κελτούς. Id eſt, Fuerit autem quiſpiam inſanus ac doloris ſenſu vacans, ſi nihil metuat, neque terræ concuſſiones, neque fluctus, quemadmodum de Celtis prædicant, Nihil enim horribilius mari commoto, terræ verò concuſſio videtur inferorum ad ſuperorum ſedem eruptionem minitari. Tanta autem erat quarundam Galliæ Germaniæque gẽtiũ immanitas, vt ne his quidem terrerentur, quæ maximè ſunt natura horrenda.

## Improbitas muſcæ.

Ayuntamiento de Madrid

In improbum & ſubinde redeuntem, etiam ſi turpiter repellatur. Ex Iliad. XVII. Atque illi muſcæ vim intra præcordia miſit, quæ quamuis de pelle viri ſit ſæpè repulſa, Aſſultat morſura tamen.

AVXILIVM INFIRMVM.

## Lunæ radiis non matureſcit botrus.

Plutarchus hunc Iouis ſenariū ceu prouerbialem adfert, diſſerēs quòd luna, quoniam radios habet imbecilliores, quàm ſol excitare poſſit humores, cōcoquere non poſſit,

Μέλας γὰρ αὐταῖς ὐ πεπαίνεται βότρυς. Id eſt,

Neque enim his niger maturus efficitur botrus.

Conuenit in eos, qui conātur quod ob defectum virium non queunt perficere. Accedet plus veneris, ſi volentes ſignificare diſciplinas humanas non præſtare felicitatem, dicamus Μέλας γὰρ, &c. In αὐταῖς ſubaudiēdū eſt ἀκτῖσι, id eſt, radiis.

## Per fluuium traducere.

Διαβιβάζειν τὸν ποταμόν. Id eſt, Trāſmittere per flumen. Dicebántur, qui difficultatem explicabāt rei, quam ineruditiores, aut inualidiores explicare non poterant. *Plato.*

## Sacer manipulus.

Ἱερὸς λίχος. Id eſt, Sacer manipulus. Olim dicebatur, quemadmodum dicimus ſacram anchoram iaciendam, aut rem ad triarios rediſſe. *Athenæus.*

## Coriaceum auxilium.

Σκυτίνη ἐπικουρία. Id eſt, Coriaceum ſiue pelliceum auxilium. Apud Atticos infirmum & imbecille dicebatur. *Heſychius*

## Ficulnum auxilum.

Συκίνη ἐπικουρία. Ideſt, Ficulnum auxilium, pro inualido atque inutili. *Ariſtoph.*

BENEFICIVM CORRVPTVM.

## Perdidiſti vinum infuſa aqua.

Ἀπώλεσας τὸν οἶνον ἐπιχέας ὕδωρ. Verba ſunt Polyphemi. Sic enim increpat Vlyſſem, vinum aqua temperantem. Antiquitus merum bibebant non ſine noxa, donec Staphirius Sirrhemi filius oſtendiſſet, vinum aqua diluere. *Homerus.*

## Capra Scyria.

Αἴξ Σκυρία. Conuenit in eos, qui beneficiū maleficio



Ayuntamiento de Madrid

corrumpunt,aut,qui virtutes adiunctis vitijs contaminãt atque obſcurant, quiue rectè inſtituta non rectè finiunt. Veluti capra Scyria quòd fera ſit, mulctrum quod lacte impleuerat,ipſa rurſus euertit,atque hoc modo beneficiũ quod dederat,eadem perdidit.

## Panis lapidoſus.

Seneca lib. de Beneficio II. Panis lapidoſus: ſic enim Fabius Verrucoſus appellabat beneficiũ ab homine duro aſperè datum, quem eſurienti neceſſarium ſit accipere, durum & acerbum eſſe.

# BIBACITAS.

## Vinaria angina.

Feſtus Pompeius indicat ioco iactatum in eos, qui vino præfocantur, laborare vinaria angina, quam οἰνάγχην poſſis dicere.

## Maduſa.

In Pſeudolo Plautina ſeruus ebrius ita loquitur: Ego nunc probè habeo maduſam. Feſtus Pompeius indicat apud priſcos maduſam dici ſolere temulentum, dubitatq; vtrum à Grecis deductum ſit,quibus ebrius eſt μέθυσος, an à Latino verbo madere, quòd probè poti vino madidi dicantur. Quòd ſi maduſa ſonat ebrium,non ebrietatem, abſurdus ſermo eſt, Habeo maduſam. Vnde ſic legẽdum arbitror:

Ego nunc probè habeo maduſa, ita victu ecurato.

Seruus in ebrietate videtur ſibi felix, vt ſolutus omni metu curiſque, & omnium triſtium oblitus.

## Parthi quo plus biberint.

De Parthis vetere prouerbio dictũ eſt,quo plus biberint eo plus ſitire. Habet hoc temulentia, vt poſteaquam obſurduit palatũ,magis ac magis cupiant haurire. Aptè dicetur in auaros,aut ſtudioſos: creſcit enim diſcendi cupido cum eruditione.

## Καρηβαρεῦντες

*Athenæus.* Dicuntur qui crapula grauatum caput habent. Conueniet in temulentum ac ſomnolentum.

## Ranarum more bibere.

In eos qui deditiſſimi ad pocula ſunt,nihil interim vel parũ comedẽtes, rectè & nõ inuenuſtè quadrat illud Athenæi.

Ayuntamiento de Madrid

Οἱ πίνουσι μόνον βατράχων τρόπον, οὐδὲν ἔδοντες. Id eſt.
Qui abſque cibo viuunt ranarum more bibentes.

## Nec elephantus ebiberet.

*Athenæus.*

Οὐδ᾽ ἂν ἐλέφας ἐκπίοι. Id eſt, Ne elephãtus quidẽ ebiberet De poculo prægrandi, quum elephantus proboſcide immenſam aquarum vim quum libet hauriat.

## Cothoniſſare.

*Idem.*

Κωθωνίζειν ſeu κωθωνίζεσθαι, dicebãtur, qui largius biberent, & potationem largiorem κωθωνισμὸν appellabant: Cothon autem poculi genus eſt.

## Calicum remiges.

*Idem.*

Κυλίκων ἐρέται, id eſt, Calicum remiges. Dicti ſunt, qui aſſiduè perpotarent, vinum pro remo ducentes.

Κυαθίζειν.

Dicebãtur, qui poculis indulgebãt, quaſi dicas, cyathiſſare. Mihi videtur potiùs in eos cõuenire, qui parcè bibũt, nec ſextarios hauriunt. ſed cyathis ſubinde repetitis, tamen inebriantur.

## Argenteus puteus.

Φρέαρ ἀργυροῦν. Id eſt, Argenteus puteus. Athenæus lib. xi. indicat olim ingens poculum dici ſolitum puteum argenteum, nam cyathi puſilli erant.

### BONAE FORTVNAE, COPIAE, FELICITATIS, AVT OMINIS.

## Aſinus in paleas.

Ὄνος εἰς ἄχυρα. Subaudiendum, incidit. Dici ſolitum, vbi cuipiam fortuna lautior præter ſpem obtigerit, aut nactus fortè fuerit aliquis, quo vel præcipuè gaudeat.

## Nunc aduenit Datidis cantilena.

Νῦν τοῦτ᾽ ἐκεῖν᾽, ἥκει τὸ Δάτιδος μέλος. Id eſt, Nũc id quod aiunt, Datidis adeſt cantio. Dicebatur vbi quid lætum ac feſtiuum accidiſſet. Datis quiſpiam erat Perſarum Satrapes excellens in rei bellicæ gloria. *Suidas.*

## Procridis telum.

Πρόκριδος ἀκόντια, Id eſt, Procridis iacula. De iis qui veluti certis telis quidquid animo deſtinant, aſſequuntur. Sumtum à notiſſima fabula, vel Ouidio narratore, de Cephalo, qui certo iaculo emiſſo, Procridem vxorem inte-

Ayuntamiento de Madrid

remit, ratus feram eſſe.

Iuuenalis.

## Albæ gallinæ filius.

Feliciter natum, albæ gallinæ filium dicimus. Latini alba pro lætis & felicibus accipiunt, conuenit adagium iis qui vera quadã felicitate, & felici rerum ſucceſſu vtuntur.

Ambroſius.

## Aut piſcem olet, aut florem.

Aut piſcem olet, aut timallum. Dictum in eum, qui bene oleret, quòd timallus piſcis ſit odore gratiſſimus, & æquè fragrans eiuſdem nominis flos.

Cicero.

## Virgula diuina.

Quoties quid citra humanam operam quaſi diuinitus, nobis ſignificamus contigiſſe. Propterea quòd antiquitas quemadmodum in anulis, ita & in virgis ferendis exiſtimauit aliquam fatalem, ac ceu magicam ineſſe virtutẽ.

## Gygis anulus.

Γύγȣ δακτύλιος. Quadrat vel in homines inconſtantibus moribus, vel in fortunatos, qui veluti virgula diuina, quidquid optant, id ſuo arbitrio conſequuntur. Huius adagij mentionem facit Lucianus in votis. vbi quiſpiam optat ſibi complures anulos eiuſmodi quales habebat Gyges: alium, quo diteſceret: alium, quo gratus & amabilis redderetur: alium per quem liceret volare, quocunque lubitum eſſet. Nam priſcorum ſuperſtitio plurimum tribuit anulorum efficaciæ.

Zenot.

## Orci galea.

Ἄϊδος κυνῆ. Dictitari ſolitum in eos, qui ſemet arte quapiã occultarẽt. Plutoni erat galea, quam qui geſtaret, is quoſcunque voluiſſet videbat, ipſe nemini conſpicuus.

Lucianus.

## Secundo æſtu.

Κατὰ ῥοῦν πορεύεσθαι. Id eſt, Secundo æſtu procedere. Sũpta metaphora à nautis, quibus facilior curſus quum flumẽ aut etiam maris æſtus ſecundus eſt.

Horatius.

## Bonis auibus. Malis auibus.

Quum rem feliciter, aut ſecus cedere ſignificamus. Ab augurum obſeruatione ſumtum.

Homerus.

## Omnia ex ſententia cedunt.

In magnopere fortunatos: quibus & rectè & ſecus inſtituta feliciter cedunt. Homerus:

Ayuntamiento de Madrid

Spicula cuncta horum feriunt, ſeu torſerit illa
Ignauus,ſeu vir fortis, quia Iuppiter ipſe Dirigit.

Horatius.

## Secundis ventis.

Secundis ventis nauigare dicitur,cui res ex ſententia ſuccedunt.Horatius:

Non agimur tumidis velis aquilone ſecundo,
Non tamen aduerſis ætatem ducimus auſtris.

## Datyli dies.

Cicero.

Δατύλου ἡμέρα. Vbi res feliciter ſucceſſerunt. A'Datylo quodam qui apud Athenienſes ſummos eſt honores cōſequutus.

Bion.

## Dijs, hominibuſque plaudentibus.

Pro eo,quod eſt feliciter, atque auſpicato.Apud poëtas penè ſolenne, Deûm atque hominum fidem, Diis atque hominibus inuiſus.

## Semper feliciter cadunt Iouis taxili.

Α'εὶ γὰρ εὖ πίπτουσιν οἱ Διὸς κύβοι. Id eſt, Semper cadunt feliciter tali Ioui. Dici ſolitum in eos, quibus res omnes perpetuò quodam fortunæ fauore ex animi ſententia cederent.

## Sapiens ſua bona ſecum fert.

Ο'σοφὸς ἐν αὑτῷ περιφέρει τὴν οὐσίαν. Id eſt, Sapiens opes ſibi ſecū habet ſemper ſuas.A Biantis,ni fallor, apophtegmate natum, qui rogatus,cur nihil exportaret rerum ſuarum ex incendio patriæ,Ego verò, inquit omnia mea bona mecum porto. Significans ea quæ nobis bona inſunt, vera eſſe bona,& verè noſtra.

## Contingit & malis venatio.

Suidas.

Δέδοται καὶ κακοῖσιν ἄγρα. Id eſt,Contingit & ignauis è venatu præda.Vbi quid feliciter obtigit immerēti, quodque fortunæ magis, quàm illius induſtriæ ſit acceptū ferendū.

## Iecit Achilles duas teſſaras, & quatuor.

Βέβληκ' Α'χιλλεὺς δύο κύβω καὶ τέσσαρα.
Duas Achilles quatuorque teſſaras Iecit.

Hunc verſum Suidas ex Euripide citat. Quid autem ſibi velit adagium, nullus explicat, niſi quòd coniectare licet dictum fuiſſe de iis, qui in omni re vincerent, propterea quòd is teſſerarum iactus felix eſſet.

Ayuntamiento de Madrid

## Tranquillo quilibet gubernator eſt.

Seneca in epiſtolis. Alioqui gubernatoris artem adeò non impedit tempeſtas, vt offendat. Tranquillo enim, vt aiunt, quilibet gubernator eſt. Agit autem illic, fortunam aduerſam ac rerum difficultatem, non ſolùm non obeſſe ſapienti, verùm etiam virtutem in his maximè proferre ſeſe, quæ rebus ſecundis ac pacatis latebat. Non magnum eſt adminiſtrare Rempub. quum omnia pace conſtant.

*Zenodotus.*

## Effugi malum, inueni bonum.

Ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον. Id eſt, Euaſi mala, nactus ſum meliora. Dici ſolitum, ſi quando fortuna lautior cuipiam contigiſſet. Natum aiunt à cæremoniis nuptialibus.

## Inueni, non quod pueri in faba.

Strophylus ſeruus in Aulul. Plauti, ollam auri plenam à ſene defoſſam, furto ſuſtulerat, eamque rem geſtiens indicare hero, Reperi, inquit. Et rogatus quid reperiſſet, Non quod pueri clamitant, inquit, in faba ſe reperiſſe: prouerbiali nimirum figura magnum quiddam reperiſſe ſeſe ſignificans. Eſt enim midas vermiculus quidam, qui fabis innaſcitur: hunc ſi quando nacti ſint pueri, geſtiunt atque exclamant, perinde quaſi magnum quiddam inuenerint.

## Sardi venales.

Σαρδόνιοι ὤνιοι. De negotio infinitæ prolixitatis, atque inexplicabili. Idque hinc ortum eſſe tradunt, quòd Tiberius Sempronius Gracchus, cùm altero conſulatu Sardiniam domuiſſet, tantum ex ea captiuorum adduxit, vt longa venditione res in prouerbium abierit.

## Bonorum mare.

Ἀγαθῶν θάλασσα. Dicitur & diuerſam in partem. Item de magnis & vehementer cumulatis commoditatibus: Vel quòd ipſum mare miniſtret innumerabiles opes rerum, puta piſcium gemmarumque.

## Thaſſus bonorum.

Θάσος ἀγαθῶν. Natum adagium à loci fertilitate. Nam Thaſſus inſula eſt iuxta Thraciam, vt Zenodotus refert. Calliſtratus orator, demigrans Athenis, perſuadere co-

Ayuntamiento de Madrid

natus eſt Athenienſibus, vt regionem, quæ ex aduerſo erat incolerent, multa ſplendida de eius feracitate iactitans, & quòd auri venas haberet, & quòd glebam optimam. Denique, in ſumma, inquit, Thaſſus bonorum eſt. Hinc in vulgi ſermonem abiit: Thaſſus bonorum, de iis, qui ſplendida pollicentur.

## Bonorum aceruus.

Ἀγαθῶν σωρός. De opibus ingentibus, vnde & frequenter extructas dapes, extructas opes, & cumulatas opes, pro copioſis legimus, nunquam aceruatim congeſtas, neque pondere, neque numero, ſed ipſo cumulo infuſas.

## Horna meſſis.

Plautus in Muſtel. Hornam meſſem prouerbiali figura dixit, pro maximo emolumēto: quaſi dicas, tantum lucri, quantum eo anno ſit prouenturum in agris.

Cicero.

## Bonorum myrmecia.

Ἀγαθῶν μυρμήκια. De immenſis opibus. Nam myrmecia Græcè ſignificat cauernam aut agmen formicarum. Antiquitus formicarum cœtus opulentiam portendit.

## Dathus bonorum.

Δάθος ἀγαθῶν. In eandem ſententiam dici conſueuit. Eſt autem Dathus Thaſiorum colonia, iuxta Styrmonem, cùm alioqui opulenta ac florens, tum quòd habet etiam auri venas, vt hinc in prouerbium abierit: Dathus bonorum, de conferta rerum opulentia.

Idem.

## Gargara bonorum.

Innumerabilem hominem, rerumúe vim, priſci gargara dicebant, ficta, ni fallor, voce à ſtrepitu, quem facit hominum congregatorum multitudo, aut rerum effuſarum copia. Vnde & gargaro verbum, quod ſignificat perſtrepo præ multitudine.

## Bona terræ.

Τὰ τῆς γῆς ἀγαθά. De bonis immenſis, & omnigenis, quaſi dicas, quidquid terra progignit, omnium rerum parens.

## Ingens rerum multitudo.

Quum admirandum hominum, aut rerum, ſeu malorum multitudinem indicare volemus, conueniet illud

Ayuntamiento de Madrid

Homericum:

Quot frondes, & quot ſunt verno tempore flores,
Vtque globatarum muſcarum examina multa.

## Bonorum glomi.

Ἀγαθῶν ἀγαθίδες. De opibus extructis, & affatim cumulatis. Sumta metaphora à glomere textorio, cui fila ſunt obuoluta, aut certè ligno illo textorio, cui filorum maxima vis eſt obuoluta.

*Lucianus.*

## Copiæ cornu.

Ἀμαλθείας κέρας. Quum affatim omnia ſupereſſe ſignificamus, Copiæ cornu dicimus.

*Euſtath.*

## Lac gallinaceum.

Ὀρνίθων γάλα. Eundem habet ſenſum. Dicitur enim in opulentos, & quibus quiduis rerum ſuppeditat. Aut de raris inuentu, atque ob id prætioſis, vt ſit hyperbole ſignificans nihil omnino deeſſe.

## Extis pluit.

Ἄλλαντ' ὕει. Id eſt, Lucanicis pluit. Sermo prouerbialis de prodigioſa rerum copia. Qui iocus etiam hodie durat apud Idiotas. Siquidē ἀλλᾶς. Græcis exti genus eſt, ex quo fruſtulatim conciſo farta conficiuntur.

*Plutarchus.*

## Capram cæleſtem orientem conſpexerunt.

Αἶγα τὴν οὐρανίαν ἐπιτέλλουσαν ἐθεάσαντο. Hoc dici ſolitum in eos, quibus omnia feliciter, èque animi ſententia ſuccederent, propterea quòd antiquitus opinione vulgi comprobatum eſt, qui capram illam Iouis altricem, & ob id in ſiderum relatam numerum conſpexiſſent, quidquid votis conciperent, eius compotes futuros.

*Ariſtoph.*

## Bonæ fortunæ.

Ἀγαθοῦ δαίμονος. Id eſt. Boni genij, vel bonæ fortunæ, ſubaudi nomine. Sermo eſt benè ominātis in re quapiam aggrediunda.

*Theocritus.*

## Oculus dexter mihi ſalit.

Ἄλλεται ὀφθαλμός μου ὁ δεξιός. Id eſt, Salit mihi oculus dexter, Vbi ſpes eſt viſuros nos lætū & quippiam, & vehementer exoptādum: hodiéque per iocum aiunt, ſibi dextram tinniſſe aurem, ſignificātes alicubi ſermonem de ſe abſentibus factum cum laude.

Ayuntamiento de Madrid

## Bona ſpes oſtenſa.

Quum bona quæpiam ſpes affulget alicũde, perficiẽdi quod propoſuimus, conueniet illud ex Odyſſ. ο.

Ὥς ἄρα οἱ εἰπόντι ἐπέπτατο δεξιὸς ὄρνις. Id eſt:

Sic fato felix à dextris aduolat ales.

## Deus vndecunque iuuat, ſi modò propitius.

Deus vbique preſens adeſt, ſi faueat: neque refert vbi gentium agas, illo propitio. Ad hanc ſententiam accommodes licebit illud Homeri:

Ῥεῖα θεός γ' ἐθέλων καὶ τηλόθεν ἄνδρα σαώσαι.

Si libeat ſeruare procul quoque numina poſſunt.

## Lux affulſit.

Vbi melior rerum ſpes oſtẽdi cœperit, lucem affulſiſſe dicunt. Porrò lumẽ fauſti ominis apud veteres fuiſſe teſtis eſt M. Varro lib. de lingua Latina. II.

## Noctua volat.

Zenodotus.

Γλαὺξ ἵπταται. Priſcis Athenienſibus noctuæ volatus victoriæ ſignum ac ſymbolum exiſtimabatur, propterea quòd auis hæc Mineruæ ſacra crederetur, quæ quidẽ dicta eſt etiam malè cõſulta Athenienſium benè fortunare. Inde, rebus feliciter atque ex animi ſententia ſuccedentibus, dici conſueuit. Noctua volat.

## Laureum baculum geſto.

Δαφνίνην φέρω βακτηρίαν. Id eſt, Laureum porto baculum. Suidas tradit ita ſolere loqui eos, qui eſſent ab aliquibus inſidiis appetiti, feliciterq; periculũ effugiſſent propterea quòd laurus credita eſt aduerſus venena remedium habere.

## Midas in teſſeris conſultor optimus.

Μίδας ὁ ἐν κύβοισιν εὐβουλότατος. Id eſt, Midas, qui in teſſeris conſultor optimus: prouerbium à teſſerarum ludo natum. Eſt enim Midas iactus vocabulum. Accommodari poterit adagium ad rem, quæ fortè fortuna benè cadit.

## Boues meſſis tempus expectantes.

Βοῦς ἄμητον ἐπιτηροῦντες. Id eſt, boues meſſem obſeruãtes. Dici ſolitum, vbi quis ingentium emolumentorum ſpe laborem ſumeret. Inde ductum, quòd boues meſſis

Ayuntamiento de Madrid

ſpe laborem ſumeret. Inde ductum, quòd boues meſſis tempore, maiore laborant fructu, proptereà quòd inter trituram paſcuntur interim, & pabulum largiùs apponitur. Contrà quum vere aut hieme proſcindunt aruum, hoc moleſtior eſt arandi labor, quòd nullo præſente fructu leniatur.

## Bos apud aceruum.

Βοῦς ἐπὶ σωρῷ. Id eſt, Bos in aceruo. De ſplendidè ampliterque viuentibus, quique in vbere rerum affluentia, prolixius faciũt ſumtum. Aut quemadmodum ait Suidas, de iis, qui in media rerum copia conſtituti, non ſinuntur præſentibus bonis frui. Tranſlatum arbitratur à bobus trituram exercẽtibus, quibus quòd os obligatum habeãt, non licet veſci tritico, quod excutiunt, vt ſimile ſit illi: *Philoſtratus.* Tantalus inter vndas ſitiens.

## Bos ad præſepe.

Βοῦς ἐπὶ φάτνῃ. In emeritos dici conſueuit, quique iam ob ætatem otio, vitæque molliori indulgẽt. Effertur & ad hunc modũ: Bos in ſtabulo. Congruit & in eos, qui nullis honeſtis negotiis exercentur, ſed turpi otio atque abdomini ſeruiunt.

## Quæ diuinitùs contingunt.

Qui dicit quippiam non cuius contingere, quiſquis optat, ſed diuinitùs dari, velut ingenium, formam, vires, vſurpare poteris illud Homeri ex Iliad. 3. lib.

Ἑκὼν δ' ἄν τις ἕλοιτο. id eſt:
Non quiſquis volet illa ferat.

## Auctoritas diuinitùs.

Diuinitùs contingit, vt idem homo nunc magnificat nunc deſpiciatur. Ex Odyſſeæ XVI.

Eſt procliue dies, amplus quos claudit Olympus,
Reddere vel adſpectum hominem, aut adiungere honorem. *Homerus.*

## Felicitas à Deo.

Θεοῦ γὰρ χάριτι ἐστιν εὐτυχεῖν βροτοῦς. Id eſt, Felicitas datur Deûm homini munere, vt res noſtræ bene cedant, id in nobis ſitum non eſt, ſed à Superûm arbitrio pendet. Hominum eſt conatus, Dei eſt euentus.

Primum

Ayuntamiento de Madrid

## Primum rectè valere, proxima forma, tertio loco diuitiæ.

Plato lib. II. de leg. Λέγεται γὰρ ὡς ἄριστον ὑγιαίνειν, δεύτερον δὲ κάλλος, τρίτον δὲ πλοῦτος. Id eſt, Aiunt enim optimum, ac potiſſimum eſſe, bonam valetudinem, proximum formam, tertium diuitias. Alius quidem dicit: Rectè valere, & ſapere, duo vitæ bona. Iuuenalis: Curãdum eſt, vt ſit mens ſana in corpore ſano.

## Deum eſſe. Deum facere.

Hyperbolæ ſunt prouerbiales, de ſingulari laude dignis. Tullius in Oratoris ſui libro II. In quo tu mihi Deus eſſe videris, id eſt, ſingularis, ac ſummus. Inde natum quòd priſci mortales, ſi quem ob egregias, ac minimè vulgares virtutes ſuſpiciebant, eum Deum, ac diis genitum aiebant.

## In cælo eſſe.

Pro eo quod eſt, ſupra modum fortunatum eſſe ac glorioſum. *Cicero.*

## Quæuis terrà patria.

Πᾶσα γῆ πατρίς. Admonet adagium, virum ſapientem ac bonum, vbicunque gentium vixerit, felicem eſſe. *Zenodotus.* Vnde & Socrates interrogatus: Cuias eſſet, mundanum ſe eſſe reſpondit.

## Virtute duce, comite fortuna.

Marcus Tullius epiſt. famil. libro decimo ad Plancum: Omnia ſumma conſequutus es, virtute Duce, comite fortuna. Virtus eligit quod eſt optimum. Quod ſi non ſuccedit, tamen in rebus præclaris, vt in magnis, etiam voluiſſe pulcrum eſt. Sin ſuccedit, primã laus debetur virtuti tanquàm egregij facinoris Duci: proxima fortunæ, quæ virtuti ſubſeruierit.

## Sale nihil vtilius.

Comperio & hoc à doctis prouerbij titulo commemoratum: Humano corpori nihil eſſe vtilius ſale & ſole.

## Supercilium ſalit.

Quoties bona quædam ſpes titillat animum noſtrum, dicere licebit nobis ſalire ſupercilium. Sumptum à vulgi *Plautus.*



Ayuntamiento de Madrid

ſuperſtitione, qui futurorum auguria captat ex corporis affectibus, vt ſiquod membrum pruriat præter euidentem cauſam, ſi dexter oculus ſaliat, ſi auris dextra tinniat.

BREVILOQVENTIA.

## Grata breuitas.

Χάρις βαιοῖσιν ὀπηδεῖ. Id eſt, Adiuncta eſt paruis gratia rebus, Quædam mole placent ac magnitudine. Sũt, quæ ob id grata ſunt, quòd minuta: veluti gemmæ quædam ac ſculpturæ. Idem vſu venit in epiſtolis ac libris, qui non rarò ipſa breuitate redduntur commendatiores, præſertim apud faſtidioſos & occupatos.

Ἐν ἐπιτομῇ.

M. Tullius epiſtol. ad Attic. lib. v. Epiſtola, cuius initium, Saturnialib⁹ mane. Hoc iam ſic habeto, nec hoc exercitu, hîc tãta negotia geri potuiſſe. Quæ cognoſces ἐν ἐπιτομῇ. Sic enim concedis mihi proximis literis ἐν ἐπιτομῇ dixit, pro eo, quod erat διὰ βραχέων, ſummatim, & compendio, reciſis iis, quæ minus ad rem pertinent.

## Laconiſmus.

Λακωνισμός. Laconiſmum veluti prouerbio breuiloquentiam vocant, pro eo quod eſt, paucis & compendio dicere à λακωνίζειν, quod eſt affectare breuiloquentiam.

## Tribus bolis.

Plautus in Curcul. Si vis tribus bolis, velim chlamidem. Tribus bolis dixit, pro compendio, quaſi tribus verbis. Nam bolum Terentius accipere videtur, pro eo quod Græci vocant blomon. Quod autem continuo deuoratur, tribus bolis edi dicitur.

## Pauciloquus, ſed eruditus.

*Varro.*

In eum qui pauca quidem, ſed tamẽ auditu digna loquitur παῦρα μὲν ἀλλὰ μάλα λιγέως: pauca quidem, verùm argutiſſima: ait Homerus de Menelao.

## Minore finire pomœrio. Et his ſimilia.

Prouerbij rationem ſapiunt huiuſmodi fermè metaphoræ: Finire pomœrio, Præſtituere metam, Circumſcribere cancellis, & ſiquæ ſunt ſimiles.

Ayuntamiento de Madrid

## Numero dicis.

Plaut. in Caſſina. Numero dicis, dixit pro eo, quod eſt, Facilè & compendio. Feſtus exponit pro citò, ac celeriter. Idem. Numero mihi venit in mentem.

## Vno faſce complecti.

Apud Plinium, pro eo quod eſt, Eadem opera & coniunctim agere, non ſeparatim. Tranſlatum eſt ab iis, qui res multas ſimul colligant, quò cõmodiùs geſtari queãt.

## Tribus verbis.

Tribus verbis, pro pauciſſimis dicere, prouerbiale eſt. D. Hieronymus in dialogo Luciferiani & Orthod. Tribus, vt aiunt, verbis rem iſtam grandem diſſoluiſti.

# CAECVTIENTIA.

## Lolio Victitant.

Lolio victitare, dicuntur luſciosi & cæcutientes. Plaut. Mirũ eſt lolio victitare te tam vili tritico. Lolium autem Plinius inter frugum peſtes commemorat, vnà cum carduis & tribulis.

## Saturniæ lemæ.

*Socrates.*

Κρονικαὶ λῆμαι. In cæcutiẽtes & ſtupidos dicitur, præſertim in eos, qui ætatis vitio deſipiſcunt. Eſt enim lema humor in oculis cõcretus, vnde lippitudo naſcitur. Porrò Saturniæ dicuntur quaſi ſeniles ac veteres, proptereà quòd Saturnus podagroſus ac ſenex à poëtis fingitur, & temporum Deus.

## Cucurbitas lippis

Κολοκύνταις λημᾷν. Id eſt Lippire cucurbitas, ad ſuperiorem adagii formam pertinet. Verba ſunt Socratis oſtendentis nubes, hoc eſt, niſi planè nihil vides, & tantas habes in oculis lemas, quantæ ſunt cucurbitæ.

## Ollas lippire.

Χύτραις λημᾷν. Prouerbialis hyperbole, proximæ ſimillima. Lucianus aduerſus ineruditum, & multos coëmẽtem libros χύτραις λημῶντες, inquit, id eſt, Ollas lippientes. Lacrymas indicans ollis æquales. Hoc adagium vtcunque, quoties ad animum refertur, fit elegantius & iucundius, veluti ſi quis hominem craſſi iudicii, ac vehementer cæcutiẽtis & turpiter errantis, dicat lippire non lemis, ſed ollis.



Ayuntamiento de Madrid

## Hypſea cæcior.

*Horatius.* Satis apparet parœmiã ab Hypſea muliere quapiam infami, notæque cæcitatis eſſe profectam.

## Tireſia cæcior.

A notiſſima fabula ſumtum. Iuuenal. Nec ſurdum, nec Tireſiam quenquam eſſe Deorum. Tireſiam prouerbiali figura pro cæco dixit. Quemadmodum Horat. Pro paupere, Irum.

Intererit multum diuéſne loquatur an Irus.

## Talpa cæcior.

*Suidas.* Τυφλότερος ἀσπάλακος. Id eſt, Cæcior talpa. De iis, qui ſupra modum cæcutiunt, aut qui minimè iudicant.

## Cæcior leberide.

*Ariſtoph.* Τυφλότερος λεβηρίδος, Eſt autèm leberis (quemadmodum oſtendimus & alibi) pellis illa ſicca, quam ſerpentes, cicadæ, & ſi quid aliud animantis genus exuunt, quoties ſibi iuuentam renouant. In hac enim apparet effigies dũtaxat oculorum, ac membranula quædam tenuiſſima, qua ſerpentum oculi proteguntur. Adagiũ trifariam refertur: Cęcior liberide, Nudior leberide, Iuuenilior leberide.

## In canis podicem inſpicere.

Ariſtophanes ἐν ἐκκλησιαζούσαις. Τούτῳ μὲν εἶπεν ἐς κυνὸς πυγὴν ὁρᾶν. Id eſt: Canis quidem hunc inſpicere iuſſi podicem. Ariſtophanis interpres admonet vulgò dici ſolere in cæcutientes.

## Cimmeriæ tenebræ.

*Lactantius.* Multam obſcuritatem aut animi caliginem, Cimmerias tenebras appellant: natum adagium à Cimmerię regionis prodigioſa obſcuritate, de qua Strabo.

## Cæca ſpeculatio.

*Suidas.* Ἀλαοσκοπή. Suidas prouerbialem dictionem admonet, quoties aut conniuent, quibus datum eſt negotium, aut ipſi nihil vident, quibus obſeruandi partes ſunt delegatæ.

## Cæcus cæco dux.

*Horatius.* Τυφλὸς τυφλῷ ὁδηγός. Adagium Euangelicis literis celebratum. Vti licebit, quoties indoctus indoctum docere, inconſultus imprudenti conſilium dare conabitur.

Ayuntamiento de Madrid

## Neque cæcum Ducem, neque amentem conſultorem.

Subaudiendum adhibeas. Diſce, ſed à doctis, Conſilium pete, ſed à conſultis.

## Palpari in tenebris.

*Ariſtoph.*

Ψηλαφεῖν ἐν τῷ σκότῳ. Id eſt, Manu tentare in tenebris. Dicuntur, qui rem obſcuris veſtigant coniecturis.

## E duobus tria vides.

Ἐκ δυοῖν τρία βλέπεις. In eos, qui vel ætate vel ebrietate, vel alio quopiam oculorum vitio, cæcutiunt.

## Puluerem oculis offundere.

*Hieronym.*

Puluerem ob oculos offundere dicitur, qui de induſtria rem obſcurat, & aduerſario iudicium eripit.

## Nox humida.

Νὺξ ὑγρά. De malis imminentibus dici ſolitum. Quemadmodum de lætiore fortuna dicimus: Exoriri lucem.

## Cæci præſcriptio.

Τυφλοῦ παρακέλευσις. Id eſt, Cæci iuſſio ſiue exhortatio, dicitur abſurda, quoties ipſe, qui præſcribit, non intelligit quid dicat. Planè conuenit homini inſigniter caliganti.

### CALVMNIA.

## Sycophanta.

*Ariſtophan.*

Συκοφάντου, Sycophantæ cognomen, vulgò probri loco tribuebatur, Conuitium prouerbiale in calumniatores, & quamuis puſilla de cauſa litem mouẽtes Plutarch. cauſam reddit libello de fugienda curioſitate.

## Theocrines tragicus.

Τραγικὸς Θεοκρίνης. Id eſt, Tragicus Theocrines. Vſurpauit hoc adagium Demoſthenes aduerſus Aeſchinem. Theocrines primùm tragœdiarum actor fuit, deinde calumniator, & ſycophanta. Vnde Demoſthenes in oratione pro Cteſiphonte, Aeſchinem, tragicum Theocrinem vocat.

## Falſum probrum.

Sententia prouerbialis eſt apud Æſchinem in oratione περὶ παραπρεσβείας: Τὸ γὰρ ψευδὲς ὄνειδος οὐ περαιτέρω τῆς ἀκοῆς ἀφικνεῖται. Id eſt: Falſum probrum non peruenit vltra aures. Qui audit conuitium, cuius ſibi conſcius eſt, gra-



Ayuntamiento de Madrid

uiter animo vulneratur. Arqui falſo probro aſpergitur, non perinde commouetur. Non enim deſcendit altiùs in animum hominis rectæ conſcientiæ.

## Hoc municeps, aut vicinus nunciauit.

M. Tullius in oratione pro Roſcio: Soletis cùm aliquid huiuſcemodi auditis, Iudices, cõtinuò dicere, neceſſe eſt aliquem municipem, aut vicinum dixiſſe. Solent enim à vicinis ac municipibus vicinorum ac municipum ſcelera potiſſimùm prodi. Quin & hodie vulgò dicunt, dedecus huiuſmodi à conterraneis, aut ciuibus oriri. Nam ſi quod fortunæ incommodum, ſi qua vitæ labes, ab illis, quoniam ſciunt, proditur.

## Albo reti aliena captant bona.

Rete Plautus accipit pro calumnia quadruplatorũ & paraſitorum. Album dixit, alludens ad codicillos & dicas, ſyngraphasq́;, quibus lis intenditur, peragiturque.

## Non eſt remediũ aduerſus ſycophãtæ morſum.

Ἀλλ' οὐκ ἔνεστι συκοφάντου δήγματος. Id eſt, Aduerſus ſycophantæ ictum non ineſt, ſubaudiẽdum φάρμακον, id eſt, remedium. Dictum eſt in calumniam, cuius morſus non ſolùm pernicioſſimus, verumetiam ineuitabilis, quòd clãcularius plerunque.

*Diogenian.*

## Argiua calumnia.

Ἀργεῖα φορά. Id eſt, Argiua inſectatio. De calumnioſis & delatoribus dici ſolitum. Nam Argiuos olim notauit antiquitas, tanquam ſycophantas & litium auidos.

## Boliti pœnam.

Βολίτου δίκην. Boliti pœnã dicũt, vbi quis de re friuola nihiliq́; plectitur. Bolitus autem Græcis ſignificat ſtercus bubulum. Porrò Solon legem tulit, quæ pœnam minabatur etiam iis, qui bubulum ſtercus furtò ſuſtuliſſent.

## Cydi pœnam debet.

Κύδου δίκην ὀφείλει. Κύδος prima correpta, conuitium ſignificat. Κυδάζειν pro eo quod eſt conuitiari. Proinde cùm quis ob rem friuolam, velut verbum aliquod temerè dictũ deferretur, vexareturq́;, cũ prouerbio dicebãt, Cydi pœnam debere. Nam antiquitus mulcta dicebatur iis, qui petulantiùs in quempiam aliquid dixiſſent.

Ayuntamiento de Madrid

## Chius.

Χῖος ἀποπατῶν. Id eſt, Chius cacans. Ariſtophanis interpres indicat prouerbio iactatum in eos, qui contaminarẽt conſpurcarentque ciuitatem: *Ariſtoph.*

## Pattæcione calumnioſior.

Παταικίωνος συκοφαντικώτερος. Ab euentu natum. Nam Pattæcion quiſpiam infamis calumniator, cui quũ mos eſſet bonis viris calumniam ſtruere, atque hoc tam fœdo quæſtu parare rem, tãdem deprehẽſus, cõuictuſque pœnas dedit capite.

## Crater litium.

Κρατὴρ κακῶν. Id eſt, Cratera malorum. De re permoleſta, ſiue de homine litium auctore. *Ariſtoph.*

## Fruſtra Herculi.

Εἰκῆ τῷ Ἡρακλεῖ, ſubaudi, calumniam ſtruxeris. De his dici conſueuit, qui ſic omnia ſua negotia gerunt, vt nemo queat, aut audeat calumniari. Nam Herculi mos erat res alienas vi abducere, non dolo. Conueniet aut in vehementer laudatum probatumque, aut in præpotẽtem, quem inſimulare tutum non ſit.

## Samij mores.

Σαμιακὸς τρόπος. Quadrabit in eos, qui ſuos quoſdam habent mores à cæterorum moribus diſſidentes.

## Abydus, Abydenus.

Abydenorum mores in prouerbium abierunt. Nam Abydeni dicti ſunt ſycophantæ, ſeu molles & effeminati.

### CARPENTIS SEIPSVM.

## Domeſticum theſaurum calumniari.

Τὸν οἴκοι θησαυρὸν διαβάλλεις. Id eſt, Domeſticum theſaurum calumniaris, ſiue traducis, id eſt, tua ipſius carpis, laceraſque. *Ariſtides.*

## Propria vineta cædere.

Vt vineta egomet cædam mea, id eſt, Vt à meipſo incipiam. Tranſlatum videri poteſt, vel ab amputantibus vineam, vel ab iis, qui per incuriam nouellas vites lædunt. *Horatius*

## Quo tranſgreſſus.

Pythagoras ſolitus eſt admonere adoleſcentes, vt quoties domum ingrederentur, hunc verſiculum ſuo cum animo verſarent. *Homerus.*



Ayuntamiento de Madrid

Πῇ παρέβην, τί δ' ἔρεξα, τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη: Id eſt, Lapſus vbi, quid feci, aut officij quid omiſſum eſt? Omnis humanæ vitæ lapſus fit in tribus potiſſimum: aut cùm ſecus quam oportet facimus, quod eſt plus quam deceat: aut quod omiſſum oportuit: aut omittimus quod erat faciendum.

CAVSSA INDEFENSA.

## Heteromolia cauſſa.

Ἑτερομόλιος δίκη. Dicitur apud Græcos, quæ ab altera dũtaxat agitur parte, nullo præſente qui cõtradicat. Vſurpabitur non ineleganter, vbi quis damnat abſentem. Veluti quum defunctorum libros carpimus.

*Lucianus.*

## Deſerta cauſſa.

Ἐρήμη δίκη. Quum nemo repugnat. Tranſlatum à iudiciis, vbi nonnunquam altera pars cedẽs tradit cauſſam aduerſario. Itaque deſerta cauſſa vincere: Eſt vincere nullo contra pugnante.

*Phocylides.*

## Ne de lite pronunties.

Τὶς ἂν δίκην κρίνειεν. Id eſt, De lite quínam iudices? Admonet autem non temerè pronunciandum de quopiam, niſi re vltro, citroque diligenter cognita, celebratur illud apud Græcos, μήτε δίκην δικάσῃς πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς. Ne de lite pronuncies, niſi vtraque audita parte.

*Ariſtoph.*

## Haud impunè vindemiam facies.

Οὐκ ἐρήμας τρυγήσεις. In eos competet, qui nullo ſeruante impunè decerpunt vuas. Solent enim vitibus & pomariis adhiberi cuſtodes, præſertim autumno, quum iam maturi fœtus furem inuitant.

*Plato.*

CEDENDVM MVLTITVDINI.

## Ne Hercules quidem aduerſus duos.

Μὴ δ' Ἡρακλῆς πρὸς δύο. Hoc eſt: Nemo vſq; adeò virib⁹ excellit, vt vnus pluribus par eſſe poſſit. Neque indecorum eſt cedere multitudini.

*Homerus.*

## Vni cum duobus non eſt pugnandum.

Affine eſt ſuperiori. Huc aluſit & Catullus in Epithalamio: Noli pugnare duobus.

*Homerus.*

## Cedendum multitudini

Qui ſuadebit non eſſe pugnandum vni cum multis,

Ayuntamiento de Madrid

adducet illud Hom. Accerſet mox ipſe ſibi crudelia fata, Si multis pugnare velit.

## Extra publicam viam ne deflectas.

*Diogenes.*

Loquendum vt plures, ſapiendum vt pauci: Ita ſunt quædam, in quibus cũ vulgo conuenire, dexteritatis eſt.

## Plurium calculus vincit.

Τῶν πλειόνων ψῆφος νικᾷ. Quoties in conſilio ceditur multitudini. Liuius: Pars, inquit, maior meliorem vincit. Plinius in epiſtolis quæritur numerari ſententias, non expendi.

## Vnus vir, nullus vir.

Εἷς ἀνὴρ οὐδεὶς ἀνήρ. Id eſt, vir quidem vnus, nullus eſt. Senſus eſt nihil egregium præſtari poſſe ab vno homine, omnium auxilio deſtituto.

## Contra duo contraria pugnare difficile.

Plato libro de Leg. 11. Ὀρθὸν μὲν δὴ, πάλαι τε εἰρημένον, ὡς πρὸς δύο μάχεσθαι ἐναντία, χαλεπὸν, καθάπερ ἐν τοῖς νόσοις, πολλοῖς τε ἄλλοισι. Id eſt, Verum eſt illud, & iam olim prouerbio celebratum, arduum eſſe aduersùm duo; eaque contraria pugnare, quemadmodum in morbis, alijsque compluribus. Significat nobis eſſe geminam pugnam, tum aduerſus diuitias, tum aduerſus egeſtatem.

## Vnus contra multos.

Apud Homerum multa in hanc ſententiam tametſi non iiſdem verbis & locis leguntur, vt in Odyſſ. Υ.

Χαλεπὸν δ' ἐρυκακέειν ἕνα πολλούς. Id eſt,

Difficile ac durum eſt vnum compeſcere multos,

Occaſionem adagij variè narrant.

### CVM AVXILIO, CITRA AVXILIVM.

## Frater viro adſit.

*Plato.*

Ἀδελφὸς ἀνδρὶ παρείη. De fido auxilio dici ſolitum, proptereà quod in rebus periculoſis, vix vnquam frater ſolet fratri deeſſe.

## Sine ope diuina nihil valemus.

Manca eſt omnium mortalium induſtria, omniſque conatus, niſi fauor aſpiret diuinus. Ad id accommodabis illud Homer. Odyſſ. Λ.

Ayuntamiento de Madrid

Πάντες δὲ θεῶν χατέουσ' ἄνθρωποι. Id eſt:
Mortalis diuûm auxilium deſiderat omnis

## Ne gladium tollas mulier

Μὴ μάχαιραν αἴρειν θῆλυ. Ne ſuſpicias negotij molem, quum nequeas auxiliari. Poteſt & in hunc trahi ſenſum, ſpem ne oſtendas, quam præſtare non poſſis.

*Plutarchus.*

## Non abſque Theſeo.

Οὐκ ἄνευ Θησέως. Quum ſignificamus rem alieno auxilio confici. Aut quum ſignificamus rerum omnium cõmunitatem ac ſocietatem. Nam Zenodotus ſcribit, Theſeum permultis viris fortiſſimis in certaminibus auxilio fuiſſe.

*Homerus.*

## Duobus pariter euntibus.

Σύν τε δύ' ἐρχομένω. Id eſt, Si duo coniuncti veniant. Locus eſt apud Homerum Iliados χ. vbi Diomedes iturus exploratum quid agant Troiani, comitem poſtulabat. Id enim fore tum iucundius, tum tutius.

*Athenæus.*

## Nihil profuerit bulbus.

Οὐδέν σ' ὀνήσει βολβὸς, ἂν μὴ νεῦρ' ἔχῃς.
Neruis carentem iuuerit bulbus nihil. Martialis:
Nil aliud bulbis, quàm ſatur eſſe potes. Bulbus autem ad irritandam Venerem valet. Licebit ad verecundiorem vſum trahere: Nihil prodeſſe ſtudiũ, ni vis adſit ingenij.

*Terentius.*

## Tradunt operâs mutuas.

Tranſlatum videtur ab agricolis vicinis, qui mutuam inter ſeſe operã commodare ſolent. Ab artificibus etiam, qui mutua nonnunquã vtũtur opera, maximè fabri ærarij.

## Alieno auxilio potentes.

Qui alienis præſidiis freti, facinus aliquod egregium, aut qui alieni prætextu nominis aliquid faciunt, in eos appoſitè torquebitur illud Homeri Iliad. Θ.
Στῆ δ' ἄρ ὑπ' Αἴαντος σάκεϊ Τελαμωνιάδαο. Id eſt,
Conſtitit Aiacis clypeo ſeptemplice tectus.

## Alieno ferox præſidio.

Si quæras innuere quòd ferox ſit quiſpiam & improba moliatur, id cum non facere domeſticis viribus fretum, verum alicuius potentioris fultum præſidio, qui clanculũ illi ſuppeditat & animũ & opem, id accõmodes licebit.

Ayuntamiento de Madrid

Iſta quidem hic nequaquam audet ſine numine, verum
Adſtat diuûm aliquis, humeros caligine tectus.

## Titanas imploras.

*Diogenian.*

Τιτᾶνας καλεῖς. Id eſt, Titanas inuocas. Vbi quis ſuis diffiſus viribus, alienum implorat auxilium. Sumptum à gigantum fabula, in qua Iupiter ſuo timens Olympo, Titanas in auxilium accerſiuit.

## Ancora domus.

Ancoram Græci pro refugio prouerbialiter vſurpare ſolebant. Denique quidquid illud eſt cui innitimur, cuiuſque fulcimur fiducia, ancoram vocant. Metaphora à nautis ſumta.

*Terentius.*

## Columen familiæ.

Donatus columen dici putat, perinde quaſi columnam dicas, cui reliqua domus imitatur. Vnde antiquitus ſeruos maiores Columellas dictos.

## Noſtro Marte.

Quoties nullius auxiliis adiuti, noſtropte ingenio, propriisque viribus rem peragimus. Aut etiam cùm noſtro periculo res geritur.

## Sine cortice nabis.

*Horatius.*

Sine cortice nare dicuntur, qui iam per ætatem non egent cuſtode morum, aut qui eo doctrinæ proceſſerunt, vt iam præceptorum opera non habeant opus. Puto prouerbium ſumtum à iuuenibus, qui quum primùm natare diſcunt, corticibus aut ſuberibus ventri ſubligatis natant, deinde exercitatiores citra huiuſmodi adminicula natare incipiunt.

## Incaprificatus es.

Ἀνεριναστος εἶ, Suidas putat dici in mollem & infrugiferum. Sunt, qui referant ad eos, qui tueri non queant id quod nacti ſunt boni.

## Multæ manus onus leuius reddunt.

Significat etiam difficilia facilè confici, ſi quis non ipſe ſolus negotium aggrediatur, ſed in plures adiutores & auxiliares manus partiatur. Sumtum à tollendis oneribus.

Ayuntamiento de Madrid

Heſiod. in opere, Ἔργα καὶ ἡμέραι.

Πλέον καὶ πλεόνων μελέτη. Id eſt:

Plus poteſt & plurium induſtria. Homerus Iliad. μ.

Ἀλλ' ἐφομαρτεῖτε, πλεόνων δέ τι ἔργον ἄμεινον. Id eſt:

Adſitis comites, multorum induſtria nanque

Plus pollet, quàm paucorum.

## Re opitulandum, non verbis.

Quum re opus eſt, nihil proſunt verba. Home. Iliad. μ.

Ἐν γὰρ χερσὶ τέλος πολέμου, ἐπέων δ' ἐνὶ βουλῇ, Id eſt:

Verbum in conſilio valet, in certamine robur.

## Chordæ vice.

*Plutarchus.*

Ὡς ἀντὶ χορδῆς. Id eſt, Tanquam chordæ loco. Conueniet, vbi quod alicubi diminutum videbatur, ſuppletum aliunde ſignificabimus.

## Viuus fueris vel cepe ſolum accipiens.

*Zenodot.*

Ζωὸς γένοιο, κρόμμυον μόνον λαβών. Id eſt, Si cepe tantùm ſumſeris, iam vixeris. In eos dici ſolitum, qui è re quapiã puſilla magnam opinionem conſequuntur. Apparet natũ ab ægroto, qui medico porrigente cepe, reualuerit: herbã alioqui plebeiam, nec eam admodùm ſalubrem corpori.

## Papyri fructus non poſtulat magnam ſpicam.

Βύβλου δὲ καρπὸς οὐκ αἰτεῖ μέγαν στάχυν. Id eſt, Byblus virés haud poſtulat ſpicam grauem. Dici ſolitum de ijs, qui dignè ſuis ipſorum bonis frui nõ poſſent, propterea quòd byblus ob culmos inualidos ſpicam granis onuſtam ferre non poteſt. Byblus autem iunci ſpecies, quàm Latini papyrum appellant.

## Si Deus voluerit.

*Iac. apoſt.*

De re futura, cuius exitus pendeat à Dei fauore. Nam etiam vulgò dicunt ominis cauſſa, Si Deus voluerit: atque ita nos loqui Iacobus apoſtolus docet.

## Meis auſpicijs.

Meis auſpiciis, pro meo arbitrio, meiſque præſidiis dixit Maro Aeneid. 4. Tranſlatum ab imperatoribus Romanis, quibus mos erat non committere prælium, niſi conſultis auſpicijs.

Ayuntamiento de Madrid

Vlpianus

## Porrigere manus.

Porrigere manus,pro auxilio eſſe,vulgatiſſimum eſt,ſed elegans. Feſtiuius erit de rebus animi: veluti ſi dicas,animo deiecto manum porrigit philoſophia.

## Sine canibus & retibus.

Ἄτερ κυνῶν τε καὶ λίνων. Id eſt, Abſque canibus & retibus. Hoc quidem ſchemate Pindarus ſignificauit ſummam celeritatem. Quis enim pedibus aſſequatur ceruos,niſi à canibus remorentur, aut implicentur retibus? Conueniet tamen in eos, qui clanculariis artibus capiunt prædam. Dicetur & in eos, qui non alienis præſidiis, ſed proprio Marte rem gerunt.

Proculus.

## Pecunia abſque peculio fragilis.

Inter agricolas prouerbium iactatum fuit. Solent autē ſenes aut agricolæ, ſummam aliquam ſupponere,ne nihil ſupereſſet,ſi res incendio,bello, aut ferro perirent. Poteſt deflecti in eum, qui felicitatis ſummam ponit non in rebus extrariis, ſed in animi bonis, vt illis caſu perditis,habeat quò confugiat, nec deſpondeat animum.

## Summa vi defendere.

Si quis alterum Summa vi tuebitur, quadrabit illud Home. Iliad.5.

Πρόσθε δ' οἱ δόρυ τ' ἔσχε καὶ ἀσπίδα πάντοσ' ἐίσην. Id eſt,
Vndique texit eum lancea,clypeoque rotundo.

## Tanquàm heros in clypeo excipere.

Ἀλλ' ὥσπερ ἥρως ἐν ἀσπίδι ξενίσαι σε βούλομαι. Id eſt, Imò tanquàm heros in clypeo te volo hoſpitio excipere. Dici ſolitum,vbi quis ſuis ipſius artibus ac benefactis fretus,de amicis bene mereri conaretur.Inde ductū, quòd antiquitus heroës aſſiduè armis agentes, velut in clypeo verſabantur,& ſi quid opus fuiſſet amicis quod armis præſtari poterat,id promptè præſtabāt,vt,pote ſola virtute diuites. Plinius.

## Citra puluerem.

Ἀκονιτί. id eſt, Citra puluerem. Græci dicunt contingere, quo quis facilè citraque negotium potitur. Tranſlatum vel ab Aphe,id eſt, à pulueris contactu, quo ſe ſpargebat in paleſtrico certamine congreſſurus.

Ayuntamiento de Madrid

## Citra arationem, citráque ſementem.

Quæ citra noſtram operam caſu nobis eueniunt ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα contingere dicunt Græci. Natum apparet adagium à fabula inſularum fortunatarum.

## Vltrò Deus ſuppeditat bona.

*Stobæus.* Αὐτόματος ὁ θεὸς ἀνίησι τὰ ἀγαθά. Id eſt, Vltro Deus ſubiicit bona: Quoties res citra noſtram operam feliciter cadunt, quaſi Deo quopiam procurante.

## Sub aliena arbore fructum.

*Liuius.* Ex aliena arbore fructum legere dicuntur, qui fruuntur aliorum laboribus. Finitimum eſt illi. Alienã metis meſſem.

## Dormientis rete trahit.

Εὕδοντι κύρτος αἱρεῖ. Id eſt, Dormienti rete capit. In eos quibus citra conatum obtingunt ea quæ cupiunt. Simile: Dormienti Dii conficient.

# CLAMOSVS.

## Septem conuiuium, nouem conuitium.

*Gellius.* Elegans vel ob ipſam παρονομασίαν ſententia, qua ſignificatum eſt in conuiuium paucos adhibendos eſſe, alioqui fore tumultuoſum atque inſuaue. Extabant antiquitùs leges, quæ præſcriberent ſimul & moderatum conuiuarum numerum, & ſumtus modicos.

## Clamoſior lauro ardente.

*Diogenian.* Μείζονα βοᾷ δάφνης χλωρᾶς καιομένης. Id eſt, Magis vociferatur, quàm laurus viridis incenſa, propterea quòd laurus adhuc virens in ignem coniecta, maximos crepitus edit.

## Vſque ad rauim.

Ἄχρι κόρου. Id eſt, Vſque ad ſatietatem. Plautus, & quidem lepidius, dixit vſque ad rauim, pro eo quod eſt, impróbè, ſæpiùs clamoſè, adeò vt vox etiam toties vociferãti rauceſcat.

## Claudiana tonitrua.

Feſtus Pompeius ſcribit ideo vocata Claudiana tonitrua, quod Claudius Pulcher inſtituerit, vt ludis poſt ſcenam factis, lapidum coniectus ita fieret, vt veri tonitrus ſimi-

Ayuntamiento de Madrid

litudinem imitaretur. Nam anteà leues admodum & paucos ſonitus fieri ſolitos, quum claui & lapides in labrum æneum coniicerentur. Dici poteſt in homines immodicè clamoſos, & odioſè obſtreperos.

Quinctil.

## Apertis tibijs.

Id eſt, Clariore voce. Tranſlatum à tibicinibus, qui quædam obturatis tibiarum foraminibus, quaſique preſſiore ſono canunt: quædam apertis tibiis, acriore ſonitu. Venuſtior erit metaphora, ſi quis dicatur apertis tibiis, inuehi in aliquem, id eſt, non clanculum obtrectare, ſed palàm inſectari.

Ariſtoph.

## Cyclobori vox.

Κυκλοβόρȣ φωνὴ. De clamoſis & vehementer obſtreperis dicebatur, aut quibus vox eſſet rauca & vitioſa. Cycloborus fluuius quidam Atticæ, ingenti ſtrepitu deflués. Vnde ductum prouerbium.

## Sarpedonium littus.

Σαρπηδονία ἀκτή. De re turbulenta rectè dixeris, ſiue de vehementer clamoſis. Eſt enim huiuſmodi quoddam littus Thraciæ Neptuno ſacrum quod aſſiduis fluctibus tunditur.

## Stentore clamoſior.

Iuuenalis: Tu miſer exclamas, vt Stentora vincere poſſit. Sumtum à fabula Stentoris, cuius meminit Homerus Iliad. ε. eique ferream, hoc eſt, inuictam attribuit vocem.

Idem.

## In clamoſos.

Inter litigandum aut diſputandum ingentem vociferationem indicabimus eo adagio, quod de Neptuno ſcripſit Homerus Iliad. Ξ.

Ὅσσον τ' ἐννεάχιλοι ἐπίαχον ἢ δεκάχιλοι
Ἀνέρες ἐν πολέμῳ ἔριδα ξυνάγοντες ἄρηος.

Id eſt,

Tantum vociferans, quantum nouies deciesue
Mille viri clamare ſolent, qui prælia miſcent.

Ayuntamiento de Madrid

*Idem.*

## Abſit clamor in colloquio, aut luſu,

Qui iubebit cōuiuio, colloquioue temperari à vociferatione, accommodabit illud Homeri Odyſſ. A.

Νῦν μὲν δαινύμενοι τερπώμεθα, μηδ' βοητὺς Ἔςω. Id eſt.

Nunc hilares cenemus, & omnis clamor abeſto.

*Zenodot.*

## Abydena illatio,

Ἀβυδηνὸν ἐπιφόρημα. Dici ſolitum vbi quis obſtrepit aut conuiuantibus, aut aliud quippiam agentibus: & tumultu moleſtiam adfert.

## Calamoboas

Antipater quum nec vellet, nec poſſet congredi comminus cum Carneade, qui magna vehementia inuehebatur in Stoicos, ſemet ad ſcribendum vertit, multosque libros edidit maledicos & ineptos, in quibus paſſim contradicebat Carneadi. Hinc vulgo cognomen adeptus eſt καλαμοβόαν, quòd non lingua, ſed calamo vociferaretur.

## Laryngizein

Λαρυγγίζειν. Græcis dicuntur, qui non loquuntur naturali modo, ſed dilatato gutture effundunt immanem vocem. Quemadmodum & canunt nonnulli.

## Columnas rumpere.

Ælianus prodidit, in Simo quondam fuiſſe animalia vaſta magnitudine. Neades vocantur, quorum voce terra rumperetur. Vnde prouerbium in clamoſos & improbè loquaces, vt poſtes & columnas dicantur rumpere.

### COMMODVM MAGNO EMPTVM,

*Ambroſius.*

## Vale carum lumen.

Χαῖρε φίλον φῶς. Dici ſolitum, vbi rei cuiuſpiam vehementer gratæ fit iactura. Huc refer alia, oculis charius: &, in oculis ferre.

### COMMODVM INTERVERSVM.

## Alijs ſementem faciunt, alij metent.

Ἄλλοι μὲν σπείρουσιν, ἄλλοι δ' ἀμήσονται. Alij quidem ſementem faciunt, alij verò metent. Alij laborant, alii percipiunt emolumentum.

## Mazam pinſuit à me piſtam.

*Ariſtot.*

Μάζαν γε μεμαχὼς τὴν ὑπ' ἐμοῦ μεμαγμένην. Id eſt, A me antè piſtam mazam iſte pinſuit. De iis dici ſolitum, qui ſibi alie

Ayuntamiento de Madrid

qui ſibi alienæ induſtriæ laudem vindicant, & magnam gloriam alieno labore partam, verbis in ſe tranſmouent. Maza cibi genus eſt ex lacte & farina, fermè panis inſtar confectum.

CONATVS.

## Omnibus neruis.

Id eſt, Summa vi, ſummoque ſtudio. Nam robur iuxta philoſophos in neruis ſitum. Vnde & neruos extendere, expedire neruos, & neruoſa dicimus, quæ vegeta, validaque, minimè languida.

## Omnem vocem mittere.

Πᾶσαν φωνὴν ἱέναι. Omnem vocem mittere dicebantur, qui nihil omittebant, quo perſuaderēt. Sumtum videtur ab incantamentis, in quibus ſi parum mouent preces adhibent efficaciora. *Cicero.*

## Omni telorum genere oppugnare.

Pro eo quod eſt modis omnibus inſectari. Cui finitimum eſt, cæſim ac punctim.

## Manibus pedibuſque.

Extremum conatum ſignificantes, dicimus, Manibus pedibusq;. Nam per manus declaratur induſtria cōficiēdi negotij, per pedes maturandi celeritas. *Terentius.*

## Pro mea virili.

Quum pollicemur nos operam noſtram præſtituros, Pro mea virili dicimus.

## Remis veliſque.

Inde tranſlatum, quod quum nauis ſimul & remigio & velo impellitur, ſummus eſt nautarum conatus. Cicero: Terra enim res eſt miſera, deteſtabilis, omni contentione, velis, vt ita dicam, remiſque fugienda.

## Anchoras tollere.

*Varro.*

Pro eo quod eſt, Moliri diceſſum. Quod genus & illud: Talaria nectere. Oram ſoluere.

## Omni pede ſtandum.

*Suidas.*

Ὅλῳ ποδί. Id eſt, Omni pede. Pro eo quod eſt, Sūma vi, ſummoq; niſu. Quinctilianus ab agricolis profectum eſſe teſtatur. *Tullius.*



Ayuntamiento de Madrid

## Toto pectore.

Quum ſyncerum & abſolutum amorem ſignificamus, toto pectore dicimus, & toto animo. Toto pectore etiam ad ſtudium diligentiamque referri poteſt.

## Cum haſta, cum ſcuto.

Σὺν δορὶ, σὺν ἀσπίδι. Vbi quis omni conatu rem aggreditur. Sumta metaphora à milite armis omnibus inſtructo. Homerus:

Haſtáque & gladio, ſaxisque ingentibus inſtant.

## Omni certaminis genere.

Cùm innuimus omni certaminis genere congreſſum eſſe, veluti ſi quis dicat: In omni diſciplina diſputatum acriter, conueniet illud ex Odyſſ. Θ.

Πύξ τε παλαισμοσύνῃ τε καὶ ἅλμασιν ἠδὲ πόδεσσιν. Id eſt.
Et pugnis pedibúſque & ſaltibus atque palæſtra.

Item, vbi quis oſtendit ſe nullum detractare certamen, ſed ad quoduis ingenij experimentum paratum eſſe.

## Surſum ac deorſum.

Terentius in Eunucho: Sex ego te toto Parmeno hos menſes quietum reddam, ne ſurſum ac deorſum curſites, id eſt, huc atque illuc. Proinde prouerbium accommodabitur vel ad omnia tentantem, vel ad omnia confundentem, vel ad diligentiam omni ex parte negotium circumſpicientis.

## Rem nouam aggredior.

Si quãdo ſignificabis te rem arduã ac nouam moliturũ, & aliis adhuc intentatã, accommodabis illud ex Odyſſ. Χ.

Nunc alium tentabo ſcopum, ſi attingere poſſim,
Quem nondum quiſquam tetigit.

## Summis vti velis.

*Ariſtoph.* Ἄκροις χρῆσθαι τοῖς ἱστίοις. In eos, Qui maximo conatu adnituntur atque incumbunt, aut qui omnem captant occaſionem. A nautis.

*Tibullus.*

## In magnis & voluiſſe ſat eſt.

Eam Angelus Politianus non inſcitè vertit Græcè:
Ἀρκεῖ δ' ἐν μεγάλοις καὶ τὸ θέλημα μόνον. Apul. in Floridis lib. 4. Maiore ſcilicet voluntate, quàm facultate. Eóque propenſiùs fortaſſe laudandus eſt, quòd omnibus bonis in

Ayuntamiento de Madrid

rebus; conatus in laude, effectus in caſu eſt. Cónuenit vbi quis maiora viribus conatus, tametſi rei ſuſceptę magnitudini non facit ſatis, tamen hoc ipſo nomine laudem promeretur, quòd rem pulcerrimam tentauerit.

## Miſcebis ſacra prophanis.

*Horatius.*

Item, Confundens fáſque nefáſque. Vnde, qui nihil habēt penſi, quíque nihil non audent: miſcent ſacra prophanis.

## Aut terra aut mari.

Plautus in Pſeudolo, aut terra aut mari dixit, pro quacunque ratione. Sumtum ab hiſtoricis qui referunt res terra maríque geſtas, & gentes terra maríque expugnatas. Cicero pro Cluentio, Cuius tantæ res geſtæ terra maríque exſtiterunt.

## Commouere ſacra.

Plautus ibidem: Commouere ſacra dixit, pro eo quod eſt extrema experiri præſida. Hinc dictũ apparet, quòd reb' deſperatis, ſoleãt homines ad Deorũ pręſidia cõfugere.

## Mare cælo miſcere.

Prouerbialis hyperbole eſt, pro eo quod eſt, omnia perturbare, nihilque non facere. Titus Liuius: Quid eſt, quòd cælo terram, terræ cælum miſceant?

## Terra, maríque.

Quoties extremum conatum ſtudiúmque ſignificamus. *Theognis.*

## Fruſtratus conatus.

Qui ſpe fruſtratus ſua nõ aſſequitur, id quod ambiebat, in hunc non incongruè torquebitur illud Homeri Iliad. Θ.

---Βαλέειν δέ ἑ ἵετο θυμὸς, Καὶ τοῦ μὲν ῥ' ἀφάμαρθ'.

Animus cupit configere telo: Verùm illum fallente manũ nõn attigit.

# CONCORDIA.

## Concordia fulciuntur opes, etiam exiguæ.

Sententia eſt prouerbialis in lib. Iliad. v. huiuſmodi:

Συμφέρτη δ' ἀρετὴ πέλει ἀνδρῶν καὶ μάλα λυγρῶν. id eſt,

Coniuncti pollent etiam vehementer inertes,

Hac conueniet vti, ſi quando ſignificabimus non eſſe contemnendam amicitiam, aut ſimultatem multorum, etiãſi fuerint alioquin imbecilles, & quorũ ſingulos quiuis facilè contemnat. Nam quemadmodum, vt ait Ouidius:



Ayuntamiento de Madrid

Et quæ non proſunt ſingula, multa iuuant. Ita quæ non lædunt ſingula, multa nocent.

## Concordia.

In abſolutam concordiam, omniumque rerum conſenſum conueniet illud:

Haud vnquam neque concio nos, neque curia dictis
Audiuit pugnare, animo, ſed ſemper eodem
Et ſentire eadem, atque eadem decernere vidit.

## Pariter remum ducere.

Qui ſimul remigant, certis numeris impellunt remos vt inter ſe conſentiant, alioqui nihil acturi. Hinc Ariſtoph. in auibus dixit, ὁμοῤῥοθῶ pro aſſentior, & eodẽ enitor quo tu. Vox cõpoſita eſt ab ὁμοῦ ſimul, & ῥοθέω impetu feror.

## Velut in cratere.

Ὥσπερ ἐν κρατῆρι φιλοτησίῳ. Id eſt, Velut in cratere philoteſio. Quo ſignificabimus res anteà turbulentas componi, ſedarique, & priùs inter ſe inimicos, in gratiam redigi. Dicitur autem crater philoteſius, quem in conuiuiis porrigunt aliis, ceu amicitiæ ſymbolum.

## Mutua defenſatio.

Mutuam complurium inter ipſos concordiam, mutuamque defenſationem notabimus non infacetè verſibus his Homericis:

Haſtas denſabant haſtis, vmbone frequenti
Vmbonem, clypeum clypeus fulcibat inhærens,
Inque vicem galeæ, galeas texêre, virum vir.

## In idem conſpirare.

Εἰς τ' αὐτὸν ξυμφῦσαι. Id eſt, In vnum conſpirare, ſeu coaleſcere. Plato de Leg. IIII. Cęterum conſpirare, ac velut equorum iugum, ſingulos in idem, vt dici ſolet, coaleſcere, multo eget tempore, eſtque perdifficile. Si iungas duos equos inter ſe ignotos, non ferunt ſeſe, tandem aſſuetudine, poſteàquàm vterque alterius halitui aſſueuerit, concordes ſunt. Itaque pariter anhelaſſe ſub eodem iugo gignit concordiam.

## Mutua defenſio tutiſſima.

Qui ſignificabit minùs eos lædi poſſe, qui concordes mutuò ſeſe defendunt, contra omnium iniuriæ obnoxios

Ayuntamiento de Madrid

illos, qui diſſident factionibus inteſtinis, accommodabit illud Homeri:

Multò turba minor periit, quòd in agmine ſemper
Mutuam opem ſibi ferre malumque arcere ſtudebant.

## Tradunt operas mutuas.

*Terentius.*

De adoleſcẽtibus, qui ſe viciſſim in peccatis defenderẽt. Translatum ab agricolis vicinis, qui mutuam inter ſeſe operam commodare ſolent. Aut ab artificibus, &c.

## Vt in velabro olearij.

*Plaut.*

Prouerbialis ſimilitudo de iis, qui cõſpirarunt, rẽq; gerunt ex compoſito. Velabrum autem, auctore Varrone, locus erat Romæ, in quo olearij diſtrahebant oleum. Mos autem erat huic hominum generi, vt inter ſeſe de pretio conſpirarent, quo pluris venderent.

### CONIECTVRAE.

## Leonem ex vnguibus æſtimare.

*Lucianus.*

Ἐκ τῶ ὀνύχων τὸν λέοντα γινώσκειν. Ex vera quapiam coniectura negotium vniuerſum perpendere, ex paucis multa, ex minimis maxima coniicere.

## E fimbria de texto iudico.

Ἐκ τῶ κρασπέδου τὸ ὕφασμα γινώσκω. Id eſt, Ex fimbria textum omne cognoſco. Hoc eſt, ex vno aliquo puſillo reliquorum facio coniecturam. Tranſlatum à negotiatoribus, qui inſpecta texti margine, facilè de reliquo iudicãt.

## E næuo cognoſcere.

E næuo cognoſcere, eſt ex re quapiam minima totum hominis ingenium æſtimare.

## De guſtu cognoſco.

*Theophr.*

Ἐκ γεύματος γινώσκω. Id eſt, Ex deguſtatione iudico, hoc eſt, ex minima experientia. Ductũ item è negotiatoribus, qui guſtato duntaxat vino aut oleo, de reliquo mox pronunciant.

## Æthiopem ex vultu iudico.

Τὸν Αἰθίοπα ἐκ τῆς ὄψεως γινώσκω. Id eſt, Æthiopem ex ipſo vultu cognoſco. Præ ſe fert quiſque aliquo ſigno cuiuſmodi ſit moribus. Præ ſe fert enim Aethiops nigrore vultus, intortis capillis, labris tumentibus, dentiũ candore patriã ſuam. Veſtem enim, non faciem mutare poteſt.



Ayuntamiento de Madrid

## De fructu arborem cognoſco.

E'κ τῦ καρπῦ τὸ δένδρον γινώσκω.Id eſt, E fœtu cognoſco arborem.E factis, hominem iudico. Quæ parœmia etiam in Euangelicis litteris extat.

## De facie noſſe.

Tullius. Eſt leuiter cognitum habere.Id ſi transferatur ad res animi,fiet venuſtius.

## Cauda de vulpe teſtatur.

H' κέρκος τῇ ἀλώπεκι μαρτυρεῖ.In eos , qui puſilla in re cuiuſmodi ſint declarant.

## Ex fronte perſpicere.

Tullius. Ex fronte perſpicere dicimur, quod ſtatim & velut ipſo protinus occurſu percipimus.

## Ex habitu bonum virum præ ſe fert.

Qui dicit ex ipſa oris figura videri probum hominem, citabit illud Homeri ex Odyſſeæ primo:

Οὐ μὲν γάρ τι κακῷ εἰς ὦπα ἐώκει. Id eſt:
Ex ſpecie minus improbus ipſa Eſſe videbatur.

## Ex ſtipula cognoſcere.

Lucianus. E'κ τῆς καλάμης γινώσκειν.Id eſt,Ex ſtipula iudicare.Quoties è veſtigiis quibuſdam in ſenecta reliquis,coniecturam facimus,cuiuſmodi quis fuerit in adoleſcentia. Tranſlata metaphora à ſegetibus.

## E' culmo ſpicam coniicere.

Euſtathius Odiſſ. xix.

E'κ καλάμης δῆλος ἐςὶν ὁ τεθερισμένος ςάχυς.

Ex culmo perſpicitur ſpica demeſſa. Etiam in ſene apparet cuiuſmodi fuerit iuuenis.

## E' cantu dinoſcitur auis.

Qualis vir,talis oratio.Iactatur vulgò ſimillimum huic: E plumis auem dinoſci,id eſt,è cultu ſpectari vitam & ingenium hominis.

## Effeminatorum etiam oratio effeminata.

E'νεισιν ἐν δειλοῖσι ἀνανδροι λόγοι. Id eſt, Inertibus viris iners oratio.Vt quiſquis eſt,ita & loquitur.

## Ex vno omnia ſpecta.

Zenodot. E'ξ ἑνὸς τὰ πάνθ' ὅρα. Admonet adagium , ex vnius

Ayuntamiento de Madrid

euentus experimento, reliquorum ſimilium coniecturam oportere facere.

## Domi coniecturam facere.

Quod non aliunde petitur, id domi fieri prouerbio dicitur. Plautus: Hanc ego de me coniecturam facio, hoc eſt, meopte experimento comperio.

## Prima facie. Prima fronte.

Sapiunt hæc quoque prouerbium, maximè quum ad res incorporeas referuntur. Prima facie, prima fronte, pro eo quod eſt, primo obtutu, & priùs quàm preſſiùs ac diligentiùs conſideres. *Quinctil.*

## Cribro diuinare. *Lucianus.*

Κοσκίνῳ μαντεύεσθαι. Eſt coniectura ſagaci rem deprehendere, aut ſtultè de rebus occultis diuinare. Apud veteres vaticinia peragebantur cribro, lauro, & tripode, durat in hodiernum diem hæc ſuperſtitio.

## Signum bonum, aut malum.

Σύμβολος ἀγαθὸς, ἢ καὶ φαῦλος. Id eſt, Signum bonum, aut certè malum. Vbi quis de re incognita diuinat incertus.

## Stellis obſignare, obelo notare. *Euſtathius.*

Ἄστροις σημειοῦσθαι ἢ ἄστροις τεκμαίρεσθαι. Id eſt, Stellis notare. Dictum de his, qui longam aut deſertam viam peragũt, adeò vt neceſſum habeant regionum ſitum, ſtellarum obſeruatione ſignare. Vnde videntur ſtellis notare viam ij, qui notulis quibuſdam & coniecturis arte deprehenſis, rem alioqui perueſtigatu difficilem inquirunt, aut aſſequuntur: qui etiam ſignis quibuſdam multò antè colligunt quid ſit euenturum. Poſteà deflexum eſt, vt ſtellis prænotare dicantur, qui quippiam velut animaduertendum inſigniunt. Cui diuerſum eſt, ὀβελίζειν, id eſt, veru prænotato, quaſi iugulare ac damnare.

## Vna hirundo non facit ver. *Ariſtotel.*

Μία χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ. Id eſt, Vnica hirundo non facit ver. Id eſt: Vnus dies non ſat eſt ad parandam virtutem, aut eruditionem.

## Omnibus veſtigiis inquirere. *Tullius.*

Πᾶσιν ἴχνεσι ζητεῖν. Omnibus veſtigiis inquirere dicitur, qui ſumma cura, ſummáque diligentia rem perueſtigat.

## Qui bene conijciet hunc vatem.

Ayuntamiento de Madrid

Admonet adagium futurorum præſcientiam non è ſortibus, aut auguriis petendam eſſe, ſed à prudentia. Siquidem qui prudentia ſit præditus, is ex præteritorum præſentiumque coniecturis facilè proſpiciet quid ſit euēturũ.

## Certum proſpicio.

Qui ſe negabit temerè, malè, ſecusue de exitu rei cuiuſpiam ſentire, ſed certis adductum argumentis, & pluribus experimẽtis obſeruaſſe, accõmodabit illud Homeri.

Οὐ γὰρ ἀπειρήτως μαντεύσομαι, ἀλλὰ εὖ εἰδώς.
Nam neque inexpertus iam diuinauero, verum
Egregiè callens.

## Rem acu tetigiſti.

*Plautus.* Pro eo quod eſt, Rem ipſam diuinaſti nihil aberrans.

## Scopum attingere.

*Lucianus.* Τυγχάνειν τοῦ σκοποῦ. Eſt voti compotem fieri, à coniectura rem ipſam aſſequi. Aberrare à ſcopo, atque id genus aliæ figuræ omnes prouerbium ſapiunt.

## Crepitu probabis.

Πλαταγῇ δοκιμάσεις, Id eſt, Plataga prouerbialis. De iis qui ridiculè explorant alterius in ſeſe animum. Sumtum à vulgari ioco puellarum, quæ impoſito pollici, medioque digito papaueris ſolio, palmam illidunt: quod ſi crepuerit, amoris argumentum eſt: ſin minùs, non amantis indicium.

## Qualis vir, talis oratio.

Seneca in epiſt. Apud Græcos, inquit, in prouerbium ceſſit, Talis hominibus fuit oratio, qualis vita.

## Quanquam non dixeris, tamen apparet è pelle.

Res ipſa redarguit mendacem, & oris habitus. Vnde illud Ciceronis: Niſi fingeres, non ſic diceres.

## Protinus apparet, quæ plantæ frugiferæ futuræ.

Et in pueris elucet indoles futuræ probitatis.

## Leonem videre, hoſtium prœlia portẽdi.

Λέοντας ἰδεῖν, δυσμενῶν δηλοῖ μάχας. Id eſt, Cernere leones, hoſtium pugnam indicat. Tranſlatum vel à ſomniorum coniecturis, vel ab obſeruantibus auguria. *Suidus.*

## Mortuos videns.

Νεκροὺς ὁρῶν, νέκρωσιν ἕξεις πραγμάτων. Id eſt, Tibi occidẽt

Ayuntamiento de Madrid

res,mortuos ſi ſomnies. Refertur à Suida,tanquàm vulgò iactatum de diuinatione, quæ ſumitur ab inſomnijs, ſuperſtitione omnium vaniſſima,id tamẽ ita dictum,quòd mors finis ſit omnium huius vitæ malorum.

## Mortuus per ſomnum, vacabis curis.

Θανὼν καθ' ὕπνους, φροντίδων ἔσῃ δίχα. Id eſt, Curis vacabis mortuus per ſomnium. Verſiculus vulgo iactatus apud Græcos.Exiſtimabant enim eum, qui ſe mori ſomniaſſet, à curis moleſtijsque liberatum iri, quòd mors finem doloribus imponere videatur.

### CONSILIVM.

## Res ſacraconſultor.

Zenodot.

Σύμβουλος ἱερὸν χρῆμα. Senſus eſt adagionis, Plurimum vtilitatis adferre bene conſulentem, aut religioſè ac purè dandum conſilium ijs quibus eſt opus.

## Suadeo quod ipſe facturus eſſem.

Quum alteri damus conſilium, quo non grauemur ipſi vti in ſimili cauſſa, conueniet illud Calypſus Odyſſ.ε.

Ἀλλὰ τὰ μὲν νοέω, καὶ φράσσομαι ὅσσ' ἂν ἐμοίπερ
Αὐτῇ μηδοίμην, ὅτε με χρειὼ τόσον ἵκοι. Id eſt:
Sentio,ſuadeboque tibi,quibus haud grauer vti
Ipſa, mihi ſimilis ſi quando occurreret vſus.

### CONTEMTVS ET VILITATIS.

## Tineas paſcere.

Tranſlatũ à veſtibus,aut libris diu reconditis & intactis.

## Homo treſſis.

Perſius treſſem agaſonem appellat contemtiſſimum homuncionem. Idem:Et centum Græcos curto centuſſe licetur, id eſt, minimo. Treſſem autem dixit nouè, quaſi tribus aſſibus æſtimandum. Aſſis autem erat ærei nũmuli genus.

## Semiſſis homo.

Horatius.

M.Tullius libro ad Atticum v. Vatinium ſemiſſem hominem vocat viliſſimum & contemtiſſimum. Simul verè ſemiſſis homo contra me arma tulit.

## Nec crepitu quidem digiti dignum.

Οὐκ ἄξια τοῦ ἀποψοφῆσαι δακτύλοις. Et geſtus is & prouerbiũ in hodiernum vſque diem manet apud noſtrates, quum

Ayuntamiento de Madrid

aiunt: Ne huius quidem facio.

## Concha dignus.

Κόγχης ἄξιος. Rem nullius pretij concham dicunt Græci, quemadmodum Latini nauci aut floccum.

## Ne ligula quidem dignus.

Dicebatur homo nequam & nullius pretij. Magis arbitror piſcis cordulæ vilitatem feciſſe locum prouerbio.

Suidas.

## Tithymallus Laconicus.

Τιθύμαλλος Λακωνικός. In lippientes, oculíſque cæcutientibus dicebatur. Tithymallus herbæ genus, apud Lacones repertum, ſingularis acrimoniæ, quo ſub noctem oculos illinebant, ad viſum acuendum.

## Semper me tales hoſtes inſequantur.

Ἀεὶ τοιοῦτοί με πόλεμοι διώκοιεν. Id eſt, Me bella ſemper inſequantur talia. Vbi quoſdam libenter odimus, ac ſimultatem eorum contemnimus Poteſt accommodari & in eos, qui deſciſcunt ab amicitia, ſed vt inimici nihil queant nocere.

## Incus maxima non metuit ſtrepitum.

Excelſus animus non commouetur minis, aut fortunæ ſæuientis procellis.

## Aquila non captat muſcas.

Αἰετὸς οὐ θηρεύει τὰς μυίας. Summi viri negligunt minutula quæpiam: Animus excelſus res humiles deſpicit. Effertur & citra negationem adagium. Aquila venatur muſcas, quoties magnis minima ſunt curæ.

Lucianus.

## Elephantus non capit murem.

Ἐλέφας μῦν οὐχ ἁλίσκει. Id eſt, Elephas non aucupatur murem. Generoſus & excelſus animus negligit prædas viles, ac lucella minuta.

## Aquila thripas aſpiciens.

Αἰετὸς θρῖπας ὁρῶν. De magnis, qui puſilla negligunt. Eſt thrips auicula quæpiam minutiſſima, quam aquila quum videat, vt eſt oculatiſſima, haud tamen dignatur perſequi, vtpote prædam vnguibus ſuis parum dignam.

## Aquilam cornix prouocat.

Αἰετὸν κορώνη ἐρεσχελεῖ. Tradunt peculiare cornicibus eſſe,

Ayuntamiento de Madrid

irritare aquilam, verùm illa negligit prouocantem, intelligens nimirum ſibi ab illa noceri non poſſe. Locus igitur adagio fuerit, ſi quando leuiuſculus quiſpiam homuncio, qui neque prodeſſe queat, neque lædere, maximis viris oblatrat.

## Aſinus compluitur.

*Suidas.*

Ὄνος ὕεται. Dictum apparet in eos, qui maledictis nihil omnino commouerentur. Quemadmodum aſinus ob cutis duritiem, adeò pluuia nihil offenditur, vt vix etiam fuſtem ſentiat.

## Suſque deque.

Apud Plautum atque alios auctores inuenitur, Suſque déque fero, & Suſque déque habeo, pro eo quod eſt. Nihil mea refert, nihil laboro. Aulus Gell. ſcribit. Suſque déque ferre, idem valere quod æquo animo eſſe, atque interdum negligere, & contemnere.

## Manum non verterim.

*Apuleius.*

Pro eo quod eſt: Nihil omnino laboro, Mea nihil refert, Nihil enim faciliùs, quàm manum vertere.

## Quod non eſt opus, aſſe carum eſt.

*Seneca.*

Hoc eſt, Quantumuis paruo emtum, tamen carum eſt, ſi opus non eſt eo. Poteſt ad complures accommodari ſententias, vt ſi quis dicat artem quampiam minimo negotio poſſe dici, quæ tamen nihil frugis ſit allatura, reſponderi poſſet: Quod non eſt opus, &c.

## Vapula Papyria.

*Sicinius.*

Dici ſolitum, ſi quando volebant ſignificare ſe negligere minas aliquorum. Sumptum ab hiſtoria Papyrij prætextati, à quo mater comminando plagas, fruſtra conata eſt exſcalpere quod actum eſſet in ſenatu.

## Aſinus eſuriens fuſtem negligit.

*Ariſtotel.*

Ὄνος πεινῶν ῥοπάλου ἀμελεῖ. In eos congruit, qui ventris compendiíue gratia, quamuis contumeliam perferunt.

## Pili non facio.

*Cicero.*

Ne pilo quidem melior, quum minimum quiddam momenti ſignificat.

## Quàm curat teſtudo muſcas.

*Suidas.*

Ὅσον μέλει τῇ χελώνῃ μυιῶν. Teſtudini nihil nocere

Ayuntamiento de Madrid

poſſunt muſcæ, propter teſtam qua munita eſt.

## Nauci non facio. Nauci facio.

Pro eo quod eſt, nihil facere.

## Flocci non facio, aut flocci facio.

Flocci facere, &, Ne flocci quidem facere. Pro eo quod eſt, Ne tantilli quidem facere.

## Ne teruntium quidem inſumſit.

Eſt aliquoties apud Ciceronem hyperbole terūtij, quod apparet eſſe genus minutiſſimi numiſmatis. Accipitur pro re viliſſima. Varro teruntium à tribus vnciis dictum putat.

*Gellius.*

## Fruſto panis.

Pro re quantumlibet puſilla, ac vili. Videtur hyperbole ſumta, vel à canibus, quos fruſto panis inuitare ſolemus, vel à mendicis.

## Nec vno dignus.

Ne vno quidem dignus, & vno dignus de viliſſimo. Tranſlata metaphora à iactu telorum.

## Cenum barbaricum.

Βόρβορος βαρβαρικὸς. Id eſt, Cenum barbaricum, pro vehementi ſtupore mentis apud Platonem lib. de Repub. ſecundo ponitur. Laudat enim illic dialecticam, quæ ſola mentem ignorantiæ immerſam erigit, attollitque à vulgaribus opinionibus, ad ſolidam veri cognitionem. Καὶ τῷ ὄντι, inquit, ἐν βορβόρῳ βαρβαρικῷ τινι τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμα κατορωρυγμένον ἠρέμα ἕλκει καὶ ἀνάγει ἄνω. Id eſt, Ac reuera barbarico quodam ceno demerſum animi oculum, paullatim trahit ſubuehítque ſurſum. Barbarus à borboro per contemtum dictum videtur.

*Feſt. Pomp.*

## Diobolares.

Quem minimi precij volumus intelligi, diobolarem olim vocabant. Obolus enim nummus erat æreus. Id primum dictum in meretrices plebeias, minimoque venales, poſt deflexum eſt ad quemuis hominem, aut rem egregiè vilem & contemnendam.

## Mithragyrtes, non daduchus.

Is qui in functione quapiam ſordidas, contemtasque partes agit, Mithragyrtes dicetur, daduchus eſſe negabitur. Eoque Iphicrates Calliam Μιθραγύρτην, οὐ δᾳδοῦχον

Ayuntamiento de Madrid

appellabat, ſignificans illum non fuiſſe initiatum ſacris, ſed tamen velle videri. Mithras apud Perſas ſol dicitur, quem illi Deorum ſummum iudicant. Vnde Mithragyrtæ dici videntur, qui obambulant cum ſimulatis myſteriis, ac rudibus imponunt. Nam & hoc genus hominum & olim fuiſſe declarat, Apuleius aſinus, non diſſimiles iis qui hodie diui Antonii, Cornelij, aut Ioannis Baptiſtæ reliquias ad quæſtum circunferunt potiùs quàm ad pietatem.

## Nummo addicere,

*Vlpianus.*

Apud Iuriſconſultos prouerbiale eſt nummo addicere, pro eo quod eſt minimo vendere.

## Non magis quàm canem.

Odium & contemtum vulgò declarant canis vocabulo. Horatius: Odit cane peius. Et Plautus in Amphitrione: Valuiſtin' vſque? exſpectatus aduenio? So. haud vidi magis. Exſpectatum eum ſalutat haud quiſquam magis, quàm canem.

## Obolo dignus.

Α῎ξιος ὀβολοῦ. Id eſt, Dignus obolo, per iocum dicebatur, qui in aliquo numero vellet haberi.

*Ariſtophan.*

## Vt luti baiuli.

Ὥσπερ πηλοφοροῦντες. Id eſt, Vt lutum baiulantes. Apud Ariſtophanem in Concionatricibus queruntur fœminæ populum Athenienſem non conuenire ad concionem niſi dato ſingulis nummo, quum antè ſuo victu conſultarent de Repub. πηλοφορίαν autem poſuit pro omnium quæſtuariarum artium ſordidiſſima. Aptè torquebitur in eos, qui functionibus honeſtis ad abiectum quæſtum abutuntur.

## Titiuilitium.

Titiuillitium vox erat olim, nullam quidem rem certam declarans, ſed velut interiectio contemtum extremum indicabat, qualis eſt apud Græcos παπαλό. Plautus: Non ego iſtuc verbum emtitem titiuillitio.

## Ne nummus quidem plumbeus.

Nummum plumbeum, hyperbole prouerbiali, pro minima pecunia ponunt. Plautus in Trin. Cui ſi capitis res ſiet, nummum nunquam credam plumbeum.

Ayuntamiento de Madrid

## Ne vmbra quidem eius nouit.

*Ariſtoph.* Adagium videtur ductum ab antiqua pictura, quæ rem duntaxat vmbris ruditer repreſentabat. Et nota eſt ſpecus Platonica in qua qui deſident, rerum vmbris oblectantur.

## Ne allij quidem caput.

*Virgil.* Οὐδ᾽ ἐσκορόδου κεφαλὴν δέδωκεν. Id eſt, Ne allij quidem caput dedit. Conueniet in ſordidum & impendio parcũ.

## Ne terra quidem iuuit.

Ne terra quidem profuit, id eſt, ne minimo quidem.

## Ne guttam quidem.

Pro minimo. Ariſtoph. At tu mihi da pacis vnam guttulam.

## Ne ramenta quidem. Ne feſtuca quidem.

Ne ramenta quidem ditior, quaſi dicas, ſtuppa ditior.

## Nihil ſacri es.

*Plaut.* Οὐδὲν ἱερὸν ὑπάρχεις. Siquidem Græci præclarum ac vehementer conducibile videri vellent, id ſacrum appellabant. Vt ſacra res conſilium: & ſacram ciuitatem dixit Ariſtides. Qui prouerbij tradunt originem, aiunt Herculem conſpecta Adonidis imagine, contemſiſſe his verbis: Nihil es ſacri. Accommodatur ad quamuis rem deſpectui habitam.

## Nihil ſanum.

*Tullius.* Summam morum corruptionem, & nullum honeſti reſpectum his verbis Græci ſignificant, οὐδὲν ὑγιές. &c.

## Homo trioboli.

*Plautus.* Pro homine nequiſſimo, planeque nullius pretii.

## E circulo. E triuio.

Hominem è triuio, plebeium & contemtum appellamus. M. Tullius, pro eo dixit, è circulo. Circulum autem vocat conuenticulum hominum in foro, aut in plateis confabulantium.

## Exiguum oboli pretium.

*Suidas.* Μικρὸν τοῦ ὀβολοῦ τίμιον. Conueniet in homines nequam, nihilique. Quanquam nihil obſtat quominus ad rem contemtam transferatur.

*Galenus.*

Ayuntamiento de Madrid

## Ἀθερίζειν.

Græcis ἀθερίζεται, Quod reijcitur, ac nihil fit. Tranſlatum à ſummis hordei ſpicis, quæ cuſpides habent.

## Holerum appoſitiones.

*Diogenes.*

Ἀ'ι τῷ λαχάνων προσθῆκαι. Id eſt, Holerum additamenta. De re nullius momenti.

## Multa Syrorum holera.

*Plinius.*

Πολλὰ Σύρων λάχανα. Dicetur aut in magicæ artis peritos, & herbis maleficis eam exercentes, aut in eos, qui rebus vilibus abundant.

## Huius non facio.

Terent. in Adelph. Huius quidquam non faciam. Donatus admonet eſſe demonſtrantis, aut floccum, aut ſtipulam, aut ſummum digitum, aut huiuſmodi quippiam.

## Quatuor obolis non æſtimo.

Τεττάρων ὀβολῶν εἶναι οἴει, Quatuor obolorum eſſe puta. Simile illis, Aſſis te non facio, & Dupondij non facio, & Teruncii non facio, &c.

## Tricæ, Apinæ.

Tricas & Apinas vulgò res futiles ac nugatorias dicebant. Martialis: Quæcunque luſi iuuenis & puer quondam, Apinaſque noſtras. Idem: Sunt apinæ tricæque, & ſi quid vilius iſtis. Vnde & Triticari ſimili figura dicebant, Nugas agere.

## Nebulæ in pariete.

*Auſonius.*

Pro re nihili, ſomniique ſimillima. Nam nebula res eſt inanior, quàm vt coloribus exprimi queat.

## Trium litterarum homo.

Per ironiam dici poteſt in eum, qui generoſus ac ingenuus videri cupiat. Inde natum quod olim ingenui nomen, prænomen, & agnomen in litteris aut inſignibus ſuis, tribus litteris notare ſoleant, vt pro Quinto Valerio Maximo. Q. V. M. Plautus in Aulularia iocum aliò detorſit nempe in ſeruum furacem. Subijcit enim: Etiam fur trifurcifer.

## Vitioſa nuce non emam.

Apud Plautum eſt, Vitam tuam vitioſa nuce non emam, pro eo quod eſt, Ne minimo quidem.

Ayuntamiento de Madrid

## Caſſa glande.

Simillimo tropo. Plaut. in Rud. dixit caſſam glandem, pro vitioſa glande, & inani putamine.

*Philoſtratus.*

## Etiam corchorus inter holera.

Καὶ κόρχορος ἐν λαχάνοις. Dici ſolitum in homines nullius pretij, qui tamen in numero aliquo ſtudent haberi. Nam corchoros holeris genus eſt viliſſimi.

*Euripides.*

## Inter doctos etiam Corydus ſonat.

Ἐν ἀμούσοις καὶ Κόρυδος φθέγγεται. Id eſt, Inter amuſos etiam Corydus ſonat. Quadrabit in quoſdam, qui apud idiotas audent ſeſe velut eruditos vendicare, inter doctos alioqui elingues. Corydus viliſſimum auiculæ genus, minimèque canorum? ſtrepit tamen vtcunque inter aues mutas.

## Mandare laqueum.

Mandare laqueum, dicimur ijs, quos vſque adeò negligi à nobis ſignificamus, vt ſi vel ſuſpendant ſeſe, nihil ad nos attineat,

*Horatius.*

## Medium oſtendere digitum,

Medio item digito oſtenſo, ſupremum contemtum ſignificabant. Martial. Atque illi digitum porrigere medium. Nam hunc digitum Martialis impudicum vocat, oſtendit digitum, ſed impudicum.

## Minimo prouocare.

Eſt contemtum ad certamen prouocare. Sumtum à geſtu prouocantium ad pugnam, minimo digito porrecto.

## Antehàc putabam te habere cornua.

Πρὸ τούτου σε ᾤμην κέρατα ἔχειν. Id eſt, Antehàc credebam tibi eſſe cornua. De iis, qui prius habiti fortes ac ſtrenui, poſteà quum res virum poſtulat apparent ignaui. Vnde & Comicus cornutam beſtiam vocat hominem paratum ſe defendere.

*Tullius.*

## Plumbeo iugulare gladio.

Eſt futuli leuique argumento conuincere, quępiam nihil facilius retunditur quam plumbum.

*Lucillius.*

## Hoc noueram, priùs quàm Theognis natus eſt.

Quo rem

Ayuntamiento de Madrid

Quo rem frigidam & ineptam ſignificabant. Apparet ſumtum à Theognide Tragœdiarum ſcriptore, quem frigidiſſimum fuiſſe teſtatur Suidas, &, ni fallor memoria, Plato.

## Locrenſis bos.

Λοκρικὸς βοῦς. De re vili, aut de munere leuiculo dici poteſt. Quum aliquando Locrenſes publicum ſacrum facturi, bouem deſiderarent, compoſito ex minutis lignis, bouis ſimulacro, diis rem diuinam fecerunt.

## Scarabei vmbræ.

*Diogenian.*

Κανθάρου σκιαί. Dictum de inani metu, quòd hoc inſectum repentè aduolans, non nunquam terrere ſoleat parum attentum.

## Scraptæ.

*Plautus.*

Populari cõuitio dicebantur mulieres nugaces, nulliusque rei, à ſcreo, quod eſt oris purulentiam eiicio cum ſonitu. Quadrat in anus ſubinde ſcreantes, & tuſſientes. Screa pro rebus viliſſimis accipiebant.

## Bos Homolottorum.

Βοῦς ὁμολοττῶν: Dicebatur in plurima diſtractus, ac veluti diſſectus negotia. Poterit & ad rem referri, vt ſi quis argumentnm nimis minutatim diuidat, ita vt conſcindere, & concerpere magis quàm diuidere videatur. Zenodotus prodidit Homolottos populos diſſecto in minimas particulas boue, fœdus iungere.

## Septimus bos.

*Suidas.*

Ἕβδομος βοῦς. Olim in ſtupidos, brutosque dicebatur. Id hinc ortum eſſe tradunt, quòd antiquitùs poſt ſextam lunam, bouis imaginem è farina pinſere conſueuerint, qui ſeptimam lunam cornibus referrent.

## Generoſus ex crumena.

Γενναῖος εἰ ἐκ βαλαντίου. In eum iaciebatur, qui propter opulentiam generoſus haberi voluiſſet, alioqui obſcurus & humilis.

## Attagen.

Ἀτταγάς. Suidas indicat hoc cognominis, prouerbiali ioco dici ſolere in ſeruos ſtigmaticos, quod hæc auis plumas habeat varijs colorum notis diſtinctas.



Ayuntamiento de Madrid

Zenodot.

## Sale emtum mancipium.

Α᾽λώνητοι ἀνδράποδοι. In barbarum quempiam ac vilem homuncionem olim dicebatur. Nam negotiatores olim in mediterranea ſalem importantes, mancipia reportabant à barbaris.

Tullius.

## De lapide emptus.

In viliſſimũ & vehemẽter obſcurum hominem dicebatur.

## Siculus miles.

Σικελὸς ϛρατιώτης. Conueniet in hominem, lucri gratia nullum miniſterii genus recuſantem.

Zenodotus.

## Imi ſubſellij.

Viri appellantur paraſiti, qui ita in conuiuium admittuntur vt imo ſedeant loco. Quadrabit etiam in tenues conuiuas, quos recipiunt diuites, ſed infimo loco. Similes: Infra claſſem, Extremæ claſſis, Infimæ notæ.

Suidas.

## Seruorum ciuitas.

Δούλων πόλις. De cætu, conuictuque hominum improborum, furacium, aut ignobilium dici poteſt. Eſt hoc nomine ciuitas quæpiam in Lybia, in hanc ſi quis ſeruus lapidem importaſſet, liber fiebat, etiam ſi peregrinus fuiſſet.

## De fæce haurire.

Tullius. Pro eo quod eſt ſordida quæpiam ac plebeia, nimisque humilia perſequi.

Ariſtoph.

## Carica muſa.

Καρικὴ μοῦσα. Καρικὰ αὐλήματα. Id eſt, Caricæ cantiones. De lugubri, ruſtica, atque indocta, ſeu moleſta cantione dici ſolitum. Propterea quod, vt tradit Athenæus, Cares in luctu tibiis vti ſolent magnitudine palmi, lugubre quiddam, & ſtridulum ſonantibus.

## Aſinos non curo.

Τῶν δ᾽ ὄνων οὔ μοι μέλει. Id eſt, Cæterùm aſinos nil moror. Congruit in eum, qui domeſticis contentus opibus, non quærit aliena. Nam cui plauſtrum eſt domi, huic non eſt opus aſinis conductitiis.

## Pomarius Hercules.

Suidas. Μήλιος Ἡρακλῆς. Per contemtum dicebatur in eum, qui nomen quidem magnificum gereret, cæterùm opibus

Ayuntamiento de Madrid

nullis, nullaque potentia pollens. Narrat Suidas cum ruſtici Herculi bouem eſſent immolaturi, is rupto ſune profugiſſet, nec eſſet quod ſacrificaretur, malum arreptum ſuppoſitis quatuor ramis, cruris vice: dein additis alteris duobus ceu cornibus, bouem vtrinque imitati. Idque ridiculum ſimulachrum pro victima ſacrificarunt Iullius Pollux aliter narrat.

## Malum Hercules.

Μῆλον Ἡρακλῆς. Dici conueniet, vbi quis munuſcula quamtumuis puſilla boni conſulit. Affine ſuperiori. *Zenodotus.*

## Munus leuidenſæ.

Cicero vocat munus vile, minimíque precij. Seruius oſtēdit Leuidēſā veſtis eſſe genus vile, raro, tenuíque textu.

## Cicernus Bacchus.

Ἐρεβίνθιος Διόνυσος. De re vehementer contemta. Sumtum à potu ex leguminibus confecto, qui vinū imitatur.

## Ollaris Deus.

*Zenodotus.*

Χυτρεὺς θεός. Dicebatur in hominem humilem, & contemtæ ſortis. Magni Dij, ebore, auro, & argento ſculpebantur. At plebei illi, & minutuli, quod generis ſunt, Silenus, & Priapus, qualibet materia fingebantur, ligno nonnunquā & luto, quo videlicet argēto finguntur & ollæ. *Seneca.*

## Soterichi lecti.

De re vili, priſcáque, & minimè ambitioſa & rudis artificij. Conijcere licet Soterichum fabrum fuiſſe quempiam, cuius opera priſcam illam, & rudem ſimplicitatem ptæ ſe tulerint. *Ariſtoph.*

## Cecidis & Buphoniornm.

Τὰ Κηκείδου καὶ βουφονίων. De re magnopere priſca, & ob vetuſtatem iampridem obſoleta, deſuetaque. Siquidem Cecides peruetuſtus quiſpiam Dithyramborum poëta fuit, cuius ſcripta iam ſitum olebant. Item buphonia feſtum quoddam erat, apud Athenienſes ob vetuſtatem neglectum iam ac deſitum, ſic appelatum à cæde boum.

## Ficulnus.

Lignum ficulnū vt fragile, atque ad omnia fermè inutile prouerbijs aliquot locum dedit. Nam ἀνὴρ σύκινος, virum ficulnum appellant, mollem atque inutilem.



Ayuntamiento de Madrid

*Theocritus.*

## Ficulnus gladius.

Συκίνη μάχαιρα. De triuola cauſſa dici poteſt, quæque minimo negotio queat refelli. Dictus eſt autem ficulnus gladius ſycophanta, quòd mollis ſit, & calumniator.

*Plautus.*

## In foribus vrceum.

Ἐπὶ θύραις τὴν ὑδρίαν. Id eſt, In foribus aqualem. Significat rem contemtam ac vilem. Negliguntur enim quæ paſſim ſunt obuia, quæque facilè quibuſlibet contingunt. Itaque vrceum in foribus poſitum, nemo ſtudet tollere.

## Ficum Mercurio.

Σῦκον ἐφ' Ἑρμῇ. De promto, & quibuſlibet expoſito beneficio dicebatur. Nam antiquitus mos erat, ſicubi ficus ereptus fuiſſet, eum veluti Mercurio ſacrum ſuſpendere. Liberum autem erat tollere ficum Mercurialem.

*Hieronym.*

## Merx vltronea putet.

Id eſt, Ingrata ſunt quæ vltrò, non petentibus offerũtur.

## Numerus.

Homines nullius bonæ rei, numerus, prouerbio dicuntur, etiam idiotis. Horatius: Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati.

*Homerus.*

## Telluris onus.

Γῆς βάρος. Id eſt, Terræ onus, De homine vehementer inutili, qui nihil aliud, quàm terram ſuo pondere grauat.

## Abominandus ſcarabeus.

Μύση κανθαρὶς. Id eſt, Abominanda cantharis. De viliſſimo homine dicebatur. Cantharides vermiculi ſunt lethali veneno. Quanqam hoc loco magis conuenit, vt ſit diminutiuum à cantharo ſcarabeo, quaſi dicas ſcarabeolus. In ſacris quoque litteris, vermis abiit in prouerbium contemtus: Ego ſum vermis, & non homo.

## Ætnæus ſcarabeus.

De magnis & fœdis. Ætnæum autem dixit, quaſi prægrandem, vel quòd in Ætna varij, maximíque ſcarabei ſint: Vel Ætnæos dicit, tanquam inſtar Ætnæ montis maximos. Porrò ſcarabeus è ſtercore, vt naſcitur, ita paſcitur.

## Minùs de iſtis laboro, quàm de ranis paluſtribus.

Ayuntamiento de Madrid

Qua ſignificamus nihil omnino ad nos pertinere negotium. Rectè dicetur in obtrectatores, quorum obloquutiones dicemus nos fortiter contemnere. Siquidem ranæ, tametſi aſſiduè obganniant, oblatrentque prætereuntibus, & odioſam illam cantionem iterent, ſine fine βρεκεκεκὲξ κοὰξ κοὰξ, tamen nemo commouetur.

## Indus elephantus non curat culicem.

Κώνωπος ἐλέφας Ἰνδὸς οὐκ ἀλεγίζει. Id eſt, Culicem haud curat elephantus Indicus. Dictum eſt autem ob ſingularem duritiem cutis elephantinæ, quæ fertur etiam iacula excutere.

## Cochleare creſcit. Chryſi.

Δοίδυξ αὔξει. Dici ſolitum in puſillos homunciones per ironiam. Nam cochleare puſillum eſt, & contortum.

## Connæ calculus. Ariſtoph.

Κόννου ψῆφος. In hominem, aut rem nihili, nulliusque momenti. Conna citharœdus, ſiue vt quidã volunt Lyriſta, ex eorum numero, qui citra vocem organo canebãt.

## Inertium chorus.

Ἀργύντων χόρος. Id eſt, Feriatorum chorus. De cætu laſciuientium dicebatur. Otium enim ad omnem nequitiam impellit, præcipuè iuuentam.

## Megarenſes neque tertij, neque quarti.

Μεγαρεῖς οὔτε τρίτοι, οὔτε τέταρτοι. Dicebatur olim in homines ſupra modum ignauos, & contemtos, nulloque honore dignos. Natum adagium ex oraculo quodam, &c.

## Ruſticanum oratorem ne contemſeris. Diogenian.

Ἀγροίκου μὴ καταφρόνει ῥήτορος. Id eſt, Ruſticanum ne contemſeris rhetorem. Admonet adagium, ne quem ob imperitiam infantiamúe faſtidiamus. Neque ſpectes à quo quóue pacto dicatur, ſed quid.

## E' flama cibum petere.

Terentius in Eunucho dixit in paraſitum, eiuſmodi eſſe vt vel è flama cibum peteret. Hoc eſt, quiduis cibi cauſa paſſurum, facturumque.

Ayuntamiento de Madrid

## Myſorum poſtremus.

Μυσῶν ἔσχατος. Id eſt, Myſorum extremus. Strabo refert Myſorum populum vſque adeò contemtum fuiſſe, vt prouerbio locum fecerit. Summum itaque deſpectum, & infimam humilitatem hoc adagio, ſignificabimus.

## Caricus hircus.

Καρικὸς τράγος. Diogenianus indicat dictitatum de vilibus, & contemtis. Carum populus, quòd paſſim in bellis mercenariam locarent operam, ceu vili vita, in contemtus prouerbium abiit, vnde & Plato καρικὸν ἄνθρωπον, Id eſt, Caricum homuncionem dixit pro vili, nihilique.

*Horatius.*

## Indoctior Philonide.

Απαιδευτότερος Φιλωνίδου. Hic melitenſis erat prægrandi corpore, cæterùm inſulſus & indoctus.

*Ariſtoph.*

## Calabri hoſpitis xenia.

Calabri hoſpitis xenia, & munera rectè dixeris ruſticana leuiaque, quæque magis onerent accipientem, quàm iuuent. Siquidem Calabri, quòd pyris abundent, conſueuerunt ea hoſpitibus affatim apponere, deinde ſaturos, bellariorum vice domum afferre iubent.

*Zenodot.*

## Principatus Scyrus.

Ἀρχὴ σκυρία. Id eſt, Imperium Scyrium, De frigido tenuique regno. Scyrus inſula, quam olim coluere Cares petricoſa, & infrugifera.

## Ciceris emtor.

Horatius in arte poëtica; Ciceris & nucis emtor. Infimæ ſortis hominē, déque ima plebe quempiā ſignificās.

## Cubito emungere.

Ἀγκῶνι ἀπομυσσόμενος. Id eſt, Cubito emungens. Prouerbialis ironia in hominem ſordidi quæſtus, & conditionis abiectæ. A ſalſamentariis ducta.

*Suidas.*

## Canis viuens è magdalia.

Κύων ζῶν ἀπὸ μαγδαλίας. Dici ſolitum in paraſitos, & alieno victitantes cibo. Magdaliam dicit, quaſi dicas furfurem & manuum purgamentum.

## Non eſt curæ Hippoclidi.

Οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ. Hoc adagio ſignificabant ſe quippiā negligere, neque magnopere laborare. Hic Hip-

*Herodot.*

Ayuntamiento de Madrid

poclides erat Tiſandri filius, qui cum multis aliis iuuenibus Cliſthenis Sicyonij filiam ambiebat. Verùm quum Cliſthenes procos toto anno probaret, & Hippoclides in conuiuio indecoram quandam ſaltationē edidiſſet, ſublatis in altū pedibus, pater offenſus inhoneſto iuuenis luſu, ait: Fili Tiſandri, à nuptiis tua ſaltatione excidiſti. At illi protinus reſpondit Hippoclides: Haud curat Hippoclides.

## Non admodum miſces.

Οὐ μάλα κυκᾷς. Id eſt, Non multum potes, neque prodeſſe neque nocere.

## Alga vilior.

Vilior alga. Poëta dixit, pro viliſſima & abiectiſſima quauis re. Alga piſcis genus, ipſa vilitate notum. *Virgilius.*

## Contemnentis inimicum.

Qui negabit ſe commoueri conuitiis alicuius hominis contemti, non inſcitè deflexerit illud Home. Iliad. Α.

Οὐκ ἀλέγω, ὡς εἴ με γυνὴ βάλοι ἢ πάις ἄφρων.
Κωφὸν γὰρ βέλος ἀνδρὸς ἀνάλκιδος οὐτιδανοῖο. Id eſt,
Haud curo magis, ac ſi femina, ſiue quis infans
Me iaculo peteret, ſiquidem viri inertis, & ipſa
Irrita tela volant.

## Indignus qui illi matellam porrigat.

*Martialis.*

De vehementer inæqualibus, aut ne vlla quidem ex parte conferendis: Qui erāt viliſſimo loco ſerui, domino matellā porrigebant: alij vt digniores miniſteriis dignioribus addicebantur.

## Contemnentis dicterium.

*Homerus.*

Si quando ſignificabimus nos ſcommate ſeu cōtumelia leuiter commoueri, nec altiùs in animum dimittere, congruet illud Homeri Iliad. Δ.

Οὐκ ἐν καιρίῳ ὀξὺ πάγη βέλος, ἀλλὰ πάροιθεν
Εἰρύσατο ζωστήρ τε παναίολος ἠδ' ὑπένερθεν
Ζῶμά τε καὶ μίτρη, τὴν χαλκῆες κάμον ἄνδρες. Id eſt,
At miſſum non tranſiit ad vitalia telum.
Sed ſumma in cute baltheus arcuit, impoſitóque
Lamineæ ſquamæ, quas huic faber addidit ære.

## Tanquàm conchylium diſcerpere.

Ὥσπερ κογχύλιον διελεῖν. id eſt, Tanquam conchā, dilace-

h iiij

Ayuntamiento de Madrid

*Suidas.* rare. De imbecillis, & viribus lōgè inferioribus dicebatur.

## Tragicus rex.

Τραγικὸς βασιλεύς. Dici poteſt, vel qui nomine duntaxat rex ſit: cæterùm viribus parum polleat. Nam in tragœdiis tantiſper durat imperium, dum fabula peragitur.

## Vterque ambo.

Ο᾽ μὲν ἑκάτερος ἀμφότερος, ὁ δ᾽ ἀμφότερος οὐδέτερος. id eſt, Vterque ambo, ambo neuter. Quadrabit in duos aliquos, quorum alterius nequitiam, alterius probitas compenſat.

## Βατταχάρας.

*Eudemus.* De pinguibus dictum & impotentibus. Nam Græca vox hinc dicta, eſt. βατὸς pronum ſignificat, & χαρά caput. Conueniet in temulentum, & ſomnolentum.

## Pannus lacer.

*Lucianus.* Hominem tam faſtiditum, & reiectum ῥάκος πολυσχιδὲς appellant Græci, id eſt, pannum vndique lacerum. Sumta metaphora à veſte, longo vſu detrita, atque ob id reiecta, quum noua fuerit in pretio.

## Quis vſus cepis putridi?

Τίς χρεία πυθομένου κρομμύου; Id eſt, Quis vſus putrefacti cepis? De rebus aut etiam hominibus abiectis, & quorum nullus vſquam eſt vſus. Etenim quum cepe ſit herba per ſe viliſſima, ſimulatque computruit, nihil abiectius.

## Inutilior blace.

Βλακὸς ἀχρηστότερος. In hominem nihili, nulliúſque bonæ frugis dicebatur. Sumtum à piſce, vſque adeò vili, vt à canibus quoque faſtidiatur.

## Extritum ingenium.

*Horatius.* Παρεξηυλημένον νοῦν ἔχων. Id eſt, Mentem habens euanidā. παρεξηυλημένον perinde ſonat, quaſi dicas extibiatam, ducta metaphora à tibiarum linguis, quæ poſteà quàm exciderint, inutilis eſt tibia.

## Barbam vellere.

Quum ſummum cōtemtum ac ludibrium ſignificamus. Horat. in Serm. Barbam tibi vellunt Laſciui pueri. Perſius: Iccirco ſtolidam præbet tibi vellere barbam Iuppiter.

## Nihili cocio eſt.

Dictum videtur in eos, qui pollicentur in futurum, nec

Ayuntamiento de Madrid

exhibent rem præſentem. Gellius cocionem dixit, quem veteres ariolatorem dixerunt.

## Non pluris quàm ſimias.

Simia ridiculū animal eſt, vulgóq; cōtẽtū. Dion Pruſenſis: Quos ego, inquit, nō pluris facio, quā, vt dici ſolet, ſimias.

## Fumi vmbra.

Καπνοῦ σκιά. Pro re quamlibet vili. Quum omnis vmbra res quædam eſt inanis, tum verò fumi vmbram penè dixeris vmbram vmbræ.

## Fulgur ex pelui. *Diogenian.*

Ἀστραπὴ ἐκ πυέλου. De minis inanibus eorum qui lædere nequeunt: fulgor enim, qui fulguris imitatione quadam è vaſculorum nitentium vibratione, aut ex aquis redditur, nocendi vim nullam habet, pueros modò territat.

## Oppedere, & oppèdere contra tonitrua.

Oppedere, prouerbialiter pro reclamare & cōtẽnere reperitur vſurpatū. Horatius, Vin' tu curtis Iudęis oppedere?

## Dionis gry.

Τὸ Δίωνος γρῦ. Rectè dicetur, aut vbi quempiam magno animo comtemnimus, ac ne reſponſo quidem dignum habemus, aut cùm rem nihili ſignificamus.

# CONTAGIO MORVM.

## Ne guſtaris quibus nigra eſt cauda. *Pythago.*

Μὴ γεύεσθαι τῶν μελανούρων. Id eſt, Ne guſtes ex iis, quibus eſt nigra cauda. Admonet non eſſe habendum commerciū cū improbis, & cum iis qui ſunt nigris & infamibus moribus.

## Oſcitante vno, deinde oſcitat & alter.

Ἑνὸς χανόντος, μετέχανεν ἅτερος. Id eſt, Cùm oſcitat vnus, ſtatim oſcitat & alter. Dicendum quoties exemplo peccati ſtatim prouocatur aliquis ad ſimile facinus. Fit quadam occulta naturę vi, vt qui viderit oſcitantem, cogatur & ipſe oſcitare.

## Corrumpunt bonos mores colloquia praua.

Eodem pertinet ille Menandricus ſenarius, quem Diuus Paulus Apoſtolus haudquaquam grauatus eſt in prima Corinthiorum epiſtola citare: Mores bonos conuictus inficit improbus. Celebratur & hic ſenarius à Græcis.

Κακοῖς ὁμιλῶν κ' αὐτὸς ἐκβήσῃ κακός, Id eſt,

Malus ipſe fies, ſi malis conuixeris.

Plutarchus. Si iuxta claudum habites, ſubclaudicare diſces.

Ἂν χωλῷ παροικήσῃς ὑποσκάζειν μαθήσῃ. Id eſt. Si iuxta claudum habitaris, diſces ſubclaudicare. Prouerbium admonet pernicioſam improborum hominum conſuetudinem, propterea quod cùm corporis, tum maximè animi vitia contagio ſerpunt in vicinum, &c.

A bonis bona diſce.

Ariſt. Moral. IX. oſtendens virtutem optimè diſci conuictu bonorum, quòd amici ſe mutuo corrigunt ſi quid erratum eſt, & ſeſe viciſſim ad honeſtas excitant actiones, citat Theognidis verſum.

Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ διδάξεαι. Id eſt,

Qui bonus eſt, ab eo bona diſcito.

CONTRA.

Liuius. Cantherium in foſſa.

Ruſticum adagium, ſed tamen è re militari natum. Hoc licebit vti, quoties quis ad id negotij trahitur, in quo nequaquam valeat, aut vbi res erit vehementer impedita, periculoſáue.

In puteo conſtrictus.

Plato. Quadrabit in eos, qui per anguſtias eò redacti ſunt, vnde extricare ſe nullo modo poſſint.

Nunc meæ in arctum coguntur copiæ.

Terentius. Metaphora ſũta ab exercitu, qui laborat iniquo cõcluſus loco, & vndiq; obſidetur ab hoſtib⁹, vt difficile ſit effugere.

Inuita Minerua.

Pro eo quod eſt, Refragante ingenio, repugnante natura, non fauente cælo. Cic. I. Offic. Inuita, vt aiunt, Minerua. Horat. Tu nihil inuita dices, faciéſue Minerua. Seneca dixit malè reſpondere coacta ingenia.

CONTRARIVM PHILAVTIAE.

Non eſt beatus, eſſe qui ſe neſciat.

Senſus eſt, Haud eſſe ſatis, vt adſit felicitas, ni felicitatem tuam intellexeris. Virgilius:

O fortunatos nimium, bona ſi ſua norint, Agricolas.

Theophraſt. Ἄζηλος πλοῦτος.

Vocabatur, cùm quis ſuas dotes ignoraret. Porrò felici-

Ayuntamiento de Madrid

tatis non minima pars eſt, vt quiſque ſua norit bona.

### CORRECTIO DICTI, AVT FACTI.

### Corrigentis quod dictum eſt ab alio.

Vbi ciuiliter notabimus aliquem, tanquàm haud ex animi ſententiæ loquutum, aut vbi quid dictum ſit parum honeſtum, in hunc torquebimus verſiculum Homeri Iliad. μ.

Οἶσθα καὶ ἄλλον μῦθον ἀμείνονα τοῦδε νοῆσαι. Id eſt,
Sermonem hoc alium potiorem adducere noſti.

### Correctio dicti.

Dictum obſcœnius & bonis viris reticendum, aut abſurdum dictum notabimus hoc verſiculo ex Iliad. Σ.

Μῦθον, ὅν οὐ κὲν ἀνήρ γε διὰ στόμα πάμπαν ἄγοιτο,
Ὅς τις ἐπίσταιτο ᾗσι φρεσὶν ἄρτια βάζειν. Id eſt,
Sermonem, quem vix nemo vnquam promat ab ore,
Qui modò cognorit cordata & ſana profari.

### CRVDELITAS.

### Manliana imperia.

Rectè congruit in hos, qui ſæuiunt in eos, in quos ius nacti ſunt, & qui nimis rigida iuris obſeruatione humanitatis, & æquitatis obliuiſcuntur. Liuius & Valerius narrant Lucium Manlium, filium occidiſſe, propter edicti tranſgreſſionem.

### Opera Syloſontis ampla regio.

*Strabo.*

Ἔκητι Συλοσῶντος εὐρυχωρία. Id eſt, Per Syloſontem regio facta eſt amplior. Nam Syloſon munificentia Darij, mortuo Polycrate, Samiorum adeptus tyrannidem, quum acerbiùs exerceret imperium, ita vt ferè ſolent ij, qui ab humili fortuna repentè ad res amplas prouehuntur, & ob hanc cauſſam inſula deſereretur ab incolis, prouerbio dici cœptum, Spatioſa regio eſt Syloſontis gratia. Conueniet in acerbè gerentem magiſtratum, cuius vitio deſeratur ab incolis regio.

### Phalaridis imperium.

*Lucianus.*

Φαλάριδος ἀρχή. Id eſt, Phalaridis principatus. Rectè dicetur in eos, qui crudeliùs exercent imperium, aut poteſtatem ſibi delegatam. Ortum adagium à Phalaride Agrigentinorum tyranno, quem ſua crudelitas nobilitauit.

Ayuntamiento de Madrid

## Omnium quos ſol videt.

Sunt & illæ figuræ prouerbiales : Omnium quos terra ſuſtinet, aut quos ſol videt peſſimus, optimúſue. Plautus in Sticho:Meliorem neque tu reperies, neque videt ſol.

## Omnis herus ſeruo monoſyllabus.

Πᾶς δεσπότης δούλῳ μονοσύλλαβος. Heris & potentibus, breuiſſimo tantùm verbulo eſt opus, vt vel annuant, vel renuant : Sic volo, ſic iubeo, ſic pro ratione voluntas.

## Budoro more.

Βουδόρῳ νόμῳ. Aut vt alibi reperio, βουδόρων νόμῳ, id eſt, Budororum more, ſeu lege. Suidas interpretatur de iis, qui digni ſint, vt bouis ritu excorientur. Budini populi ſunt Scythiæ, ſic appellati, quòd à bubus vehantur, vtpotè plauſtris ædium vice vtentes.

## Lemnia manu.

Λημνία χειρί. Dictum pro eo quod eſt, nefaria, impia, crudeli. Vide prou. Lemnio malo.

## Crudelis Bacchus.

Ὠμηστὴς Διόνυσος. Baccho quondam viuos homines ſacrificari mos erat. Vnde in crudeles conuenit, ſiue quòd temulentia feroces reddat, & immites.

*Ariſtoph.*

## Non magis parcemus, quàm lupis.

Οὐ φεισόμεσθα μᾶλλον, ἢ λύκων. Id eſt, Haud magis parcemus ac lupis. Inde natum quòd antiquitus lex ad interficiendos lupos, etiam præmio inuitabat apud Atticos.

*Suetonius.*

## Lutum ſanguine maceratum.

Theodorus Gadareus Tiberij Cæſaris in arte Rhetorica præceptor, perſpiciens in eo adhuc adoleſcente ſæuitiam quandam, cum ingenij ſtupore coniunctam, inter obiurgandum illum ſubinde vocare ſolet πηλὸν αἵματι συμπεφυρμένον, id eſt, lutum ſanguine maceratum. Luto tarditatem innuens, ſanguine crudelitatem.

*Ariſtoph.*

## Non eſt oleum in lecytho.

Ἔλαιον οὐκ ἔνεστιν ἐν τῇ ληκύθῳ. Id eſt, Olei liquor nequaquam ineſt lecytho. Quum ſignificamus non eſſe precibus locum apud inexorabilem. Nam ἔλαιον oleum ſignificat, ἔλεος miſericordiam.

Ayuntamiento de Madrid

## Boni viri lacrymabiles.

Zenodotus.

Ἀγαθοὶ δ' ἀειδάκρυες ἄνδρες. Id eſt, At quiſquis probus, is munũ lacrymabilis eſt vir. De iis, qui facilè commouerentur ad miſericordiam, ac precibus flecterentur. Nam illacrymare dicuntur, qui miſereſcunt.

CVRIOSITAS.

Theocritus.

## Scit quomodò Iupiter duxerit Iunonem.

In curioſos, & quid quiſque domi faciat peruestigantes, conueniet illud ex Syracuſanis:

Πάντα γυναῖκες ἴσαντι, καὶ ὡς Ζεὺς ἠγάγεθ' Ἥρην. Id eſt,
Nouit femineum genus omnia, nouit & illud
Iunonem duxit, quo pacto Iupiter olim.

## Canes venatici.

Cicero.

Dicuntur qui omnia venantur, & produnt, peruestigantque, nota metaphora.

## Nihil dulcius, quàm omnia ſcire.

M. Tullius ad Atticum lib. 4. epiſtola. Delectarunt me, refert hunc ſenarium ceu vulgò celebrem.

Οὐδὲν γλυκύτερόν ἐστιν, ἢ πάντ' εἰδέναι. Id eſt.
Nil dulcius, quàm ſcire prorſus omnia.

## Mylus omnia audiens.

Μύλος πάντ' ἀκούων. Dici ſolitum, vbi quis ſe diſſimularet audire, quum omnia tamen auribus curioſis captaret, auſcultarétque. Tractum videtur à mola, vnde exploratores obſeruare ſoleant, quæ fierent. Aut à Myli curioſi cuiuſpiam moribus.

## Nihil inanius, quàm multa ſcire.

Πολυμαθημοσύνης τοῦ κενώτερον ἄλλο. Id eſt, Non aliud mage inane puta, quàm plurima ſcire. Conueniet in eos, qui malunt multa diſcere, quàm vtilia.

## Zenonium eſt, & lentem coquere.

Licebit vti, quum dicemus eſſe viri boni, etiam in rebus minutiſſimis ſui ſimilem eſſe, aut egregium artificem in quacũque materia declarare, qualis ſit artifex. Zenon Stoicorũ Princeps fuit, qui docet ſapientẽ omnia rectè facere.

## Corycæus auſcultauit.

Strabo.

Κωρυκαῖος ἠκροάζετο. Vbi quis id quod agit, conatus diſſimulare, tamen à curioſis deprehenditur. Corycus

Ayuntamiento de Madrid

mons eſt Pamphyliæ præcelſus ac portuoſus, atque ob id piratarum inſidiis oportunus. Exploratores illius montis Corycæos vocabant.

Lucianus. 

## Multæ regum aures, atque oculi.

Ὦτα καὶ ὀφθαλμοὶ βασιλέων πολλοί. Id eſt, Aures atque oculi regum multi. Allegoria inde ducta eſt, quod regibus compluꝛes vbique ſunt exploratores, quibus velut auribus vtuntur.

Plautus.

## Nodum in ſcyrpo quæris.

In anxium dicebatur, nimíſque diligentem, aut meticuloſum qui illic ſcrupulum moueret, vbi nihil eſſet addubitandum.

### DAMNANDI.

Hieronym.

## Notare vngui, Carbone notare, & ſimilia.

Quòd ſoleat vngui ſignum apponi, vbi quid parũ placet.

## Triſtis littera.

M. Tullius pro Milone, Quod niſi vidiſſet poſſe abſolui eum qui fateretur, quum videret nos fateri, neque quæri vnquam iuſſiſſet, nec vos hanc tam ſalutarem in iudicando litteram, quàm illam triſtem dediſſetis. Triſtem litteram appellat θ, ſalutarem τ, quòd hac abſolueretur reus, illa damnaretur. T. Liuius dixit, triſtiorem notam.

## Contra retiarium ferula.

Martial. Denique videas, ante delectet contra retiarium ferula. Id eſt, An id faciendum tibi putes, quod nemo non damnet atque exſibilet. Dici ſolitum in eos Domitius Calderinus admonet, qui infirmo præſidio contra maximè inſtructum pugnarent.

Diogenes.

## Ni pater eſſes.

Εἰ μὴ πατὴρ ἦσθα. Vtemur quoties ſenis, aut potentis, aut alioqui venerandi ſententiam nobis haudquaquam probari ſignificabimus, cui tamen honoris cauſſa nolimus reſtagari.

Ariſtoph.

## Calculo mordere.

Ψήφῳ δάκνειν. Dicuntur, qui ſuffragio lædunt, aut vleiſcuntur hominem. Hac via potiſſimum plebeii vindicabant ſi quid eſſent offenſi, reſragabantur in concione, cum calculis ferrentur ſuffragia.

Ayuntamiento de Madrid

## Æquales calculi.

Suidas.

Ἴσαι ψῆφοι. Si quando parum abeſt vt condemnetur aliquis, & tamen abſoluitur. Aut quum nutat animus, ambigítque vtram in partem ſe deflectat, rationibus hinc atque hinc, velut ex æquo adhortantibus atque deterrentibus.

## Non probantis.

Lucianus.

Ἀλλ' οὐκ Ἀτρείδῃ Ἀγαμέμνονι ἥνδανε θυμῷ. Id eſt, At non Atridæ, ſic eſt Agamemnoni viſum. Rectè vtemur, vbi rem quidem fatebimur honeſtam factu, verùm diuerſa placere iis, quorum libido plus valet, quàm ęquitatis ratio.

## Ne nomen quidem.

Paulus ad Epheſios: Fornicatio, aut omnis immunditia, aut auaritia, ne nominetur in vobis. Quid enim? Itáne ſcelus eſt nominare auaritiam, aut libidinem? Non opinor. Sed Apoſtolus vt grauiter vitia deteſtaretur, vſus eſt hyperbole prouerbiali. Nam inter pios nominatur & Iudas, & Pilatus.

## Θ præfigere.

Theta præfigere, pro damnare. Perſius: Et potis es vitio nigrum præfigere theta. Nam neſcio an debeamus Iſidoro credere, qui primo Etymologiarum libro ſcribit ita militari more ſolere fieri, vt cæſi θ, ſalui τ, ſignarentur. Certè de hoc ſigno τ. fit mentio etiam in Apocalypſi, quæ beati Ioannis Euangeliſtæ nomine legitur. Huc pertinent, quæ & alibi citantur.

In abſurdè locutum. Abiiciendum procul.
Niger infamis. Spongia corrigere.
Limam addere. Veru ſignare.
Ὀβελίζειν.

# DECRETVM.

## Murus aheneus.

Horatius: Hic murus aheneus eſto, Nil conſcire ſibi, nulla paleſcere culpa. Vſurpatur pro certo & immutabili animi decreto: ſchemate nimirum prouerbiali.

## Nullius dies omnino malus.

Heſiodus.

Aſtrologi deſignant quoſdā dies fortunatos aut infelices, ſed his aut illis rebus: nullo tamen die indulgendū eſt otio, quòd nullus ſit adeò inauſpicatus, qui nalicui negotio

Ayuntamiento de Madrid

ſit felix, ſi quis rectè vtatur conceſſo tempore, dies infauſtus gerendo bello, aut nauigationi, felix eſt adminiſtrandæ rei familiari. Nullus autem dies non proſper parandæ bonæ menti fatetur Heſiodus:

Omni ex parte dies malus haud obuenerit vnquam.

DEGENERANTIVM IN PEIVS.

*Procopius.*

## Ab equis ad aſinos.

Α᾽φ᾽ ἵππων ἐπ᾽ ὄνους. Vbi quis à ſtudiis honeſtioribus ad parum honeſta deflectit.

*Lucianus.*

## Mandrabuli more res ſuccedit.

Ε᾽πὶ Μανδραβούλου χωρεῖ τὸ πρᾶγμα. Id eſt, Res Mandrabuli ordine ſuccedit. Hoc eſt, in dies in peius labitur. Inde natum, quòd Mandrabulus quidam, quum theſaurum reperiſſet, primùm auream ouem poſuit Iunoni Samiæ, proximo anno argenteam, tertio æream.

## O domus antiqua quàm diſpari domino dominaris.

Videtur & illud Ennii carmen prouerbiis adſcribẽdum, quod refertur à M. Tullio Offic. libro primo. Id conueniet in diſciplinam commutatam in peius, eorum vitio, qui ſucceſſerunt.

## Heroum filij noxæ.

Α᾽νδρῶν ἡρώων τέκνα πήματα. Id eſt, Virorum heroum filii noxæ. Manet & hodie vulgatus iocus: Ex ſapientiſſimis patribus, ſtultiſſimos propagari liberos.

*Terentius.*

## Haud canit paternas cantiones.

Οὐ πατρῷα καὶ αὐλεῖ μέλη. De eo iactatum, qui à paternis moribus degeneraret. Solent liberi maiorum ſuorum cãtiunculis, quas admodum pueri didicerunt, delectari.

## Filius degenerans.

In filium, qui à paterno degenerat inſtituto, conueniet illud Homeri Iliad. ρ.

Α᾽λλ᾽ οὐχ υἱὸς ἐν ἔντεσι πατρὸς ἐγήρα. Id eſt.

At non conſenuit patriis in filius armis.

## Benè natis turpe eſt malẽ viuere.

Quidam arbitrantur ob hoc ipſum ſibi licere turpiter viuere, quòd honeſtis maioribus orti ſint, quum contrà generis claritas, quaſi fax addita, faciat vt nobiliũ errata, plus

Ayuntamiento de Madrid

plus habeant dedecoris, quàm obſcuro genere natorum.

Quis parentem laudabit, niſi infelices filij?

Τίς πατέρ' αἰνήσει εἰ μὴ κακοδαίμονα τέκνα. Id eſt,
Quis patrem laudet niſi proles laudis inanis?
Carmen vulgò iactatum de iis, qui maiorum ſuorum facinora iactitant, nimirum nihil habentes quod de ſeipſis verè prædicent.

Aceſias medicatus eſt.

Ἀκεσίας ἰάσατο. Dici ſolitum de re, quæ ſemper vergeret in deterius, quóque magis accuraretur, hoc peius haberet. Occaſionem adagio dedit Aceſias quidam medicus imperitus & ſtupidus, qui dum cuidam pedum dolore laboranti mederi ſtudet, auxit dolorem. *Diogenian.*

Taurum tollet, qui vitulum ſuſtulerit.

Si quando ſignificabimus maiora peccaturum adultum, qui puer vitiis minoribus aſſueuerit. Poteſt & trahi in partem meliorem: ei rectè munia Reip. committi poſſe viro, qui iunior optimè ſcholam rexerit.

Vt nunc ſunt homines.

Si notabis temporum tuorum mores, vt ſemper in peius degenerantes à virtute maiorum, applicabis illud Homeri Iliad. οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν. Id eſt, vt nunc ſunt homines.

Diſcum quàm philoſophum audire malunt.

Vulgus hominum propenſius eſt ad quaſuis ineptas voluptates, quàm ad frugifera. Per iocum transferri poteſt ad diſcum eſcarium, cuius crepitum multi libentiùs audiunt, quàm vocem philoſophi.

Eamus Athenas.

Ἴωμεν εἰς Ἀθήνας. Licebit vti, ſi quando nos melioris fortunæ relictæ pœnitebit.

DEPRECANTIS ET ABOMINANTIS.

Deſpuere malum.

Manet & hodie in vulgi moribus, vt ſi quid audiant execrandum, quod ſibi nolint euenire, deſpuant velut abominantes. Id autem hæſit ex veterum ſuperſtitione, qui ſibi perſuaſerant diſputationem eſſe remedium aduerſus imminentia mala. *Plautus.*


Ayuntamiento de Madrid

## Vates ſecum auferat omen.

In eos qui nobis dira minitantur, aut acerba prænunciant, conueniet illud Theocriticum in Bucoliaſtis:

Αὐτὰρ ὁ μάντις ὁ Τήλεμος ἐχθρ' ἀγορεύων,
Ἐχθρὰ φέροιτο τὶ οἶκον, ὅπως τεκέεσσι φυλάξῃ. Id eſt.
Telemus at vates, mihi qui canit omnia dira,
Dira domum referat, quò natis illa reſeruet.

*Athenæus.*

## In capras ſylueſtres.

Κατ' αἶγας ἀγρίας. Id eſt, In capras feras. Abominantis eſt ſermo, & malum deprecantis. Confine illi: Hoſtibus eueniant conuiuia talia noſtris. Athenæus ponit, Ad capras ſilueſtres, pro eo quod difficillimum eſſet inuentu, aut quod nuſquam eſt:

*Idem.*

## Bæon malus piſcis.

Dicetur in hoſpitem ingratum ac moleſtum. Bæon apud Epicharmum piſcis quidam eſt,

*Pindarus.*

## Si quid mali in Pyrrham.

Εἴ τι κακὸν, εἰς Πύῤῥαν. Subaudiendum, recidat aut abeat, aut eiuſmodi quippiam. Originem prouerbij tradũt huiuſmodi. Quondam Pyrrhæos quotquot erant finitimi, graui odio perſequebantur, vnde ſi quod malum aliquando videretur impendere, id abominantes precabantur vt in Pyrrhæos auerteretur, dicentes: εἰς τὴν Πυῤῥαίων, id eſt, In Pyrrhæorum regionem. Eſt autem Pyrrha Lesbi inſulæ ciuitas, auctore Stephano.

*Suidas.*

## Procul ab auribus nuntius veniat.

Ἀπ' οὔατος ἄγγελος ἔλθοι. Id eſt, Procul abſit nuntius aure: Sermo deprecantis nuntium malè auſpicatum.

## Abhorrentis ac deteſtantis.

Quum dicemus nos vehementer à vitio quopiam abhorrere, illud Homeri vſurpare licebit.

Ἐχθρὸς γὰρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀίδαο πύλῃσι. Id eſt.
Is mihi iuxta inuiſus, vt atri limina ditis.

*Plato.*

## Dulcis cubitus.

Γλυκὺς ἀγκών. Abominantis eſt ſermo. Ancon autem Nili pars eſt, in qua nauigantes plurimum & ſudant & periclitantur. Vnde prouerbio dicebant: Dulcis cubitus, quaſi deprecantes eius loci diſcrimina. Id autem perinde

Ayuntamiento de Madrid

valet quaſi dicas: Bona verba, aut Benè ominata loquere.

## Terra mihi priùs dehiſcat.

Virgilius:

Sed mihi vel tellus optem priùs ima dehiſcat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,
Pallenteis vmbras Erebi, noctemque profundam,
Antè pudor quàm te violem, aut tua iura reſoluam.

DERISIO.

## Omnia præclara dicis.

Socrates apud Platonem in Euthydemo, εἰρωνικῶς ſuo more, quòd aduerſarius abſurda quædam collegiſſet, videlicet Socratem ſcire quod neſciebat, & rurſum neſcire quod ſciebat, Εἶεν, inquit, ὦ Εὐθύδημε, τὸ δὴ λεγόμενον, καλὰ δὴ πάντα λέγεις. Id eſt, Eſto, o Euthydeme, Nam vt dici ſolet, omnia ſanè præclara dicis.

## E ſublimi ne derideas.

Ἀφ' ὑψηλοῦ μου καταγελᾷς. De eo, qui cum faſtu ridet quempiam, ac deſpectim. *Suidas.*

Ἐσκιμαλίσαι.

Hoc geſtu contumeliam deſpectumque ſupremum ſignificabant. Eſt enim Græcè ἐσκιμαλίσαι, medium digitum oſtendere, contractis cæteris, ignominiæ cauſſa.

## Naſo ſuſpendere.

Eſt vafrè ac ſubdolè irridere. Horatius in Sermonibus: Naſo ſuſpendis adunco. Vnde naſuti vocantur qui doctè ſciant alios irridere. Martialis: non cuiuſlibet eſt habere naſum. Idem: Naſutus ſis vſque licet, ſis denique naſus.

## Poſtica ſanna.

Perſius prouerbialiter appellat clancularium irriſionem. A geſtu ridentium aliquē à tergo. Poſticæ occurrite ſannę.

## In eo ipſo ſtas lapide, in quo præco prædicat. *Plautus.*

Quadrabit, vbi quis præſens, videns, audienſque, tamen deluditur. Quod autem meminit lapidis, id traductum eſt à lapide quodam editiore, quem Romæ fuiſſe complurium auctorum teſtimonio conſtat, vnde præcones in auctionibus res venales annunciabant.

## Loripedem rectus derideat.

Iuuenalis: Loripedem rectus derideat, Æthiopem



Ayuntamiento de Madrid

albus. Quo conueniet vti, quoties aliquis id aliis opprobrat mali, cui ſit ipſe obnoxius.

## DESPERATIO.

*Diogenian.*

### Actum eſt.

Prouerbialiter etiam hodie his verbis deſperationem ſignificamus, Actum eſt, Græci πέπρακται. Terentius in Eunucho: Actum eſt, ilicet, periſti.

### Nullus ſum.

Prouerbiales ſunt & illæ apud Comicos hyperbolæ: Nullus ſum, Occidi, & Perij, quibus deſperationem aut ingens malum ſignificamus.

*Euripides.*

### Pinus in morem.

Πεύκης τρόπον. Id eſt, Piceæ ritu. Vbi quis funditus, radicitúſque perit, ita vt nullo pacto reſtitui poſſit, piceæ ritu perditus dicitur. Nam piceam ſucciſam negant ſuppullulaſcere.

*Idem.*

### Perierunt bona.

Ἔῤῥει τὰ καλά. Id eſt, Perierunt honeſta. Hippocrates Mindaro Lacedæmoniorum Duci fuit ab epiſtolis. Eo interfecto ab Athenienſibus, Hippocrates in Lacedæmonem huiuſmodi ſcripſit epiſtolam: Ἔῤῥει τὰ καλά, Μίνδαρος δ' ἀπέσσυται, id eſt: Perierunt honeſta, Mindarus autem amotus eſt. Innuens rem malè ceſſiſſe.

### Ad reſtim res rediit.

Terent. In Phorm. Opera tua ad reſtim, mihi quidem res rediit planiſſimè. Hoc adagio ſumma rerum deſperatio ſignificatur. Nam in hac ſolent quidam amantes ad laqueum confugere.

*Plinius.*

### Suſpendio deligenda arbor.

In re vehementer indigna, neque vllo pacto toleranda, veteres arborem ſuſpendio deligendam eſſe dicebant.

*Suidas.*

### Ad porcellum da mihi mutuò tres drachmas.

Εἰς χοιρίδιόν μοι νῦν δάνεισον τρεῖς δραχμάς. Id eſt, Ad porcellum nunc da mihi mutuò treis drachmas. Dicebatur ab eo, qui mori decreuiſſet, aut qui vellet initiari. Nam initiandi conſueuerunt immolare porcum.

### A quinque ſcopulis deſilire in fluctus.

Ἀπὸ πέντε ἁλιάδων πετρῶν εἰς κῦμα. Id eſt, A quinque de-

Ayuntamiento de Madrid

ſilire rupibus in vndam. Hoc vſurpari ſolet ab iis, qui iam impatientes præſertim malorum, minantur ſemet in quoduis potiùs malum præcipitaturos, quàm vt perpetiantur.

## Omnibus armis præſidiiſque deſtitutus.

Hominem inermem, & omnibus præſidiis deſtitutum, indicabimus hoc verſu Homeric. qui eſt Iliad. φ.

Γύμνος ἄτερ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος, οὐδ᾽ ἔχεν ἔγχος. Id eſt,
Et clypeo ſimul & galea nudatus & haſta.

## Tenuis ſpes.

Ψυχρὰ μὲν ἐλπίς. Id eſt, Spes frigida quidem. Spem infirmam incertamque Poëtæ tenuem vocant.

DIFFICVLTATIS.

## Non eſt cuiuſlibet Corinthum appellere.

Οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἐσθ᾽ ὁ πλοῦς. Id eſt, Non eſt datum cuiuis Corinthum appellere. Vetuſtum iuxta ac venuſtum adagium, de rebus arduis & aditu periculoſis, quaſque non ſit cuiuſlibet hominis affectare. Inde natum, quòd, vti refertur apud Suidam, nec facilis nec ſatis tutus ſit nautis in Corinthiacum portum appulſus.

## Difficilia, quæ pulcra.

*Solon.*

Δύσκολα τὰ καλά. Id eſt, Ardua, quæ pulcra. Quidam prodiderunt Pittacum, vbi ſemet abdicaſſet imperio, dixiſſe: Difficile bonum eſſe. Porrò Solonem Pittaci mollitiem atque ignauiam taxantem dixiſſe: Difficilia, quæ honeſta, &c.

## Cum principe non pugnandum.

Qui ſignificabit arduum, principem à priuato ſuperari, aut difficillimum, vincere naturam, vſurpabit illud Homeri ex Odyſſ. Λ.

Ἀργαλέος γάρ τ᾽ ἐστὶ θεὸς βροτῷ ἀνδρὶ δαμῆναι. Id eſt,
Ardua res homini mortali vincere numen.

## Ire per extremum funem.

*Horatius.*

Pro eo quod eſt, rem factu per quàm difficilem præſtare, neque vel tantillum aberrare. Tractum à funambulis, qui non ſine ſumma arte, ſummoque vſu per funem protenſum ingrediuntur.



Ayuntamiento de Madrid

## Clauam extorquere Herculi.

Qui ſibi vendicare conatur, quod alius iam potentior occupauit, vel Ioui fulmen eripere, vel clauam extorquere de manu Herculis dicetur.

*Plato.*

## Nemo malus hoc ſciet.

Οὐδεὶς κακὸς εἴσεται τοῦτο. Id eſt, Nullus malus hoc ſciet. Quoties rem egregiam & cognitu dignam ſignificamus.

## Non omnibus contingit.

Non cuiuis fit poteſtas cum regibus colloquendi, aut non omnibus contingit diuinarum litterarum penetrare myſteria. Ad hunc ſenſum non inuenuſtè deflectetur illud Homeri ex Odyſſ. Π.

Οὐ γάρ πω πάντεσσι θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς. Id eſt.
Haud cuiuis manifeſta videntur numina diuûm.

## Ægrè, ſed tamen contingit.

In eos, qui ægrè quidem, ſed tamen aſſequuntur quod optant, quadrabit illud Homeri Odyſſ. Α.

Ἀλλ' ἔτι μέν κε καὶ ὡς κακά περ πάσχοντες ἵκοισθε. Id eſt.
Peruenietis adhuc, quamquàm mala plurima paſſi.

## Ægrè quidem, ſed facimus tamen.

Quum ægrè quidem, & non ſine plurimis incommodis agimus quippiam, ſed tamen facimus adacti neceſſitate, conueniet illud Homeri Iliados ζ.

Καὶ μάλα τειρόμενοί περ, ἀναγκαίη γὰρ ἐπείγει. Id eſt.
Quamuis afflicti nimium, ſed fatum ita cogit.

## Præter Sibyllam nemo leget.

*Plautus.* Diuus Hieronymus irridens Iouiniani ſtylum, vt perturbatum & obſcurum, ſcribit Plautinarum litterarum illud in eum quadrare: Has præter Sibyllam leget nemo.

## Centum plauſtri trabes.

Heſiodus: Ἑκατὸν δέ τε δούραθ' ἀμάξης. Id eſt.
Centum autem lignis plauſtrum compingitur vnum.
Eo tempeſtiuiter vtemur, quum ſignificabimus id quod à nobis petitur, magno conſtare.

## Azanæa mala.

Ἀζαναῖα κακά. Dici ſolitum, vbi quis in re perdifficili plurimum ſumeret laboris: Azanæa regio quædam ſterilis eſt Arcadiæ, in qua coloni multo ſudore parum fructus referunt.

Ayuntamiento de Madrid

## Carpere prouinciam. Tradere prouinciam.

Capiunt ſuſcipiuntúe prouinciam, qui rei curandæ onus in ſe recipiunt.

## Capere ciuitatem.

Plato in quodam dialogo ſignificat prouerbio dici ſolere, Capere ciuitatem, qui rem difficilem eſſet aſſequutus. Neque enim ciuitas primo ſtatim impetu capitur. *Plato.*

## Omnes laqueos effugere.

Quod ipſum à venatu tranſlatum eſt, in quo ſic vndique ſepiuntur exitus, vt neceſſe ſit feram in aliquas inſidias incidere.

## Trabs in omnibus.

Δοκὸς δ' ἐπὶ πᾶσι τέτυκται. Id eſt, Trabs in omnibus facta eſt, Videtur hemiſtichium ex Poeta quopiam ſumtum, quo ſignificatum eſt, nihil eſſe tam certum, quin obſtet ſcrupulus, cogẽs nos ad exactiorẽ rei cõſiderationẽ.

# DIFFIDENTIAE.

*Ariſtotel.*

## Simul & da, & accipe.

Ἅμα δίδου καὶ λάμβανε. Vbi res eſt cum homine parum certa fide, cui non ſit tutum quidquam credere, niſi ſtatim receperis, quod fueris ſtipulatus. Torquebitur ad eum, qui non collocat officium, aut munus ſuum, niſi iam certus de mutuo.

## Nemini fidas, niſi cum quo modium ſalis abſumſeris. *Cicero.*

Significat autem hominis ingenium non poſſe perſpici niſi diuturno conuictu.

## Fiducia pecunias amiſi.

Iactatur & hodie, fiducia pleroſque mortalium falli. Proinde rectè Epicharmus, Sobrius eſto & memineris diffidere. Quamquã nulli fidere, inhumanum eſt, omnibus fidere ſtultum.

## Ne Mercurio quidem credere. *Cicero.*

Strabo lib. 2. de narratione parum probabili, ἣν οὐδὲ τῷ Ἑρμῇ πιστεύσαι τὶς λέγοντι. id eſt, Quam ne Mercurio quidem credat aliquis narranti. Propriè conueniet in eos, qui longinquis peregrinationibus circumacti, narrare



Ayuntamiento de Madrid

ſolẽt prodigioſa. Aut viatorũ Deus habebatur Mercurius.

## Confringere teſſeram.

Apud Plautum in Ciſtellaria confregiſſe teſſeram dicitur qui ſibi reditum in domum aliquam præcluſit. Eſt autem teſſera ſymbolum hoſpitale, quo prolato agnoſcebantur hoſpites, ſi quando rediiſſent.

## Cæca dies, & oculata dies.

Plautus cæcam diem & oculatam, pro die, qua non numeratur præſens pecunia, & qua numeratur. Vocant & iuriſconſulti cæcam diem, & cæca teſtimonia, quæ ſcripto perhibentur ab abſentibus non. Nam cæca ſunt non tantùm quæ non vident, ſed quæ non videntur, & abſunt.

## Oculatæ manus.

Oculatas manus dixit Plautus, quæ promiſſa velint exhiberi re, non oratione promitti. Nam oculos habere, quibus videant exhibita: aures non habere, quibus audiant pollicitationes. Semper, inquit, oculatæ noſtræ ſunt manus, credunt quod vident.

*Plaut.*

## Pluris eſt oculatus teſtis vnus, quàm auriti decem.

Longè maior eſt habenda fides referentibus ea, quæ viderint oculis, quàm iis, qui narrant ab aliis audita.

## Non perſuadebis, ne ſi perſuaſeris quidẽ.

Οὐ γὰρ πείσῃς, οὐδ᾽ ἂν πείσῃς. Id eſt, Haud enim perſuaſeris vnquam. Eſt autem hyperbole genus, qua ſignificamus tanquàm ἀδυνατώτατόν τι. Perinde quaſi dicas, non credam, etiam ſi videro.

*Ariſtoph.*

## Quot ſeruos habemus, totidẽ habemus hoſtes.

Non habemus illos hoſtes, ſed facimus. Meminit Seneca epiſtola XLVII. Admonet adagium, ne quid fidamus illis, néue ex animo illos nobis amicos arbitremur, qui nos metu colunt.

## Hoſtium munera, non munera.

Priſcorum ſuperſtitio credidit, obſeruanda vel maximè munera, à quibus, quo animo mitterentur, propterea quòd quæ darentur ab iis, qui nobis malè cuperent, exitio plerunque fuiſſe conſtaret.

Ayuntamiento de Madrid

Plautus.

## Homo homini lupus.

Ἄνθρωπος ἀνθρώπῳ λύκος. Quo monemur, ne quid fidamus homini ignoto, ſed perinde atque à lupo caueamus.

## Etiamſi Cato dicat.

De fide & auctoritate Catonis Vticenſis narrat Plutarchus. Prouerbium dicitur de rebus incredibilibus.

## Lydus oſtium claudit.

Λυδὸς τὴν θύραν ἔκλεισε. De furacibus dicebatur, quòd Lydi non diſcederent, niſi re quapiam ſublata. Malim accipere de iis, qui rem quampiam obſcœnam aggreſſuri, fugiant arbitros, abduntque ſeſe, propter Lydos molliciei notatos.

## Tuam ipſius terram calca.

Quum iubebimus cuipiam, vt in ſuo loco ſe contineat neque ſe recipiat in noſtra.

DIFFERENTIA.

Gellius.

## Longè latéque.

Quum ingens diſcrimen ſignificant, longè latéque diſtare dicunt. Tranſlatum videtur ab agrorum menſoribus.

## Quiſquis is fuerit.

Quemuis citra vllam exceptionem hominem indicabimus, hoc verſiculo, qui eſt Iliados XIII.

Ὅς θνητός τ' εἴη, καὶ ἔδοι Δημήτερος ἀκτήν. Id eſt.
Qui modò mortalis ſit, edens Cerealea dona.

## Pilus in medio.

Minimum diſcriminis ſignificantes, dicimus pilum intereſſe, id vehementius eſt quàm ſi dicas, culmum latum. Theocritus in Thyonicho,

Δασῶ δ' μανιάς πόκα, θρὶξ ἀνὰ μέσσον.
At me imprudentem capiet veſania tandem,
Vix pilus in medio eſt.

Verba ſunt amantis ac metuentis, ne tandem amor exeat in inſaniam, à qua tam parum abſit, vt vix pilus ſit in medio. Conſimili tropo Plautus dixit in Moſtel. Pluma haud intereſt patronus an cliens probior ſiet Homini, cui nulla in pectore eſt audacia. Non intereſt pluma, pro nihil omnino refert.

Ayuntamiento de Madrid

Δὶς διὰ πασῶν.

Id eſt, Bis per omnia. Hoc adagio diſcrimem ingens ac longiſſimum interuallum ſignificabant. Vnde quæ pugnantiſſima inter ſeſe viderentur, totoque diſſiderent genere, ea bis per omnia inter ſe diſcrepare dicebant.

## Myſorum ac Phrygũ termini diſcreti ſunt.

Strabo regiones quaſdam commemorat inter ſeſe finitimas, puta Phrygum, Bythinorum, Myſorum, Dolonũ, item, qui iuxta Ciſicum accolunt, Mygdonum ac Troianorum. Neminem autem inficias ire, quin vnaquæque ſuis finibus ſit circumſcripta. Verùm eos fines ad amuſſim diiudicare, id neutiquam facile. Manent & in hodiernum diem de finibus gentium rixæ, longa ſerie temporum omnia confundente. Adagio licebit vti, de rebus toto genere inter ſeſe diſſidentibus. Veluti ſi quis ſentiens longè aliud ſpectare philoſophum, aliud oratorẽ. Aut de hominibus, inter quos nihil cõuenit, nihilq́; cõmune intercedit.

## Seiuncta ſunt Merrhæ & Siloam fluenta.

Χωρὶς τὰ Μεῤῥᾶ καὶ Σιλωὰν ῥεύματα. Id eſt, Seiuncta ſunt Merrhæ ac Siloam flumina. De longo interuallo diſſitis inter ſeſe. Veluti ſiquis dicat inter amicum & adulatorem plurimum intereſſe. Apparet neotericum eſſe prouerbium, & haud ſcio an ab Apoſtolo additum, ex litteris apoſtolicis & eccleſiaſticis. Siquidem Merrha vocatur locus, in quo Moyſes aquas peſtilentes & amaras, iniecto ligno, dulces reddidit ac ſalubres. Cæterum ad aquas Siloam miſſus eſt à Ieſu cæcus euangelicus, quò viſum reciperet. Vnde apparet ſalutares fuiſſe, diſſimillimas aquis Merrhæ.

## Quid diſtent æra lupinis.

Horatius in epiſtolis: Nec tamen ignorat, quid diſtent æra lupinis, id eſt, nouit diſcrimen rerum vilium & pretioſarum. Agit autem Horatius de iis, qui beneficia non ita conferunt in quoſuis, velut abijciant, ſed ita collocãt vt expendant & eius meritum ac dignitatem, cui præſtant & pretium muneris quod largiuntur. Porrò lupini vilitatem prouerbialiter notauit Iuuenalis: Tunicam mihi malo lupini, Quàm ſi me toto laudet vicinia pago.

## Ingens interuallum.

Ayuntamiento de Madrid

M. Tullius in epiſto. ad Atticum lib. ſexto, Senarios hos ſeu prouerbiales vſurpat. Πολλὰ δ᾽ ἐν μεταιχμίῳ. Νότος κυλίνδει κύματ᾽, εὐρείης ἁλός. Id eſt, Multas at vndas voluit in medio Notus vaſti maris. Licet huc quoque torquere, vt ſignifices rem adhuc procul abeſſe à periculo.

## Ne punctum quidem.

Diuus Hieronymus in epiſtolis: Et apoſtolicæ voluntatis ſequentes veſtigia, Ne punctum quidem, vt dicitur aut vnguem tranſuerſum ab illius ſententijs recidamus.

## Valeat amicus cum inimico.

*Plutarchus.*

Ἐῤῥέτω φίλος σὺν ἐχθρῷ. Id eſt, Valeat amicus cum inimico.

Quadrabit in eos, qui toti ad ſe ſpectant, nec amici magis, quàm inimici rationem habent.

*Horatius.*

## Paſtillos Ruffillus olet, Gorgonius hircũ.

Dicendum vel in duos aliquos diuerſis laborantes vitiis, vel in eundem ſui diſſimilem, nempe modò loquaciorem quàm ſat ſit, modò impendio taciturnum: interdum pueriliter ineptum, interdum Catone ſeueriorem: nonnũquã profuſum nonnũqnam ſordidum. Siquidem vt vitio dandum, ſi quis hircum oleat, ita adæquè vituperandum, ſi quis oleat vnguenta. Nam paſtilli pilulæ ſunt vnguentariæ Alterum, ſpurci eſt alterum mollis.

# DIGNITAS.

## Canis digna ſede.

*Diogenian.*

Ἀξία ἡ κύων θρόνου. Quum nouus honos obtigit cuipiã immerenti. Sumtum videtur à Melitæis canibus, quibus nonnullæ mulierculæ maiorem habent honorem, quàm ipſis maritis.

## Digna canis pabulo,

*Suidas.*

Ἀξία ἡ κύων τοῦ βρώματος. Id eſt, Digna canis pabulo. Ferme perinde valet, ac ſi dicas: Dignus operarius mercede ſua. Et vix quiſquam eſt tam inutilis miniſter, quin ſi non amplo ſalario, certè victu dignus eſſe videatur.

## Dignus obeliſco.

*Idem.*

Ἄξιος ὀβελίσκου. Dignus quouis honore. Summis enim viris eiuſmodi columnæ ac pyramides erigebãtur, magnificis inſcriptæ titulis, aut ingentes coloſſi. Sic enim ſtupidi

Ayuntamiento de Madrid

Principes olim fingi gaudebant. Tametſi prouerbium ancipitem habet ſententiam, propterea quòd Ariſtarchus obeliſcis iugulare ſit ſolitus, quæ parum probaret.

Perſius.

## Digna cedro.

Digna cedro dicuntur, quæ promerentur immortalitatem, & eiuſmodi iudicantur, vt poſteritati conſecrentur. Sumtum eſt ab arboris natura, cuius ſucco, quæ ſunt illita, non ſentiunt cariem.

## Dignus Argiuo clypeo.

Ἄξιος εἶ τῆς ἐν Ἄργει ἀσπίδος. Id eſt, Dignus eſt Argiuo clypeo. De generoſo ac maiorem in modum venerando. Inde ſumtum quòd olim apud Argiuos ex more pueri incorrupti, purique clypeos quoſdam geſtantes, pompas agebant. Iſque honos erat illi ætati, priſco quodam inſtituto maiorum decretus.

Plinius.

## Dignum propter quod vadimonium deſeratur.

Vbi rem maximi momenti volumus ſignificare, quæque vel quantouis diſpendio debeat expeti, dignam eſſe dicemus, cuius gratia vadimonium deſeratur. Nam qui vadati ſunt, non niſi ſummo ſuo periculo abeſſe iudicio poſſunt.

Tullius.

## Dignus qui cum in tenebris mices.

Qui certiſſima eſſet fide, eum dignum dicebant, quicum in tenebris micaretur. Eſt autem micare, luſus genus, quo repentè porrectis digitis, certantiũ vterque numerum diuinat. Huic ſimile, dignus cui, vel iniurato fidem habeas.

## Quauis re dignus.

Ἄξιος τοῦ παντός. Terentius: Hominem quantumuis pretij.

## Regia vaccula.

Diogenian.

Βασιλικὸν βοΐδιον. Id eſt, Regia buccula. De prodigioſa fœcunditate dicebatur. Natum eſt è miraculo rei geſtæ. Ætate Ptolemæi iunioris vacca quædam eodem partu ſex edidit vitulos. Simile illud Iuuenalis: Scropha fœcundior alba.

## Batti Silphium.

Βάττου σίλφιον. Id eſt, Batti Silphium. Græci nouum & rarum quempiam honorem prouerbio vocant. Ariſtopha-

Ayuntamiento de Madrid

nis interpres diuerſam originem adagionis adſcribit. Battus à Thera iuxta Cretam inſula profectus, oraculo monitus Apollinis, vel, vt alij tradunt, domeſtica pulſus ſeditione, Cyrenen condidit. Cui quum Afri, beneficij memores, ſummum honorem habere ſtuderent, donarunt illi Silphium herbam, apud illos omnium pulcerrimam. Simúlque numiſma ferientes, in cuius altera parte regnum erat inſculptum, altera Silphium, quo fuerat à ciuitate donatus. Porrò Silphium inter herbas primam gloriam obtinet, cuius & folia & fructus & caulis & ſuccus precioſiſſimus ſit.

## Decernetur equa Theſſalica.

*Euſtathius.*

Ἐπιχειρεῖται ἵππος Θεσσαλική. De ſummo præmio dicebatur, propterea quòd antiquitus prima laus fuerit equorum Theſſaliæ. Lepidiùs erit per ironiam.

## Bos in ciuitate.

*Horatius.*

Βοῦς ἐν πόλει. Dicitur, vbi quis ad nouos honores euehitur. Lyſias bouis imaginem in arce collocauit. Nã in agris boum vſus, non in ciuitate.

## Sapientum octauus.

*Horatius.*

In eum, qui ſibi multum tribuit in ſapientia.

## Columen familiæ.

*Terentius.*

Donatus columen dici putat, perinde quaſi columnam dicas, cui reliqua domus innitatur. Vnde antiquitus ſeruos maiores columellas dictos.

## Vtranque paginam facit.

*Plinius.*

Sumta metaphora à codicillis rationalibus, duas habentibus paginas: alteram, quæ indicat quid ſit datum: alteram, quæ quid acceptum ſit, oſtendit. Itaque in rebus humanis fortuna vtranque facit paginam, id eſt, ſiue quid obtingit boni, ea laudatur, quaſi dederit, ſiue mali quid accidit, eadem inceſſitur; ceu malorum auctor.

## Eſto Promus.

Ἔστω ταμίας, τ' ἄλλα δ' εἰ βούλει κύων. Sis condus, in reliquis canis eſto ſi libet. Aiunt dictum in eum cui felicitas immerenti contigiſſet, peculiariter in eunuchos.

## Iupiter aquilam delegit.

Ζεὺς ἀετὸν εἵλετο. Vbi quis aſciſcit ſibi præclaros, ſuíſque rebus accommodos. Poëtæ fingunt aquilam Ioui fulmen

Ayuntamiento de Madrid

porrigere,quòd hæc auis omnium altiſſimè ſubuolet,nec ictu fulminis lædatur.

## Glaucus comeſa herba habitat in mari.

Γλαῦκος φαγὼν πόαν οἰκεῖ ἐν θαλάττῃ. Dictum apparet per iocum de iis, qui; quum perierint, tamen vulgò creduntur viuere. Glaucus quiſpiam fuit Anthedonius piſcator, natandi peritia longè omnium primus. Is quo magis eſſet miraculo, commentus eſt impoſturam huiuſmodi: Enatabat è portu ſpectantibus Anthedoniis, donec iam extra proſpectum eſſet. Ibi reuerſus in terram, ſeceſſit in locum aliquem ſemotum, atque in eo dies complures commorabatur. Deinde quum videretur, redibat natans in portum, ſpectantibus iis, qui ſtabant in littore. Mirantibus autem amicis ac ſciſcitantibus, vbinam gentium tam diu commoratus eſſet, adſimulabat in marinis fluctibus interim verſatum eſſe ſeſe. Auxit miraculum altero commento. Hibernis menſibus, quum cæteri piſcatores nihil piſcium capere poſſent, ille ciues rogabat, quoſnam piſces adduci vellent: quóſque iuſſiſſent, aduehebat, videlicet iam antè paratos in hunc vſum, atque alibi concluſos. Euenit tandem, vt hic impoſtor à bellua quadam marina deuoraretur. Isque fuit eius comœdiæ finis. Porrò quum non rediret ex more, populari fama iactatum eſt: Glaucum guſtata herba factum immortalem, & in mari vitam agere.

## Antiquior Codro.

Πρεσβύτερος Κόδρου. De priſcis, & ob antiquitatem admirandis. Codrus antiquiſſimus Atticæ rex.

## Pro dignitate cuiuſque.

Quum vnicuique partes tribuuntur pro decoro perſonæ, próque dignitate, veluti ſi negotium arduum committatur prudenti & exercitato, leuiuſculum iuueni cuipiam & imperito, quadrabit illud Homeri:

Egregia egregius ſubit arma, ac deteriori
Deteriora dedit.

## Myrteam coronam ambis.

Μυρρινᾷν. Id eſt, Myrteam cupere. Dicebatur, qui tyrannidem, aut magiſtratum ambiret. Nam olim Principes myrteis corollis coronabantur, ſi quidem Suidæ credimus.

Ayuntamiento de Madrid

## Omnibus anteuertenda vitæ cura.

Qui dicet omnia poſthabenda, quò vitæ conſulamus: accommodabit illud Homeri:

Nullum equidem pretium cum vita confero, nec cum
Iliacis opibus, pridem quas tempore pacis
Vrbs opulenta tenebat, vti fama eſt.

## Cæcus & claudus non intrabunt in templum.

Fortaſſis adagio locus erit, quoties excluditur aliquis ab honore veluti indignus. Ex 2. Regum, 5: 2. Reg. 5.

## Roſcius.

Roſcius hiſtrio tam erat felix in agendis fabulis, vt quiſquis in arte quapiam inſignis eſſet, Roſcius vocaretur. Id indicat M. Tullius libro de Oratore primo. Itaque hoc eſt iam diu conſecutus, vt in quo quiſque artificio excelleret, is ſuo genere Roſcius diceretur. Eodem igitur tropo, quo vehementer in conſiliis calidum Dædalum vocamus: in laboribus patientem, Herculem: in diſputando inuictum Achillem: in iudicando Ariſtarchum: patronum in cauſis agendis egregiè dextrum, Roſcium licebit appellare.

## Primas tenere.

M. Tullius ad Q. fratrem epiſtol. lib. 3. carmen adfert, velut παροιμιῶδες: Illud verò, inquit, quod à puero adamaram.

Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων, totum occidiſſe. Queritur enim illic oppreſſa Repub. nullum eſſe locum vel exercendæ virtuti, vel tuendæ dignitati. Carmen ſuſpicor eſſe Homeri, quod ita verti poteſt:

Primas vſque tenere, alióſque excellere laude.

### DILIGENTIA.

## Ad amuſſim.

Gellius.

Frequens eſt apud auctores ad amuſſim, examuſſim, examuſſatim, amuſſatim, pro eo quod eſt, exquiſita diligentia, atque exactiſſima cura. Tranſlatum à fabris lapidariis, aut lignariis, qui funiculo illo regulari operis æqualitatem explorãt, quanquam Feſtus alicubi teſtatur, amuſſim quibuſdam eſſe non lineam neque regulam, ſed ferramentum, quo fabri in poliendo vtuntur.

Ayuntamiento de Madrid

Athenaeus.

## Thynnij more.

Θύννυ δίκλω. Thynni more videre dicuntur, qui limis, aut altero oculo obliquè inſpiciunt.

## Iuxta melam.

Κατὰ μήλω. Suidas oſtendit prouerbio dici ſolere, vbi quis incerta coniecturis perſequeretur. Sumta metaphora à medicis, vlcus internum immiſſo per fauces inſtrumento quopiam explorantibus. Id inſtrumentum melen vocant.

Horatius.

## Ad vnguem.

Ad vnguem, eundem habet ſenſum. A marmorariis ſumta metaphora, qui ſuperinducto vngui commiſſuras explorant marmorum.

---carmen reprehendite quod non
Multa dies, & multa litura coërcuit: & quod
Perfectum decies non caſtigarit ad vnguem.

## In quadrum redigere.

Pro eo quod eſt, in ordinem aptamque ſtructuram concinnare. Sumtum ab iis, qui arbores aut lapides mathematicis gnomonibus exęquant. Proinde quod conuenit, quadrare dicimus.

Tullius.

## In nocte conſilium.

Ἐν νυκτὶ βυλὴ. Id eſt, In nocte conſilium. Admonet adagium, non eſſe præcipitandum conſilium, neque ſtatim ad primos animi impetus quippiam agendum. Nox autem propter ſolitudinem ac ſilentium, vel maximè ad conſiderandum, conſultandúmque de rebus grauibus eſt idonea. In conſultando cunctatio tutior eſt, periculoſa celeritas.

## Vltro, citróque.

Quaſi dicas, huc atque illuc. Fit autem venuſtior metaphora, quoties ad mutuam altercationē, diſceptationem, cōfabulationem, rixamue refertur. Cicero: Multíſque verbis vltro, citróque habitis, ille nobis conſumtus eſt dies. Et, Vltróque agitata cauſſa.

Ariſtoph.

## Ruminare negotium.

Ἀναμασᾶσθαι τὸ πρᾶγμα. Id eſt, Ruminare ſeu remandere negotium. Ruminare ſeu remandere negotium dicitur, qui ſuo cum animo verſat, etiam atque etiam expendens.

Fixis

Ayuntamiento de Madrid

## Fixis oculis intueri.

Ἀτενὲς ὁρᾶν. Id eſt, Defixis oculis intueri. Pro eo quod eſt, attentiùs accuratiúſque conſiderare. *Plutarchus.*

Γοργὸν βλέπειν.

Aliquoties apud Lucianum, pro acribus oculis intueri. Homerus: Gorgoneis oculis, quales & Martis atrocis.

## In occipitio oculos gerit.

De verſutis & circunſpectis, quóſque neutiquam procliue ſit fallere. Plautus in Aulularia:

Quæ in occipitio quoque habet oculos.

## Vnum ad vnum.

*Lucianus.* Ἓν πρὸς ἕν, φασίν. Quum exactiùs ſingula ſingulis componantur.

## Incudi reddere.

*Horatius.* Pro eo quod eſt, refingere ac mutare, corrigeréque.

Et malè tornatos incudi reddere verſus.

Conſimili forma dicunt, recoquere.

## Ruris fons.

Ἀγροῦ πηγή. Id eſt, Ruris fons, De nimium laborioſis, & perpetuo operi aſſidentibus. Cuiuſmodi fingit Menedemū Terentius.

## Ithorus.

Ἴθορος. In eum, qui velut inſtigator, hortatórque foret aliis. Tranſlatum opinor à nautis, quos remigantes naucleri vox animat ad grauiter laborandum. *Seneca.*

## Caput ſcabere & conſimilia.

Caput ſcabere, vngues arrodere, geſtus hominis ſunt cogitabundi, & de mutando, cuius pœniteat, ſecum agitantis. Horat.

Sæpe caput ſcaberet, viuos & roderet vngues.

## Ariſtophanis & Cleanthis lucerna.

*Varro.* Propter inſignem ſtudij diligentiam in prouerbiū abiit, vt is ad Ariſtophanis, aut Cleanthis lucernam dicatur lucubrare, qui ſummo ſtudio, exquiſitáque cura ſingula pēſitat.

## Olet lucernam.

Τὸν λύχνον ὄζει. De re meditata, multóque ſtudio elucubrata. Inde ductum, quod ſtudioſi ad lucernam vigilantes,



Ayuntamiento de Madrid

ſoleant elaborare, ſi quid accuratiùs velint excutere. De Demoſthene dicitur, quòd plus olei, quàm vini conſumſerit.

## Non vna manu capere.

*Plato.* Οὐ τῇ ἑτέρᾳ ληπτέον. Id eſt, Non vna tantùm manu capiendum. De re lubrica, variáque, captúque difficili.

## Metiri digitis.

*Cicero.* Qui rem accuratiùs, quàm oportet expendit, digitis metiri dicitur. Horatius:

Legitimúmque ſonum digitis callemus, & aure.

## Homini diligenti ſemper aliquid ſupereſt.

*Chryſoſt.* Qui verè diligens in negotio, nunquam ſibi ſatisfacit.

## Arator niſi incuruus, præuaricatur.

*Plinius.* Præcipit, vt arator, aruum primum rectis ſulcis proſcindat, mox & obliquis ſubigat: id fieri vix poteſt, niſi toto corpore incumbat labori. Cæterum preuaricari, eſt à recto ſulco diuertere.

## Non nauigas noctu.

*Chryſi.* Οὐ νυκτὶ πλοεῖς. De eo, cui nihil eſt certi, quod ſequatur, proptereà quòd nocturnis temporibus certiùs nauigant nautæ, propter ſtellarum notas.

## Somnus abſit ab oculis.

*Ariſtophan.* Ὕπνος δ᾽ ἀπέστω γλυκύθυμος ὀμμάτων. Id eſt, Oculis abeſto leniens animum ſopor. Vbi quis rem aggreditur, quæ ſummam diligentiam curámque deſideret.

## Somnum non vidit.

His verbis ſignificat ſummam vigilantiam. Huic ſimile, Somnus abſit ab oculis.

## Non quantum luſciniæ dormiunt.

Οὐδ᾽ ὅσον ἀηδόνες ὑπνοῦσι. In eos conuenit, qui ſomni parciſſimi ſunt. Luſciniæ vernis mẽſibus, per omnem ferè noctem, perpetuo cantu garriunt.

## Succiua opera.

*Cicero.* Succiuis operis fieri dicitur, quod horis quibuſdam quaſi furtiuis agitur, vbi iam ordinariis ac legitimis officiis perfuncti ſimus. Hieronymus furtiuas vocat, quod alij ſucciuas.

Ayuntamiento de Madrid

### Vel acum inueniſſes.

De re diligenter veſtigata. Nam acus inuentu difficillima. *Plautus.*

### Grues lapidem deglutientes. *Ariſtoph.*

Αἱ γέρανοι λίθους καταπεπωκυῖαι. Dici ſolitum de iis, qui ſumma prouidentia gerunt negotium. Idq́ue inde vulgò dicitur, quòd gruibus hic mos ſit, vt quoniam admodum ſublimes volant, magnóque ferantur impetu, neque poſſunt deorſum aſpicere, lapillos geſtent, quos ſi quando fatigari cœperint inter volandum, ex alto deiiciant, quo videlicet è cadentium ſtrepitu percipiant, vtrum ſupra terram, an ſupra mare volent. Quòd ſi lapillus in mare deciderit, pergunt viam; ſi in terram, interquieſcunt.

### Frons occipitio prior. *Cato.*

Quo ſignificauit antiquitas, rectiùs geri negotium, vbi præſens ac teſtis adeſt is, cuius agitur negotium. Prior, dictum eſt pro, potior, meliórque. Alioqui quis ignorabat, frontem priorē eſſe capitis partem, occipitium poſteriorē.

### Arripere negotij curam. *Homerus.*

Admonentes aliquem, vt grauiter rem aggrediatur, vtemur hoc carmine;

Quin age nunc ſcuticámque manu, depictáque lora
Corripe.

### Mihi curæ erit negotium. *Idem.*

Quum admonebimus quempiam, vt omne negotium in nos reiiciat ipſe ſecurus, nobis rem curæ futuram, conueniet illud Homeri:

Quin tacitus procede, viæ huius ego fuero dux.

### Mihi iſta curæ futura ſunt. *Plutarchus.*

Ἐμοὶ μελήσει ταῦτα καὶ λευκαῖς κόραις. Id eſt, Curæ mihi iſta erunt, ac puellis candidis. Conueniet vti, ſi quando ſignificabimus nihil eſſe periculi, negotium iis curæ futurum ad quos pertinet.

### Funiculum ad lapidem. *Chryſoſt.*

Τὴν σπάρτην πρὸς τὸν λίθον ἄγειν. Id eſt, Funiculum lapidi admouere dicuntur, qui curam omnem adhibent, ne quid geratur in Repub. ſecus quàm oportet. Beatus Chryſoſtomus, homilia in priorem ad Corinth. epiſt. 35. Σκέπτει πῶς πάλιν ἐνζῶντα πρὸς τὴν σπάρτην τὸν λίθον ἄγει, τὴν οἰκο-



Ayuntamiento de Madrid

θυμὴν πανταχοῦ ζητῶν τῆς οἰκοδομῆς. Id eſt: Conſidera vt hic rurſus funiculum admouet ad lapidem, vbique quærens ædificatiónem eccleſię. Tranſlatum eſt ab architectis, qui non credunt oculis ſuis, ſed ad perpendiculum explorant lapidum æqualitatem, quod eſt exactæ diligentiæ.

## Factum tranſactum.

Apud Iuriſprudentes ſolennia ſunt hæc, Factum tranſactum, quoties ſentiunt nihil prætermiſſum, quod ad negotii tractationem pertinet. M. Tullius in Catilinam inuectiua 3. Atque illud quod faciendum primùm fuit, factum atque tranſactum eſt.

## Pleno gradu.

*Trebonius.*

Qui leuiter rem quampiam attigerunt, ſummo pede dicuntur ingreſſi: contrà, qui magno ſtudio inſtituerunt aliquid, pleno gradu dicuntur ingreſſi. Trebonius Ciceroni libro duodecimo: Nam illum paratum vt video, & ingreſſum pleno gradu, cohortari nõ intermittemus, quo in dies longiùs diſcendo exercendóque ſe procedat.

DISCORDIA.

## Bellum omnium pater.

*Lucianus.*

Ο᾽ πόλεμος ἁπάντων πατήρ. Prouerbium ideò dictum eſt, quòd bellum omnium rerum nouandarum auctor eſt, vt ex eo nata videantur vniuerſa. Niſi quis malit ad Philoſophorum quorundam decretum referre, qui dixerunt rerũ ſummam è lite progigni.

## Tuas res tibi habeto.

Caius Iuriſconſultus lib. 44. tit. de diuortiis, oſtendit fuiſſe receptum, vt diuortium his verbis perageretur: Tuas res tibi habeto, tuas res tibi agito. Quorum altero reddit dotem, altero abdicat ab ſe tutoris munus, in rebus vxoriis. Hæc autem forma verborum perſcripta eſt, ne vel non ratum eſſet diuortium, ſi nullis ſolennibus verbis per ageretur, vel inauſpicatum & odioſum, ſi verbis inciuilibus perageretur. Itidem in diſcutiendis ſponſalibus viſum eſt vti his verbis: Conditione tua non vtar. Hæc prouerbii gratiam habebunt, ſi cui ciuiliter renuntiabimus amicitiam. Sed feſtiuius erit, ſi ad res animi transferuntur; veluti ſi quis dicat, Monachi vitam profeſſus eſt, mundum iuſſit ſua habere, ſuas res ſibi agere. Item ſi quis ambiat

Ayuntamiento de Madrid

conſortium noſtrum, quem indicabimus nobis inutilem, huic aptè dicetur, Conditione tua non vtar, pro eo quod erat, non vtar tua familiaritate.

### Gamma Betam perſequitur.

Procopius libro 3. de bello Vuandalico, refert Carthagine antiquum prouerbium à pueris iactari ſolere: Quòd Gamma quandoque Betam & rurſus Beta Gammam perſequitur. Suſpicor puerorum luſum huc ſpectaſſe, quòd inter vicinos frequenter oriatur diſsidium. Verùm hîc puerile dictum detortum ad rerum euentum, quod Gizericus Bonifacium expuliſſet: poſteà Gilimerem Beliſarius. Prouerbium non eſt natum ex euentu, ſed puerorum Carthaginenſium ænigma fuit, velut oraculum eius quod accidit poſteà.

### Domeſticum diſſidium.

Ad deteſtandam ſeditionem, & mutuam contubernalium inter ipſos diſcordiam, inſidiáſque, conueniet illud Homeri Odyſſ. Π. *Homerus.*

Οὐχ ὁσίη κακὰ ῥάπτειν ἀλλήλοισιν. Id eſt,

Impia res moliri inter ſeſe mala.

DISCRIMINIS.

### Apio eſt opus. *Plutarchus.*

Τοῦ σελίνου δεῖται. Ita loquebantur, quoties morbum capitalem innuebāt, & vitæ periculum imminere. Nam olim monumenta defunctorum apio coronabantur.

### Sub cultro liquit.

Sub cultro linqui dicitur, qui in præſentaneo periculo deſeritur. Sumtum à victima, que iamiam ferienda eſt. Horatius: Fugit improbus, ac me ſub cultro liquit. Cōuenit in eos, qui periculo capitis parati ſunt affirmare quippiā. *Suidas.*

### Sus ſub fuſtem.

Ὗς ὑπὸ ῥόπαλον. Vbi quis ſeſe in præſens diſcrimen ac perniciem præcipitat. Nam ſues apud quoſdam fuſte mactari mos eſt.

### In Pythij templo cacare.

Ἐν Πυθίου χέσαι. Dicebatur, qui rem nefariam & periculoſam faceret, quòd Pyſiſtratus tyrannus extructo templo inſcripſerat, nequis inibi ventrem exoneraret, & aduenam



Ayuntamiento de Madrid

quendam deprehenſum è medio ſuſtulit.

## Vtinam domi ſim.

*Suidas.* Οἴκοι γενοίμην. Dici ſolitum vbi quis optat è malis, quibus implicitus eſt, emergere. Tranſlatum ab iis, qui in tempeſtate periclitantur.

## Fuge procul à viro maiore.

Ἄλευ ἀπὸ μείζονος ἀνδρός. Caue à commercio potentium, habe commercium cum æqualibus. Etenim optimatum familiaritas, aut ſeruum facit & turpem, aut ſi neſcias adulari, periculis obiicit.

## Fuga tutior.

Qui dicet tutius eſſe fuga vincere libidinem, quàm contrà pugnando, poterit accõmodare illud Homeri Odyſſ. μ.

Οὐδέ τις ἐστ' ἀλκή, φυγέειν κάρτιστον ἀπ' αὐτῆς. Id eſt,
Non eſt vlla medela, procul fugere optimum ab illa.

## Poſt folia cadunt arbores.

*Pindarus.* Quoties admonebimus, leuiores iniurias ſi quis ferat, ſequi atrociores.

## Nunc contingit ſeruari.

*Diogenian.* Νῦν γένοιτο σωθῆναι. Quum ſignificamus nos ſatis cautu ros in poſterum, ſi modò liceat præſens periculum effugere. Hoc modo Dauus in Andr. Poſthac incolumem ſat ſcio fore me, nunc ſi deuito hoc malum. Quidam apologum narrant, ad hunc modum: Teſtudini quondam inceſſiſſe volandi deſiderium, aquilam oraſſe, vt ſe doceret: Quumque illa negaſſet fieri poſſe, quòd naturæ refragaretur, illa nihilo minùs inſtabat. Itaque paruit aquila, ac teſtudinem in ſublime vectam demiſit, vt volatum experiretur. Ea quum timeret infelicem euentum, optauit vt contingeret id temporis incolumen eſſe.

## De tuo capite aguntur comitia.

Plauto: Ibo intrò, vbi de capite meo ſunt comitia. Sumtum à comitiis Romanorum, in quibus populi ſuffragiis noui magiſtratus creabantur. Itaque quum ſtatuitur de re quapiam, à qua pendeat felicitas alicuius, tum de capite illius fieri comitia rectè dicentur.

## E canis podice.

Ἐκ κυνὸς πρωκτοῦ. Id eſt, E canis culo. Dictum videtur à

Ayuntamiento de Madrid

Luciano, pro eo quod eſt, ex rebus anxiis atque anguſtis, quòd ea pars, arctior ſit huic animanti.

## Aſcice ad extremum ſcientiam.

Γίμπε εἰς ἔσχατον τὴν ἐπιστήμην. Id eſt, Accerce ad extremum ſcientiam. Non ſtatim vtendum extremis ingenij viribus, verùm vbi iam vrget vltimum periculum, tum ad artes confugiendum.

## In eadem es naui. De filo pendet.

*Cicero.*

Pro eo quod eſt, In communi periculo.

## De pilo pendet.

*Macrob.*

De re vehementer periculoſa. Videtur natum ab hiſtoria illa Dionyſij tyranni, propter gladium de pilo in caput impendentem.

## Periculum proræ ſelis.

Κίνδυνος ἡ ἐν σφαίρᾳ σέλις. Id eſt, Periculum ſella proræ. Quoties in re quapiam præcipuum periculum, caputque negotij eſſe ſignificamus. Nam hoſtes expugnaturi nauim, in proram primum aſſultum faciunt. Selis autem ſella eſt, quæ in proris eſſe conſueuit.

## Inter ſacrum & ſaxum.

Plautus: Nunc ego, inquit, omninò occidi, Nunc ego inter ſacrum & ſaxum ſto, nec quid faciam ſcio. Sumtum apparet ex priſcis fœderis feriendi ceremoniis, in quibus fecialis porcum ſaxo feriebat, hæc interim pronuntians: Qui prior populus fœdus rumpet, Iupiter eum ita feriat, quemadmodum ego porcum hoc lapide ferio. Sed vndecunque fluxit adagium, ſatis liquet dici ſolitum in eos qui perplexi, ad extremum periculum rediguntur.

## A fronte præcipitium, à tergo lupi.

*Horatius.*

Ἔμπροσθεν κρημνὸς, ὄπισθεν λύκοι. Quum aliquis hinc atque hinc maximè premitur malis, vt in vtrunque inciderit, pereundum ſit.

## Flamma fumo eſt proxima.

*Plautus.*

Commonet adagium, periculum maturè fugiendum, quíque malum euitare cupiat, ei vitandam priùs occaſionem. Fumus enim indicium eſt flammæ mox erupturæ.

## Tua res agitur, paries quum proximus ardet.

*Horatius.*

Admonet adagium, vt ex alterius malo ſumamus exem-



Ayuntamiento de Madrid

plum, alienóque periculo diſcamus noſtris rebus cõſulere.

*Ariſtoph.*

## Per ignem incedis.

E'ν πυρὶ βέβηκας. Verſaris in periculoſo negotio. Seneca: Per ſpinas ingredior. Horatius: incedis per ignes ſuppoſitos cineri doloſo.

## In neruum ire.

Donatus, aut quiſquis is fuerit interpres Phormionis Terentianæ, demonſtrat eſſe prouerbium, pro eo quod eſt, decipere. Dictum eſt etiã: In neruum ire, pro eo quod eſt, In vincula ire. Porrò Coniicere in neruum, & Eximere è neruo, pro eo quod eſt, Ob æs alienum vinctos abducere, & nexos addictóſque perſoluta pecunia redimere.

## Nocuit & nocebit.

Siquando demonſtrata præteritorum malorum cauſſa comminabimur futurum, vt accedant maiora, niſi quis reſipiſcat, non intempeſtiuiter vſurpabimus verſiculum hunc Homeri ex primo Iliados:

Τοὔνεκ' ἄρ' ἄλγε' ἔδωκεν ἑκηβόλος, ἠδ' ἔτι δώσει. Id eſt.
Phœbus ad hæc mala multa, atque inſuper addet.

*Origen.*

## Inter malleum & incudem.

Μεταξὺ τῦ ἄκμονος καὶ σφύρας. Id eſt, Inter incudem & malleum. Iam qooddam eſt apud nationes tritum vulgi ſermone prouerbium, vt de his qui anxietatibus & ingentibus malis premuntur, dicant: Inter malleũ & incudẽ, &c.

*Sophocles.*

## In acie nouaculæ.

E'πὶ ξύρυ ἀκμῆς. Id eſt, In nouaculæ cuſpide, pro eo quod eſt, in ſummo diſcrimine. Sumtum videtur à circulatoribus, qui in cuſpide gladiorum ingrediuntur, aut ab iis, qui ferrum manu contrectant.

## Res eſt in cardine.

Quod Seruius putat perinde valere, quaſi dicas, res eſt in articulo. M. Tull. In eo cardo rei vertitur dixit, pro eo quod eſt, ex hoc tota res pendet. Sumtum ab oſtiis, quæ cardinibus voluuntur.

*Plautus.*

## E naſſa eſcam petere.

Eſt autem naſſa piſcatorij vaſis genus, quo poſteà quàm intrarit piſcis, exire non poteſt. Cicero: Ex hac naſſa exire conſtitui, non ad fugam, ſed ſpem mortis meliorem.

Ayuntamiento de Madrid

## Vndarum in vlnis.

In vlnis vndarum eſſe dicebantur, qui inſanis rerum difficultatibus verſabantur. Neque enim ſuauiter iactant maris vndæ quos amplexæ fuerint.

Οἰίλυκος.

Vox eſt compoſita ex oue & lupo. Dici poterat in hominem deſertum ac deſtitutum auxilio.

## Caluus quum ſis, ne obuerſa fronte obnuas arieti.

Vtitur Gregorius theologus in epiſtola quadam ad Euſtochium, quem laceſſiuerat. Licebit vſurpare quoties admonebimus, ne inarmatus armatum aggrediatur.

## Ne vni naui facultates.

Μὴ δ' ἐπὶ νηυσὶ ἅπαντα βίον κοίλῃσι τίθεσθαι.

Ne bona tu pandis ratibus ſemel omnia mandes.

Ne quid aggrediaris, in quo ſint vniuerſa periclitanda. Nam omnis ſtatim alea iacienda eſt.

## Filum contentionis tunc erat.

*Tertullia.*

Μίτος ἔριδος τότ' ἦν. Dici ſolitum in pertinaces. Quum vterque peruicax eſt, neuter concedit alteri. Eſt aliquoties in epiſtolis Hieronymianis, funiculum contentioſum ducere, nec apud alium legiſſe memini. Apparet natum à ludo, quo duobus hinc atque hinc trahentibus funem, vterque conatur alterum ad ſe trahere.

## Obijcere canibus agnos.

*Diogenian.*

Προβάλλειν τοῖς κυσὶν ἄρνας. Id eſt, Obiicere canibus oues: Dicebatur, qui imbellem & litium imperitum, calumniatoribus, & exercitatis exponeret.

## Ouem lupo commiſiſti.

*Terentius.*

Concinnè hoc vtemur, quoties ei ſeruandum aliquid committitur, cuius gratia cuſtodem magis oportebat adhibere. Cicero: ô præclarum cuſtodem ouiũ, vt aiunt lupũ.

## Ne in Melampygum incidas.

Μὴ τῷ Μελαμπύγῳ περιτύχοις. In laſciuos & iniurioſos homines quadrat. Eſt autem comminantis, ne quando incidant in eum, qui malefactorum pœnas de iis ſumat. Porrò Melampygus Græcis ſignificat eum, qui nigro ſit podice, quo quidem cognomento notatus eſt Hercules,

Ayuntamiento de Madrid

eo quod minimè eſſet delicato & molli corpore, vt qui omnium laborioſiſſimus.

## Ne temerè Abydum.

*Suidas.* Μὴ εἰκῆ τὴν Ἄβυδον. Subaudiendum, nauiges. Ne quod graue periculum ſuſcipias, ſine cauſſa idonea. Nam periculoſa erat in Abydum nauigatio, propter fretum ſæuum atque aſperum.

## Ad Scolon nec proficiſceris ipſe, nec alterum comitaberis.

Εἰς σκῶλον μήτ' αὐτὸς ἴμεν, μήτ' ἄλλῳ ἕπεσθαι. Id eſt.

Nec per te Scolum ipſe, nec vlli alij comes ito,

Strabo ſcribit Scolum vicum eſſe quempiam Aſopiæ, ſub monte Citherone, ſedem inamœnam, incultam, infrugiferam, aſperam, quo prouerbio conueniet vti, ſiquando ſignificabimus, modis omnibus abſtinendum à conuictu cuiuſpiam, aut à loco, vnde nihil ſit ſperandum, quod vel ad voluptatem faciat, vel ad emolumentum.

## Caue Thoracem,

Φύλαττε τὸν Θώρακα. Strabo ſcribit fluuium eſſe nomine Letheum, vicinũ Libybus Heſperiis. huic imminere montem, cui nomẽ Thorax, in quo fama eſt Daphiram Grammaticum cruci ſuffixum fuiſſe, quòd maledico carmine reges inceſſiuiſſet. Hoc velut ænigmate prouerbiali, feſtiuiter admonebimus frænandam eſſe linguam, ne voces petulanter emiſſæ, per iugulum aliquando redeant.

## Ægæum nauigat.

*Ælianus.* Τὸν Αἰγαῖον πλεῖ. Quadrabit in hominem ob lucri ſtudium nihil omnino periculi recuſantem. Perſius: Ocyùs ad nauem nihil obſtat quin trabe vaſta Ægæum rapias.

## Ne in neruum erumpat.

*Terentius.* Quadrabit in temerariam, inconſideratamque audaciam, quæ plerunque infelix eſſe ſolet. Donatus à ſagittariis ſumtam metaphoram exiſtimat, qui dum neruum arcualem adducunt immodicè, rumpunt nonnunquam, idque non ſine ſuo periculo.

## A bis ſeptem vndis.

*Suidas.* Ἀπὸ δὶς ἑπτὰ κυμάτων. In eos competit, qui à noxa quapiam purgati ſunt, propterea quòd antiquitùs mos eſſet

Ayuntamiento de Madrid

homicidio pollutos, veſtes ſuas bis ſeptem inundationibus, immerſionibúſque lauare.

## Ne puero gladium.

Μὴ παιδὶ τὴν μάχαιραν. Subaudiendum, commiſeris. Allegoria prouerbialis, admonens non eſſe mandandam poteſtatem vel adoleſcentibus, vel imperitis, ac ſtultis, qua tum in ſuam, tum aliorum perniciem ſint abuſuri.

## Gladium acutum auertas.

Ὀξεῖαν μάχαιραν ἀποστρέφου. Id eſt, Enſem acutum auertas. Opinor innui à periculoſis negotiis abſtinendum.

## Perque enſes, perque ignem oportet erumpere.

Diogenian.

Διὰ καὶ μαχαιρῶν, καὶ πυρὸς ῥίπτειν δεῖ. Quum ſignificamus quiduis periculi ſubeundum.

## Non certatur de oleaſtro.

Οὐ φυλλίας ὁ ἀγών. Id eſt, Hoc certamen non eſt de oleaſtro. Quoties non de nugis neque de gloria aut corollis, ſed de re ſeria ac pecuniaria ageretur. Siquidem in pleriſque certaminibus, victoriæ præmium erat oleagina, aut querna, aut alioqui frondea corona.

## Maleam legens, quę domi ſunt obliuiſcere.

Strabo.

Μαλέας δὲ κάμψας ἐπιλάθου τῶν οἴκαδε. Eſt autem Malea promontorium Laconiæ, à Maleo Argiuorum rege dictū, quod per quinque paſſuum milia in mari protenditur, auctore Seruio. Homerus ſignificat periculoſam circa Maleam nauigationem fuiſſe. Videbimur non intempeſtiuiter vti hac parœmia, ſiquando diſcrimen negotij ſuſcipiendi volemus oſtendere, & aut non eſſe ſuſcipiendum, aut negligendam vitam.

## Per haſtæ cuſpidem currere.

Δι' ὀξείας δραμεῖν. Id eſt, Per acutam currere. Dicebantur, qui in re periculoſa verſarentur. Tranſlatum videtur à militari conſuetudine, qua fieri ſolet, vt qui mortem commeritus videretur, is nudus per medias copiarum haſtas, hinc atque hinc intentas, ire cogeretur.

## Lepus pro carnibus.

Ariſtoph.

Λαγὼς περὶ τῶν κρεῶν. Subaudi, periclitatur. In eos dicitur, qui ob aliquam ſuam vtilitatem in diſcrimen vocantur.

Ayuntamiento de Madrid

Nam leporẽ non inſectamur, quòd noceat, ſed quod pulpamẽtum habeat. Eſt enim animal eſculẽtum & timidum.

## Ex ore lupi.

*Diogenian.* Ἐκ λύκου στόματος. Id eſt, Ex lupi rictu. Vbi res quæpiam præter ſpem recipitur, quæ iam planè periiſſe videbatur. Veluti quum pecunia erepta à prædonibus aut rapaci tyranno, aliquo inopinato caſu, recuperaretur.

## Certamen non accipit excuſationes.

*Plato.* Ἀγὼν οὐ δέχεται σκήψεις. Id eſt, Certamen non admittit excuſationes. Quum agitur periculo, non conuenit tergiuerſari.

## Corpore effugere.

*Tullius.* Eſt periculum iam imminens, ac penè premens, arte quadam declinare. Tranſlatum à gladiatoribus, ictum modico corporis flexu fallentibus.

## In periculoſo negotio non eſt dormitandũ.

Vbi monebimus in re ardua non eſſe ceſſandum, congruet quod ſubinde reperitur apud Homerum. Iliad. Π.

Ὀλίγη δ' ἀνάπνευσις πολέμοιο. Id eſt:

Exigua eſt interſpiratio belli.

Poterit trahi vel ad litem forenſem, vel ad ſimile negotium odioſum, & laboris plenum.

## Ingens diſcrimen.

*Idem.* Quoties ingens diſcrimen innuemus inter homines, aut res plurimum inter ſe diuerſas, eleganter accommodabimus illud Homeri:

Sunt in medio ſita plurima, monteſque
Vmbroſi, fretaque horriſono clamoſa fragore.

### DISSIMILITVDINIS ET INCONGRVENTIAE.

## Nihil graculo cum fidibus.

Id eſt: Nihil eſt ſtolidis, & imperitis cum bonis litteris. Nam graculus auis eſt ineptæ, moleſtæque garrulitatis. Porrò cithara ſilentium poſtulat, & aures attentas.

## Nihil cum amaracino ſui.

*Gellius.* Hoc eſt, Stolidis vel optima putent, diſplicentque. Amaracus herbæ genus eſt. Lucretius: Denique amaracinum fugitat ſus, & timet omne vnguentum, nam ſetigeris ſui-

Ayuntamiento de Madrid

bus acre venenum eſt.

## Nihil ad verſum.

*Lucianus.*

Οὐδὲν πρὸς ἔπος. Id eſt, Nihil ad carmen. De iis, quæ longè diſcrepant ab iis quæ propoſita ſunt. Trãnſlatum videtur à ſcena, vbi hiſtrio ſaltatu geſtuque carminis genus repræſentat.

## Nihil ad fides.

*Idem.*

Οὐδὲν πρὸς τὴν χορδήν. Id eſt, Nihil ad chordam. In eos, quorum vita vehementer eſt inæqualis, quorumúe mores ab oratione diſſident.

## Nihil ad Bacchum.

*Suidas.*

Οὐδὲν πρὸς Διόνυσον. Vbi quis ea nugatur, quæ ad rem præſentem nihil attinent. Suidas refert Epigenem quendam Sicyonium Tragœdiam de Baccho conſcripſiſſe, quæ quum indigna Deo videretur, quoſdam è ſpectatoribus acclamaſſe, Nihil ad Bacchum.

## Quid cani & balneo?

*Lucianus.*

Τί κοινὸν κυνὶ καὶ βαλανείῳ. Id eſt, Quid commune cani cum balneo? Quadrabit in eos qui ad rem quampiam prorſus ſunt inutiles, ita vt in balneo nullus eſt omnino canum vſus.

## Aſinus ad lyram.

*Varro.*

Ὄνος λύρας, ſubaudi ἀκροατής. Id eſt, Aſinus lyræ auſcultator. In eos, qui propter imperitiam nullo ſunt iudicio, craſſiſque auribus. Rectè etiam torquebitur in eos qui indecorè tentant artificem, cuius ſunt imperiti, & à quo natura abhorrent.

## Quid cæco cum ſpeculo?

*Stobæus.*

Τί τυφλῷ καὶ κατόπτρῳ: Luminibus orbo cum ſpeculo quid eſt rei? Quorſum opus eſt libris illiterato? Quò regnum iuueni ſtulto? Quò diuitias ei, qui neſciat vti.

## Aſinus ad tibiam.

Ὄνος πρὸς αὐλόν. Dicendum, vbi quis ea, quæ ſcitè dicuntur, nec animaduertit, nec intelligit, nec laudat. Sunt enim animantia quædam, quibus nonnullus muſices ſenſus ineſſe videtur, vt equis, auibus, ſerpentibus. Aſinum nihil mouet cantus.

## Aliud noctua ſonat, aliud cornix.

Ayuntamiento de Madrid

Plautus. Α᾽λλο γλαῦξ, ἄλλο κορώνη φθέγγεται. Accommodari poteſt ad eos, qui decertant cum longè præſtantioribus, vel ad illos inter quos ob morum ingeniique pugnantiam minimè conuenit.

## Martialis. Aliter catuli longè olent, aliter ſues.

Quo dicto ſignificatum eſt, non veſte dignoſci hominem ab homine, verùm ineſſe natiuum quiddam, genuinum ac proprium in vnoquoque, quod in ipſo vultu oculisque eluceat, quod liberum à ſeruo, generoſum à ruſtico, probum ab improbo facilè diſcernas. Atque hic eſt hominis peculiaris quidam odor, quo deprehenditur ſi quis modo ſit ſagaci nare.

## Alia voce pſittaccus, alia coturnix loquitur.

Conueniet in Muſicos aut Poëtas longè diſpari ſtylo, longéque diſſimili facultate. Pſittacus inter aues proximè humanas voces exprimit. Coturnices pugnaces magis, quàm loquaces.

## Graculus inter muſas.

Κολοιὸς ἐν ταῖς μούσαις. Indoctus inter doctiſſimos, infantiſſimus inter eloquentiſſimos. Eſt enim graculus auis minimè canora, ſed tamē odioſè garrula atque obſtrepera.

## Nunquid & Saul inter prophetas?

1. Reg. cap. 10. Ea vox verſa eſt Hebræis in prouerbium de re noua & inopinata, ſubitaque.

## Syrus quum non ſis, ne ſyriſſa.

Μὴ ὢν Σύρος μὴ σύριζε. Id eſt, Quum non ſis Syrus, ne ſyriſſa. Ne ſumas perſonam parum decoram, ne velis alius videri, quàm ſis, aut quum ſis natus ingenuus, ne moribus agas ſeruum & barbarum. Nam Syri malè audiebant ob morum mollitiem. Eſt autem facetus iocus ex amphibologia huius verbi Syrizo, quod ſignificat & ſyriſſare & fiſtula canere.

## Diogenian. Aſinus in vnguento.

Ο῎νος ἐν μύρῳ. Quum deliciæ adhibentur iis, quos haudquaquam decent, neque qui vel vti norunt illis, vel delectantur. Locus fuerit huic adagio, ſiquando indoctus aliquis in optimos incidat auctores, quos ob inſcitiam aut negligat, aut etiam deprauet.

Ayuntamiento de Madrid

## Aſinus portans myſteria. *Ariſtoph.*

Ὄνος ἄγων μυστήρια. In eum dicebatur qui præter dignitatem in numero quopiam verſabatur. Veluti ſi quis ignarus literarum, bibliothecæ præfectus eſſet.

## Feli crocoton.

Γαλῇ κροκωτόν. Subaudiendum, das aut addis. Dici ſolitum, quoties honos additur indignis, quos etiam haud quaquam decet, aut quum datur quippiam iis, qui munere non norunt vti. Crocoton veſtis genus eſt rotundæ ac fimbriatæ, qua diuites vtebantur matronæ.

## Cibum in matellam ne immittas. *Plutarchus.*

Σιτίον εἰς ἀμίδα μὴ ἐμβάλλειν. Interpretatur Plutarchus, ne ſermonem vrbanum immittas in animum hominis improbi. Nam oratio cibus eſt animi.

## Ex diametro oppoſita, diametro diſtát.

Ἐκ διαμέτρου. Id eſt, Ex diametro. De vehementer inter ſe pugnantibus dicebatur. Diametrus eſt recta linea, figuram, quàm longiſſimè patet, ex æquo ſecans, velut orbis eſt, quæ ſic à ſummo ad ſummum tenditur circulum vt per centrum eat.

## Alia res ſceptrum, alia plectrum.

Locus erit vtendi, quoties diues, aut potens fortuna ſua fretus, velut ex æquo diſputat cum erudito, quum multò aliud ſit diuitem, aut fortunatum eſſe, aliud litteratum.

## Caluus comatus. *Martialis.*

Aptè dicetur in eum, qui veris bonis nudus, aſcititiis ſe venditat. Veluti ſi quis indoctus aliena pro ſuis ederet, aut ſi quis diſſimulet ſe eſſe quod eſt.

## Simia in purpura.

Πίθηκος ἐν πορφύρᾳ. Id eſt, Simia purpurata. In hos dicetur, qui tametſi magnifico cultu ſunt ornati, tamen cuiuſmodi ſint, ex ipſo vultu, moribusque cognoſcitur.

## Induitis me leonis exuuium.

Ἐνδύετέ μοι τὴν λεοντῆν. In eos dici ſolitũ, qui ſuſcipiũt negotiũ maius facultate, quique ſe magnificẽtius gerũt, quã pro ſua conditione. Ab Hercule ſumtum putant, cuius hic ornatus erat, vt leonis exuuio tegeretur, deinde altera manu clauam, altera geſtaret arcum. *Ariſtoph.*

Ayuntamiento de Madrid

*Plutarchus.* Ne puero gladium.

Μὴ παιδὶ τὴν μάχαιραν. Id eſt, Ne puero gladium, ſubaudiendum, commiſeris. Ne iuueni obmiſeris adminiſtrationem alicuius rei.

In eburna vagina plumbeus gladius.

*Diogenes.* Ἐν ἐλεφαντίνῳ κολεῷ τὸ μολύβδινον ξίφος. Natum ex Diogenis apophthegmate. Nam quum adoleſcens quiſpiam inſigni forma, fœdum quiddam atque obſcœnum dixiſſet, Ex eburna, inquit, vagina plumbeũ gladium educis.

In lente vnguentum.

*Gellius.* Τὸ ἐν φακῇ μύρον. Vbi quis mentionem inducit vilis cuiuſpiam & nihili hominis, aliis de viris egregiis verba facientibus.

*Martial.* Congregare cum leonibus vulpes.

Eſt res impares diſſimileſque permiſcere. Vulpes dolis nititur, leo viribus fidit.

Aufer mothonem à remo.

Ἄπαγε τὸν μόθωνα ἀπὸ κώπης. Admonet adagium, non obſtrependum, nec obturbandum iis. qui rebus alioqui ſeriis ſunt occupati. Veluti ſi quis Reipub. curis ſolicito, muſicam adferat, aut de capite periclitanti, verſus amatorios recitet. Mothon enim ſaltationis genus fœdæ, ſeruilis ac tumultuoſæ.

*Lucianus.* Canis in præſepi.

Ἡ κύων ἐν φάτνῃ. In eos dicitur, qui nec ipſi fruuntur re quapiam, neque reliquos item ſinunt vti. Veluti ſi quis egregios codices incluſos diligenter adſeruet.

*Suidas.* Seruus quum ſis, comam geris.

Δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις. De eo, qui præter decorum quippiã faceret. Veluti ſi quis humili conditione, patritiorum cultum imitaretur. Apud Lacedæmonios ingenui comam

*Ariſtoph.* alebant.

Extra oleas fertur.

Ἐκτὸς τῶν ἐλαιῶν φέρεται. Vbi quis terminos præſcriptos tranſgreditur, aut aliena, nec ad rem pertinentia facit. Interpres adagium hinc natum ait. Stadia, in quibus currendi certamina peragebantur, oleis per ſeriem poſitis, vtrinque ſepiebantur, quas præterire non licebat.

Extra

Ayuntamiento de Madrid

## Extra cantionem.

Παρὰ τὸ μέλος : Extra cantum agi, diciũe dicunt, quod ad rem non pertinet. *Lucianus.* *Quinctil.*

## Extra organum.

Ductum eſt ab organo muſico, quod intra vigeſimam vocem conſiſtit. Conueniet in valde clamoſum.

## Quæ ſemel ancilla, nunquàm hera.

Videtur ideò dictum, quòd qui ex humili fortuna ſubuehuntur ad res amplas, ſoleant eſſe cæteris inſolẽtiores.

## In agro ſurculario capras.

Capra plantis omnibus non vulnere tantum, ſed & veneno dentium peſtifera eſt. Deflecti ergo ad eos poteſt, qui noxiarum rerum, aut hominum admixtu corrumpunt teneram ætatem.

## Tu in legione, ego in culina.

In Truculento Plautina, militi acriter minitanti coquus reſpondet, Sis tu in legione bellator ſi vis, at ego in culina Ares. Auxit coquus bellatoris verbum. Mars enim Deus belli eſt.

# DIVITIAE.

## Crœſo, Craſſo ditior.

*Plinius.*

Apud Græcos opulentia Crœſi Lydorum regis, in prouerbium abijt, præſertim nobilitata dicto Solonis. Apud Romanos item M. Craſſi, cui cognomentum etiam diuitis additum eſt. Hieronymus dicit: Crœſos, licet ſpires & Carios, litteræ marſupium non ſequuntur.

## Midæ diuitiæ.

*Statius.*

Μίδου πλοῦτος. Id eſt, Midæ opes. In prouerbium abiit, propter immenſas eius regis opes.

## Lyſiſtrati diuitias agit.

Λυσιστράτου πλοῦτον πλουτεῖς. Id eſt, Lyſiſtrati diuitijs diues es. Prouerbialis ironia de magnoperè tenuibus. A Lyſiſtrato quodam tractum, extremæ paupertatis homine.

## Pactoli opes.

*Philoſtr.*

Τὸν Πακτωλοῦ πλοῦτον. Id eſt, Pactoli diuitias. Eſt autem Pactolus Lydiæ fluuius ex monte Tmolo profluens, aureis ſcatens arenis.



Ayuntamiento de Madrid

Suidas.

## Cinyræ opes.

Κινύρου πλοῦτος. Id eſt, Cinyræ opes. De immenſis opibus dicebatur, nam huius regionem opulentiſſimam fuiſſe Naſo ſatis indicat.

## Pelopis talenta.

Theocrit.

De immenſis opibus. Talentum apud Atticos, maxima pecuniæ ſumma erat. Talentum minus valebat libras LX. Talentum magnum LXXX.

Non Pelopis mihi ſint, agríque auríque talenta,
Nec ventos celeres anteuolaſſe pede.

Suidas.

## Ad ambas vſque aures.

Μέχρι τῶν ἀμφοτίδων. Vſque ad aures ambas impleri dicuntur, qui ſupra modum ingurgitant ſeſe. Sumta metaphora à vaſculis, ad anſas vſque impletis.

## Ne decima quidem Syracuſanorum pars.

Strabo.

Οὐδὲ τὴν δεκάτην τῶν Συρακουσίων ἔχει. Id eſt, Ne decimam quidem partem opum Syracuſanorum poſſidet. De diuitibus & ſplendidis ita dicere ſolent: Ne decimam quidem Syracuſanorum opum partem aſſequi poſſent.

## Vltra res Callicratis.

Suidas.

Ὑπὲρ τὰ Καλλικράτους. Id eſt. Supra fortunas Callicratis De immenſis opibus dicebatur. Aiunt Caryſtium quempiā fuiſſe, nomine Callicratem, qui reliquos ciues opibus longè præſtiterit. Ariſtoteles autem tradit, Callicratem quendam è iudicum ordine fuiſſe, qui iudiciarias exactiones ſupra modum auxerit, atque hinc natam parœmiam de immodicis exactionibus.

## Zopyri talenta.

Zenodot.

Ζωπύρου τάλαντα. Id eſt. Zopyri talenta. De præclaris factis, magnoque æſtimandis. Hic Zopyrus Darij regis amicus erat, &c.

Plato.

## Diues, aut iniquus eſt, aut iniqui hæres.

Hieronym.

Menander: Nunquam vir æquus diues euaſit citò.

## Satietas ferociam parit.

Theognis.

Parit ſatietas ferociam, imperitia cum poteſtate coniuncta, inſaniam, tollit animos opulentia. Quòd ſi ad inſcitiam accedat poteſtas, aut res ad inſaniam vſque procedit.

Ayuntamiento de Madrid

## Octapedes. *Lucianus.*

Ὀκτάποδες. Scythico prouerbio dicebantur, qui duos poſſiderent boues,& currum vnum. Dici poterit in hominem, qui ſibi locuples videatur, vel in eum, cui ruſticanæ ſunt opes.

## Quantum non miluus oberret. *Perſius.*

De homine ſupra modum locuplete, cui tantum ſit agrorum, quantum nec miluus peruolet.

## Tantali talenta. *Plato.*

Τάλαντα Ταντάλου. Id eſt. Tantali talenta. Nam Tantalus Phryx, ob luculẽtas diuitias, in fabulam hominũ venit.

## Noctuæ Laurioticæ. *Ariſtoph.*

Γλαῦκες Λαυρειωτικαί. Id eſt, Noctuæ Lauriotica. Hoc velut ænigmate pecuniarum vim ſignificabant. Laurios enim Atticæ regio eſt, auri venis frequens.

## Bene loculis, bene ſcrinio.

Tanti habetur quiſque quantum habet.

## Dextro Hercule, aut amico Hercule.

Horatius. Diues amico Hercule, Quod quidem in eos competit, qui in accumulandis opibus ſunt bene fortunati. Idque inde natum exiſtimant, quòd Hercules moriturus dixerit eos opulentos futuros, qui ſibi decimam bonorum ſuorum partem conſecraſſent.

## Prædiues.

Prædiuitem ſignificamus his verſibus Homeri in ζ.κ.λ. Iliados:

Πολλὰ δ' ἐν ἀφνειοῦ πατρὸς κειμήλια κεῖται,
Χαλκός τε χρυσός τε πολύκμητός τε σίδηρος.
Diuitis in patris ſunt multa recondita tectis,
Æſque aurumque fabrefacti quoque copia ferri.

## Quantum habet.

Quantum habet quiſque, tanti ſit. Horatius Satyra I.
Nil ſatis eſt, inquit, quia tanti, quantum habeas, ſis.
Iuuenalis Satyra III.
Quantum quiſque ſua nummorum ſeruat in arca.
Tantum habet & fidei. *Pindarus.*

## Pecuniæ vir.



Ayuntamiento de Madrid

Χρήματα ἀνήρ. Id eſt, Pecuniæ vir. Hoc eſt, tanti quiſque ſit quantum poſſidet.

## Vnde excoquat ſeuum.

Plautus in Captiui duo, prouerbiali dixit hyperbole. Vnde excoquat ſeuum ſenex, opes ſignificans copioſiſſimas. Plautinus verſus hic eſt: Quid diuitiæ? ſuntne optimæ? Vnde excoquat ſeuum ſenex. Seuum autem, vel vt alij ſebum, eſt pingue pecudum durius, quod Græci στέαρ appellant.

## Adminicula vitæ.

Omnia, quæ ad vitæ commoditatem pertinent, indicãtur hoc carmine Odyſſ.τ.

Οἷσίν τ' εὖ ζώουσι καὶ ἀφνειοὶ καλέονται. Id eſt.

E' quibus & viuunt rectè, diteſque vocantur.

## Diuitiæ non ſemper optimis contingunt.

Qui dicet, opes non ſemper cordatiſſimis, ſed pro fortunæ arbitrio, nũc huic, nũc illi cõtingere, citabit illud Homeri,

Iupiter emetitur opes mortalibus ipſe,
Sic viſum vt fuerit, cuicunque, bonoúe, maloúe.

## Veſtis virum facit.

Εἵματα ἀνήρ. Id eſt, Veſtes vir. Aiunt enim ad hũc modum: Veſtitus virum reddit: qui habet, induat

## Lyſicrates alter.

Λυσικράτης ἕτερος. Id eſt, Alter Lyſicrates. Lyſicrates quidam in vulgi fabulam abijt, quòd capillos iam canos nigro tingeret, quòd iuuenis etiamdum videretur.

## Herculis quæſtus.

Herculis quæſtum, pro magnis impendiis dixit Plautus in Moſtellaria, Dapſiles ſumtus facit, perdidit patrem vnus iſthic ſeruus acerrimus Tranio, is vel Herculis conterere quæſtum potis eſt. Quæſtum appellat facetè, quaſi Hercules ſuum fauorem vendiderit.

## Magnum os anni.

Μέγα στόμα τοῦ ἐνιαυτοῦ. Id eſt, Magnum os anni Dicebatur, quoties vberior rerum prouentus, aut vilior annona animos & loquendi libertatem adderet, alioqui timidioribus. Non admodùm diſſidet ab illo Fœnum habet in cornu: item illo, Argenti fontes loquuntur.

Ayuntamiento de Madrid

## Nullius indigens Deus.

Ἀνενδεὴς ὁ θεός. Id eſt, Nullius egens Deus. Admonet parœmia, nullum eſſe mortalium tam abſolutum, in quo non aliquid deſideretur: vnum eſſe Deum vndequaque perfectum.

## Attagenæ nouilunium.

Ἀτταγᾶς νεμηνία. Id eſt, Attagenæ nouilunium. Refertur à Suida, nec explicatur, ſed coniectura colligi poteſt, dictum fuiſſe in turbam abiectorum & ſeruilium hominũ. Siquidem attagen auis eſt paluſtris, verſicoloribus plumarũ maculis diſtincta. Vnde ſeruum hominem ſtigmaticũ, & cui tergum ob plagarum vibices, variis punctis eſſet picturatum attagenam vocabant.

## Euparyphus ex comœdia.

Admodùm prouerbiali figura dixit Plutarchus in Sympoſio: ὥσπερ εὐπάρυφος ἐκ κωμῳδίας, hominem ſignificans magnificè veſtitum, ac magnam ſeruorum turbam poſt ſe trahentem. Vnde diuites omnes ſplendidè cultos, euparyphos appellant Græci.

## Ad pedes ad caput.

Non ſine pouerbij ſpecie dictum videtur illud Theocriti, de rebus copioſis & affluentibus.

Ὧν μοι πρὸς κεφαλῇ καὶ πὰρ ποσὶ κώεα κεῖνται. Id eſt:

Ad caput, atque pedes, quarum me vellera cingunt.

Sermo eſt paſtoris iactantis opes ſuas.

## Λακκόπλουτοι.

Galliæ barbarus quiſpiam clàm indicauit, magnam auri vim in puteum quendam coniectam. Is & occidit indicem ne proderet, & aurum ſuſtulit. Vbi res innotuit, in comœdiarum iocum verſa eſt, vt qui malis artibus ſubitò diteſcerent, Laccopluti dicerentur.

# DIVITVM PRAEROGATIVA.

## Felicibus ſunt & trimeſtres liberi.

*Plinius.*

Τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τριμηνιαῖα παιδία. In diuitum ac Principum felicitatem, quibus per adulationem omnia laudi vertuntur, quiѕque ſibi nihil non licere putant, adeò vt quod in homine plebeio perinde vt ſummum ſcelus dãnatur, in illis virtutis titulo celebretur.



Ayuntamiento de Madrid

## Multitudo imperatorum Cariam perdidit.

Πολλοὶ στρατηγοὶ Καρίαν ἀπώλεσαν. Id eſt, Multi duces deperdidere Cariam. Admonet ſenarius, nihil eſſe pernicioſius licentia multitudinis, dum nulli paretur, ſed pro ſua quiſque libidine rem gerit. Natum adagium à Caribus quondam florentiſſimis, poſteà per ciuiles ſeditiones eo redactis, vt etiam in vilitatis prouerbium abierint.

*Athenaeus.*

## Citius Telegoræ donarim.

Telegoras apud Naxios prædiues ac præpotẽs erat, cui, quòd quotidie multa miſſitarentur, vulgato ſermone receptum eſt, vt venditores paruo licitantibus dicerent: Μᾶλλον προέλοιμι τῷ Τελεγόρᾳ δοῦναι. Id eſt, Malim Telegoræ dare. Vſus adagionis eſſe poteſt, ſi dicamus officiũ rectiùs gratuitò collocari penes probos ac magnos, quàm mercede penes improbos ac viles.

*Ariſtotel.*

## Nemo bene imperat, niſi qui paruerit imperio.

Οὐκ ἔστιν εὖ ἄρχειν, μὴ ἀρχθέντα. Id eſt, Fieri non poteſt, vt bene gerat imperium, qui non tulerit imperium.

## Bonus dux bonum reddit comitem.

Ὁ καλῶς ἄγων, ἐμποιεῖ τὸ καλῶς ἕπεσθαι. Id eſt, Qui bonum Ducẽ præſtat, is bonum reddit comitem. In epiſcopo poſitum, vt piam efficiat plebem, ſi tamen ipſe piam & integram agit vitam. Bonus paterfamilias domum efficit bene inſtitutam. Doctus ac diligens præceptor, eruditum reddit diſcipulum.

*Horatius.*

## Vmbræ.

Σκιαί. Prouerbiali ioco dicebantur olim ii, qui venirent ad conuiuium, non ipſi quidẽ vocati, ſed comites eorũ, qui vocati fuerant, ſic illos ſequentes, velut vmbra corpus vltrò loquitur.

*Iuuenal.*

## Arbore deiecta quiuis ligna colligit.

Δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται. Id eſt, Ruente quiuis ligna colligit arbore. Si quem fortuna præcipitem dederit, in hunc paſſim omnes incurrunt, & quiſque quod poteſt diripit. Iam enim ſibi putant impunè fore.

*Cicero.*

## Viua vox.

Viua vox olim dicebatur, non ſcripta, ſed ab ipſo pronuntiãtis ore percepta, quaſi viuida atq; efficax. Viua vox

Ayuntamiento de Madrid

magis afficit, inquit diuus Hieronymus.

## Annus producit, non ager.

*Theophraſt.*

Ἔτος φέρει, οὐχὶ ἄρουρα. Id eſt, Annus producit ſegetem, non aruum. Ad incrementum autem, alimentúmque, plurimum quidem cœli temperies, & in totum anni conditio iuuat. Etenim ſi imbres, ſerenitates & hiemes accidant opportunè, cuncta feliciùs, atque vberiùs proueniunt, etiam in ſalſuginoſis ac parum pinguibus agris.

## Aliis lingua, aliis dentes.

Ἄλλοισι γλῶττ' ἄλλοισιν ἔασι γόμφιοι. Id eſt,
His lingua, at illis ſunt molares inuicem.

De loquacibus & edacibus dici conſueuit. Quemadmodum non raró fit in conuiuiis, vt aliis garrientibus, & fabulis potius, quàm cibis intentis, alij interim taciti ſtrenuè quod appoſitum eſt, deuorant.

### DIVTVRNVM.

## Et nati natorum.

*Plato.*

Παῖδες παίδων. Id eſt, Nati natorum, Prouerbialis figura, qua longam rei cuiuſpiam propagationem ſignificamus.

### DOCILITAS.

## Apertæ muſarum ianuæ.

*Zenodotus.*

Ἀνεωγμέναι μουσῶν θύραι. Hoc adagio conueniet vti, quoties aliquem facili promptóque ingenio ſignificabimus, & in percipiendis optimis diſciplinis celerem. Et è diuerſo, qui tardiores ſunt, clauſis muſarum ianuis diſcere dici poterunt.

## Bos alienus ſubinde foras proſpectat.

Βοῦς ἀλλότριος τὰ πολλὰ ἔξω βλέπει. De iis, qui apud alienos non ſatis ex animi ſententia tractantur, eóque ſæpius ſuos deſiderant.

## Vtinam domi ſim.

*Suidas.*

Οἴκοι γενοίμην. Dici ſolitum vbi quis optat è malis, quibus implicitus eſt, emergere.

### DOMI VIVERE.

## Domus amica, domus optima.

Οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος. Nuſquã commodiùs, nuſquàm liberiùs, nuſquã lautiùs homini viuere cõtingit quã domi.



Ayuntamiento de Madrid

Οἰκουρός.

*Plutarchus.* Dicitur quaſi cuſtos domus. Et homo ignauus, qui tecto & vmbra gaudet, quíque amat deſidere domi ſemper.

### Domi manere oportet bellè fortunatum.

Οἴκοι μένειν δεῖ τὸν καλῶς εὐδαίμονα. Domi manendum eſt, cuncta cui ſint proſpera. Cui ſuppetit copia facultatũ, is ſi felicem velit agere vitam, viuat domi.

### Domus optima.

Infeliciſſimum, incertis vagari ſedibus: quemadmodum faciunt ſemper ἀνέστιοι peregréque viuentes. Huic adſtipulatur illud Homeri Odyſſ. o.

Πλαγκτοσύνης δ' οὐκ ἔστι κακώτερον ἄλλο βροτοῖσιν. id eſt:
Nil miſerabilius quàm incerta ſede vagari.

### Domi manendum.

Cùm ſignificabimus inutile fore diutiùs abeſſe domo, poſſeſſionibus relictis, quadrabit illud Home. ex Odyſſ. Γ.

Καὶ σὺ φίλος, μὴ δηθὰ δόμων ἄπο τῆλ' ἀλάλησο,
Κτήματά τε προλιπὼν, ἄνδρας τ' ἐν τοῖσι δόμοισι. Id eſt,
Tu quoque amice domo diuturnus abeſſe caueto,
Rebus itemque viris intra tua tecta relictis.

## ELABENDI.

Ἐκπαραδύσαι.

Græci prouerbiali metaphora, vocant elabi ac ſuffugere. Ariſtophanes:

Ὡς παρ' ἡμῖν οὐδὲν αἰσχρόν ἐστιν ἐκπαραδύσαι. Id eſt,
Quippe apud nos turpe non eſt ſuffugere de caſſibus.

Ductum eſt ab auibus, quæ nonnunquàm elabuntur de retibus ſeu laqueis.

Ἐκλινίσαι.

Prouerbiali figura dictum oſtendit Euſtathius, pro elabi atq; clàm ſe ſubducere. Sumta metaphora à piſcibus, qui ſuffugiunt è retibus, quíue ab hamo elabuntur.

*Plato.*

### Omnes laqueos effugere.

Quod ipſum à venatu tranſlatum eſt.

### Reperire rimam.

Plautus Aliquam reperietis rimam. In cauſatores ac tergiuerſatores.

*Virgilius.* *Hieronym.*

### In limine offendere. In portu impingere.

Pro eo quod eſt, Statim in ipſo operis ingreſſu peccare.

Ayuntamiento de Madrid

In limine deficere, idem.

## Cantherius in porta.

*Feſt. Pomp.*

Natum à Sulpicio Galba quodam, cui quum in prouinciam ituro, cantherius in porta cecidiſſet: Rideo, inquit, cantherie in porta, quum tam longum iter ſis iturus, iam laſſum eſſe te, quum vixdum ſis ingreſſus. Cantherius nempe equus eſt exectis teſtibus, vt hoc differat cantherius ab equo, quo maialis à verre, capus à gallo, veruex ab ariete.

## EXCELLENTIA, INAEQVALITAS.

## Aquilam noctuæ comparas.

*Martialis.*

Aquila viſus acerrimi, adeò vt verſus ſolem intueatur: contrà, Noctua ſolis lumen refugit.

## Cicadæ apem comparas.

*Lucianus.*

Τέττιγα τῇ μελίττῃ συγκρίνεις. Nam cicada cùm maior, tum canora, quum apis ſit non modò minuto corpuſculo, verum etiam penè muta.

## Rana cum locuſta.

Impar certamen expreſſit hac figura Theocritus:
Sic certo, veluti ſi certat rana locuſtis.

## Officere luminibus.

*Paulus Iuriſconſul.*

Officere luminibus dicitur, qui gloriam alterius obſcurat. Sumtum ex litteris iureconſultorum, in quibus cauetur ex ſeruitutibus prædiorum, Ne vicinus, altiùs ſublato ædificio, officiat luminibus vicini.

## Roſam cum anemona confers.

Ῥόδον ἀνεμώνῃ συγκρίνεις. Id eſt; Roſam cùm anemoma confers. Vbi quis vehementer imparia inter ſe componit. Roſa priſcis in pretio fuit. Anemona papaueris genus, cuius flos ipſe quidem roſam imitatur, cæterum nulla odoris gratia.

## Acanthida vincit cornix.

*Calphur.*

Acanthis enim vocalis eſt auis, & in primis contra. Cornix obſtrepera quidem, ſed minimè canora.

## Cancros lepori comparas.

*Diogenian.*

Καρκίνους δασύποδι συγκρίνεις. De ſupra modum diſſimilibus.

Ayuntamiento de Madrid

## Teſtudinem pegaſo comparas.

De rebus nequaquàm inter ſeſe conferendis. Pegaſus equus erat volucer. Teſtudine nihil tardius.

## Optima quidem aqua.

*Pindarus.* Ἄριστον μὲν ὕδωρ. Id eſt, Optima quidem aqua. Videtur in prouerbium abiiſſe, quoties rei vehementer laudatæ præfertur aliquid melius: quemadmodum Pindarus auſpicans hymnos Olympiacos, aquam quidem fatetur eſſe optimam, ſed aurum præfert, quòd ignis in morem noctu luceat, &c.

## Crœſi pecuniæ teruntium gerere.

*Lucianus.* M. Tullius lib. De finib. 4. Itaque in quibus propter earum exiguitatem obſeruatio conſequitur, ſæpe accidit vt nihil intereſſe noſtra fateamur, ſint illa, necne ſint: vt in ſole, quod à te dicebatur, lucernam adhibere, nihil intereſt, aut teruntium addere Crœſi pecuniæ. Teruntij nummi, à tribus vnciis dicti, vilitas prouerbio locum fecit. Crœſus Lydorum rex inter prodigioſè diuites celebratur.

## Senecta leonis, præſtantior hinnulorum iuuenta.

*Stobaeus.* Γῆρας λέοντος κρεῖσσον ἀκμαίων νεβρῶν. Id eſt, Leo ſenex vigente potior hinnulo. Senectus viri fortis ac ſtrenui, præſtantior eſt iuuenta quorundam ignauorum & imbecillium iuuenum. Venuſtius fiet, ſi longulè transferatur: veluti ſi quis ingenium docti ſenis & exercitati præferat ingenio parum eruditi iuuenis.

## Camelus vel ſcabioſa, complurium aſinorum geſtat onera.

Κάμηλος καὶ ψωριῶσα, πολλῶν ὄνων ἀνατίθεται φορτία. De iis, qui vſque adeò præcellunt quoſdam, vt etiam ſenes, aut alioquin ægroti, præſtantiores tamen ſint illis integris.

## Crotoniatarum poſtremus, reliquorum Græcorum primus eſt.

Κροτωνιατῶν ὁ ἔσχατος, πρῶτος τῶν ἄλλων Ἑλλήνων. Id eſt, Crotoniatarum poſtremus, primus reliquorum Græcorum. Strabo lib. Georg. 6. prouerbium hoc ait ortum ob inſignem Crotoniatarum præſtantiam in certaminibus

Ayuntamiento de Madrid

Græcanicis.

## Plus apud Campanos vnguenti, quàm apud cęteros olei fit.

Si cui placebit adagium ad allegoriam trahere, poterit accommodari vel in regionem, vel in hominem adeò cæteris excellentem, vt apud hunc maior ſit exquiſitarum rerum copia, quàm apud alios mediocrium, aut vulgarium.

## Aquilæ ſenecta, corydi iuuenta.

Αἰετοῦ γῆρας κορύδου νεότης. De viuida, viridíque ſenecta, quæ præſtantior ſit aliquorum iuuenta. Nam anus aquila præſtat corydo auiculæ, etiam ætate integra.

## Equis albis præcedere.

Vbi quem aliis quapiam in re longè ſuperiorem ſignificabant, longóque anteire interuallo, cum albis equis pręcedere dicebant: vel quòd antiquitus albi equi meliores haberentur, vel quòd victores in triumpho albis equis vectari ſoleant, vel quòd alibi fortunatiores & auſpicatiores eſſe credantur. *Horatius.*

## Culicem elephanti conferre.

Κώνωπα ἐλέφαντι παραβάλλειν. Eſt minima maximis comparare.

## Multis paraſangis præcurrere.

Πολλοῖς παρασάγγαις ὑπερδεδραμεῖν. Qui longo interuallo præcedit, multíſque partibus ſuperior eſt. Paraſangam autem Perſæ xxx. ſtadiorum ſpatium vocant. *Lucianus.*

## Teſtudinem equus inſequitur.

Conueniet vti, quum rem præpoſterè & abſurdè geri ſignificamus. *Plutarchus.*

## Pica certat cum luſcinia.

Haud ſatis eſt picas contendere cum philomena. Pica moleſtæ garrulitatis, luſcinia ſummè muſica. *Homerus.*

## Nihil ſimile.

Ad iniquã cõparationẽ ſignificandã, valebit illud Homeri:

Imò res eſt ſtulta, cynosbaton aut anemonam
Compoſuiſſe roſis. Cynosbatos ſonat canis rubũ, eſt genus ſonticis, roſam producens contemptam, miniméq; grati odoris. Anemonam Dioſcorides papaueris ſpeciem facere videtur.

Ayuntamiento de Madrid

### Bubo canit luſciniæ.

Quum infans ſuadere conatur eloquenti, aut inerudi-tus docere doctiſſimum.

*Hieronym.*

### Si tanti vitrum, quanti margaritum?

Hoc dicto ſumma rerum inæqualitas ſignificabatur. Si tanto ſtudio curas vt viuat corpus, quàm eſt danda opera quo viuat animus? Si nihil non facis quo placeas homini Principi, quanto magis enitendum vt placeas Principi Deo? Si tantis ſudoribus parantur opes perituræ, vel vſu, vel furto, cur non magis incumbimus, vt cæleſtes opes accumulemus? In his locus erit prouerbio.

### Sedecim pedibus ſuperauit.

Ariſtides ſcripſit in Pericle. Nempe Periclem oratorem reliquos in dicendo ſedecim præteriiſſe pedibus. Itaque ſedecim pedibus, pro maximo interuallo dixit. Sumta metaphora à ſtadiis curſorum.

*Diogenian.*

### Tibiam tubæ comparas.

Αὐλὸν σάλπιγγι συγκρίνεις. Conueniet in res ſupra modum impares.

*Athenæus.*

### Quanto aſinis præſtantiores muli.

Dicendum, vbi quis longo interuallo præcedit.

*Suidas.*

### Fluuius cum mari certas.

Ποταμὸς θαλάττῃ ἐρίζεις. Vbi minimi cum maximis certamen ſuſcipiunt.

### Hirundo totos ſchœnos anteibit.

Πρόσω τὶς χελιδὼν ὅλους σχοίνους παρέρχεται. Id eſt, Hirundo quæpiam totos ſchœnos præteribit. Vbi quis immenſo vincit interuallo. Nam ſchœnos Græcis menſuræ genus, quæ (ſicuti quidam exiſtimant) quinquaginta comple-ctitur ſtadia.

*Lucianus.*

### Hinnulus leonem.

Ὁ νεβρὸς τὸν λέοντα. Subaudiendum, cepit, vicit aut prouocat, aut id genus aliquid pro ratione ſententiæ, quoties præpoſtero rerum ordine, qui viribus multò eſt inferior, ſuperat potentiorem.

### Mineruæ felem.

Ἀθηνᾷ τὸν αἴλουρον. Subaudiendum, comparas. Quum multò inferiora, cum præſtantioribus comparantur.

Ayuntamiento de Madrid

## Nihil ad Parmenonis ſuem.

Οὐδὲν πρὸς τὴν Παρμένοντος ὗν. De æmulatione dictum, quæ longo interuallo abeſſet ab eo, quod imitaretur. Plutarchus in Sympoſiacis quintæ decadis, ſecundo problemate, quo pacto natum ſit hoc adagium narrat ad hanc fermè ſententiam: Parmeno quiſpiam fuit ex hominum eorum genere, qui noſtris etiam temporibus varias animantium & hominum voces ita ſcitè imitantur ac repræſentant, vt audientibus tantùm non etiam videntibus, veræ, non imitatæ voces videantur. Non intempeſtiuiter vtemur hoc adagio, quoties aliquis opinione deceptus, de re perperam iudicat.

## Poſt Leſbium cantorem.

Μετὰ Λέσβιον ᾠδόν. Hoc adagio ſignificabant aliquem non primas, ſed ſecundas tenere partes. Lacedæmonicum prouerbium, hac natum occaſione, quemadmodum narrat Suidas: Quum Lacedemoniorum res ſeditionibus tumultuarentur, conſultum oraculum iuſſit, vti Lesbium cantorem acceríſerent. Accerſitus Terpander Lesbius, nimirum Antiſſeus, & ad Lacedæmonios miſſus. Is canendo illorum animos ſic deliniuit, vt ſeditionem omnem ſedaret, redactis in concordiam ciuibus. Qua ex re factum eſt, vt Lacedæmonij Lesbiis cantoribus primas in arte muſica partes tribuerent, & ſi quem alium canentem audiſſent, protinus dicerent: Poſt Lesbium muſicum.

## Nihil aliæ ciuitates ad Crotonem.

Μάταια τ' ἄλλα πρὸς Κρότωνα τ' ἄστα. Id eſt, Sunt reliqua præ Crotone friuola oppidula. Licebit accommodare ad rem aut hominem vſque adeò præcellentem, vt reliqui cum hoc collati nihil eſſe videantur. Natum fortaſſis eſt à pugilum Crotoniatarum excellentia, quorum erat Milo.

## Indignus, qui illi matellam porrigat.

De vehementer inæqualibus, ac ne vlla quidem ex parte conferendis. Martialis:

Diſpeream ſi tu Pyladi præſtare matellam
Dignus es, aut porcos paſcere Pirithoi. Nam ſordidiſſimum officium eſt, micturienti matellam exhibere.

Ayuntamiento de Madrid

*Homerus.*

## Nec dignus qui me intueatur.

Qui contemnet omnino quempiam vt ignauum, multoque ſeſe inferiorem, non ineleganter illud ex Iliados I. detorſerit, quod in Agamemnonem dixit Achilles.

Οὐδ' ἂν ἔμοιγε
Τετλαίη κύνεός περ ἐών, εἰς ὦπα ἰδέσθαι. Id eſt.
Haud ille quidem auſit,
Quamuis perfricta ſit fronte, mihi ora tueri.

*Zenodotus.*

## Celmis in ferro.

Κέλμις ἐν σιδήρῳ. Dici conſueuit de iis, qui prætet modum ſuis fiderent viribus, tanquàm inexpugnabiles, inuictíque cæteris. Celmis, vt ſcribit Zenodotus, vnus fuit ex Idæis Dactylis, qui quum matrem Deorum Rheam violaſſet ſtupro, deinde à reliquis fratribus reiectus eſt. Ab hoc ferrum ſolidiſſimum cudi ſolebat.

*Ariſtoph.*

## Aquila in nubibus.

Ἀετὸς ἐν νεφέλαις. Plerique interpretantur de re magna quidem illa, ſed quam non facilè aſſequaris. Alij de iis, qui longè reliquis præcellunt.

*Plutarchus.*

## Manica.

Μανικά. Phrygio prouérbio dicebantur ingentia, egregiáque facta, ducta voce è Mane quodam, priſco apud ipſos rege, quem ferunt virum fuiſſe præpotentem, & admirabili virtute præditum.

*Cicero.*

## Multi diſcipuli præſtantiores magiſtris.

Πολλοὶ μαθηταὶ κρέασσονες διδασκάλων. Plerique diſcipuli magiſtros anteeunt. Ad varios vſus accommodari poteſt, vel ad ſimplicem ſenſum, vt diſcipulus eruditione ſuperet eum, à quo litteras didicit, aut per iocum, &c.

*Idem.*

## Pedibus trahere.

Eſt rem pro ſuo arbitratu verſare. Metaphora ducta videri poteſt, vel à Vulcano illo Homerico, quem Iupiter, vt longè viribus præſtantior, pedibus tractum cælo deiecit.

*Homerus.*

## Solus ſapit.

Narrat Diogenes Laërtius, Chryſippum Philoſophum vſque adeò ſibi placuiſſe, vt conſultus à quodam cui po-

tiſſimum filium ſuum Philoſophiæ præceptis inſtituendum traderet, Sibi committendum reſponderit. Nam ſi quem, inquit, alium me præſtantiorem arbitrarer, ipſe apud hunc Philoſophiæ darem operam: Vnde & illud Homericum de eo vulgò iactatum fuiſſe, quòd ſolus saperet, reliqui verò vmbræ ferrentur.

## Formica Camelus.

*Lucian.*

Μύρμηξ ἢ κάμηλος. De vehementer inæqualibus, & modò minimis, modò maximis, quod perinde fit, quaſi repentè camelus in formicam vertatur.

## Hercules & Simia.

Ἡρακλῆς καὶ πίθηκος. De minimè congruentibus. Simia dolis valet, Hercules viribus antecellit.

## Elucet egregia virtus.

Egregia virtus, etiamſi quando diſſimuletur, tamen ſemper eminet inter alios, atque ex ipſo habitu oris perſpicitur, & in ipſa quaſi relucet fronte. Veram item nobilitatem teſtatur facies hominibus itidem vt mores. In hanc ſententiam quadrabit Homericum illud ex Iliad. γ. Ἀρίγνωτοι δὲ θεοί περ. Id eſt: Inſignia numina diuûm.

## Quum ſis nanus, cede.

Νᾶνος ὢν ὕπεικε. De puſillis dictum. Nani enim homunciones appellantur infra modum humani corporis, & prodigioſæ breuitatis.

## Hæc potior.

*Plutarchus.*

Καῤῥόνων νίκα, hoc eſt. Præſtantiorum victoria. Illius ſententia aut conſilium magis quadrat.

## Corui luſciniis honoratiores.

Quum indocti, doctis præferuntur: improbi, probis: blateratores, eloquentibus: rapaces ac fures, cordatis ac integris viris.

## Seruus ſeruo præſtat: dominus domino.

*Homerus.*

Δοῦλος πρὸ δούλου, δεσπότης πρὸ δεσπότου. Id eſt.

Seruóque ſeruus potior eſt, heruſque hero.

Admonet adagium, in eodem hominum genere, non ſtatim omnes æquales eſſe: Verùm hominum habendam eſſe rationem, non tantùm conditionis.

Ayuntamiento de Madrid

## Antiquis debetur veneratio.

Cum ſummis, vel inuictis, vel cum antiquis non eſſe certandum, ſed his vltrò cedendum eſſe, vſurpabit quod dicitur ab Vlyſſe Odyſſ. Θ. Cum maioribus haud ſubeam certamina, vel cum Herculea virtute, vel Euryto Oechalienſi.

## Acarnici equi

Ἀχαρνικοὶ ἵπποι. Dicebantur equi maximi. Conueniet vti de re quapiam eximia, aut inſigni præmio.

## Inter cæcos regnat ſtrabus.

In regione cæcorum rex eſt luſcus. Inter indoctos, qui ſemidoctus eſt, doctiſſimus habetur. Inter mendicos, qui paullulum habet nummorum, Cræſus eſt.

## Qui probus Athenienſis.

Platonis verba ſunt lib. De Leg. 1. Et quod vulgò dicitur: Ex Athenienſibus qui probi ſint, eos egregiè probos eſſe, veriſſimè dictum videtur. Sentit autem Plato, in malè inſtituta, maléque morata Repub. qui boni ſint, eos natura inſignitè bonos eſſe.

## Vnus multorum inſtar.

Quod Iliados Λ. dictum eſt in laudem medici, idem torqueri poterit ad quemcunque virtute præſtantem.

Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Id eſt.
Vir medicus multis aliis æquandus honore eſt.

## Alabanda fortunatiſſima.

Ἀλάβανδα Καρῶν εὐτυχεστάτη. Id eſt, Alabanda Carum fortunatiſſima. Stephanus in commentariis, De vrbibus tradit, Alabandam Cariæ ciuitatem eſſe, conditam à Care, à cuius filio nomen ſortita eſt. Siquidem is poſtquàm in equeſtri prælio ſtrenuè nauaſſet operam, Alabandus dictus eſt, Cares enim ſua lingua Ala vocant equum, Banda victoriam. Eamque vocem ait Romanis etiam in vſu fuiſſe. vt Bandam victoriam dicerent.

## Alpha penulatorum.

Martialis Alpha vocauit præcipuum & quaſi primatem. Idem aliàs iocatur in quendam offenſum, quòd eum dixiſſet Alpha, monetque, vt huius iniuriæ talionem faciat, ſeque viciſſim Beta, ſi vellet, appellet. Translatum à no-



Ayuntamiento de Madrid

tulis litterarum, quibus Græci numerum indicant. Eoſdem ſigniferos & anteſignanos appellant. Metaphora ſumta à militia.

## Aceſei & Heliconis opera.

Ἀκέσεως καὶ Ἑλικῶνος ἔργα. Quæ ſingulari artificio confecta viderentur, ſic antiquitus appellabantur. Locum prouerbio fecerunt duo quidam celebratæ artis artifices, Aceſeus & Helicon.

## Ambroſia alendus.

In egregios viros adagium. Ambroſia cibus eſt Deorum. *Cicero.*

## Gorgonem Perſeus aggreditur.

Γόργονα Περσεὺς ἐγχειρώσατο. Id eſt, Gorgonem Perſeus adortus eſt. Vbi quis egregium facinus acceptat. Notiſſima fabula. &c.

## Lydius currus.

*Diogenian.*

Λύδιον ἅρμα. Hoc ſcommate notabantur, qui in certamine quopiam longè cæteris eſſent inferiores. Refertur adagium à Diogeniano. Quidam ad Pelopem Lydum referunt, qui ſuo curru vicerit Oenomaum.

## Ne capra contra leonem.

*Perſius.*

Μὴ πρὸς λέοντα δορκάς. Ne longè inferior eum potentiore decertes.

## Monſtrari digito.

Pro eo quod eſt, inſignem eſſe. Horatius in Odis:
Quòd monſtror digito prætereuntium. Perſius: *Idem.*
At pulcrum eſt digito monſtrari, & dicier, hic eſt.

## Prodico doctior.

*Ariſtophan.*

Προδίκου σοφώτερος. Aiunt hunc Prodicum in diiudicandis litibus & arbitriis, inter diſſentientes amicos, acerrimi fuiſſe iudicij.

## Quò properas? Num ad ephebum?

Parum liquet quid ſibi voluerit Cilicum illud adagium, niſi fortè ſumtum eſt ab Apollinis oraculo, ad quod vndique feſtinabatur. Fingebatur autem imberbis Apollo, quemadmodum & Bacchus.

## Alius aliis in rebus præſtantior.

Qui dicet alium alia dote præcellere, accommodabit



Ayuntamiento de Madrid

illud ex Iliados Σ.

Ἀλλ' ὁ μὲν ἄρ μύθοισιν, ὁ δ' ἔγχεϊ πολλὸν ἐνίκα. Id eſt.
His dictis, haſta longè præſtantior ille.

## Non omnia poſſumus omnes.

*Virgilius.* Natura differimus, vitam ſortientes, hic hanc, illam alij. Porrò contingere non poteſt, vt omnis felicitas vni contingat.

## Diuinum excipio ſermonem.

*Plato.* Θεῖον ἐξαίρω λόγον. Id eſt, Diuinum excipio ſermonem. Quoties, opinor, glorioſius aliquid dictum eſſet, ominis gratia Deos excipiebant, qui nihil non poſſunt, & quibus nemo præſcribit.

## Dij omnia poſſunt.

Hemiſtichium Homericum: Θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται. At cæleſtes omnia poſſunt. Quadrabit in monarchas, quibus promtum eſt facere quicquid animo collibitum fuerit, ſiue iure, ſiue iniuria.

# EXECRANDI.

## Deuotionis templum.

*Diogenes.* Ἀρᾶς ἱερόν. Id eſt, Execrationis templum. In eos dicebatur, qui crebris execrationibus vti conſueuerunt. Qui mos nunc vulgò pleriſque plurimum improbandus, vt nihil dicant niſi diras admiſceant deuotiones, & imprecamina, vel ipſo horrenda auditu.

## Oedipi imprecatio.

Οἰδίποδος ἀραί. De tragicis & ingentibus malis. Qui Græca colligunt adagia, citant ex Aeſchylo huiuſmodi fabulã: Etheocles & Polynices de more patri ex vnoquoque ſacro partem anteriorem mittebant. Quum autem aliquando per imprudentiam atque incogitantiam, coxam, hoc eſt, poſteriorem partem miſiſſent, ille exiſtimans id non obliuione neque imprudentia, ſed contumeliæ cauſſa factum, imprecationibus diris eos eſt execratus.

## Phocentium execratio.

*Herodot.* Φωκέων ἀραί. De iureiurando multis vinculis aſtricto. Nam olim in fœderibus, quo minùs violarentur, adhibebant non ſolùm promiſſa, dextras & ſacrificium, verùm execrationes in caput eius, quicunque non ſtaret pactis.

Ayuntamiento de Madrid

Prouerbium autem ab huiuſmodi profectum eſt caſu:Phocenſes olim communi populi conſilio patrium ſolum reliquerũt,adacti deuotionibus atque execrationibus quibuſdam, ne quiſquam vſquam de repetenda patria cogitaret.

## Phocentium amolitio.

Φωκικὴ ἀπόνοια, hoc eſt,Phocia deſperatio : dici ſolitum, vbi deſperatis rebus ad extrema conſilia veniretur:aut de ſtultis & inſanis conſiliis.

## Adiurantis ſe facturum aliquid.

Quum adiurabimus nos facturos quippiam , ſi modò vita non deſtituat , licet accommodare verſiculum ex Iliados β. *Homerus.*

Μηκ' ἔτ' ἔπειτ' ὀδυσῆι κάρη ὤμοισιν ἐπείη. Id eſt.
Poſthac ne caput hoc humeris inſiſtat Vlyſſis.

Item Iliados ε.

Αὐτίκ' ἔπειτ' ἀπ' ἐμεῖο κάρη τάμοι ἀλλότριος φώς.Id eſt.
Mox caput hocce aliquis mihi barbarus enſe recidat.

## In omni fabula & Dædali execratio.

Ἐν παντὶ μύθῳ καὶ Δαιδάλου μῦσος. Quadrabit in auctores atrocium facinorum, aut ingentium calamitatum, vt frequenter illorum incidat mentio , ſed non ſine deteſtatione.Tradunt ab hac ortũ fabula:Paſiphaë regina Cretæ, tauri amore capta, Dædalum exorauit,vt ſibi vaccam ligneam ad proximam veræ vaccæ ſimulationem effingeret.In hac inſula mulier è tauro concepit,ac Minotaurum monſtrum abominandum peperit.Minos autem certis de cauſis iratus , Athenienſibus indixit vt quotannis ſeptem virgines, & totidem adoleſcentulos mitterent Minotauro obiiciendos.Horum omnium,quoniam Dædalus cauſſam dediſſe videretur,in eum vulgò dira imprecabantur, vnde res in prouerbium abiit.

## Ἀποφράς.

Hominem execrandum & abominandæ malitiæ ἀποφράδα Græci appellant. Dictum à diebus funeſtis & ſepeliendis mortuis ſacris,quos ἀποφράδας etiam vocant. *Theocritus.*

## In vltimas terras.

Ἐπ' ἔσχατα γῆς. Id eſt, Ad extrema terræ.Quum locum vehementer ſemotum intelligi volumus. Eſt frequens apud Ciceronem in vltimas terras, &c.



Ayuntamiento de Madrid

## Mali principij malus finis.

Ἀρχῆς κακῆς τέλος κακόν. Id eſt, Orſus mali finis malus. Iambicus dimeter ex Aeolo poëta refertur. Quæ rectis conſilijs inſtituuntur, etiamſi qua incidat difficultas, tamen ſortiuntur aliquando lætum exitum : contrà quæ prauis rationibus inceptantur,quamuis initio ſuccedant, tamen habent infelicem exitum.

## Mox ſciemus meliùs vate.

*Plutarchus.* Τάχ' εἰσόμεσθα μάντεων ὑπέρτερον. Id eſt,Mox melius ipſo vate rem cognorimus.Ad eum modum dicebant,qui rem non coniecturis diuinabant, ſed experimento deprehendere tentarent.

## Cocta numerabimus exta.

*Diomedes.* Id eſt, Ex euentu ſciemus. Huic confinis color ille comicus:Res indicabit,Ouidius:Exitus acta probat.

## Res indicabit.

Αὐτὸ σαφεῖ, ſubaudi, ἔργον. Quum ſignificamus experimento exitúque perſpici ſermonis veritatem.

## Magiſtratus virum indicat.

*Pittacus.* Ἀρχὴ τὸν ἄνδρα δείκνυσιν. Id eſt,Imperia demonſtrant virum. Quidam Pittaci Mitylenæi putant apophthegma. Sunt, qui Soloni tribuant. Senſus eſt : In vita priuata vix ſatis perſpici poſſe mores & ingenium hominis. Verùm ſi committas imperium, vt quod libeat, idem liceat,tum demum apparere quo ſit animo.

## Rem factam ſtultus cognouit, piſcator ictus ſapiet.

Poſt acerba prudentior. Huc pertinet etiam : Vide Sera pœnitentia,& illud, Sero ſapiunt Phryges.

### EXITIVM HONESTVM.

## De pulcro ligno vel ſtrangulare.

*Ariſtoph.* Ἀπὸ καλοῦ ξύλου καὶ ἀπάγξασθαι. Id eſt,De pulcro ligno etiam ſtrangulari conuenit. Admonet calamitatem tolerabiliorem eſſe, ſi cum honeſtate fuerit coniuncta,& dedecore vacauerit.

Ayuntamiento de Madrid

## Ne veſtigium quidem.

Quoties hominem penitùs aut rem abolitam ſignificamus, ne veſtigium quidem ſupereſſe dicimus. M. Tullius acti. in Verrem 3. Nam ſi alienam vicem pro noſtra iniuria doleremus, veſtigium illius in foro non eſſet relictum. Rurſus quinta: Prouidendum diligenter, ne quod in vita veſtigium libidinis appareat, &c.

### EXILIVM.

## Seruabis bouem. *Plutarchus.*

Βουκολήσεις. Id eſt, Bubulcus eris. Hoc velut ænigmate ſignificabant exilium.

## Teſtaceum flagellum.

Κεραμεική μάστιξ. De rebus ſubitò tranſmutatis, ſiue de exilio repentino. Conueniet cum oſtraciſmo, de quo vide adagium, Teſtulæ tranſmutatio.

## Terram pro terra.

Γῆν πρὸ γῆς ἐλαύνεσθαι. In hominem exulem, erroneum, & incertis vagantem ſedibus. *Cicero.*

### EXPERIENTIAE PERICLITATIONIS.

## In Care periculum.

Ἐν Καρὶ τὸν κίνδυνον, ſubaudi, facito. Hoc eſt, in homine, aut in re viliori fac periculoſam experientiam, in qua ſi parum feliciter ceſſerit, non multum ſit diſpendij capiendum. Suidas ſcribit Cares primùm mortalium mercede militaſſe, vt qui vitam ſuam vilem haberent.

## In dolio figulinam artem diſcere.

Ἐν πίθῳ τὴν κεραμείαν μανθάνειν. De iis, qui protinus maximis in rebus artificij capiunt experimentum, quum paulatim à minutis ad ſumma proficiſci conueniat. Neque enim figulus ſtatim à dolio, id eſt, vaſe maximo, artem auſpicatur, ſed à puſillis quibuſdam vaſculis.

## In arenam deſcendere.

Pro eo quod eſt, Certamen inire, ſumptum ab athletis.

## Quanta mus apud Piſam.

Ὅσα μῦς ἐν Πίσῃ. Subaudi, tulit. De iis, qui vincunt, & optatis potiuntur, ſed non ſine ſummo negotio, neque citra magnum incommodum ſuum. Suidas natum ait ab athleta quodam, ſeu pugile Tarentino.



Ayuntamiento de Madrid

*Baſilius.*

## Omnem mouere lapidem.

Πάντα λίθον κίνει. Id eſt, Vnumquemque moue lapidem, id eſt, omnia experire, nihilque intactum relinque.

## Pedem conferre.

A militia ſumtum. Vſurpatur, vbi propiùs acceditur ad rem. Cicero: Non poſſum magis conferre pedem, vt aiunt, aut propius accedere.

## Omnem rudentem mouere.

Πάντα κάλων σείων. Id eſt, Omnem funem mouere. Iulius Pollux: Nauigabamus omni moto rudente, & omnibus rudentibus. Ad eum modum ſignificat difficilem nauigationem, in qua omnia ſint tentanda.

*Plutarchus.*

## Reſpublica virum docet.

Πολιτεία ἄνδρα διδάσκει. Significat neminem ad rem gerendam idoneum eſſe, niſi qui ſit vſu exercitatus.

## Omnem iacere aleam.

Eſt rem vniuerſam periclitari, fortunæque arbitrio committere. Siquidem alea fortunæ ludus eſt magis, quàm artis.

## Aut ter ſex, aut tres teſſeræ.

Ἢ τρὶς ἕξ, ἢ τρὶς κύβοι. Si quando ſignificabimus nos extrema periclitari velle, & aut planè vincere, aut prorſum vinci. Sumtum eſt à venuſto teſſerarum luſu, in quo qui nouem ieciſſet, is modis omnibus ſuperabat: qui treis, is longiſſimè aberat à victoria. Nam antiquiores tribus teſſeris vti conſueuerant. Teſſeram autem etiam ipſum iactum appellant.

*Plato.*

## Rex, aut aſinus.

Βασιλεὺς ἢ ὄνος. Hoc eſt, aut victor, aut victus. Euſthatius Odyſſeæ. 6. oſtendit Metaphoram ductam ab iis qui ludunt ſphæris, quibus qui viciſſet, rex appellabatur: qui victus fuiſſet, huic aſino nomen erat.

## Vela ventis permittere.

Quinctil. Permittamus vela ventis, & oram ſoluentibus bene precemur, hoc eſt, editionis ancipitem euentum, vtcunque cadat, experiamur.

Ayuntamiento de Madrid

## Deo fortunæque committo,

Qui fortunam experiri ſtatuerit, euentum negotij fortunæ committēs, in hunc cōuenerit illud Homeri ex Iliados π.

Ἤτοι γὰρ καὶ ἐγὼ, τὰ δὲ κεν Διὶ πάντα μελήσει. Id eſt,

Torſero & ipſe, Ioui fuerint hæc omnia curæ.

## Res ad triarios redijt.

Romanum extat adagium elegans, Eo licebit vti, quum ſignificabimus rem eò periculi redactam eſſe, vt extremo conatu, ſummisque viribus ſit enitendum, & ad ſuprema confugiendum conſilia, quibus ſi nihil proficiatur, iam nihil reliquū eſſe videatur, vnde ſubſidium ſperare poſſis: natum adagium è ratione modòque componendi Romani exercitus. Refertur & explicatur à Tito Liuio, primæ decadis lib. 8.

## Sacram ancoram ſoluere.

*Lucianus.*

Ἱερὰν ἄγκυραν χαλάζειν. Quoties ad extrema præſidia cōfugitur. Tranſlatum à nautis, qui maximam ac validiſſimam ancoram, ſacram vocant, eamque tum demum mittunt, quum extremo laborant diſcrimine.

## Ad aſylum confugere.

*Cicero.*

Hoc ſuperiori cognatum

## Ad ephebum properare.

Sumtum eſt ab Apollinis oraculo, ad quod vndique feſtinabatur. Fingebatur autem imberbis Apollo.

## Tanquam ad aram.

Hoc adagio extremum refugium intelligi volumus. Inde ſumtum, quod olim, qui extrema neceſſitate vrgebātur, ad aras Deorum ſolerent confugere, vnde nefas erat quemquam detrahere.

## Mouebo talum à ſacra linea.

*Plutarchus.*

Κινῶ τὸν ἀφ' ἱερᾶς. id eſt, Sacræ lineæ talum moueo. De iis, qui extrema parant experiri. Id Iullius Pollux exponens, ait à ludo quopiam teſſerarum eſſe natum adagium. Luſum autem fuiſſe huiuſmodi, vt vtrique ludentium eſſent calculi quinque, totidem impoſiti lineis. Inter eas lineas vtrinque quinas, vnam fuiſſe mediam, quam ſacram vocabant. Vnde qui talum mouiſſet, is ſacræ lineæ calculum mouere dicebatur. Id autem non fiebat niſi cū



Ayuntamiento de Madrid

res poſceret, vt ludens ad extrema confugeret auxilia.

## Semper tibi pendeat hamus.

Ouidius in amoribus:
Caſus vbique valet, ſemper tibi pendeat hamus.
Quo minimè credis gurgite, piſcis erit.

Semper experienda fortuna & omnis tentanda occaſio.

## Tentantes ad Troiam peruenerunt Græci.

Theocritus in Syracuſiis. Tentando atque experiendo, quantumlibet etiam ardua perfici, figura prouerbiali ſignificans, inquit:

Ἐς Τροίαν πειρώμενοι ἦλθον Ἀχαιοί,
Καλλίστα παίδων, πείρᾳ θην πάντα τελεῖται. Id eſt,
Tentando ad Troiam venere Pelaſgi,
Cuncta, puellarum pulcerrima perficit vſus.

## Et poſt malam ſegetem, ſerendum eſt.

Seneca lib. epiſt. xi. Quo licebit vti, quoties res parum ex animi ſententia cecidit: & ſignificabimus non eſſe deſiſtendum à conatu. Huc referuntur quæ alibi citauimus.

Primas iactare haſtas. Velitari.
Fabri fabrilia tractant. Aſinus ſedet. Rex ſum.

### EX SESE.

## Domi habet. Domi naſcitur.

Nam & dicimur domi habere, quod in nobis ſitum eſt, neque neceſſe eſt ab aliis mutuò ſumere, Terentius: Philoſophos domi habet vnde diſcat.

## Domeſticum malum.

Ad ſignificandum priuatum ac domeſticum malum, quod ad alios nihil attineat, cõueniet illud Homeri Odyſſ. β.

Ἀλλ' ἐμὸν αὐτοῦ χρεῖος, ὅ μοι κακὸν ἔμπεσεν οἴκῳ. Id eſt.
Porrò malum noſtras quod in ædes incidit, vnum
Ad me pertinet.

## Nihil graue paſſus es, niſi tibi vindicas.

Οὐδὲν πέπονθ' ἀδικον, εἰ μὴ προσποιεῖς. Meminit Diogenianus: Nemo læditur niſi à ſeipſo. Nemini fit iniuria, ſi eam exiſtimet ad ſe non pertinere.

## Emere malo, quàm rogare.

Cicero.

Quo ſignificatũ eſt, haud quaquã gratis accipi, quod precibus emitur, imò nihil emi carius, quã quod rogãti datur.

Ayuntamiento de Madrid

Diogenes Laërtius.

## Attica muſa.

Ἀττικὴ μοῦσα. Pro venuſta, lepidaque oratione. Nam inter dicendi genera laudatur in primis Atticum.

## Lepos Atticus, eloquentia Attica.

Hierony.

Inter reliquos Græciæ populos, lepos quidam & feſtiuitas quædam quaſi vernacula ac peculiaris adeſt Atticis, adeò vt in prouerbium abierit.

## Cygnea cantio.

Κύκνειον ᾆσμα, id eſt, Cygnea cantilena. Conueniet in eos, qui ſupremo vitæ tempore facundè diſſerũt. Cygnos, inſtante morte, mirandos quoſdam cantus edere, tam omnium litteris eſt celebratum, quàm nulli vel compertum, vel creditum.

## Tunc canent cygni, quum tacebunt graculi.

Τότ' ᾄσονται κύκνοι, ὅταν κολοιοὶ σιωπήσωσι, hoc eſt, Tum loquentur eruditi, quum garrulis non erit loquendi locus. Aut, Inter garrulos & obſtreperos non eſt eruditis dicendi locus.

## Neſtorea eloquentia. Poëtica mella.

Homerus.

Neſtoris Pyliorum Ducis facundia in prouerbium abiit, ſiquando ſenilem ſuauiloquentiam ſignificamus. Nam huic Homerus, vt tria ſæcula, ita plus quàm mellitam quandam facundiam affingit.

## Nihil ex agro dicis.

Suidas.

Οὐδὲν ἐξ ἀγροῦ λέγεις, id eſt, Nihil è rure loqueris, Nihil humile, neque triuiale. Quod enim parum elegans, parum expolitum, id ex agro profectum dicitur. Contrà quod feſtiuum, quod lepidum, id vrbanum ac ciuile vocatur.

## Nunc ipſa viuit ſapientia.

Αὐτὴ νῦν σοφία ζῇ. Applaudentis & adgratulantis eſt ſermo, ſi quid aliquando videtur ſcitè dictum & arte, factumue. Feſtiuius erit, ſi per ironiam efferatur.

## Nunc ipſa floret muſa.

Αὐτὴ νῦν ἀνθεῖ ἡ μοῦσα. Vbi quid eruditè, facundè, venuſtè dictum aut ſcriptum videbitur. Et hoc venuſtius fiet per ironiam.

Theocritus.

Ayuntamiento de Madrid

## Muſarum aues.

Μουσῶν ὄρνιθες. Id eſt, Muſarum aues. Dicuntur poëtæ, quòd aſſiduè carmina ſua modulentur. Huc facit quod alibi citatum eſt: Incantatione quauis efficacius.

### FAMES.

*Plautus.* 
## Fames & mora, bilem in naſum conciunt.

Id eſt, Latrante ſtomacho, omnis mora bilem mouet. Ducta eſt metaphora ab animantibus, iram narium flatu ſignificantibus.

## Miſerrimum fame mori.

Cùm ſignificabimus longè eſſe miſerrimum fame perire, accõmodabimus illudquod eſt apud Homerũ Odyſſeæ. μ.

Πάντες μὲν στυγεροὶ θάνατοι δειλοῖσι βροτοῖσι,
Λιμῷ δ' οἴκτιστον θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν. Id eſt,
Dura quidem miſeris mors eſt mortalibus omnis,
At perijſſe fame, res vna miſerrima longè eſt.

Accõmodabitur in ſordidos quoſdam, qui quo parcant nummis, defraudant genium ſuum: & in eos qui pereunt inſcitia veri, quum animus hominis non aliter paſcatur verbo Dei, quàm cibo corpus, verè miſerrimum eſt hac fame mori.

## Moleſtus interpellator venter.

Venter, improbus interpellator, non ſinit vnquam quempiam obliuiſci ſui. Id ad egeſtatem torqueri poterit, quæ mortales ad omnia tum facienda, tùm referenda ſolet compellere.

*Suidas.*
## Ceſtreus ieiunat.

Κεστρεὺς νηστεύει. De famelicis & voracibus dici conſueuit. Alij malunt referre ad eos, qui vitam innocuam agũt & ab aliorũ iniuriis abſtinẽt, nec vllum emolumẽtũ ex ſua innocẽtia ferunt. Eſt enim Ceſtreus piſcis genus quoddã, quod reliquis mutua deuoratione victitantibus, vnum ab aliorum carnibus abſtinet, ideoque non capitur eſca, ſed in limum abdit ſeſe, atque ibi perdurat, & vt arbitrantur nonnulli, limo paſcitur.

## Non interpellandus famelicus.

Quoties innuemus non eſſe confabulandi otium, niſi priùs placauerimus latrantem & iratum, vt ait Horatius ventrem: aut vbi ſignificabimus aliquem, ſimulatque

Ayuntamiento de Madrid

ſit aſſequutus, quod expetebat, iam ad alia conuerti, non ineptè proferemus hunc verſiculum Homeri:

Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο. Id eſt:

At poſtquàm his potus exemta cupido, cibique.

## Ventre pleno, melior conſultatio,

Γαστρὸς ἀπὸ πλείης βουλὴ καὶ μῆτις ἀμείνων. Id eſt, Conſultatio tum melior, quum expleueris aluum. Quum fames interpellat, non vacat deliberare, propterea quòd conſultatio moram deſiderat, & animi tranquillitatem, & fames bilem acuit. *Plutarchus.*

## Etiam Bætylum deuorares.

Καὶ Βαίτυλον ἂν καταπίνοις. Id eſt, Etiam Bætylum deglutires. In voracem & omnia concoquentem. Nam Bætylus dicitur ſaxum illud faſciis obuinctum, quod pro Ioue deuorauit Saturnus, teſtante Heſychio.

## Manduces.

Dicebantur vehementer famelici, aut qui minus inanibus terrorem: incuterent.

FESTINATIONIS.

## Nauibus atque quadrigis.

Pro ſummo ſtudio, ſummaque feſtinatione, Flacc. in epiſt.

Strenua nos exercet inertia, nauibus atque
Quadrigis petimus bene viuere, quod petis hîc eſt.

## Dædalium remigium.

Ad celeritatem ſignificandam. Plautus in Amphytrione dixit.

## Citis quadrigis, Iouis quadrigis.

Subaudi, fugere. Pro eo quod eſt, quàm ocyſſimè fugere. Legitur apud Plautum, ab Homero tranſlatum, qui Diis quadrigas affinxit, quibus quò libitum ſit repentè rapiantur ex Olympo in terras, rurſus è terris in cælum. *Plautus.*

## Equis albis præcedere

Vbi quem aliis quapiam in re longè ſuperiorem ſignificabant, longo anteire interuallo, eum albis equis præcedere dicebāt, vel quòd antiquitus equi albi meliores haberētur, vel quòd victores in triūpho albis equis vectari ſoleāt, vel quòd fortunatiores & auſpicatiores eſſe credūtur.

## Talaria induere.

Ayuntamiento de Madrid

*Cicero.* Pro eo quod eſt, Fugam adornare, quaſique velle quopiam auolare. Itaque talaria induere dicimus, qui parant aufugere.

## Citius, quàm aſparagi coquuntur.

De re vehementer propera.

## E veſtigio.

Quod citra moram ac protinus fit, quod priſci dicebant, extemplo.

## Celerius, quàm Butes.

*Zenodot.* Θᾶττον ἢ βούτης. Hoc adagio ſignificabant aliquid quàm primum abſolui, compendióque explicari. Butes Athenis depictus erat, vt ſumma capitis pars cum oculis tantùm videretur. In eius igitur pictura, quoniam non multum operis ſumſerat pictor, prouerbio iactari conſueuit de his, quæ facilè perficiuntur.

## Simul vt dictum & factum.

*Homerus.* Ἅμ' ἔπος, ἅμ' ἔργον, id eſt, Simul dictum, ſimul & factum. Vbi quis citra moram id re præſtat, quod verbis pollicetur.

## Duobus pedibus fugere.

*Ariſtides.* Ἐκ δυοῖν καταφεύγειν: id eſt, Duobus pedibus confugere. Summa vi, ſummóque conatu confugere. Ariſtophanes: E patria vtroque deuolauimus pede.

## In foribus adeſſe.

Περὶ τὰς θύρας. Pro eo, quod inſtat, iamque in proximo eſt, Dominus ad Cain: Sin malè egeris, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit. Geneſis 4.

## Velis, equíſque.

*Cicero.* Extremum conatum ſignificantes, dicimus: Velis, equíſque. Hîc reſpicit non ad celeritatem, ſed ad vtrunque pugnæ genus, nauale ac equeſtre.

## Vir fugiens haud moratur lyræ ſtrepitum.

In eos, qui in rebus periculoſis ac ſeriis, properandi ſtudio negligunt leuiora. Nam qui fugit in bello, non putat ſibi liberum ac vacuum vt cantorem aliquem auſcultet. Id etiam ad complures res accommodari poteſt.

Ayuntamiento de Madrid

## Ocyor accipitre.

Admirandam celeritatem hyperbole prouerbiali licebit indicare, quæ eſt apud Homerum: θάσσονες ἱρήκων, Pernices magis accipitre.

## Pegaſo velocior.

Πηγάσου ταχύτερος. De præuelocibus. Nota fabula de equo alato.

## Salaminia nauis.

Σαλαμινία ναῦς. De præuelocibus dictitatum eſt. Celebratum enim vel in primis nauale bellum aduerſus Xerxem geſtum apud Salaminem, ſiue quòd ex triremibus altera Salaminina vocari conſueuit, altera Paralos.

## Parit puella, etiam ſi malè adſit viro.

Τίκτει πόρνη ὅταν κακῶς ἀνδρὶ παρέῃ, id eſt, Parit puella, quum malè etiam adfuerit viro. Dici conſueuit, quoties res facilè conuincitur ex ſententia, etiam ſi negligenter & ignauiter geſta fuerit. Veluti puella propter ætatis felicitatem facilè gerit vterum, etiam ſi cum viro non admodùm rem habuerit.

## Ignem palma.

Πῦρ παλάμῃ Dici ſolitum, ſi quando protinus aliquid intellectum eſſet à quopiam, vt ſi ſcommate dicto, ſtatim ſentiat aliquis in ſe dictum. Sumtum videtur ab iis, qui per luſum ignem admouent manibus alienis, qui ſubito ſenſu excitati, reſilire ſolent, riſúmque mouere ſpectantibus.

## Aphya ad ignem.

Ἀφύα εἰς πῦρ. Prouerbium in ea, quæ celeriter intereũt, aut abſumuntur, ſiue quæ facilè ac ſtatim conficiuntur. Nam aphya piſcis genus molle ac tenerum, quod admotũ igni, protinus decoquitur.

## Ne nimium callidum hoc ſit modò.

*Terentius.*

Donatus prouerbium eſſe demonſtrat, quamquam anceps eſt lectio. Poteſt enim vtrumque legi, & callidum, & calidum, vt prius illud, ad feſtinatum conſilium: alterum, ad nimis adſtutum referatur.

## Intra ſeptimam.

*Zenodotus.*

Ἐντὸς ἑβδόμης. Subaudi, lineam. Edictum erat Athenis, vt ante ſeptimum diem menſis exercitum educerent.

Rectè fortaſſis vtemur hoc adagio, quoties admonebimus maturè ſuoque tempore negotium aggrediendum.

## Priùs quàm gallus iterum cecinerit.

Πρὶν ἢ τὸ δεύτερον ἀλεκτρυὼν ἐφθέγξατο. Priùs atque gallus cantet, iterum criſtiger, id eſt, admodùm manè & antelucano. A priſca conſuetudine ſumtum, qua noctis deliquium & acceſſum diei galli cantu metiebantur, gnomonibus horariis non repertis.

*Suidas.*

## Viuit, incende ignem.

Ζῇ, καῖε πῦρ. Vbi negotii periculoſi puncto feſtinandũ admonemus, & occaſionem arripiendam, vt quum reperta ſcintillula properatur ne pereat & illa.

## A ſubeunte portum naui.

*Idem.*

Ἀπὸ καταδυομένης. Id eſt, A ſubeunte, ſubaudi, naui lucrum capias. Admonet adagium, celeritatem ad quæſtum plurimum valere. Sumtum à mercatorum diligentia, qui merces ſtatim emunt ab ipſis nautis in portum appellentibus.

*Columella.*

## Matura ſatio ſæpè decipit, ſera ſemper mala eſt.

Admonet adagium in omni negotio maturandum eſſe, neque paullò ſatiùs, occupare tempus legitimum, quàm ſeriùs aggredi. Veluti ſi quis admoneat, vt puer tenera adhuc ætate, præceptoribus cõmitatur erudiendus. Conſultius enim anteuertere, quàm prouectioribus annis tum demum incipere.

## Sacra celeriùs abſoluenda.

In rebus diuinis attentum eſſe conuenit magis, quàm diuturnum, ne vileſcant aſſiduitate, contra quorundam morem ſacerdotum, qui nimium immorantur ſacro, precibúſque, quas vocant horarias. Ad id torqueri poterit illud ex Odyſſeæ Γ.

--Οὐδ' ἔοικε
Δηθὰ θεῶν ἐν δαιτὶ θαασσέμεν, ἀλλὰ νέεσθαι. Id eſt,
--Neque pars eſt
In diuorum epulis ſediſſe diutiùs, imò
Surgere maturè decet.

*Zenodotus.*

## Lupinum potum.

Ayuntamiento de Madrid

Λυκάων ποτόν. Lupinum potum bibere dicebant, vbi quis voluptatem ſuo periculo capitis emeret. Narrant duos erupiſſe fontes ſacros Apollini, quorum alter vino ſcateret, alter melle, ad quos quum aues aduolarent, arcu feriebantur. Porrò Apollo ſuper cætera cognomina dictus eſt & Lucius, à luce quam aperit, ſiue à lupis interfectis.

## Vt canis è Nilo.

Qui leuiter ac velut obiter artem quampiam aut auctorem deguſtant, hi ceu canis è Nilo deguſtare dicuntur. Natum inde adagium: Poſt fugam Mutinenſem, quærentibus quid ageret Antonius, quidam familiaris reſpondit: Quod canis in Ægypto, bibit & fugit.

## Alienis vti ſoleis.

Ἀλλοτρίοις βλαυτίοις χρῆσθαι. Id eſt, Alienis ſoleis vti. Dicuntur, qui moribus aliorum ad ſuum abutuntur emolumentum. Ariſtoph.

## Quantum pedibus potes.

Socrates in Gorgia Platonis ita loquitur. Σωφροσύνην μὲν διωκτέον καὶ ἀσκητέον, ἀκολασίαν δὲ φευκτέον, ὡς ἔχει ποδῶν ἕκαστος ἡμῶν. Id eſt: Temperantiam quidem ſectari atque exercere oportet; contrà intemperantiam fugere, quantū quiſque noſtrum pedibus valet. Id quo longiùs transferatur à rebus corporis, hoc magis accedit ad prouerbium celeritatis. Quod in corpore ſunt pedes, hoc in animo ſunt affectus, quibus expetimus aliquid, aut refugimus.

## Criſonem Himeræum præcurrere.

Prodigioſa celeritas Criſonis videtur locum dediſſe prouerbio. Sic enim Socrates apud Platonem in Protagora, rogatus vt inſtitutam cum Protagora diſputationem perageret: Optarim quidem tibi morem gerere, ſi quod petis meæ facultatis eſſet. Nunc perinde eſt, ac ſi me roges vt Criſonem Himeræum inſignem curſorem ſequar, aut dolichodromon quempiam, aut hemerodromon perpetuo æquem curſu, ſequárque, &c. Dolichodromi dicebātur, qui perpetuo impetu duodecim ſtadia decurrebant. Hemerodromi, qui totum diem à manè vſque ad veſperam citra reſpirationem currebant. Vnde Græci poëtæ ſolem ἡμερόδρομον appellant, quòd ſingulis diebus curſum ſuum peragat, quaſi verò noctu requieſcat in diuerſoris Thetidio.

Ayuntamiento de Madrid

## FESTINATIO PRAEPRO-PERA.

### Qui nimium properat, ſeriùs abſoluit.

Monet adagium, inſtituendæ rei non tam celeritatem, quàm curam adhibendam eſſe, ne poſteà ſit in mora quod in operis ingreſſu fuerit erratum.

*Ariſtotel.*

### Canis feſtinans, cæcos parit catulos.

Ἡ κύων σπεύδουσα τυφλὰ τίκτει. In eos, qui nimio feſtinandi ſtudio rem parum abſolutam reddant. Hinc natum, quòd canis, quia celeriùs pariat, catulos cæcos velut adhuc immaturos edit.

### Ante victoriam encomium canis.

Πρὸ τῆς νίκης τὸ ἐγκώμιον ᾄδεις. In eum, qui præproperè gloriatur, re nondum confecta. Nam apud Græcos, qui rem ſtrenuè geſſiſſent in bello, oratione quapiam, aut carmine laudabantur. Quæ laudatio propriè encomium dicitur.

*Athenæus.*

### Ante lentem augere ollam.

Πρὸ τῆς φακῆς αὐξάνειν τὴν λοπάδα. Pro eo quod eſt, Spes ingentes in animo concipere, prius quàm res ipſa teneatur, aut polliceri quod ipſe nondum habeat, aut præproperè ſibi placere, quaſi iam poſſideat ea, quæ procul etiádum abſunt, vt teneantur. Vt ſi quis vitæ ſtrepitum augeat ſpe magiſtratus, quem incertum eſt, an ſit impetraturus. Lens, legumen eſt viliſſimum ac plebeium.

### Æſtate penulam deteris.

*Zenodot.*

Ἐν θέρει τὴν χλαῖναν κατατρίβεις. Rectè dicetur in eos, qui res neceſſarias temerè, nec in tempore profundunt, aliquando futuras vſui, ſi ſeruentur. Id quod vulgò factitant adoleſcentes, qui facultates patrias ſtultè prodigunt in iuuenta, quibus ſuſtinenda fuerat imbecillitas ſenectæ.

### Muſcum demetere.

Ἄμνια θερίζειν. Dici ſolitum, vbi quis tener adhuc & intempeſtiuus duriùs tractaretur, aut tolleretur emolumentum priùs quàm oportunum eſſet. Tranſlatum ab iis, qui ſtatim vt ager obduci cœperit herba, demetunt, nec ſinunt adoleſcere gramen.

*Suidas.*

### Siculus omphacizat.

Σικελὶς

Ayuntamiento de Madrid

Σικελὸς ὀμφακίζει. Omphaca Græci dicunt vuam acerbam & immaturam. Vnde dicebatur in eos, qui quantumlibet vilia tollerent furto. Ductum à furacitate Siculorum.

## Præmouere venatum.

*Ariſtides.*

Περισοβεῖν τὴν θήραν. Id eſt, Præturbare feram. Dici ſolitum apparet, vbi quis non ſatis diſſimulat quod molitur. Quemadmodum vſu venit, vt fera tumultu excitata ſubducat ſeſe.

## Odi puerulos præcoci ſapientia.

*Apuleius.*

Vulgò inualuit opinio, vt credant puerulos maturiùs ſapientes, aut non fore vitales, aut dementes futuros ſimulatque ad maturam ætatem peruenerint. Adaptare licebit ad diſcipulum, qui in ipſis ſtatim rudimentis ſibi placeat.

## Non ſtatim finis apparet.

Herodotus in Polymnia, ſignificat hoc olim prouerbio dici ſolitum: Non ſtatim cum principio apparere rei exitum. Καὶ τὸ παλαιὸν, inquit, ἔπος ὡς εὖ εἴρηται, τὸ μὴ ἅμα ἀρχῇ τὸ τέλος καταφαίνεσθαι. Id eſt: Et vetus adagium, quò rectè dictum eſt, non ſtatim cum initio apparere finem. Conueniet in quorundam præproperas ſpes, qui negotio vix cœpto, ſtatim arbitrantur ſe rem factam habere, quum ſæpe exitus non reſpondeat initiis.

## Feſtina lentè.

Vide Tarditatis & cunctationis.

### FIDES ET GRAVITAS.

## Folium Sibyllæ.

Iuuenalis: Credite me vobis folium recitare Sibyllæ, id eſt, rem indubitatam. Ductum adagium à Cumana Sibylla, cuius oracula cum primis celebrantur. Huic autem mos erat, vt teſtatur M. Varro, in palmarum foliis oracula ſcribere.

## Ex tripode.

*Athenæus.*

Τὰ ἐκ τοῦ τρίποδος. Id eſt, Ex tripode dicta. Dici ſolitum de iis, quæ vehementer vera atque indubitata videri volumus. Hæc ex tripode dicta, id eſt, certiſſima, perinde quaſi ex Apollinis oraculo profecta. Tripodem autem fuiſſe lebetem, tribus fultum pedibus. Huius duo ſunt genera. Alterum Apollinis, ob veritatem oraculorum:



Ayuntamiento de Madrid

alterum Bacchi, in quo vinum miſcebatur, quòd ebrij vera loquantur.

## Diues promiſſis.

*Plutarchus.* Ὁ μὲν λόγος θαυμαστὸς, ὁ δὲ λέγων ἄπιστος. Id eſt, Magnifica quidem oratio, cæterùm non habetur fides loquenti. Quoties aliquis ingentia pollicetur, quæ non videatur præſtiturus. Ouid. Pollicitis diues quilibet eſſe poteſt.

## Priſcis credendum.

*Cicero.* M. Tullius in libello De vniuerſitate: Credendum, inquit, nimirum eſt veteribus & priſcis, vt aiunt, viris, qui ſe progeniem eſſe Deorum dicebant. Incertum vtrum Cicero ſentiat eam ſententiam fuiſſe vulgò decantatam, an notet vocem priſci, qua declaramus homines extremæ antiquitatis, quorum origo, quoniam poſteris erat incognita, ferè referebatur ad Deos.

## Recto pectore.

Pro eo quod eſt, ingenuè, citráque diſſimulationem, vt veritatis ſimplex eſt oratio.

## Legatus non cæditur, neque violatur.

Πρέσβυς οὔτε τύπτεται, οὔτε ὑβρίζεται. Id eſt, Orator nec percutitur, nec violatur. Id iure gentium receptum eſt, vt legati publica fide veniant & redeant inuiolati.

## Ex Iouis tabulis teſtis.

*Lucianus.* Ἐκ τῶν Διὸς δέλτων ὁ μάρτυς. Pro certo & indubitabili teſte: Alluſum eſt, ni fallor, ad diphtheram, in qua Iupiter omnia mortalium acta deſcribere fingitur à Poëtis.

## Atticus teſtis.

*Diogenian.* Ἀττικὸς μάρτυρ. Pro probatiſſimo atque incorruptiſſimo teſte. Quod ſi quis per ironiam torqueat in teſtem vanum, non inconcinnè dixerit.

## Attica fides.

Ἀττικὴ πίστις. Legitur apud eundem de minimè vanis, miniméque periuris. Inde natum, quòd apud Atticos templũ eſſet Fidei Deæ conſtructũ. Cuius & meminit Plautus.

## Rhadamantheum iudicium.

Ῥαδαμάνθυος κρίσις. Id eſt, Rhadamanthi iudicium. De *Pindarus.* incorruptè iudicantibus. Rhadamanthus enim maniũ iudex, neque muneribus, neque gratia deflectitur, quo mi-

Ayuntamiento de Madrid

nus ſeuerè iudicet. Accommodari poterit ad mortis neceſſitatem, maximis pariter ac minimis ex æquo cõmunẽ.

## Iouem lapidem iurare.

Qui ſanctè & religiosè deierãt M. Tullius in Epiſt. Quomodò autem tibi placebit, Iouem lapidem iurare, quum ſcias iratum eſſe Iouem nemini poſſe? Sumtum à priſco feriendi fœderis ritu, quod à patre patrato manu tenente lapidem, conceptis verbis peragebatur, quemadmodum deſcribit T. Liuius, & Macrobius.

## Rhadamanthi iuſiurandum.

Ῥαδαμάνθυος ὅρκος. Dicebatur quod veriſſimum quidem eſſet, cæterùm nullum Deum adſciſceret. Socrates per canem & anſerem iurare conſueuit, ne quem Deorum citaret, ſiue quòd crederet nullos eſſe Deos, ſiue quod arbitraretur non eſſe boni viri Deos ſuorum negotiorum teſtes accerſere. Græci per caput alterius iurare conſueuerunt. Virg. Per caput hoc iuro.

## Viri iureiurando, pueri talis fallendi,

*Plutarchus.*

Ὅρκοις ἄνδρας, ἀςραγάλοις δὲ παῖδας ἐξαπατέον. Id eſt, Iureiurando viros, talis pueros oportet fallere. Docet viris nulla re citiùs imponi poſſe, quàm iureiurando, quòd nemo tam improbus eſſe credatur, qui id velit violare. Laconis cuiuſdam apophthegma.

## Iouis ſuffragium.

Διὸς ψῆφος. Dicebatur ſacrum & inuiolatum. Vnde ſententiam eius, cuius ſit velut irrefragabilis auctoritas, Iouis ſuffragium rectè dixeris. Aut per ironiam, vbi quis arrogantius de re quapiam pronuntiat, ſuámque opinionem pro lege atque oraculo poſtulat accipi. Aiunt enim locum, in quo Neptunus & Minerua iudicium peregerunt, vtrius nomine, auſpiciique ciuitas Athenienſium inſtitueretur, Iouis ſuffragium appellatum fuiſſe.

## Amphictyonum conſeſſus.

Ἀμφικτυονικὸν συνέδριον, id eſt, Amphictyonicus conſeſſus. De frequente grauium virorum conuentu. Ductũ à conuentu illo Græcorum olim celebratiſſimo, qui Amphictyonũ dicitur, vel ab Amphyctione Deucalionis filio.



Ayuntamiento de Madrid

## Pollicentis ſe promiſſa re præſtiturum.

*Homerus.* Significantes promiſſorum fidem non irritam futuram, ſed re præſtituros nos, quod verbis ſimus polliciti, illud Homeri vſurpare poterimus.

Nec renouanda, nec irrita, vanáue dico futura,
Quæcunque annuero, & promiſero vertice moto.

## Dictum ac factum.

*Terentius.* Ρ'εχθὲν ϗ πραχθέν. Prouerbialis figura, qua nihil in negotio procurando prætermiſſum ſignificamus. Terent. Dictum ac factum reddidi.

## Mineruæ ſuffragium.

Η' Α'θηνᾶς ψῆφος. De exacto iudicio, contrarium illi: Sus iudicauit. Sed lepidius fiet, ſi per ironiam efferatur in ſtupidum & nullius iudicij hominem.

## Veriora iis, quæ apud Sagram acciderunt.

Α'ληθέϛερα τῶν ἐπὶ Σάγρᾳ. Dictum olim in incredulos, *Strabo.* quíque non niſi magno malo docti, credunt. Strabo: Poſt Locros, inquit, Sagra fluuius labitur, in cuius ripa Caſtoris & Pollucis aræ ſitæ ſunt, ad quas decem Locrorum millia, vnà cum Rheginis aduerſus Crotoniatas, numero centies ac tricies mille, Marte collato victoriam reportarunt. Addidere plerique, quo die certamen initum eſt, iis, qui in Olympiis erant, eum belli euentum nuntiatum fuiſſe. Tanta celeritate nuntiatæ pugnæ veritas, comperta eſt.

## Oculis magis habenda fides, quàm auribus.

*Iulianus.* Ω'τίων πιϛότεροι ὀφθαλμοὶ, id eſt oculis credendum potiùs quàm auribus. Quæ cernuntur certiora ſunt, quàm quæ audiuntur. Horatius.

Nec retinent patulæ commiſſa fidelius aures,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus & quæ, Ipſe ſibi tradit ſpectator.

## Domeſticus teſtis.

Οἴκοθεν ὁ μάρτυς. Vbi quis ipſe ſeſe laudat. Quaſi domi teſtem habeat, non aliunde adductum.

## Venereum iuſiurandum.

*Plato.* Α'φροδίσιος ὅρκος οὐκ ἐμποίνιμος. Id eſt, Venereum iuſiurandum non punitur. Senſus eſt: Amantium iuſiurandum

irritum eſſe, neque ad Deos quidquam pertinere, tanquàm iocoſum. Ouid. Iuppiter ex alto periuria ridet amantum.

## Dignus quicum in tenebris mices.

Qui certiſſima eſſet fide, cum dignum dicebant, qui cum in tenebris micaretur, &c. Micare digitis quid ſit, alio dictum loco. *Cicero.*

## De manu in manum.

Cicero libro epiſtolarum VII. Totum denique hominem tibi trado de manu, vt aiunt, in manum tuam iſtam, & victoria & fide præſtantem. Traduntur etiam & qui commendantur.

## Manu longa, & manu breui tradere.

Qui promiſſis agit, ac ſpem tantùm oſtendit, longa manu dat. Contrà, qui præſens ac ſtatim exhibet quod promittit, breui manu dat.

### FEMINAE.

## Femina nihil peſtilentius.

Hanc ſententiam ſic effert Homerus:

Ὡς οὐκ αἰνότερον καὶ κύντερον ἄλλο γυναικός. Id eſt,
Vſque adeò nihil improbius, mulieréque peius.

## Ignis, mare, mulier, tria mala.

Πῦρ καὶ θάλασσα καὶ γυνὴ κακὰ τρία. Id eſt,
Ignis, fretúmque, & mulier, hæc mala tria.

Nam incendio nihil formidabilius, mare item periculoſiſſimum eſt. His autem ſimillimum quiddam eſſe mulierem ſentit parœmia. Lacon quidam, qui quum vxorem duxiſſet perpuſillam, dicebat: E malis, quod minimum eſſet eligendum.

## Sublata lucerna, nihil intereſt inter mulieres. *Plutarchus.*

Λύχνου ἀρθέντος γυνὴ πᾶσα αὐτή. Id eſt, Lucerna ſublata, nihil diſcriminis inter mulieres. Sentit adagium, nullam mulierem non eſſe impudicam, ſi detur facultas ſine teſte peccandi. Mihi videtur è vulgo ſumtum, non ab auctoribus.

## Malè coniugati.

Conueniet in eos qui cum iis coniugio iuncti ſunt, quos non amant. *Homerus.*

## Mulieri ne credas, ne mortuæ quidem.



Ayuntamiento de Madrid

*Diogenian.* Γυναικὶ μὴ πίστευε, μηδ᾽ ἂν ἀποθάνῃ. Id eſt, Ne fidem habeas, nec emorienti feminæ.

## Nec mulieri, nec gremio credendum.

*Feſt. Pomp.* Quòd illa incerti ac leuis ſit animi, & plerunque fiat, vt in gremio poſita, dum in obliuionem venerint, exurgentibus procidant.

## Mulierum exitia.

Γυναικῶν ὄλεθροι. De iis qui funditus ac miſerabiliter pereunt. Mulieres enim omnium ferè calamitatum auctores fuiſſe viris dicuntur. Teſtis bellum Troianum, teſtis Hercules à Deianira extinctus. Quanquàm hæc magis conueniebat ſtultitiæ virorum adſcribere, qui tantum indulgeant mulierculis.

## Mulieris oculus.

Γυναικὸς ὄμμα τοῖς ἀκμάζουσι βέλος. Id eſt, Mulieris oculus ſpiculum iuuenibus eſt. Virgilius:

Vritque videndo Femina.

## Mulier pudica ne ſola ſit vſquàm.

Quum admonebimus non conuenire, vt pudica mulier ſola citráque teſtes cum viris colloquatur, vſui fuerit illud Homeri:

Haud ſola, aſt illam famulæ binæ comitatæ.

## Qui nihil litigat, cælebs eſt.

Diuus Hieronymus tanquam prouerbio iactatum citat. Indicat adagium, rixoſum eſſe omne coniugium, nec eſſe tranquillam vitam, niſi in cælibatu.

## Tanquam Chalcidica nobis peperit vxor.

Ὥσπερ Καλχιδικὴ τέτοκεν ἡμῖν γυνή. De ea dicebatur, quæ liberos quàmplurimos peperiſſet. Tradunt Heroinam quampiam fuiſſe nomine Comben, cui cognomen fuerit Chalcidi, quòd prima arma ærea confecerit. Ea viro coniuncta, centum liberos enixa dicitur.

## Theſſala mulier.

Θεσσαλικὴ γυνή. In veneficas malarúmque peritas artiũ dici ſolitum, propterea quòd ea gens, præter cæteras hoc nomine notata eſt.

## Ὑποψωλισμένη.

*Ariſtoph.* Dicitur iam propinqua partui. Sumta metaphora à ficis

Ayuntamiento de Madrid

poſt immiſſos pſenas matureſcentibus.

FOCVS.

## Focus luculentus in ædibus.

Primùm domus ornamentum eſt vt luceat focus. Proinde qui in ædes immigrent nouas, aut in diuerſorium ingrediuntur, ante omnia ignem iubent incendi. Quod ex Homeri χ. ſumtum videtur.

Πῦρ νῦν μοι πρώτιστον ἐνὶ μεγάροισι γενέσθω.
Nunc ante omnia mî luceſcat in ædibus ignis.
Αἰθομένου δὲ πυρὸς γεραρώτερος οἶκος ἰδέσθαι.
Scilicet accenſo domus eſt ornatior igni.

FORMA DEFORMITAS.

## Ominabitur aliquis te conſpecto.

Σὲ δ' οἰωνίσαιτ' ἄν τις ἰδών. Qui te conſpexerit, augurium poterit capere. Dici conſueuit in deformes, fœdóque aſpectu. Veteres ex primo hominis occurſu ſumebant omen. Occurrere formoſo, felix omen habebatur. Occurrere deformi, nigróque, contra.

## A furiis oriundus.

Ἐρινύων ἀπορρώξ. Id eſt, A furiis profectus. Olim dicebatur tetra, fœdáque ſpecie. Item quod noxium & exitiale ſit, id à furiis ortum aiunt.

## Leporem non edit.

*Martial.*

Antiquitùs ſuperſtitioſè editum eſt, eſu leporinæ pulpæ conciliari formam. Martial. in mulierem deformem: Ediſti nunquam Gellia, tu leporem?

## Myconius caluus.

*Plinius.*

Μυκόνιος φαλακρός. Strabo refert, vulgò Myconios caluos dici ſolitos, quòd in ea inſula vitium hoc quaſi gentilitium ſit, atque omnibus ferme commune.

## Piſtillo caluior.

Ὑπέρου φαλακρότερος. De magnoperè glabris. Nam ima piſtilli pars calui cranium referre videtur.

## Multam ſiluam geſtas.

Λόχμην πολλὴν φορεῖς. Id eſt, Siluam multam portas. Dictum in Phormionem militem quendam hirſutum, denſáque pilorum obſitum ſilua. Quadrabit in agreſtem & ſtupidum.



Ayuntamiento de Madrid

*Ariſtoph.*

## Pronomi barba.

Προνόμου πώγων. De prælonga dicebatur. Pronomus tibicen quiſpiam fuit, prolixa barba, geſtamine non admodum appoſito profeſſioni. Quandoquidem tibicinum mollitiem etiam prouerbia notant. Conuenit igitur in quoſdam, qui alioqui molliſſimi, vultus, veſtiumque ſeueritate, vitæ continentiam præferunt.

## Nauiges Trœzenem.

*Euſtathius.* Πλεύσειας Τροιζῆνα. Dici ſolitum in eos, qui quum mento imberbi eſſent, tamen appoſititiis pilis barbam virilem mentirentur. Inde natum, quòd Trœzenis portus quiſpiam vulgò celebratus ſit nomine Barba.

## Perdicis crura.

Πέρδικος σκέλος. Id eſt, Perdicis tibia. Perdix caupo quiſpiam erat claudus, ab Ariſtophane locis aliquot notatus. Dicebatur in crura gracilia, diſtortáque. Perdicis pes in loripedes quadrat.

## Καλλίπυγος.

Καλλίπυγοι. Id eſt, Callipygi. Dicebantur eleganti forma præditæ.

## Quod pulcrum, idem amicum.

Τὸ καλὸν φίλον. Inter prouerbia conciliantium amicitiam, refertur & hoc apud Platonem in Lyſide: Καὶ κινδυνεύει κατὰ τὴν ἀρχαίαν παροιμίαν, τὸ καλὸν φίλον εἶναι. Id eſt, Ac propemodum apparet iuxta vetus prouerbium, quod pulcrum eſt, amicum eſſe. Qui commodi gratia amat, non amat verè, ſed quod pulcrum eſt, per ſe amatur.

## Ex ouo prodiit.

Ἐξ ὠοῦ ἐξῆλθεν. Id eſt, Ex ouo emerſit. Aiunt dici ſolitum de magnopere formoſis ac nitidis, quaſi neges communi hominum more natos, ſed ex ouo, more Caſtoris & Pollucis. Siquidem eſt in poëtarum fabulis, Lædam Tyndari vxorem ex Iouis concubitu duo peperiſſe oua, è quorum altero prodiëre gemini Caſtor & Pollux, inſigni forma iuuenes. Ex altero nata eſt Helena, cuius forma litteris omnium eſt nobilitata.

*Plutarchus.*

## Pulcrorum etiam autumnus pulcer eſt.

Τῶν καλῶν καὶ ὀπώρα καλή. Vernis enim menſibus, ni-

hil non tenerum ac nitidum, quum omnia adhuc in flore ſunt, aut in herba. Cæterùm autumni tempore, poſteà quàm iam in culmos, aut caulem excreuerunt, horridiora videntur. Quadrat igitur in ea, quæ quum natura ſint egregia, ne tum quidem faſtidienda videntur, quum maturuerunt. Dicetur non ineleganter in hos, qui bellè portant ætatem.

## Simia eſt ſimia, etiam ſi aurea geſtet inſignia.

Πίθηκος ὁ πίθηκος, κἂν χρύσεα ἔχῃ σύμβολα. Admonet fortunæ ornamenta non mutare hominis ingenium. Natum videtur à ſimiis illis Ægyptiis, ſaltationem humanam imitantibus. Lucianus refert Apologum.

## Therſitæ facies. *Suidas.*

Θερσίτειον βλέμμα. Id eſt, Therſitica facies. De prodigioſè deformi dici ſolitum, quòd Homerus ſcripſerit hunc omnium, qui ad Troiam veniſſet, fœdiſſimum fuiſſe.

## Corytheo deformior. *Zenodotus.*

Κορυθέως ἐι αἰσχίων. Aiunt Corytheum quempiam fuiſſe hominem inſignitè ſtultum, ac vecordem, ad hoc forma infeliciſſima, fœdiſſimáque: cui liberi item fuerint omnes patrem referentes. Vnde vulgaris dictus eſt iocus in hominem bardum, ac deformem, &c.

## Simiarum pulcerrima deformis eſt. *Plato.*

Τῶν πιθήκων ὁ εὐμορφότατος δύσμορφός ἐστι. Si quis dicat lenonem integerrimum eſſe periurum, aut honeſtiſſimum hiſtrionem infamem.

## Monogrammi. *Lucilius.*

Μονόγραμμοι. In homines macie prætenues, aut decolores. Monogrammos appellat Cicero informes, nulláque ſpecie.

## Simia in purpura.

Πίθηκος ἐν πορφύρᾳ. In hos, qui tametſi magnifico cultu ſint ornati, tamen cuiuſmodi ſint, ex ipſo vultu moribúſque cognoſcitur. Vel in eos etiam, quibus dignitas additur indecora. Lepidius erit ſi longiùs transferatur, velut in eos, qui barba, pallióque ſimulant ſanctimoniam.

Ayuntamiento de Madrid

*Varro.* Maſculum.

Maſculus apud veteres non ſemper ſignificat ſexum, ſed interdum quidquid vegetum, ſolidum, ac robuſtum eſt, Maſculum dicitur. Lepidius erit ſi ad incorporea transferatur: veluti, cùm excelſum fortemque animum Maſculum appellamus.

*Plato.* Adamantinus.

Ἀδαμάντινος. Pro eo quod eſt, Inexorabilis, infatigabilis, huic prouerbio incredibilis huius lapidis durities locum fecit. Adfinia ſunt: Naxiacos, Ferreus, aheneus. Cornea fibra Achilles. Achilleum argumentum.

Aut manenti vincendum, aut moriendum.

Ἢ μένοντα ἀποθανεῖν, ἢ νικᾶν. Id eſt, Oportet aut manentem vincere, aut interire. Dici ſolitum, vbi certa ſtat ſententia, aut negotium aliquod abſoluere, aut immori.

Ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶς.

Celebratum eſt cuiuſdam Lacænæ apophthema, quæ filio tradens clypeum dixerit: Ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶς. Id eſt, Aut hunc, aut ſuper hunc. Laconicè ſignificans aut referendum clypeum, aut in eo moriendum.

Thurium lema.

Θούριον λῆμα. Dicebant animum intrepidum & ad bellum paratum. Λῆμα Græcis ſonat voluntatem, animum, ſiue propoſitum, aut dignitatem & auctoritatem. Thurion autem dicitur quidquid eſt vehemens & bellicum.

Inflige plagam ab aratro.

Παῖε τὴν ἐκ' ἀρότρου. Id eſt, Inflige plagam aratri, ſiue impinge vomerem. Cùm iubebimus ſtrenuè pugnare, licet ſine arte.

Mœnia ferrea, non terrea.

Innuit non oportere tutamentum ciuitatis in mœnibus collocare, ſed in viris armatis: quorum conſenſus, murorum inexpugnabilium vice, ciuitatem optimè tuetur. Horatius: Hic murus aheneus eſto.

Præbere viros.

Ad fortiter agendum ferendumue adhortabimur hoc carmine Homeri ex Iliad. ε.

Α'νέρες ἔςε φίλοι, μνήσασθε ἢ θούριδος ἀλκῆς. Id eſt.

Eia eſtote viri, validaſque expromite vires.

## Reiicientis auctorem formidinis.

Territanti, metumque inanem iniicienti, verſum hunc occinere licebit, quo Sthenelum alloquitur Diomedes:

Μήτι φόβον δ' ἀγόρευε.

Ne trepidandi mihi auctor ſis.

## Vnum augurium optimum, tueri patriam. *Homerus.*

Abiit in prouerbium etiam hic verſus Homericus:

Εἷς οἰωνὸς ἄριςος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. Id eſt.

Vna auis optima, pro patria pugnare tuenda.

## In Lipſydrio pugnas.

Ε'πὶ λιψυδρίῳ μάχη. Lipſydrium locus erat haud procul à Parnethe, quem mœnibus cinxerant tyranni, qui profugerant ex vrbe. Prius eum locum condiderant Alm æonidę, ſed in hos obſeſſos victoſque à Piſiſtrati copiis, obliqua cantio cani cœpta eſt huiuſmodi: heu heu Lipſydrion, Socrorum proditor, quales viros prodidiſti, ad pugnandum idoneos & claros, cùm oſtenderent à qualibus eſſent orti maioribus. Prouerbium dictum in ſtrenuos & bellicoſos viros.

## Solæ Lacænæ viros pariunt. *Plutarchus.*

Μόναι Λάκαιναι ἄνδρας τίκτουσι. Apud Lacedæmonios fortiſſimi viri naſcebantur, & apud eoſdem matres ſeuerè natos educabant.

# FORTVNAE COMMVTATIO.

## Teſtulæ tranſmutatio. *Lucianus.*

Ο'ςράκου περιςροφή. Id eſt, Teſtulæ cõuerſio. De rebus repẽtè in diuerſum cõmutatis, non abſurdè videri poteſt dictũ adagiũ. De luſu oſtracorũ, quęre in Chiliadib⁹ magnis.

## Alia vita, alia diæta.

Α'λλος βίος, ἄλλη δίαιτα. Id eſt, Alia vita, alia viuendi ratio. In eos quadrabit, qui commutata in melius fortuna, pariter & vitæ rationem, moreſque cõmutant. Tranſlatum ab iis, qui lautiùs incipiunt viuere, vbi res lautior obtigit.

## Nunc pluit, & claro nunc Iupiter æthere fulget.

Χ' ὡ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει. Id eſt: Nũc

*Sophocles.* Pluit, & claro nunc Iupiter æthere lucet. Huic affinis eſt allegoria Pindarica, Non ſemper eoſdem flare ventos, ſed nunc hos, nunc hos, nunc illos.

## Cum Deo quiſque & gaudet & flet.

Σὺν τῷ θεῷ πᾶς καὶ γελᾷ κ' ὀδύρεται. Id eſt, Deo volente quiſque ridet atque flet. Admonet adagium rerum humanarum celerem eſſe commutationem, neque in nobis ſitum, vt res perpetuò ſecundæ ſint.

*Heſiodus.*

## Ipſa dies quandoque parens, quandoque nouerca eſt.

Ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρα, ἄλλοτε μήτηρ. Eo verſu ſignificatum eſt, non omni die bene eſſe poſſe, ſed iſto bene atque alio malè. Inde tranſlatum, quòd matres bene volunt liberis, nouercæ oderunt priuignos.

*Terentius.*

## Omnium rerum viciſſitudo eſt.

Quæ ſententia ſignificat, in rebus mortalium nihil eſſe perpetuum, nihil ſtabile, ſed omnia velut æſtuario quodam fluxu refluxúque decedere atque accedere. Variæ fortunæ vires, & nunc læta, nunc triſtia contingunt vnicuique.

## Multæ rotæ voluentur.

Πολλοὶ κινήσουσιν ἐπιτροχὸν ἅρματος ἵπποι. Id eſt, Permultis voluetur adhuc rota mota caballis: Multum adhuc téporis reſtat, multæque rerum incident mutationes.

## Fortuna æſtuaria.

Τύχη εὔριπος. Id eſt, Fortuna euripus ſiue volubilis, quòd videlicet nunc huic fauere ſoleat, nunc illi.

## Fors domina campi.

In creandis magiſtratibus non ſempet vincebat, qui potior eſſet, ſed cui fortuna fauebat. Nam à populi ſuffragiis res omnis pendebat. M. Tullius in Piſonem: Sed omttto vt ſit factus vterque noſtrum, ſit ſanè Fors domina campi, magnificentius eſt dicere, quemadmodum geſſerimus conſulatum.

## Multa in medio.

Anteà commemorauimus, Multa cadunt inter calicem ſupremaque labra. Idem alia metaphora extulit M. Tullus ad Atticum libro ſexto: Non quò me aliquid iuuare poſ-

Ayuntamiento de Madrid

ſes quippe res in manibus, tu autem abes longe gentium.

Πολλὰ δ' ἐν μεταιχμίῳ
Νότος κυλίνδει κύματ' εὐρείης ἁλός. Ita ſentit Cicero multas rerum nouationes exorituras antequam Atticus, qui procul aberat, poſſit opitulari. Senarij ſunt, quos ita vertas, licet

Sed interim in medio Notus
Multas patentis voluit vndas æquoris.

## Inter manum & mentum.

Feſtus Pompeius indicat eſſe prouerbium apud Latinos, ſed ex illo Greco ductum: Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου. Cuius originem ita refert: quum Chalcas vitem sereret, quidam augur vicinus præteriens, dixit illum errare. Non enim ei fas eſſe nouum vinum deguſtare. Prouerbium admonet nihil certi eſſe in hominum vita. Nam ſæpenumerò fit, vt quod nos maxime tenere credimus, caſus aliquis inopinatus interuertat. Veluti cùm quis manu tenet poculum, minimumque ſpatij ſit inter manum & mentum, tamen interdum fit, vt is moriatur antequam bibat. Huc pertinent alibi citata: Bene natis turpe eſt malè viuere, Mors communis. Dolia duo Circulus res mortalium. Iucunda viciſſitudo rerum.

## Victoria.

Ἑτεραλκής. Homerus locis aliquot appellat ἑτεραλκέα νίκην. Id eſt, Victoriam alternatim nunc his nunc illis obtingentem.

## Res in foro noſtro vertitur.

*Plautus.*

Id eſt: Fortunas noſtras commutari in diuerſum intelligo. Traductum à mercantibus in quibus rerum pretium pro tempore ſæpenumerò commutatur. Cognatũ illi Vti foro.

## Flos cinis.

Dici ſolitum videtur in fugacitatem humanæ vitæ; Hodie floret iuuentus, cras erit in ſepulcro. *Lucianus.*

## Cataſtrophe fabulæ.

Cuiuſlibet exitum rei, prouerbiali figura cataſtrophem vocamus. *Cicero.*

## Vbi non ſis, qui fueris, non eſt cur velis viuere.

Ayuntamiento de Madrid

Sumtum eſt à communi mortalium affectu, qui nihil minus tolerandum putant, quàm vt inter eos neglecti, aut etiam notati viuant, apud quos aliquando cum ſplendore atque auctoritate ſint verſati.

*Plautus.*

## Ad priſtina præſepia.

In eos dicebatur qui è vita quapiam lautiore excuſſi, ad priſtinam tenuitatem rediguntur. Tranſlatum ab animãtibus, quibus nota, familiariaque præſepio gratiſſima ſolent eſſe.

## A' remo ad tribunal.

Α'πὸ κώπης ἐς τὸ βῆμα. Dici ſolitum, vbi quis repentè ab infima, conditione prouehitur ad honeſti muneris adminiſtrationem.

*Cicero.*

## Dionyſius Corinthi.

Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ. Prouerbialis allegoria, qua ſignificamus aliquem è ſumma dignitate atque imperio, ad priuatam humilemque redactum fortunam, quemadmodum Dionyſius Syracuſanorum tyrannus, expulſus imperio, Corinthi pueros litteras ac muſicam, mercede docuit.

*Plautus.*

## Citiùs, quàm formicæ papauer.

De ſubita rerum conſumtione, non aliter, quam ſi papauer obiicias agmini formicarum. Mox enim diſtrahitur aceruus, dum vnaquæque ſuum arripit granulum.

*Plinius.*

## Nemo mortalium omnibus horis ſapit.

Senſus vel citra interpretem liquet: nempe neminem eſſe, qui non aliqua parte vitæ deſipiat.

## Pitana ſum.

Πιτάνη εἰμί. Zenodotus indicat dici ſolitum de iis, qui in eytremas redacti calamitates, ab eiſdem denuò in priſtinam felicitatem reſtituuntur. Sic enim eueniſſe quondam Pitanæ Aeoliæ ciuitati.

## Quod alius condiuit coquus, aliter condiam.

Vbi quis rem omnem nouat ac perturbat, conueniet Plautinum illud.

*Publius.*

## Bona nemini hora eſt.

Bona nemini hora eſt, quin alicui ſit mala. Ita fortuna temperauit res mortalium, vt quod huic lætum eſt, alij pariat dolorem. Niſi mauis pro aliqui legere, alicubi.

Ayuntamiento de Madrid

## Oſculana pugna.

Feſtus Pompeius indicat. Oſculanam pugnam, prouerbio dici ſolitam, quoties victi vincerent.

## Per manus tradere.

*Aulus Hircius.*

Quod ſucceſſione quadam ab aliis ad alios deuenit. Quod tranſlatum videtur ab his, qui nauim aut plauſtrum exonerant.

## De manu in manum.

*Cicero.*

A ſuperiore non vſquequaque diſſimile eſt. Traduntur & qui commendantur. Terent. Hanc in manum dat.

### FORTVNATA STVLTITIA.

## Athenienſium inconſulta temeritas.

Ἡ τῶν Ἀθηναίων δυσβουλία. Quadrat in eos quibus malè conſulta vertunt bene. Nam id olim vulgò tributum eſt Athenienſibus, quòd ipſi quidem ſocorditer conſultarẽt, parumque proſpicerent, verũ Minerua, ciuitatis præſes, illorum malè inſtituta bene huic vertere conſueuit. Simile eſt. Eſt fortunatior quàm prudentior.

## Dormientis rete trahit.

Εὕδοντι κύρτος αἱρεῖ. Id eſt, Dormienti rete capit. In eos, quibus contra conatum obtingunt ea, quæ cupiunt. Natum ex euentu, quòd aliquando acciderit, vt dormientibus piſcatoribus, piſces fortè retibus inuoluti caperentur. Citatum alibi quoque.

## In nihil ſapiendo iucundiſſima vita.

Sophocles in Aiace:

Ἐν τῷ φρονεῖν γὰρ μηδὲν, ἥδιστος βίος.
Τὸ μὴ φρονεῖν γὰρ κάρτ' ἀνώδυνον κακόν. Id eſt.
Suauiſſima hîc eſt vita, ſi ſapias nihil.
Nam ſapere nil, doloris expers eſt malum.

Huic concinit illud Eccleſiaſtæ dictum: In multa ſapientia, multa indignatio. Et qui addit ſcientiam, adiiciet & laborem.

## Malum vas non frangitur.

Κακὸν ἄγγος οὐ κλᾶται. Simili metaphora dicunt hodie, Malam herbam non perire. Qui deterior, iis nonnunquàm viuacior, & in periculis tutior.

### FRAVS AB AMICO.

Κύκλῳ περιέλκειν.

Ayuntamiento de Madrid

Qui arte circumagit quempiam, vt quum ſe putet aliquid egiſſe, nihil egerit, aut in idem recidat vnde volebat extricari. κύκλῳ περιελκίζει dicitur. *Ariſtop.*

## Vallus vitem decepit.

Η' χάραξ τὴν ἄμπελον ἐξηπάτησεν. Vbi quiſpiam ab eo fallitur aut luditur, à quo pendebat, cuiuſque fidei nitebatur.

## Canis mendico auxilians.

Κύων τῷ πτωχῷ βοηθῶν. Vbi quis nobis aduerſatur, & diuerſis ſtudet partibus, is, cuius auxilio nitebamur. Nam canes infeſti ſunt mendicis velut ὁμοτέχνοις, niſi quando fruſto panis corrumpuntur. *Suidas*

### FRVGALITAS.

## Acolo non fico.

Α'κόλῳ τὰ χείλη οὐ σύκῳ βῦσαι. Id eſt, Acolo, non ficui immergere labia. Prouerbium hortatur ad victum tenuē. Nam ἀκόλους Græci vocant minutas offulas.

## Μυσχαρφί.

Dicebantur agere, qui durè ac ſiccè viuerent. Vox ficta videtur, à mure & palea, quòd mus in re puſilla vehementer laboret.

## Allium in retibus.

Σκόροδον ἐν δικτύοις. De ſordido commeatu dicebatur.

## Phormionis thoris.

Στιβάδες Φορμίωνος. De ſtratis ſordidis ac frugalibus, miniméque delicatis, qualia ſunt cubilia militaria. Refertur à Suida. Phormio Dux fuit quiſpiam militum. *Diogenian.*

## Cilicij Imperatores.

Κιλίκιοι στρατηγοί. Id eſt, Cilicij Duces. Dicebantur homines hirſuti & pilis obſiti. Vnde & ſaga pilis contexta, cilicia vocantur.

## Vita doliaris.

Ζωὴ πίθου. Id eſt, Vita dolij. Prouerbio dicitur vita frugalis, parca, ab omni ſtrepitu atque ambitione ſemota. Breuiter talis, qualem Diogenes nobis ille Cynicus Athenis egiſſe legitur. Poterit torqueri & in eos, qui nimium ſordidè, nimis durè atque immundè viuunt.

## Tanquam in phiditijs.



Ayuntamiento de Madrid

Ὥσπερ ἐν φειδιτίοις. Vbi quid parciùs nimiumque frugaliter actum ſignificabimus. Lacedæmonij publica loca habebant, in quibus cibum caperent. In his accipiebant hoſpites ac legatos ſuos, ſed apparatu perparco.

## Hecatæ cena.

Veteres cenam perparcam & impendio frugalem, Hecatæ cenam appellabant, quòd apud inferos tenuiſſimo victu, minimoque cibo, eóque viliſſimo viuitur.

## Oliuam ne comedas.

Adagij vſum non video, niſi ſi quando ſignificabimus extremam victus parſimoniam, vt nec vrticæ quidquam adhibeatur condimenti. *Chryſi.*

## Sicyon arrodens vxor lacernam texe.

Τὸν σίκυον τρώγουσα γύναι, τὴν χλαῖναν ὕφαινε. Id eſt. Arrodens Sicyon vxor ſubtexe lacernam. *Athenæus.*

Verba mariti iubentis, vt vxor tenui contenta victu, peragat opus ſuum. Sicyon ſeu Siceos herbæ genus eſt, aut certè peponis, non nulli putant cucumeris.

## Thymbra victitans.

Θυμβροφάγοι. Id eſt, Thymbra victitantes. Adagio dicebantur vel qui tutiùs, ac liberiùs vitam agerent, vel qui moribus eſſent parum blandis, vel qui hilariter, citràque ſolicitudinem paruo contenti viuerent, quòd thymbra herbæ genus ſit, &c.

## Salem lingere.

Ἅλα λείχειν. Dicuntur, qui pérquam tenuiter victitant. *Plautus.* Diogenes quum à Cratero prædiuite quodam inuitaretur vt ad ſe veniret, vſurus hoſpitio ſuo, ſuáque liberalitate, reſpondit, ſe malle ſalem Athenis lingere quàm apud illum opiparis menſis frui. *Plutarchus.*

## Si caſeum haberem, non deſiderarem obſonium.

Εἰ τυρὸν εἶχον, οὐκ ἂν ἐδεόμην ὄψου. Id eſt, Si caſeum haberem, non egerem obſonio. Dicendum, vbi quis minimis viliſſimisque contentus eſt. *Stobæus.*

## Xenocratis caſeolus.

Ξενοκράτους τυρίον. De cibo qui pérquam diu durat priùs quàm abſumatur. Appoſitè dicetur in ſordidos quoſdam,



Ayuntamiento de Madrid

quibus hic mos, omnem pœnum eò vſque ſeruare, quoad fuerit corruptus. Sumtum adagium ab admirabili Xenocratis frugalitate.

*Homerus.*

## Aſpera vita, ſed ſalubris.

In vitæ rationem, duriuſculam quidem, ſed tamen ad rectam morum inſtitutionem idoneam, conueniet illud Homeri ex Odyſſ. 1.

Τρηχεῖ' ἀλλ' ἀγαθὴ κουροτρόφος. Id eſt,
Aſpera, ſed iuuenum nutrix bona.

*Plinius.*

## Salem & caſeum edere.

Conſimile hoc cum præcedentibus.

### FRVSTRATA SPES.

## Coruum deluſit hiantem.

In captatorem ſpe ſua fruſtratum vtitur Horatius. Nam hæc quoque auis cadaueribus imminet.

*Lucianus.*

## Theſaurus carbones erant.

Ἄνθρακες ὁ θησαυρὸς πέφυκεν. In eos competit, qui ſpe ſua fruſtrantur, quique magnificis rebus expectatis, meras nugas reperiunt. Ex euentu quopiam natum videtur, quo quiſpiam theſauri ſpe fodiens, carbones defoſſos inuenit.

## Bolus ereptus è faucibus.

Dicitur quoties commoditas aliqua, quæ iam propemodum tenebatur, præter exſpectationem ſubitò præripitur. Terentius: Crucior bolum tantum mihi eſſe ereptũ ſubitò è faucibus.

## Murem pro leone oſtendit.

Μῦν ἀντὶ λέοντος ἀπέδειξεν. Prouerbiali ſchemate dictum, pro eo quod eſt, ingentia pollicitus & fortia, longè diuerſa exhibuit.

*Theocritus.*

## Concupiuit aſſam farinam.

Ἤρα τοῦ ὀπτοῦ ἀλεύρου. In eum dicebatur, qui domeſticam tenuitatem pertæſus, apud alios lautiorem vitam quæſiſſet. Farinam aſſam & nouam, lautiorem victus rationem vocat, propterea quòd priſcos illos pulte duntaxat victitaſſe legimus, videlicet clibano, coquendi panis vſu nondum reperto,

## Ne per ſomnium quidem.

Οὐδ' ὄναρ. Id eſt, Ne in ſomnio quidem. Græcis prouer-

Ayuntamiento de Madrid

bialiter dictum eſt, pro eo quod eſt: Nulla ratione, nullo tempore, ne ſperare quidem audeas.

## Aliena iacis. *Diogenian.*

Α᾿λλότρια βάλλεις. Quoties res parum ex animi ſententia cadit. Tranſlatum ab iis, qui ludunt aleam, quibus iacientibus, interdum ea cadunt, quæ minimè ad victoriam accommoda.

## Larus parturit. *Ariſtoph.*

Κέπφος ὠδίνει. Id eſt, Cepphus parturit. Aiunt Cepphũ auiculam eſſe, quam nonnulli Larum appellant, plumis ac pennis eſſe copioſis, corpore puſillo: quum parturit, vociferari. Hinc natum prouerbium, Larus parturit, vbi quis magna præ ſe fert, puſilla præſtiturus.

## Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus. *Æſopus.*

Ὤδινεν ὄρος, εἶτα μῦν ἀπέτεκεν. Id eſt, Mons parturibat, deinde murem prodidit. Dici ſolitum in homines glorioſos & oſtentatores, qui magnificis promiſſis, tum vultus, veſtitusque auctoritate miram de ſe mouent exſpectationem. Verum vbi ad rem ventum eſt, meras nugas adferunt.

## Lupus circum puteum chorum agit. *Zenodotus.*

Λύκος περὶ τὸ φρέαρ χορεύει. In eos dicetur qui, ſumta inaniter opera, ſpe ſua fruſtrantur. Aiunt enim lupo morem eſſe, vt ſi quando ſitiat, nec tutò ſe poſſit demittere, circum puteum oberret, fruſtrà inhians aquæ, quam non poſſit contingere.

## Lupus hiat. *Ariſtop.*

Λύκος ἔχανεν. Dicebatur, ſi quis re multum ſperata, multumque appetita, fruſtratus diſcederet. Aiunt enim lupum prædæ inhiantem rictu latè diducto occurrere: qua ſi fruſtretur obambulare hiantem.

## Aurificem te futurum credebas.

Χρυσοχοήσειν ᾤου. Id eſt, aurificem te futurum arbitrabare. Inualuerat aliquãdo fama apud vulgus Athenienſiũ, in Hymetto mõte magna auri fragmẽta videri, quæ à formicis illis pugnacib⁹ ſeruarẽtur. Itaque quidã creduli, ſũtis armis exierũt illas expugnaturi. Qui cũ re infecta, fruſtráq;



Ayuntamiento de Madrid

ſumto labore redirent in vrbem, irriſi ſunt à cæteris ciuibus illud obiectantibus, &c.

*Suidas.*

## Quærens obſonium, veſtem perdidi.

Ζητῶν γὰρ ὄψον θοιμάτιον ἀπώλεσα. Id eſt, Obſonium dum quæro, veſtem perdidi, Vbi res peſſimè cadit, aut quum puſilla quædam captantes, maiora perdimus. Eſt ab euentu profectum, quo fur quiſpiam dum ſtudet cibum tollere, comprehenſus, vix pallio quoque reiecto effugit.

## Cadere in curſu.

Cadere in curſu, eſt expedita laude fruſtrari, quemadmodum ſi quis ad lauream theologicam contendens, emoriatur priùs quàm ad ſummum eius nominis faſtigium peruenerit.

*Phurnutus.*

## Ne quære mollia, ne tibi contingant dura.

Μὴ τὰ μαλακὰ μώσο, μὴ τὰ σκληρὰ ἔχῃς. Id eſt Ne quære mollia, ne dura feras. Congruit in eos, qui dum nimis improbè ac moroſè petunt, quæ volunt, offenſis iis, à quibus petunt, accipiunt ea, quæ nolunt: aut in eos qui dum præter modum captant voluptatem, incidunt in moleſtiam.

## Duos inſequens lepores, neutrum capit.

Ὁ δύο πτῶκας διώκων, οὐδέτερον καταλαμβάνει. Id eſt, Qui duos inſectatur lepores, neutrum capit. Huius prouerbii ſenſus eſt: Qui ſimul duplex captat commodum, vtroque fruſtratur.

*Ariſtop.*

## Hic funis nihil attraxit.

Αὕτη μὲν μήρινθος οὐδὲν ἔσπασεν. Id eſt, Funis quidem iſte piſcium attraxit nihil. Quo ſignificabant operam fruſtrà ſumtam, neque ex ſententia eueniſſe, quod quis conabatur.

## Inani ſpe flagrat.

Κεναῖσιν ἐλπίσι θερμαίνεται. Id eſt, Inanibus ſpebus incenditur. In eum, qui fruſtra ſibi magna pollicetur.

*Æſopus.*

## Fluuius non ſemper fert ſecures.

Οὐκ ἀεὶ ποταμὸς ἀξίνας φέρει. Non protinus tibi ſperes idem, quod aliis feliciter ceſſit. Natum ab apologo Æſopico: Cuidam cædenti ſiluam, ſecuris è manibus excidit: Mercurius inuocatus reddidit argenteam.

Ayuntamiento de Madrid

## Spem pretio emere.

Eſt lucrum incertum, & in euentu ſitum, certo affectare damno. Terentius in Adelp. Ego ſpem pretio non emam.

## Semper agricola in nouum annum diues.

Ἀεὶ γεωργὸς εἰς νέωτα πλούσιος. Id eſt, Agricola ſemper diues annum in proximum. De iis dictitatum, qui ſpe futuri compendij diuites ſunt, ac ſibimet expectatione rerum amplarum blandiuntur. Ductum à colonis, qui ſemper proximæ æſtatis vberiorem prouentum ſibi pollicentur, eáque ſpe iam ſumtus nonnullos audent facere. *Zenodotus.*

## Cretenſes ſacrum.

Οἱ Κρῆτες τὴν θυσίαν. Id eſt, Cretenſes ſacrum, ſcilicet faciunt, aut ſimile quippiam. Dicetur, vbi quis non fruitur his, quæ parauit.

## Nucleum amiſi, reliquit pignori putamina.

Plautus in Captiuis duobus: Verba ſunt Ægionis, vbi reſciuiſſet ſibi impoſitum eſſe, & herum amiſſum pro ſeruo, & ſeruum pro domino retentum. Is enim ex quo fructus expectabatur, aufugerat, eo relicto, ex quo nihil emolumenti poterat capi. Allegoria per ſe liquet.

## Præuertit ancoræ iactum Deus.

Ἀλλ' ἀπέτρεψε τὴν ἐπ' ἄγκυραν θεός. Id eſt, Sed anteuertit ancoræ iactum Deus. Quum res præter ſpem euenit. Traductum à nautis, quibus accidit ſæpenumerò, vt quum parant ſeſe vt ancoram iaciant, in portum appulſuri, repellantur à ventis, & in mediam tempeſtatem reuocentur.

## In caducum parietem inclinare.

Qui ſenis præſidio vtitur, qui forma ſuperbit, qui in caducis fortunæ bonis vitæ præſidia collocat, rectè dicetur in caducum inclinare parietem. *Hadrian. Imperator.*

## Fœdum eſt & manſiſſe diu, vacuúque rediſſe.

Homerus Iliados 2 libro:

Αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν, κενεόν τε νέεσθαι. Id eſt,

Turpe eſt & manſiſſe diu, vacuumque rediſſe.

Conueniet, vbi quis longam de ſe concitauit expectationem, cui poſteà non reſpondeat. Velut ſi quis ſtudij cauſſa diu peregrinatus, domum redeat nihilo doctior.



Ayuntamiento de Madrid

*Homerus.* Non omnia eueniunt, quæ in animo ſtatueris.

Ἀλλ' οὐ Ζεὺς ἄνδρεσσι νοήματα πάντα τελευτᾷ.

Iupiter haud quidquid animo conceperis, illud

Perficit extemplò. Rectè vtemur, quoties ſignificamus nō euenire protinus, quidquid ſpe votisque cōceperimus.

*Eſaiæ.36.*
*4.Reg. 18.*
*Ezech.29.*

Scipioni arundineo inniti.

De eos, qui ſpes ſuas figit in his, qui non ſolum non poſſunt eſſe præſidio, verùm etiam noceant deſtituto. Siquidem arundineus ſcipio non modò non ſuſtinet innitentē, verùm etiam manum penetrat ac vulnerat.

FVERVNT, NON SVNT.

Sæpe etiam eſt holitor valde oportuna locutus.

Πολλάκι καὶ κηπουρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν.

*Gellius.* Quo quidem admonemur, non eſſe faſtidiendam ſalutarem ſcientiam, propter auctoris humilitatem. Cicero: Sæpe eſt etiam ſub pallio ſordido ſapientia. Plautus:

Vt ſumma ſæpe ingenia in oculto latent. Effertur & ad hunc modum, & rectiùs fortaſſe.

Πολλάκι τοι καὶ μωρὸς ἀνὴρ κατακαίριον εἶπε.

Sæpe etiam ſtultus fuit oportuna locutus.

*Diogenian.* Summaria indicatura.

Ῥωπικὸν ὤνιον. De rebus vilibus, magno tamen emtis. Quemadmodum fit nonnunquam in auctionibus, quum non expenditur ſigillatim vniuſcuiuſque rei pretium, ſed multa ſimul congeſta pariter æſtimantur.

Nam iam illi non ſunt, at qui ſunt mali.

Οἱ μὲν γὰρ οὐκ ἔτ' εἰσὶν, οἱ δ' ὄντες κακοί. Id eſt, Partim haud quidem iam ſunt, at ij qui ſunt, mali. Dici ſolitum, vbi quis requirit ea, quæ quondam quidem extiterunt, verùm temporum culpa perierunt. Veluti ſi quis inter principes, Codros, Camillos, Fabricios, Epaminondas hac tempeſtate requirat.

Fuere quondam ſtrenui Mileſij.

Πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι. Hoc ſenario notabant eos, qui à priſtina fortuna defluxiſſent, aut à maiorum moribus degeneraſſent. Breuiter in omnes quadrabit, qui deſierunt eſſe quod erant, facti deteriores.

Ayuntamiento de Madrid

## Fuimus Troës.

Ἦμεν Τρῶες. Eo vtemur, vbi periſſe quempiam ſignificamus. Virgilius: Fuimus Troës, fuit Ilium, & ingens Gloria Teucrorum.

FVCVS.

## Lecythum habet in malis.

Ἔχειν λήκυθον πρὸς ταῖς γνάθοις. Id eſt, Lecythum habere ad malas. Tectum & ænigmaticum eſt conuitium in anus, quæ rugas illitis pigmentis diſſimulant. Lecythum appellat vaſculum vnguentarium vnde fucatur facies. *Ariſtophan.*

## Schœnicolæ.

Feſtus Pompeius indicat Schœnicolas olim appellatas ſcorta plebeia ac vilia, ab vnguento viliſſimo, quo oblinũtur. Plautus in Pœnulo: Miſeras, ſchœno delibutas, ſchœnicolas ſordidas.

## Oleo nitidius.

Olei nitor adeò venerat in prouerbium, vt myſticę quoque litteræ iubeant facie oleo vncta diſſimulare triſtitiam ieiunij. Plautus in Truculento de amica pulcrè comta: Feruidè vt tota floret, vt oleum nitidè nitet! Oleum, nitorem, ac lucem addit rebus omnibus.

GARRVLITAS:

## Archytæ crepitaculum.

Ἀρχύτου πλαταγή. In hominem vehementer garrulum & obſtreperum iaciebatur. Architas crepitaculi genus æreum excogitauit, quod pueris luſitantibus daretur, ne quid interim ex vaſis domeſticis contingerent.

## Arabicus tibicen.

Ἀράβιος αὐλητής. Aut, Arabicus nuntius. In eos dici ſolitum, qui à ſemel cœptis nunquàm deſiſtunt. Adagium hinc natum exiſtimant, quòd tibiis canendi artem non diſcebant ingenui, tanquã ſordidã; ſed hanc ſola mãcipia exercebant, quæ plerunque ex Arabia producebãtur. *Menander.*

## Turture loquacior.

Τρυγόνος λαλίστερος. In garrulos & impendio loquaculos homines dici ſolitum. Sumta metaphora ab auis natura, quæ vocem edens etiam caudam mouere videtur. *Zenodotus.*

## Prolixius Iliade.

*Iul. Pol.*



Ayuntamiento de Madrid

Μακρότερα τῆ Ἰλιάδος λαλῶν. Id eſt, Prolixiora Iliade loquens. Eſt autem Ilias nobile opus Homeri, quo Troiæ captæ hiſtoriam libris XXIIII. explicat, quum Virgil. XII. libris complexus ſit, quod ex vtroque opere viſum eſt decerpere.

## Cornicari.

Quin & Græci prouerbio κρώζειν dicunt, pro eo, quod eſt, inhiare prædę, aut ineptè garrire, cornicum more. Perſius ſatyra V. Neſcio quid tecum graue cornicaris ineptè.

## Muſarum aues.

Μουσῶν ὄρνιθας. Muſarum aues, non abſque prouerbij ſpecie Theocritus in Thalyſia appellat poëtas, quòd luſciniarum in morem aſſiduè canant ſua poëmata. Scoliaſtes admonet omnes aues canoras, muſarum aues appellari. Sentit autem ſibi diſplicere poëtas, qui cuculorum more audent Homero occinere.

## Tam multa, quàm ſapiens.

Ariſtoteles libro Rhetoricorum tertio, admonens ne orator crebris enthymematibus vtatur, ſed tantũ intermiſceat, ſubiicit hoc carmẽ Homeri, ni fallor, ceu vulgò iactatũ:

Ὦ φίλ' ἐπεὶ τόσα εἶπες, ὅσ' ἂν πεπνυμένος ἀνήρ. Id eſt,
Quandoquidem nobis tam multa locutus amice es,
Quàm multa prudens vir diceret, atque peritus.

Conueniet in hominem multa loquentem potiùs, quàm oportuna.

## Daulia cornix.

Δαυλίαν κορώνην. Id eſt, Dauliam cornicem Luſciniam vocant poëtæ, ſiue quòd Tereus in Daulide Phocidis cum ea vixerit, ſiue quòd illic Philomela mutata ſit in auem. Dictum eſt in garrulos, aut canoros.

## Hirundinum muſea.

*Ariſtoph.*

Χελιδόνων μουσεῖα. Conuenit hoc in imperitos & tamen garrulos. Hirundines enim inepto garritu plus tædij auditoribus adferunt, quàm voluptatis.

## Luſciniæ nugis inſidentes.

Ἀηδόνες λέσχαις ἐγκαθήμεναι. Conuenit hoc ad eruditos, qui tamen immodicè ſuo ſtudio delectentur, quod genus ſunt Poëtę potiſſimùm, Plinius lib. X. cap. XXIX. de Luſcinia.

Ayuntamiento de Madrid

## Dodonæum æs.

Δωδωναῖον χαλκεῖον. Id eſt, Dodonæum cymbalum, aut tintinnabulum. In hominem dici cõſueuit improbæ, atque importunæ loquacitatis. *Menander.*

## Caute loquacior.

Ῥαχίας λαλίστερος. Prouerbialis hyperbole. In hominem immodicè ac permoleſtè garrulum. Sumta metaphora à cautibus, quæ, quoniam aſſiduis fluctibus tunduntur, multo reſonant fragore.

## Littore loquacior.

Ῥαχίας λαλίστερος. In rabulam, & obſtreperum dicebatur. Nam ῥαχία Græcis litus appellabatur, præſertim ſcopulis ac rupibus aſperum, quod aſſiduis tunditur fluctibus, non ſine fragore. Vnde & Græca vox ducta videtur.

## Cicada vocalior.

Τέττιγος εὐφωνότερος. Id eſt, Cicada vocalior. Dicebatur in hominem impẽdio garrulum, aut admodùm muſicum, propterea quòd hoc inſectum rore duntaxat viuens, cantu potiſſimùm delectetur.

## Ne eiuſdem & multa, & oportuna dicere.

Χωρὶς τό τ' εἰπεῖν πολλὰ, καὶ τὰ καίρια. Id eſt, Seiuncta ſunt hæc, multa & apta dicere. Admonet vitandam multiloquentiam, quòd ferè labi neceſſe ſit, quiſquis multùm loqui conetur. Extat & in Hebræorum prouerbiis, in multiloquiis non abeſſe peccatum. *Prouerb. 10.*

## Homo ſemper contradicens.

Galenus refert hanc ſententiam vt vulgò celebratam: Οὐδέν ἐστιν ἀπειρολογώτερον ἀνθρώπου. Id eſt, Nihil eſt pertinacius ad contradicẽdum, quàm homo. Conuenit in eos, qui nunquam fatentur ſe victos.

## Os infræne.

Ἀχάλινον στόμα. Os infræne vocant os petulans, & maledicum. Sumta metaphora ab equis nullo fræno coërcitis. Competit in multos concionatores, non Euangelicos, ſed ſycophanticos, ac meros adulatores.

## Tanquam ſuber.

Ὡς φελλός. De iis, qui non norunt diſſimulare. Tractum à natura ligni, quòd non ſolùm ipſum nõ mergitur, verùm *Pindarus.*

Ayuntamiento de Madrid

etiam alligatum aliis, ne ſidant, ſuſtinet. Vnde retibus aſſuitur.

## Telenicia echo.

Τελενίκιος ἠχώ. Rectè dicitur oratio fatui: Sic enim vocant crepitum vaſculorum inanium.

## Balneator.

*Ariſtoph.* Βαλανεὺς. Siue balnei caupo. Id nominis vulgato conuitio dicebatur in hominem alienarum rerum plus ſatis curioſum, propterea quòd huiuſmodi genus hominum, quoniam in otio viuit, neque ſuis negotiis diſtinetur, aliena curare conſueuit. Cuiuſmodi ſunt & tonſores.

## Battologia. Laconiſmus.

Battologia Græcis multiloquium vocatur, à Batto quopiam inepto poëta, qui hymnos quoſdam conſcripſit prolixos, in quibus eadem crebriùs iterabantur. Hinc vox etiam conficta Βαττολογεῖν. E diuerſo Λακωνισμὸς, id eſt, Laconiſmus, in breuiloquentiæ ſignificationem abiit.

## Moſcus canens Bœoticum.

Μόσχος ᾄδων Βοιώτιον. Quadrabit in multiloquos, ſed tamen ineptè loquaces.

## Si coruus poſſit tacitus paſci.

Horatius: Sed tacitus paſci ſi poſſet coruus, haberet
Plus dapis, & rixæ multo minus, inuidiæque.

Quadrabit in eos, qui ſi quid bonæ rei nacti ſunt, continuò iactant, oſtentántque, atque ad eum modū efficiunt, vt alij tum obſiſtant, quò minùs eiuſmodi incommoda nanciſcantur; tum, quæ nacti ſunt, interuertant.

*Cicero.*
## Quidquid in linguam venerit.

*Plato.*
## Quidquid in buccam venerit.

Quoties liberè quoſpiam ac tutò loqui ſignificabimus, incircumſpectè, & quidquid fortè fortuna in animum inciderit.

## Citra vinum temulentia.

*Plutarchus.* Ἄοινος μέθη. Id eſt, Ebrietas abſque vino. Vulgò panariā ebrietatem appellant arrogantiam, licentiámque morum, quæ ſecundis rebus comes eſſe conſueuit. Horatius inſolentiam, ebrietatem vocat: Fortunáque dulci ebria.

Ayuntamiento de Madrid

## Meliacum remigium.

Τὸ μηλιακὸν πλοῖον. In futilem, & rimarum, vt ait Terentius, plenum, hac atque illac perfluentem, dictitatum videtur. Parœmiam hanc ad hiſtoriam quampiam referunt, ea ſic habet. Ariſtoteles quidam Meliacus dedúcendæ coloniæ præfectus, cùm multi detrectantes nauigationem, varia cauſarentur; & alij dicerent vxores ſuas aduerſa valetudine teneri: alij naues ſuas perſtillare, atque his prætextibus domi manerent, ille indignatus, imprecatus eſt illis, vt nunquam haberent naues integras, & ſemper ſub vxorum imperio viuerent, vnde quadraturum videtur vbi quis cauſas fingit, quo ſuffugiat officium.

## Interſecta muſica.

Ἐκκέκοφ' ἡ μουσική. Id eſt, Interrupta muſica. Veteres in conuiuiis eruditis confabulationibus vti conſueuerunt. Pòſt cantores, hiſtriones, ſaltationes induci cœptæ. Vnde quidam moleſtè ferentes interrumpi ſermones ſuos, dicebant, Interſecta eſt Muſica. Quæ vox in prouerbium traducta eſt, quoties aliquis interueniens ſermonem inſtitutum interpellaret.

## Lingua quò vadis? *Suidas.*

Γλῶσσα ποῖ πορεύῃ; πόλιν ὀρθώσουσα, καὶ πάλιν ἀναστρέψουσα. Lingua quò vadis? Erectam ciuitatem, eandem denuò ſubuerſura. Docet linguam plurimum vtilitatis adferre mortalibus, & eandem rurſum plurimam adferre perniciem.

## Ἀθυρόγλωττος.

Dicitur cui eſt os intemperans atque improbum; annexum ſuperiùs citato, Os infræne.

## Cane Tellenis cantilenam. *Zenodotus.*

Ἆιδε τὰ Τέλληνος. Id eſt, Cane cantiones Tellenis. Quidam dici putant de dicacibus, mordacibúſque: quidam de ineptè loquaculis. Nam Tellenem hunc tibicinem quendam fuiſſe poëtam item carminum ineptiſſimorum: Alij tradunt hunc locos quoſdam verſibus lepidiſſimis deſcripſiſſe, non ſine multo ſale ſcommatum.

## Ad vinum diſerti.

Ayuntamiento de Madrid

Cicero in oratione pro M. Cælio, ad vinum diſertos appellat, qui ad ſerias cauſſas agendas inepti, inter pocula multa garriunt, vbi nihil opus.

Syneſius.

## Leuiſſima res oratio.

Κυφότατον πρᾶγμα λόγος. Id eſt, Leuiſſima res oratio. Apud Homerum paſſim obuium eſt illud: Ἔπεα πτερόεντα προσηύδα. Verba volucria dixit. Verba alata cognominat, quòd facilè euolent, atque reuolare neſciant. Proinde Horatius:

Et ſemel emiſſum volat irreuocabile verbum.

## Farcire centones.

Plautus: Vin' tu, inquit, alium quæras, cui centones farcias? Id eſt, quem tu glorioſis mendaciis, & conſarcinatis fabulamentis expleas? Solent enim homines glorioſi mendacium aliud ex alio connectere, nullum facientes neque finem, neque modum. Centones autem dicuntur veſtes à variis panniculis, ac diuerſis etiam interdum coloribus conſarcinatæ. Iuuenalis: intrauit calidum veteri centone lupanar. Ad harum ſimilitudinem, centonem vocant carminis genus, Græci κέντρωνας appellant additu litteræ. Extant adhuc ὁμηροκέντρωνες, quorum meminit & D. Hieronymus, & Virgiliocentones Probæ Falconiæ.

## Sine capite fabula.

Ἀκέφαλος μῦθος. Id eſt, Sine capite ſermo. Dicitur imperfectus, ac mutilus. Apud Cretenſes feſtum quoddam nouis & abſurdis ceremoniis agebatur, oſtenſo hominis ſimulacro ſine capite. Hunc aiebant Homerioni patrem fuiſſe, qui conſtuprata per vim nympha, ſine capite fuerit repertus.

# GRATITVDO.

## Qui egent lucerna infundunt oleum.

Plutarchus in vita Periclis refert Anaxagoram Pericli in adminiſtranda Repub. magno adiumento fuiſſe, verùm vbi iam grauaret ſenectus, & à Pericle publicis intento negotiis negligeretur, decreuerat inedia finire vitam. Id vbi reſciuit Pericles, accurrit ad ædes philoſophi, precibuſque & lacrymis conatus eſt illum ab inſtituto reuocare, idque ſua ipſius cauſſa magis, quàm Anaxagoræ, at ille iam agens animam dixit, ὦ Περίκλεις καὶ οἱ τοῦ λύχνου χρείαν

ἔχοντες, ἔλαιον ἐπιχέουσιν, id eſt, ô Pericles, & quibus lucerna eſt opus, infundunt oleum: exprobrans illi neglectum amici, vnde non vulgarem capiebat vtilitatem, quum qui egent lucerna, ob vſum qualemcunque curant illam, abſtergentes, atque infundentes oleum.

## Lingua ſeorſum inciditur.

Ariſtophanes in pace: Ἡ γλῶττα χωρὶς τέμνεται. Id eſt.

Lingua ipſa ſeorſum inciditur. Interpres admonet alluſum eſſe ad prouerbiale dictum: ἡ γλῶττα τῷ κήρυκι, id eſt, Lingua præconi. Quo rectè videbimur vſuri, cùm præmij nonnihil deberi ſignificabimus, qui in conficiendo negotio, pro ſua virili in partem adiumento fuit, aut εὐαγγέλιον dandum læta nuntianti. Sic enim vocat Homerus mercedulam, quæ dari conſueuit, lætum adferentibus nuntiū.

Ἀντιπελαργεῖν.

Apud Græcos eſt, mutuam officij vicem rependere, maximè nutricandi, fouendíque eos, à quibus aliquando fueris enutritus aut inſtitutus. Vt ſi liberi parentes ætate feſſos viciſſim alant, foueantque, aut ſi diſcipulus præceptorem inuicem erudiat. A ciconiæ natura ſumta, quæ Græcè pelargus dicitur. Ea inter aues vna pietatis ſymbolum obtinet.

## Pro bonis glomi.

Ἀντ᾽ ἀγαθῶν ἀγαθίδες. Dici conſueuit, vbi quis beneficium, quod in alium cõtuliſſet, cumulatè cum fœnore reciperet. Agathides enim Græcis glomi dicuntur, verùm alluſionis decus in voce Græca eſt, quod in ſermone Latino reddi non poteſt. Meminit Suidas.

## Syloſontis chlamys.

*Diogenian.*

Ἡ συλοσῶντος χλαμύς. Dici ſolitum in hos, qui ſe cultu, veſtitúque iactitant, ac venditant. Videtur haud abſurdè dici poſſe & in eos, quibus munus exiguum in tempore, magno cum fœnore rediit. Hiſtoriæ, quæ prouerbij dederit occaſionem, meminit Herodotus in Thalia, & Strabo Geographiæ libro XIIII.

### HEREDIPETAE.

## Si vultur es, exſpecta cadauer.

Captatores teſtamentorum & heredipetæ, vulgata me-

Ayuntamiento de Madrid

*Seneca.* taphora, vultures appellantur, quod ſenibus orbis, ceu cadaueribus inhient. Nam huic aui proprium, cadaueribus tantùm viuere.

## Eidem inhiantes teſtamento.

*Homerus.* Dictum hoc de Græcis ac Troianis, pro Patrocli cadauere dimicantibus. Torquetur ad heredipetas, eundem ſenem, veluti idem cadauer certatim captantes.

Sic illi exiguo diſcrimine vtrique cadauer
Hinc atque inde trahunt.

### HONOS INDIGNO HABITVS.

## Bos in quadra argentea.

*Suidas.* Βῦς ἐπὶ πίνακος ἀργυρῦ. In eos, qui perſonam ſuſtinent, officium aliquod egregium pollicentem, nec vlli tamen ſunt vſui, niſi ad voluptatem aut faſtum. Huic non diſſimile quo Galli vocant regem chartarum, qui titulo veriùs, quàm opibus rex eſt.

## Fato Metelli.

Aſconius Pedianus in oratione pro Milone refert Næuij poëtæ Senarium iactatum in familiam Metellorum, quòd conſules deſignarentur arbitrio fortunæ (quæ campi domina dicitur) veriùs quàm ſuis meritis, Fato Metelli Romæ fiunt Conſules. Dictum facetè & contumelioſè in Metellos, torqueri poterit in eos, qui præter meritum ſuum ad opes ac dignitates prouehuntur.

## Malus choraules, bonus ſymphoniacus.

D. Auguſtinus in epiſtola ad Aurelianum commemorat vulgò illud iactatum: Malus choraules, bonus ſymphoniacus: vbi quis in ſuo genere contemtus, in præſtantiore habetur precio: veluti ſi quis poëta ineptus profiteatur medicinam, & inter præclaros medicos habeatur, &c.

## Strumam dibapho tegere.

*Tullius.* Strumam dibapho tegere dixit M. Tullius ad Attic. pro eo quod eſt, Infamiam aliqua dignitate obliterare. Vatinii, inquit, ſtrumam ſacerdotii dibapho tegere. Dibaphon appellat purpurã bis tinctam. Struma eſt tumor corporis, veluti gibbus. Ea deformitas interdum purpura diſſimulatur.

## Aſinus in pelle leonis.

*Euſebius.* Abibit nobis quidem Philoſophus, cæterum aſinus leonis tectus pelle. Lucian. Tantum temporis nõ animaduert

eum ſub leonis exuuio, ridiculam quandam ſimiam te-ctam habere.

## Hospitalitas, et contra.

### Haud vnquam arcet oſtium.

Οὐδέποτ' ἴσχει ἡ θύρα. Interpres Ariſtophanis parœmiam admonet eſſe de iis, qui impendio ſunt hoſpitales, quorum fores ſemper patent, neminem excludunt.

### Semper aliquis in Cydonis domo.

*Suidas.*

Α'εί τις ἐν Κύδωνος. Cydon Corinthius quiſpiam erat, adeò inſignis hoſpitalitate, vt etiam prouerbio locum fecerit.

### Scindere penulam.

*Cicero.*

Pro eo, quod eſt, impenſiùs retinere hoſpitem, atque inuitare prolixiùs, quod qui faciunt, manu in penulam iniecta, quaſi vi conantur remorari. Id adagium ex antiquitate fluxit.

### Fores habet tritas, vt paſtorum caſæ.

*Diogenian.*

Τὴν θύραν ἔχει τετριμμένην, ὥσπερ αἱ ποίμναι. Id eſt, Oſtium habet tritum, vt ſunt caſæ paſtorum. Ironia prouerbialis in homines inhoſpitales, aditu difficiles, ſibi viuentes ſemper occluſis foribus, quòd paſtores procul ab hominum commercio ſemotos vix vnquam quiſquam interuiſat.

## Ignavia, et inscitia.

### Neque compluitur, neque ſole aduritur.

*Suetonius.*

Οὔθ' ὕεται, οὔτε ἡλιοῦται. Neque compluitur, neque ſole aduritur. De eo dici ſolitum, qui procul ab omni incommoditate ſemotus, vitam ageret. In hominem delicatum, & ad labores ferendos inhabilem quadrabit.

### Neque natare, neque litteras.

Μήτε νεῖν, μήτε γράμματα. Subaudiendum nouit. In eos, qui ſupra modum indocti ſunt, nihilque prorſus bonarum artium in pueritia didicerunt. Nam hæc duo ſtatim diſcebant pueri Athenis, atque adeò Romæ quoque.

### Ne tria quidem Steſichori noſti.

Οὔτε τὰ τρία Στησιχόρου γινώσκεις. De vehementer indocto & imperito dici ſolitum. Adagium ſumtum hinc exiſtimant, quòd pleraque Steſichori poëmata Epodica ſunt, quæ tribus conſtant, στροφῇ, ἀντιστρόφῳ, καὶ ἐπῳδῷ. Strophe

Ayuntamiento de Madrid

eſt prima ſeries, variis metrorum generibus incedens. Antiſtrophus eſt iteratus per eadem fermè genera recurſus. Epodus eſt diuerſi carminis accentio. His & alij tragici poëtæ nonnunquàm vtuntur, potiſſimùm in choris.

*Zenodotus.*

## Inelegantior Libethriis.

Ἀμουσότεροι Λειβηθρίων. Id eſt, Indoctior Libethriis. In hominem admodum idiotam, & ab omni muſarum commercio prorſus alienum. A gentis huius agreſti imperitia m tum eſt prouerbium.

## Barbarus ex triuio.

Βάρβαρος ἐκ τριόδου. In hominem dicebatur extremæ humilitatis, ac prorſum nullius pretii: perinde quaſi dicas, extremum atque vilem ſeruulum, alicunde è triuiis emtum, non dono datum, aut domi natum. Lucianus: Qualis penè barbarus quiſpiam è triuio.

## Ἀμυστὶ πίνειν.

Ἀμυστὶ πίνειν dicuntur, qui hauſtim auidéque bibunt, nec inter bibendum ſpiritum reciprocant, ſed potum in aluum, non ſecus atque in dolium infundunt. Sonat autem ἀμυστὶ, quaſi dicas, citra ſuctum. Traduci poterit ad eos, qui ſermonem nullo delectu, nimis auidè accipiunt: aut qui immodica lectione obruunt ingenium, quum magis expediat ſubinde cogitationem admiſcere lectioni. Similis potatio Græcis dicitur ἄμυστις, quòd inter bibendum labia non claudantur.

*Cicero.*

## Nec ſibi, nec aliis vtilis.

Qui prorſus inutiles ſunt, & fruges conſumere nati, ſchemate prouerbiali, nec ſibi, nec aliis vtiles, dicuntur.

*Idem.*

## Claudi more tenere pilam.

Prouerbium congruit in eos, qui quidquid à præceptoribus acceperint, ſiue id doctum ſit, ſiue indoctum, nullo delectu, nullóque iudicio tenere ſolent, ac ſequi. Sumta metaphora à claudo diffidente ſuis pedibus.

## Equi ſenecta.

Ἵππου γῆρας. Prouerbium in eos dici ſolitum, qui præclaris rebus geſtis in iuuenta, poſteà quàm conſenuerint, ad ſordidas curas ſemet abiiciunt. Allegoria ſumta à generoſis equis, qui ſenio facti ſegnes, in piſtrinum, aut carrum,

carrum, aut aliud id genus opus detruduntur, olim in pretio habiti, dum viribus integris eſſent.

## Anus, velut equus, profundam habebis foſſam.

*Plutarchus.*

Γραῦς ὡς τις ἵππος τ χαραδραῖον τάφον ἕξεις. Id eſt, Anus, velut equus, altè hiantem habebis ac nigrum ſpecum ſepulta. De iis, qui penitus abiiciuntur, tanquàm prorſus inutiles.

## Ab aſino delapſus.

*Plato.*

Ἀπ' ὄνου καταπεσών. In eos dicitur, qui inconſultè quippiam agunt, & imperitè: aut in eos, qui à præſentibus com modis, quibus ob inſcitiam vti neſciunt, excidunt. Vtitur hoc adagio Plato lib. De legibus III.

## Ἄμυσοι.

Inelegantes & indoctos Græci vocant amuſos, hoc eſt, à muſis alienos. Antiquitùs enim nihil eruditum habebatur ſine muſica.

## Liberæ capræ ab aratro.

*Zenodotus.*

Ἐλευθέραι αἶγες ἀρότρου. Id eſt, Immunes capræ ab aratris. Dictum olim ab iis, qui ſe ab onere quopiam, aut moleſtia liberatos gloriarentur.

## Ne Æſopum quidem triuiſti.

*Suidas.*

Οὐδὲ τὸν Αἴσωπον πεπάτηκας. De vehementer ſtupidis & imperitis. Nam antiquitùs Æſopi fabellas etiam vulgus idiotarum tenebat. Has igitur qui non legiſſet, nihil ſcire videbatur.

## Nullam hodie lineam duxi.

*Plinius.*

Τήμερον οὐδὲ μίαν γραμμὴν ἤγαγον. Id eſt, Hodie nullam lineam duxi. Ab Apelle pictore natum adagium. In eos quadrat, quibus ceſſatum ab exercito ſtudii, artiſque ſuæ. Id refertur à Plinio libro XXXV. cap. X. &c.

## Neglectis vrenda filix innaſcitur agris.

*Horatius.*

Horatius ſatyra III. mira admonuit allegoria, animum honeſtis excolendum diſciplinis, alioqui futurum, vt inutili ſilua vitiorum occupetur. Filix enim herba inuiſa agricolis.

## Ameles angulus.

*Zenodotus.*

Ἀμελὴς γωνία. Dicebatur is, qui ſupinus & oſcitabundus



Ayuntamiento de Madrid

deſideat, nihil bonarum rerum tentans. Aiunt in Lybya locum eſſe, qui ſecurus angulus Græcè dictus eſt, ob id fortaſſis quòd neglectus & incultus iaceret.

## Ignauis ſemper feriæ ſunt.

Qui vacant otio, feriari dicuntur, & otioſi feriati, & otium feriæ, quæ metaphoræ tanquàm in prouerbium receptæ ſunt. Theocritus in Bucolicis: Ἀεργοῖς αἰεὶ ἑορτά. Id eſt, Semper feriæ inertibus. Aptè accommodabitur in eos qui nunquam non cauſantur aliquid, quò ſint in otio, veluti quibus inſuaues ſunt litteræ: nunc excuſant valetudinem, nunc occupationes rei domeſticæ, nonnunquam obſtat rigor hyemis, aliàs æſtatis feruor, interdum autumni periculoſum cælum. Demum auocat à libris, veris amœnitas, mox fugitura. Pranſi negant eſſe rem habendam cum libris, antequam concoxerit ſtomachus: impranſis obſtrepit fames, quò minus libeat. Luci, dicunt ignauum eſſe domi deſidere, cæterùm ad lucernam vigilare, oculis inimicum. Si ſuppetit res domeſtica, quorſum opus, inquiunt, litteris? Si deeſt, negant pauperem poſſe philoſophari. Iuuenis negat, florem æui curis ſenilibus abſumendum: prouectior ait valetudini parcendum.

## Mulieris podex.

Γυναικὸς πυγή. In ignauum ac deſidioſum dicebatur. Ignauum animal mulier, & quo minus habet mentis, hoc inhoneſtis voluptatibus eſt addictius. Amat otium, & fucorum in morem, quemadmodum ait Heſiodus, virorum laboribus quæſita ſibi inſumit.

## Qui domi compluitur.

Τὸν οἴκοθεν βρεχόμενον οὐδ᾽ ὁ Θεὸς οἰκτείρει. Id eſt, Qui domi compluitur, huius ne Deum quidem miſeret. Vulgò Græcis iactatum. Senſus eſt: cum modis omnibus ſuo malo videri dignum, qui ſit vſque adeò ignauus, vt nec domi ſuæ poſſit à pluuia tutus eſſe.

## Ne vidit quidem oleum.

*Theocritus.* Conueniet in eos, qui ſint artis alicuius prorſus rudes & imperiti. Veluti ſi quis profiteatur rem medicam, qui nunquam didicerit quicquam illius artis, venuſtè notabitur hoc verſu:

Καὶ πόκα τῆνος ἔλαιον ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὄπωπε. Id eſt.

Ayuntamiento de Madrid

Et quando ille oculis, oleum conſpexerat vnquam? Vngebantur enim Athletæ, quo membris euaderent durioribus, vnde per oleum ſignificat certamen.

IGNORATIO.

## Nullius coloris.

Alibi commemorauimus de modis omnibus ignoto ſolere dici, Albus an ater ſis, neſcio. Huic ſimillimum eſt quod ait Harpax apud Plautum, Quem Pſeudolum, quas tu prædicas mihi fallacias, Quem ego hominem nullius coloris noui. Vehementius eſt quàm ſi dixiſſet, Albus an âter. Et paulò pòſt pro eo, quòd dici ſolet, Non noui hominem: Neque iſtum, inquit, Pſeudolum mortalis, noui, neque ſcio. Rurſus in eadem: Qui ſuum repetunt, alienum reddunt nato nemini.

## Iuxta cum ignariſſimis.

Non ſiue prouerbij ſpecie Simo ſenex apud Plautum in Pſeudolo rogatus à Ballione: Iam neſcis quæ ſit hæc res? reſpondet, iuxta cũ ignariſſimis. Sentiens ſe nihil omnino ſcire, nihilóque plùs quàm hi qui maximè ſunt ignari. Conſimilis forma ſermonis frequens eſt apud veteres: ad perſonam, Tam mihi carus eſt, quàm qui cariſſimus, ad tempus, Vt Pamphilus amabat, vt quàm maximè ad rem, Iſtud officium tam mihi fuit gratum, quàm quod eſt gratiſſimum, Tam odi temulentiam, quàm qui maximè.

## In alio mundo.

Ὡς ἐν ἄλλῳ κόσμῳ. Id eſt, Tanquàm in alio mundo. De iis, qui longè latéque diſſident à moribus aliorum, aut quibus omnia non videntur, aut qui longè diſſiti ſunt à patria. Solet autem hoc vſu venire pleriſque mortalibus: vt ſi quando noui hoſpites in regionem longulè à ſuo nido diſſitam peruenerint, nihil non horreant, non ſtupeant, non admirentur, perinde quaſi in alium delati Orbem.

## In alieno foro litigare.

Pro eo quod eſt, In re noua, cuique nondum aſſueueris verſari. Habent enim diuerſa fora diuerſas litium formulas, variaſque tractandarum cauſſarum rationes, quarum, qui rudis ſit, is tanquàm hoſpes in peregrina regione multa deſideret neceſſe eſt. *Martialis.*



Ayuntamiento de Madrid

### In tua ipſius arena.

Id eſt: In tua ipſius arte. Sumtum à gladiatoribus, ſolitis in arena digladiari. Neque verò parui referebat horum, nota an ignota dimicarent arena.

### Albus an ater ſis, neſcio.

*Tullius.*

Solet dici de homine vehementer ignoto. Horatius in extrema epiſtola: Vultu mutabilis albus & ater, pro eo, quod eſt, bonus & malus.

### Non nouit natos.

*Idem.*

Simillima huic figura eſt, Natum non noui, pro eo quod eſt, prorſus ac modis omnibus ignoro. Plautus in Euclione: Non magis me reſpicias quàm ſi natus nunquàm ſiem.

### Ne pictum quidem vidit.

*Idem.*

De vehementer ignoto dicimus. Multas enim vrbes & res atque etiam homines nunquam nobis conſpectos, ex pictura vtcunque nouimus.

### Nomine tantùm notus.

*Homerus.*

De homine nobis mirum in modum ignoto.

### Late viuens.

*Suidas.*

Λάθε βιώσας. Id eſt, Falle viuens. Admonet adagium in humili fortuna vitam eſſe feliciorem iis, qui obſcurè viuunt, à publicis negotiis ita ſemoti, vt cùm vita diſceſſiſſent, nemo illos vixiſſe ſentiret.

### Arrepta candela, candelabrum quærere.

Dicimus quum res improuidè geritur. Oportuit enim candelabrum eſſe paratum, antequàm candelam attingeres.

## Impossibilia.

### Priùs ouem lupus ducat vxorem.

Ariſtoph. Πρὶν κεν λύκος οἶν ὑμεναιοῖ. Id eſt, Antè lupus ſibi iunget ouem. De his inter quos inſanabile diſſidium eſt. Conſimili figura dixit Horatius:

Sed priùs Apulis Iungentur capreæ lupis.

### Priùs duo echini amicitiam ineant.

Πρὶν δ' δύο ἐχῖνοι ἐς φιλίαν ἔλθοιεν, ὁ μὲν ἐκ πελάγους, ὁ δ' ἐκ χέρσου. Priùs duo echini inierint amicitiam, alter è mari, alter è terra. De iis, qui moribus ac ſtudiis ſunt inter ſe

diſcrepantiores, quàm vt ſpes ſit aliquando inter eos neceſſitudinem coituram. Venuſtiùs erit ad rem deflexum: Malè conuenit Theologorum ſpinis cum bonis litteris: Citiùs echino marino cum terreſtri conueniret. Nam eſt echinus marinus, de quo multa Plinius & Ariſtoteles. Et eſt terreſtris, quem alio nomine vocant erinaceum: illud commune, quòd vterque ſpinoſus eſt. Refertur à Suida.

## Priùs locuſta bouem pariet.

M. Varro de Lingua Latina lib. III. refert ex Ennio verſum hunc: Atque prius pariet locuſta lucam. Nam lucas antiqui boues appellabant, ob magnitudinem.

## Mare priùs vitem tulerit.

*Diogenian.*

Τὸ πέλαγος πρότερον οἴσει ἄμπελον. Id eſt, Mare priùs vitem ferret. De iis, quæ nullo pacto fieri poſſint. Nam ſalſitudo vitibus inimiciſſima.

## Priùs teſtudo leporem præteruerterit.

*Idem.*

Πρότερον χελώνη παραδραμεῖται δασύποδα. Id eſt, Priùs teſtudo leporem curſu prætererierit. De re neutiquam veriſimili. Teſtudine nihil tardiùs, lepus autem celeritate præcellit.

## Surſum verſus ſacrorum fluminum feruntur fontes.

*Euripides.*

Prouerbialis allegoria, qua quippiam præpoſterè fieri ſignificamus, legitimaſque rerum vices inuerti. Quod genus ſit, ſi puer ſenem admoneat, diſcipulus præceptorem docere conetur.

## Fontes ipſi ſitiunt.

*Cicero.*

Ironia prouerbialis in eos, qui petunt ab aliis, quod ipſis affatim abundet domi.

## Citiùs in naui cadens à ligno exciderit.

*Lucianus.*

Θᾶττον ἄν τις ἐν πλοίῳ πεσὼν διαμάρτοι ξύλου. Id eſt, Citiùs alicui in nauigio cadēti lignum defuerit. Hyperbole prouerbialis, qua tantam vbique copiam ſignificamus, vt quocunque te vertas, occurrat quod quæris. Etenim quum nauis ipſa vndique ſit lignea, non poteſt non in lignum incidere, quiſquis in ea cadit.

## Aquilam teſtudo vincit.

Accipi poteſt per ironiam, aut ſimpliciter, vbi quis po-



Ayuntamiento de Madrid

tentiorem arte vicit, & quod viribus non poteſt, aſſiduitate conficit.

*Suidas.*

## Terra volat.

Ἡ γῆ ἵπταται. De re vehementer abſona, quæque nullo pacto fieri queat.

## Citiùs elephantem ſub ala celes.

De iis, quæ diſſimulari nullo pacto poſſunt, quin notis aliquibus prodant animi morbum.

*Plutarchus.*

## Capram portare non poſſum, & imponitis bouem.

Vbi quis quod leuius eſt recuſat, & quòd multò ſit intolerabilius, imponi ſibi poſtulat.

## Ab aſino lanam.

De iis, qui ſtultè quærunt ea, quæ nuſquam ſunt.

*Plautus.*

## Simul ſorbere & flare difficile.

Huic affinia videntur: Nemo poteſt duobus dominis ſeruire, Nemo poteſt Deo ſeruire, & Mammonæ. Item illud Phocionis, Adulatore & amico non poteſt eodem vti. Ad hæc ſenarius ille: Amare & ſapere, vix Deo conceditur.

## Sine pennis volare, haud facile eſt.

Plautus in Pœnulo? Locum habet, quum deeſſe ſignificamus adminicula, ſine quibus negotium peragi non poſſit.

## Impoſſibilia captas.

Ἀδύνατα θηρᾷς. Id eſt, Quæ fieri non poſſunt, venaris. In eum, qui molitur quod efficere non queat. Sumtum ab aucupio, ſeu venatu prædatum. Interpres indicat hunc eſſe ſenſum, ne quis tentet maiora ſuis viribus.

## Scarabeus citiùs faciet mel.

Ad τῶν ἀδυνάτων claſſem pertinent, quæ referuntur in Epigrammate Palladæ. Citiùs mel faciet ſcarabeus, aut lac culex:

Θᾶττον ποιήσει μέλι χάνθαρος, ἢ γάλα χώνωψ. Id eſt.
Mel citiùs faciet ſcarabeus, & antè culex lac.

## Statuam faucibus colas.

Ἀνδριάντα γαργαλίζεις. Id eſt, Statuam colas gutture. De re maiorem in modum abſurda, quæque fieri nullo pacto

Ayuntamiento de Madrid

poſſit. Velut ſi quis hominem præpotentem & inuictum, fruſtrà conetur opprimere. Nec enim liqueſcit ſtatua.

Ariſtop.

## Nunquã efficies, vt rectè ingrediantur cancri.

Quod à natura ſit inſitum, nullo corriges negotio. Nã cancris genuinum, obliquè ingredi.

## Sambucam citiùs.

Adagij ſpeciem præ ſe gerit Perſianum illud carmen: Sambucam citiùs caloni aptaueris alto. Cuius vſus incidet, ſi quando ſignificabimus aliquem à diſciplina percipienda, ſiue munere gerendo nimis alienum eſſe. Siquidem Sambuca organum eſt muſicorum, quod haud quaquam congruat caloni. Calones aûtem vocantur militum miniſtri, qui vallos ac ligna geſtabant. Porrò cùm milites ſint imperiti muſices, multo magis calones.

## Lenticulam angulo tenes.

Φακῦ γωνίας κρατεῖς. Id eſt, Lentem angulo tenes. De negotio quod fieri nullo pacto queat, propterea quòd hoc leguminis genus angulis careat. Refertur à Suida.

## Ex arena funiculum nectis.

Ἐξ ἄμμυ σχοινίον πλέκεις. Id eſt, Ex arena funiculum nectere. Eſt fruſtra conari, quod nulla ratione poſſit effici.

## Aſini cauda.

Ὄνυ οὐρὰ ἠθμὸν οὐ ποιεῖ. Id eſt, Aſini cauda nõ facit cribrum: vbi quis ad hoc aut illud dicetur inutilis. Cribrum è pilis equinis fieri conſueuit, non è villis aſininæ caudæ.

## Augiæ ſtabulum repurgare.

Αὐγείυ βυςασία. Id eſt, Augiæ bubile. Allegoria prouerbialis in hominem, aut in rem maiorem in modum inquinatam. Lucianus in Pſeudomante: Et Augiæ bubile, ſi non omne, at certè pro mea virili conabor ſubmouere. Oſtendit autem huius ſtabula tantum habuiſſe congeſti fimi, quantum ter mille boues pluribus annis reddere potuerint.

## Veſte circumfers ignem.

Ἱματίῳ τὸ πῦρ περιςέλλεις. Id eſt, Veſte circunfers ignem, vbi quid ridiculè fit, aut vbi quis ſuum ipſius malum fouet, veluti ſcortum, aut adulatorem, aut fictum amicum.

## Lupo agnum eripere poſtulat.

Plautus.

Vbi quis fruſtra conatur prædam recipere, cui ſemel


Ayuntamiento de Madrid

manus iniecit rapax aliquis.

## Luſciniæ deeſt cantio.

Perinde quaſi dicas, Mulieri deſunt verba, poëtæ verſus, oratori color, ſophiſtæ cauillum. Plautus in Bacchidibus: Ego quoque pol metuo ne luſciniolæ defuerit cantio.

## Quid ſi cælum ruat?

Τί εἰ οὐρανὸς ἐμπέσοι, Ironia in eos, qui tutiſſimis etiam in rebus, ridiculè timent. Terentius in Heautontimorumeno: Quid ſi nunc cælum ruat.

*Plutarchus.*

## Bos porrecto vltra, Taygetum capite.

Ταῦρος ὑπερκύψας τὸ Ταΰγετον, ἀπὸ τοῦ Εὐρώτα ἔπιεν. Id eſt, Taurus porrecto vltra Taygetum capite, bibit ex Eurota. De re vehementer abſurda,

ILLECEBRA MALI.

## Lotum guſtauit.

Λωτοῦ ἔφαγες. Id eſt, Lotum guſtaſti. De iis dicebatur, qui diutiùs in peregrinis regionibus hærerēt, velut obliti reditus. Neque inconcinnè dixeris in eos, qui ſimul atque ſemel voluptatem inhoneſtam deguſtarint, ad priſtina ſtudia reuocari non queunt. Sumtum à fabula Lotophagorum. Eſt autem lotus arbor, de qua Plinius lib. XIII. Tam dulcis ibi cibus, vt nomem etiam genti terræque dederit nimis hoſpitali, aduenarum obliuione patriæ.

*Theocritus.*

## Periculoſum eſt canem inteſtina guſtaſſe.

Χαλεπὸν χορίων κύνα γεῦσαι. Id eſt, Periculoſum canem inteſtina guſtaſſe. Admonet adagium haud facilè temperare à peccando, qui ſemel illecebram illam velut auctoramentum vitiorum deguſtauerit. Quemadmodum, qui ſemel ſcortum attigerit, qui ſemel periurio rem auxerit, qui ſemel aulicam vitam ſit expertus. Effertur & ad hunc modum apud Lucianum: Neque canis deſiturus eſt, qui ſemel corium edere didicerit.

INPERITIA.

## Dulce bellum inexpertis.

Γλυκὺς ἀπείρῳ πόλεμος. Id eſt. Dulce bellum inexperto. Vegetius De re militari lib. III. cap XIIII. Sunt quædam in rebus mortalium, quæ quantum habeant diſcriminis

Ayuntamiento de Madrid

ac malorum, non intelligas, niſi facto periculo. Dulcis inexpertis cultura potentis amici, Expertus metuit.

## Pedum viſa eſt via.

Τῶν ποδῶν ἑώρᾶται ὁδός. De negotio, cuius aliquando periculum feceris. Sumtum à viatoribus. Terent. in Phorm. Ah non ita. Factum eſt periculum, iam pedum viſa eſt via.

## Operarij.

M. Tullius lib. De oratore primo, non abſque prouerbij ſpecie operarios appellat, qui citra philoſophiæ cognitionem cauſſas agunt. Architectus ex arte rationem operis præſcribit, operarii verò non iudicium ſuum ſed tantum operam adhibent, iuxta præſcriptum. At qui philoſophiā callet, ex ſe paratus eſt, de quauis re rectè dicere. M. Tullius de Mneſarcho loquens. Hos quos nos oratores vocamus nihil eſſe dicebat, niſi quoſdā operarios, lingua celeri & exercitata: oratorem autem, niſi qui ſapiens eſſet, eſſe neminē. Huius generis oratores libro de claris oratoribus appellat Vocales. Transferri poterit ad cōcionatores, qui quòd parum exercitati ſunt in ſacris litteris, è collectaneis ediſcunt quod apud populum multo clamore, multaque corporis iactatione detonent: Aut qui in templis ingenti boatu canunt non intellecta; non concionatores, ſed operarij? non cantores, ſed operarij.

IMPOSTVRAE.

## Dare verba.

Paſſim obuium eſt apud omnes auctores, prò eo quod eſt, fallere. Perſius ſatyra IIII. Vt mauis, do verba, decipe neruos: Terenti⁹: Cui verba, dare difficile eſt, Ouidius: *Terentius.*

Verba dat omnis amans.

## Addere manum.

Pro eo, quod eſt, ludibrio habere. Tranſlatum opinor ab iis, qui manu ad aurem porrecta, motaque quempiam irrident. Plautina verba ſunt hæc: Quomodò de Perſa manus mihi addita eſt?

## Os ſublinire.

Pro eo quod eſt. Dare verba, & arte quadam illudere, reperitur aliquoties apud auctores. Nonius Marcellus tractum putat à ridiculo quodam luſus genere, quo dormientibus ora pinguntur. *Plautus.*

Ayuntamiento de Madrid

## Obtrudere palpum.

Eſt arte, fucoque decipere. Vnde & palpari pro adulari & palpones adulatores vocamus, è ſimili metaphora tracta ab equiſonibus, qui ferocientibus equis, pulſu manus ablandiuntur,

## Facere Fucum.

Impoſturam facere, & artificioſa diſſimulatione deludere. Medicamentum illud, quo cuti ſuperinducto mulierculæ vitia formæ diſſimulant, quaſique perſonam aſſumunt, fucum vocant.

## Circumtondere comam.

Περικείρειν τοὺς πλοκάμους. Græcis in prouerbio eſt, pro eo quod eſt, ludibrio habere. Nã id luſus gratia fieri ſolet ſtupidis, vt ijs non ſentientibus, cæſaries circumtondeatur.

## Noua hirundo.

Νέα χελιδών. Suidas ait dici ſolere, quoties verba darentur alicui. Sumtum à ioco puerili. Nam hi data opera nouam hirundinem adſimulantes videre ſeſe, oſtendunt alijs, deinde contemplantibus illis, & intentis, interim quod volunt ſurripiunt, Proinde quadrabit in eos, qui falſa ſpe quæpiam iniecta fallunt ac nocent.

## In laqueum inducere.

Et in caſſes inducere, eſt arte ſic concludere quempiam, vt iam nullum ſit effugium.

## Epheſiæ litteræ.

Ἐφέσια γράμματα. Dictum videtur de iis, qui mira felicitate, tanquàm diuina virgula, quidquid optarent, aſſequerentur. Aiunt enim Epheſis notulas quaſdam & voces magicas fuiſſe, quibus vtentes in omni negotio victores euaderent.

# IMPROBI.

## Lydi mali, poſt hos Ægyptij, &c.

Λυδοὶ πονηροὶ, δεύτεροι δ' Αἰγύπτιοι.
Τρίτοι δὲ πάντων Κᾶρες ἐξωλέστατοι. Id eſt,
Lydi improbi, poſt hos ſecundi Ægyptii,
Tertiique Cares perditiſſimi omnium.

Tempeſtiuiter vtemur, ſi quando mali cum malis conferuntur, & collatus cum ſceleratoribus, ita demum minùs illaudatus aliquis videtur.

Ayuntamiento de Madrid

## Lerij mali.

Λέριοι κακοί. In eos rectè dicetur, qui pariter omnis gentis vitio ſunt improbi. Leriorum enim populus ob inſignẽ morum improbitatem in prouerbium abiit, auctore Strabone libro Geograp. x.

## Mali commatis.

Πονηρῦ κόμματος. Dicebatur improbus, contemtus, & ridiculus quiſpiã. Sumta metaphora à reprobatis nomiſmatis. Ariſtophanes in pluto: Ε'οικε δ' εἶναι πονηρῦ κόμματος. Videtur eſſe non probati commatis. In ſycophantam dictum iam ad paupertatem, famemque redactum. Interpres oſtendit comma eſſe viliſſimi nomiſmatis genus.

## Adulterinus.

Κίβδηλος. Quod ſimplex non eſt, neque ſyncerum, id vulgato verbo Græci κίβδηλοι vocant. Hinc ducto vocabulo, quòd aliud præ ſe ferant, aliud tegant. Conueniet igitur in amicitiam inſynceram & fictam, aut in hominem blando vultu, ſed animo virulento. Aut in eum, qui ſanctimoniam habitu præ ſe ferat, quum vita ſit impia.

## Bipedum nequiſſimus.

Plin. Secund.

De homine vehementer improbato, quique vel pecudes nequitia ſuperet. Cicero torſerat in Clodium, in oratione pro domo ſua.

## Tenedius tibicen.

Τενέδιος αὐλητής. Dicebatur teſtis falſus & calumniator. Hinc natum, quòd Philonome tibicinem ſuum ſubornarit, qui teſtaretur apud Cygnum, ipſam à Tenne de ſtupro fuiſſe interpellatam, ac vi etiam tentatam.

## Phrynondas alter.

Φρυνώνδας ἄλλος. De improbo. Huius meminit Lucianus in Pſeudomante inter nobiles facinoroſos: Quoties inſigniter malum & ſceleratum accipi volebant, Phrynondam appellabant. Fuit enim is homo verſutiſſimus, maleficus, impoſtor, ſummus malarum rerum artifex.

## Noui Symonem, & Symon me.

Vide Similitudinis.

## Beſtia beſtiam nouit. Ibidem. Ambrones.

Ambrones enim vulgò dicebantur, qui rapto, malis

que artibus viuerent. Originem indicat Feſtus Pompeius, admonens eam Galliarum gentem fuiſſe, quam cùm mare inundans finibus ſuis depuliſſet, per aliena oberrantes rapinis ac prædationibus ſe ſuóſque alere cœperunt.

## Ballio.

Nomina quædam ob inſignem improbitatem abierunt in prouerbium, quòd interdum à veris, interdum à fictis in comœdia perſonis ſumitur. Nam M. Tullius in actionibus ſuis ſubinde C. Fannium Chercam quendam Ballionem appellat. Ballionem inducit Plautus in Pſeudolo, lenonem impuriſſimum, rapaciſſimum, improbiſſimum: nomen confictum eſt à βάλλειν, quòd ſemper aliquid prædæ venetur leno: vel à βαλλίζω, quòd laſciuiarum ac ſaltationum ſit architectus.

## Βεργαΐζειν.

Stephanus ſcribit βέργλω eſſe ciuitatem Thraciæ, ſiue, vt Strabo refert, vicum. Eius gentis improbi mores in prouerbium abierunt, vt dicerentur βεργαΐζειν, qui nihil ſani loquerentur. Tota enim natio Thracum multis nominibus malè audiebat, ſed præcipuè ob morum truculentiam ac perfidiam.

## Eurybatyzare.

Εὐρυβατεύεσθαι. Eſt improbis vti moribus. Eurybatus ex Cercopibus vnus fuit inſignitæ improbitatis homo. Huius meminit Lucianus in Pſeudomante vltra Cercopas, vltra Eurybatum aut Phrynondam, aut Ariſtodemum, aut Soſtratum.

## Tria cappa peſſima.

Τρία κάππα κάκιστα. Iactatum & hoc olim ænigmatis vice, quo trium gentium mores notati ſunt, Cappadocum, Cretenſium, & Cilicum.

## Duplex cappa.

Διπλοῦν κάππα. Velut ænigma, quo malum aliquod ſignificabant. Siquidem gemino κ ſcribuntur κακὰ. Simili figura Plautus furem trium litterarum hominem appellauit.

## Βωμολοχός. Βωμολοχεύεσθαι.

Ariſtoph. Bomolochi prouerbiali conuitio dicebantur ſceleſti & improbi. Dicuntur autem βωμολοχοὶ, qui quum res diuina peragitur, non faciunt vota Diis, ſed nugas inanes blate-

Ayuntamiento de Madrid

rant. Qui mos hodie magnatibus magnopere placet.

## Inexploratus homo.

Suidas.

Ἀβασάνιϛος ἄνθρωπος. Id eſt, Inexpenſus, inexercitatus, non probatus. Subeſt Metaphora in ἀβασάνιϛος. βάσανος enim coticula eſt, qua ſolet aurum explorari. Latini vocant indicem.

## Diagoras Melius.

Διαγόρας ὁ Μήλιος. In ſceleratum ac fœdifragum & impium. Hic capta Mela, vixit Athenis, & Athenienſium ſacrorum myſteria vſque adeò contemſit, vt complures auerterit à religione, deterrueritque ne iam vellent initiari, &c.

## Lupi decas.

Λύκου δεκάς. Dictum apparet in eos, in quos inhoneſti lucri pars aliqua tametſi puſilla rediret. Aut in eos qui largitionibus eſſent corrupti, alióſue corrumperent.

## Cum ſacco adire.

Non dubium eſt, quin hic ſermo fuerit vulgò iactatus de quouis, qui poſtulat vt ſtatim exhibeatur, quod petit, ductum à Iuriſconſultis.

## Onobatis.

Plutarchus.

Apud Cumanos mulier in adulterio deprehenſa ducebatur in forum, vt illic lapidi inſiſtens, omnibus eſſet conſpicua. Deinde impoſitam aſino, atque ita per totam ciuitatem circumductam reducebant ad lapidem, vt ibi rurſus eſſet omnibus ſpectaculo. His actis habebatur infamis per omnem vitam, & ignominiæ gratia ὀνόβατις dicebatur, quòd aſinum equitaſſet. Quadrabit in quamuis proſtitutæ famæ.

## Cercopum cœtus.

Ἀγορὰ Κερκώπων. Id eſt, Cœtus Cercopum. De conciliabulo, conuentúque verſutorum & improborum hominum dicebatur. Narrant enim Cercopes quoſdam in Epheſo fuiſſe notæ fraudulentiæ viros, qui ſuis dolis conati ſint ipſi Ioui imponere. Hos admonuerat mater, ne in Melampygum inciderent, id quod euenit. Nam pòſt ab Hercule vincti ſunt, iuſſu Omphales.

## Cercopiſſare.

Ayuntamiento de Madrid

Κερκωπίζειν. Cercopiſſare dicuntur, vel qui laſciuiunt, aut qui adulantur. Metaphora ducta ab animantibus, quæ mota cauda adblandiuntur, vt Chryſippo placet, Suida teſte, vel qui moleſti ſunt, obturbántque, & obſtrepunt. Vt vox deflexa ſit à Cercopibus illis Lydiis, quos Hercules, quòd ſibi cum Omphale cubanti petulantiùs obturbarẽt, amicæ iuſſu vinctos de claua ſuſpendit.

Α᾿λιτήριος.

Vulgò dicebatur, qui per vim raperet aliena. Natum ex euentu huiuſmodi: Temporibus Ætolici belli, tantà frumentariæ rei penuria incidit Athenienſibus, vt pauperes coacti fame captiuorum farinam deriperent. Inde vox traduci cœpit ad hominem quocunque modo ſceleratum.

## Ferre iugum.

Plaut in Curcul. Iámne fert iugum? De puella præcontatur quiſpiam, num iam per ætatem virum reciperet.

## Magis impius Hippomene.

Α᾿σεβέστερος Ι῾ππομένους. Id eſt, Magis impius quàm Hippomenes. Hic Athenienſium Princeps filiam à ciue quopiam vitiatam, vnà cum equo feroci concluſit in domicilio, nec huic, nec illi cibum præbens. Equus igitur fame in rabiem actus, puellam adortus confecit: deinde periit ipſe quoque pabuli videlicet inopia. Poſt hæc pater domũ eſt demolitus: loco nomen inditum, equi & puellæ. Recenſet adagium Diogenianus.

## Mare proluit omnium mortalium mala.

*Euſtathius.* Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά. Id eſt, Hominum vniuerſa proluit pelagus mala. Natum eſt ab euentu huiuſmodi: Refert Diogenes Laërtius, Euripidem Platoni comitem fuiſſe peregrinationis, quum Ægyptum adiret. Ibi quum morbo ſuo corripiretur comitiali, ni fallor, ſacerdotes Ægyptij merſione marina ſanauerunt hominem. Quin hodie morſos à cane rabido, ſi nouies mergantur in mare, putant à rabie liberari.

## Qui omni in re, & omni in tempore.

*Gellius.* Sed enim qui omni in re, atque in omni tempore, omni laude vacat, is illaudatus eſt. Admonet parœmia ferè neminem eſſe tam deplorati ingenij, qui non aliquando

Ayuntamiento de Madrid

dicat faciátue quod laudem promereatur.

## Seruilis capillus.

Α᾽νδϱαποδώδη τρίχα ἐπιδεικνύναι. Seruilem capillum præ ſe ferre dicuntur, qui agreſtibus & inelegantibus ſunt moribus. Inde ductum quod Athenis ſerui manumittendi, capitis pilos deradebant.

## Vlyſſis remigium.

Homines nequam & voluptatibus addictos Horatius in epiſtola Vlyſſis remigium appellauit, prouerbiali nimirum figura: Remigium vitioſum Ithacenſis Vlyſſi.

## Dij tibi dent tuam mentem.

In inſanum congruit, & ſua dignum mente. Martialis: Dij mentem tibi dent tuam Philœni.

## Non es laudandus, ne in cena quidem.

Οὐκ ἐπαινεθείης οὐδ᾽ ἐν περιδείπνῳ. Id eſt, Non queas laudari, ne in parentalibus quidem. In hominem dicebatur vehementer illaudatum. Antiquis mos erat, præſertim Atticis, in cœnis funeralibus, quas Græci περίδειπνα vocant, laudare vita functos etiam ſi parum in vita meruiſſent.

## Compendiaria res improbitas.

Σύντομος ἡ πονηρία, βραδεῖα ἡ ἀρετή. Id eſt, Compendiaria res improbitas, virtus longa. Qui ſemel addixit animum vitiis, is quiduis flagitij facilè patrabit. At ſingulæ virtutes magno ſudore parandæ.

## Inſania non omnibus eadem.

Μανία γ᾽ οὐ πᾶσιν ὁμοία. Id eſt, Haud eſt eadem veſania cunctis. Senſus eſt, nullum eſſe mortalem, qui non in aliqua re deſipiat. Quanquam alius alio morbo laboret, hic auaritiæ, ille libidinis, hic ambitionis, ille inuidiæ, &c.

# IMPVDENTIA.

## Lingua non redarguta.

Plato in Theæteto: Α᾽τὰρ ὡς ἔοικεν, ἐὰν ὅτι ἐστὶν, Εὐριπίδειόν τι ξυμβήσεται, ἡ μὲν γλῶττα ἀνέλεγκτος ἡμῖν ἔσται, ἡ δὲ φρὴν οὐκ ἀνέλεγκτος. Id eſt, At vt videtur, ſi poſſe reſponderis, Euripideum quiddam nobis accidet, lingua quidem vobis erit irredarguta, mens autem non erit redarguta. In eos quadrat, qui rationibus conuicti, non cedunt tamen, ſed tergiuerſantur reclamantes, aduerſus ſuam ipſorum conſcientiam.

Ayuntamiento de Madrid

## Faciem, os perfricare. Frontis perfrictæ.

*Plinius.* Dicuntur, qui pudorem omnem dedidicerunt, velut abſterſo manu à vultu pudore.

## Dea impudentia.

*Zenodotus.* Θεὸς ἡ ἀναίδεια. Dici ſolitum, vbi quis ex audacia inuerecundiáque ſua lucrum atque emolumentum ferret. Nam inutilis, vt ait Homerus, verecundia viro egenti; compluréſque mortales videas, quibus magno bono fuerit, nihil omnino puduiſſe.

## Nudo capite.

*Plautus.* Γυμνῇ κεφαλῇ. Nudo capite facere quæpiam dicuntur, qui palàm ac citra pudorem omnem faciunt. Qui rem pudendam faciebant, iis mos erat centonibus caput operire.

## Atticus aſpectus.

*Ariſtoph.* Α᾽ττικὸν βλέπος. Perinde eſt quaſi dicas: Os impudens. Nam hoc vitio notati ſunt Atticorum mores.

### IMPVDICITIA.

Huc ſpectat etiam paulò antè citatum, Onobatis.

## Oſce loqui.

Oſce loqui vetuſto prouerbio dicebantur, qui turpiter parúmque pudicè loquerentur. Ab Oſcorum moribus alluſione ſumta, quòd apud eos ſpurcarum libidinum impunitus vſus fuerit.

## Ægis venit.

Α᾽ιγὶς ἔρχεται. Suidas indicat prouerbium dici ſolitum de iis, qui petulanter & impudenter agerent.

### INANIS METVS.

## Panicus caſus.

*Cicero.* Panicon veteres vocabant ſubitum animorum tumultum, ſed inanem. Veteres enim exiſtimabant Panem Deū repentinos terrores & animi conſternationes immittere, lymphaticis ſimillimas, vſque adeò impotentes, vt non ratione modò, verùm & mente careant.

## Da lapidi volam.

*Ariſtoph.* Interpres Ariſtophanis indicat pueros ſiquando viderint aues, dicere ſolere: Da lapidi volam, & cadēt omnes. Conuenit vbi quis ſectatur quæ non poſſit aſſequi; aut minatur iis, quibus non poteſt nocere.

Metum

Ayuntamiento de Madrid

## Metum inanem metuiſti.

Αεδιὲς δέδιας δέος, Id eſt, Inanē metuis metum. Vbi quis formidat in re tuta. Virgilius: Omnia tuta timens. *Plutarchus.*

## Multa in bellis inania.

Πολλὰ κενὰ τῦ πολέμυ. Id eſt, Multa belli inania. De inani ſuſpicione, aut pauore ſine cauſa oborto, quem Græci πανικὸν vocant. Parœmiam hinc manaſſe putant, quòd huiuſmodi Panici terrores ſolent plerunque in bellis accidere.

## Theagenis hecateum.

Θεαγένυς ἡκάτιον In ſuperſtitioſos ác ridiculè meticuloſos dictum eſt. Hic Theagenes legitur vſqueadeò fuiſſe ſuperſtitioſus, vt domi haberet Hecates ſimulacrum, nec vſquam pedem moueret, niſi illo conſulto.

## Canes timidi vehementiùs latrant.

Thraſonum eſt, turgidis minis diras molliri, at Chremes ad rem gerendam promtior. Sic & Athenienſes ad benedicendum quàm ad grauiter agendum accommodatiores fuiſſe leguntur. Denique mulieres lingua meliùs, quàm viri belligerantur. *Q. Curt.*

## Aſperſiſti aquam.

Aſperſiſſe aquam dicitur, qui dictò quopiam reddiderit animum, ac metum ademerit. Mutuò ſumtum ab iis, qui in deliquio aſperſa in faciem aqua, ad ſui ſenſum reuocatur. Huic ſimile, frigidam aquam ſuffundere. *Plautus.*

## Vtre territas.

Ἀσκῷ ἢ ἀσκίῳ μορμολύττεσθαι. Id eſt, Vtre terrere, ſiue t[illegible]teri. Dici ſolitum, quoties inanem formidinem aut con[illegible]pit aliquis, aut incutit. Sumtum ab iis, qui vaſorum ina[illegible] huiuſmodi ſonitu paueſaciunt pueros, vel potiùs, qui va[illegible]rum huiuſmodi ſonitu propellunt aues. Putant idem vale[illegible] τῇ σκιᾷ μορμύσσῃ, id eſt, Vmbra territas.

## Leonem larua terres.

Μορμολυκείοις ἐκφοβεῖς τὸν λέοντα. Id eſt, Laruis terres leonem. Conueniet de minis inanibus, ac terriculis deridēdis. *Diogenian.*

### INANIS OPERA.

## Aſinum tondes.

Τὸν ὄνον κείρεις. De iis qui rem abſurdam atque inutilem aggrediuntur, quum aſinus lanam non habeat. *Ariſtoph.*



Ayuntamiento de Madrid

## Ab aſino lanam.

*Idem.* Cui finitimum eſt illud: Ὄνου πόκας ζητεῖς, id eſt, Aſini lanam quæris. De iis, qui ſtultè quærunt ea, quæ nuſquàm ſunt. Effertur adagium etiam ad hunc modum: Aſini lanæ.

## Vtrem vellis.

Ἀσκὸν τίλλεις. Adagio, Vtrem cædis ſimillimum, vel quòd non ſentiat, vel quòd pilis careat.

## Caluum vellis.

Φαλακρὸν τίλλεις. Vbi quis inanem operam ſumit, aut vbi quis auferre conatur, quo vacat is à quo petitur. Veluti ſi quis à paupere conetur extundere pecuniam, ab indocto litteraturam. Idem: Nudo veſtimenta detrahere.

## Æthiopem lauas. Æthiopem dealbas.

*Lucianus.* Αἰθίοπα σμήχεις, Natiuus ille Aethiopum nigror, quem Plinius ex vicini ſyderis vapore putat accidere, nulla abluitur aqua, neque vlla ratione candeſcit.

## Mortuum flagellas.

Νεκρὸν μαστίζεις. In eos, qui obiurgant illos, qui nihil prorſus obiurgatione cõmouentur, aut qui vitã defunctos inſectantur ac lacerant.

## Aquam è pumice poſtulas.

*Plautus.* Pro eo quod eſt, Fruſtrà ab alio petere, cuius ipſe à quo petis, maximè ſit indignus. Nihil enim pumice lapide ſiccius, nihil ſiticuloſius. Perinde ac ſi quis ab indoctiſſimo doceri poſtulat, ab inconſultiſſimo conſilium exſpectet, ab egeno munus, ab inope præſidium, denique ab auaro atq; tenaci pecuniam.

## Mortuo verba facis.

*Idem.* Νεκρῷ λέγουσα μῦθους εἰς οὖς. Mortuo ad aurem fabulam narras. Plautus: Mortuo verba nunc facio. Terentius: Verba fiunt mortuo. Rurſum Plautus: Nihilo pluris refert, quã ſi ad ſepulcrum mortuo dicat iocum.

## Littori loqueris.

Αἰγιαλῷ λαλεῖς. Dictum in eos, qui fruſtrà ſuadent vel orant, perinde quaſi ſurdo loquantur. Nam littora propter aſſiduum fluctuum fragorem ſurda dicuntur.

## Aquilam volare doces.

Ayuntamiento de Madrid

Αἰτὸν ἵππαδ' διδάσκεις. In eos qui monere quẽpiã conãtur ĩ ea re, ĩ qua quũ ſit ipſe exercitatiſſim', nihil eget doctore.

## Delphinum natare doces.

Δελφῖνα νήχεσθαι διδάσκεις. Diuerſa metaphora ſententiam eãdem declarat. Quod enim Delphini inter piſces, id aquila inter volucres.

## Delphinum cauda ligas.

Δελφῖνα πρὸς τὸν ὀυραῖον δεῖς. Id eſt, Delphinum cauda alligas. In eos, qui quippiam incaſſum conantur, proptereà quòd delphinus cauda ſit lubrica, nec ea parte teneri queat. Quadrabit & in eos, qui ea via quempiam aggrediuntur, qua nequaquam poſſit ſuperari.

## Nebulas diuerberare.

Νεφέλας ξαίνειν. Dicitur, qui vel in re ſtulta, vel quæ fieri non queat, fruſtra ſumit operam. *Diogenian.*

## Aſini caput ne laues nitro.

Ὄνου κεφαλὴν μὴ πλύνειν νίτρῳ. Ne multum ſumtus operæue impendas in rem vilem ac ſordidam.

## Ad fractam canis.

Πρὸς ἐρρωγυῖαν ᾄδεις, ſubaudi, vel chordam, vel citharam. Suidas oſtendit dici ſolitum de iis qui fruſtra laborant. Quanquam non inſcitè accommodabitur, vbi non reſpondetur officiis alicuius, aut vbi quis ſuadet obſtinato, aut orat inexorabilem. Fabulam de cicada, fractę fidis vicẽ ſupplente, alibi diximus. Vide prou. Acanthia cicada.

## De fumo diſceptare.

In Philoſophos dictum, qui de rebus nihili nimium anxiè diſputant.

## Arenam metiris.

Ἄμμον μετρεῖς. Id eſt, Arenæ modum quæris, ſiue metiris, hoc eſt, rem infiniti laboris atq; inexplicabilẽ inceptas. Aut fruſtra conaris, quod nequeas efficere.

## Arenæ mandas ſemina.

Εἰς ψάμμον σπείρεις. Proptereà quòd ſteriles arenæ, maximè litorales, nec idoneæ ad ſementem. Ouidius:

Quid facis Oenone, quid arenæ ſemina mandas?
Non profecturis litora bubus aras.

Atque in noſtra Brabantia ſunt agricolæ tam induſtrij,



Ayuntamiento de Madrid

qui ſitientiſſimas arenas cogant & triticum ferre.

*Horatius.*

## De lana caprina.

Natum ab euentu apparet, de duobus contentioſè decertantibus, vtrum lanam haberet caper, an ſetas. Loquitur de moroſis in amicitia, qui quantumlibet friuola de cauſſa litem cum amico ſuſcipiunt.

*Lucianus.*

## In aqua ſcribis.

Hoc eſt, Nihil agis. Item Catullus:
Inſcribo vino, ſi qua iurat fœmina.
Mulier cupido quod dicit amanti,
In vento & rapida ſcribere oportet aqua.

## Reti ventos venaris.

Δικτύῳ ἄνεμον θηρᾷς. Id eſt, Reti ventos captas. De fruſtra laborantibus, qui rem inanem inaniter captant.

## Ignem diſſecare.

Εἰς τὸ πῦρ ξαίνειν. Id eſt, Ignem diuerberare. Ariſtides: Non intelligebas autem teipſum omnibus illis prouerbiis obnoxium eſſe, quòd ignem diuerberares, quòd lapidem elixares, quòd in ſacris ſementem faceres?

## Iſthmum perfodere.

Iſthmum perfodere dicebantur, qui magno quidem conatu, ſed irrito molirentur aliquid. Ductum ab Iſthmo Corinthiaco, qui efficiebat vt naues longo & ancipiti ambitu iuxta peninſulam circumagerentur. Iſthmus ea terræ ſtructura eſt, quæ in duo maria iter porrigit. Sunt autem duo Iſthmi, Achaicus ceu Corinthiacus, & Thracius.

## In arena ædificas.

Εἰς ψάμμον οἰκοδομεῖς. Ad quod Euangelica parabola videtur alludere: Non conſiſtit, quod ſuper arenam ſtruxeris. Proinde rectè vſurpabitur, vbi quis negotium aggreditur inutile futurum, vt pote non rectè iactis antè fundamentis.

## Parieti loqueris.

Πρὸς τὸν τοῖχον λαλεῖς. Plautus in Trucul. vſurpat pro eo quod eſt taciturno loqui: Ego, ĩquit, ero paries, loquere tu.

## Cribro aquam haurire.

Κοσκίνῳ ὕδωρ ἀντλεῖ ἢ ἐπιφέρει. Id eſt, Cribro aquam haurit. Quod etiam in obliuioſos, nõ inconcinnè dicetur.

Ayuntamiento de Madrid

Sumtum à fabula Danaidum puellarum, quas Plato ſcripſit apud inferos hoc genus pœnæ pendere, vt aſſiduè aquam in dolium pertuſum, vaſis item pertuſis inferant. Effertur & ad hunc modum: In dolium pertuſum aquam hauris.

## In aquam ſementem iacis.

Εἰς ὕδωρ σπείρεις. Id eſt, In aqua ſementem iacis. Loquitur de iis, qui beneficium conferunt in ingratos, atque improbos homines.

## In ſaxis ſeminas.

Κατὰ πετρῶν σπείρεις. Id eſt, In ſaxis ſementem facis. Quo quidem alluſiſſe credi poteſt allegoria Euangelica de ſemine, quod in petras inciderit. Nam hoc terræ genus ferè ſterile eſt, quia non poteſt aratro proſcindi.

## Et operam & retiam perdere.

Plautus in Rud. Iam nunc & operam ludos facit & retiam. Id quidem citra tropum dictum eſt à ſene, qui Grippum ſeruum piſcatum miſerat, cùm eſſet noctu orta tempeſtas grauiſſima. Venuſtius erit ſi tropo adhibito dicatur in captatorem, cui non ſucceſſit aucupium. Porrò retiam Plautus antiquè dixit, pro rete. Affine illi, Oleum & operam perdidi.

## Sterilem fundum ne colas.

*Plato.*

Στεῖρον ἀγρὸν μὴ σπείρειν. Id eſt, Agrum ſterilem ne colas. Hoc eſt, ne doceas indocilem, ne felicitatem quæras in diuitiis. Non enim pariunt homini beatitudinem.

## Vtrem mergis vento plenum.

Ἀσκὸν βαπτίζεις πνεύματος πλήρη. Competit in eum, qui fruſtra conatur, vt qui caſtiget inemendabilem, quòd inflatus vter quantumuis immergas, rurſum emicet.

## Cauam Arabiam ſerere.

Τὴν κοίλην Ἀραβίην σπείρειν. Pro fruſtra ſudare, aut in re perdifficili nec admodùm frugifera operam ſumere. Lucianus in Apologia: Vt cauam Arabiam ſerere aggrediatur. Significat autem paluſtrem Arabiæ partem neutiquam idoneam ſementi.

## Aranearum telas texere.

*Baſilius.*



Ayuntamiento de Madrid

Τὰ ἀράχνια ὑφαίνειν. Eſt in re friuola nullius frugis, infinitum atque anxium capere laborem. Cuiuſmodi ſunt rationes dialecticæ.

## Arare litus.

Αἰγιαλὸν ἀρῶν. Eſt ſterilem operam ſumere. Auſonius in Theonem:

Quid geris extremis poſitus telluris in oris,
Cultor arenarum vates, cui litus arandum?

Huius peculiaris vſus erit, quum officium impenditur in eum, à quo nihil ſis fructus aliquando percepturus.

## E multis paleis, parum fructus collegi.

Ἐκ πολλῶν ἀχύρων ὀλίγον καρπὸν συνήγαγον. Id eſt, Multo labore non multum emolumenti ſum conſequutus, aut è verboſo ſermone paullulum bonæ ſententiæ, ex ingenti volumine minimũ doctrinæ retuli. Tranſlatum ab excuſſoribus tritici.

## Ouum adglutinas.

*Diogenian.* Ὠὸν κολλᾷς. Id eſt, Ouum glutino compingis. Ridiculè laborat, qui fractum oui putamen glutino ſarcire & coagmentare conetur.

## Penelopes telam texere.

Eſt inanem operam ſumere, & rurſum deſtruere quod effeceris. Natum ex Homeri Odyſſ. II. Fingit Penelopen Vlyſſis vxorem procos iam vrgentes hac conditione deluſiſſe, vt tum ſe promitteret nupturam, vbi telam, quam habebat in manibus, abſoluiſſet. Quam conditionem poſteaquã illi accepiſſent, mulier aſtuta quod interdiu texuiſſet, id noctu retexere cœpit.

## Oleum & operam perdidi.

*Plautus.* Quidquid inſumſi, ſeu rei, ſeu laboris, id fruſtra inſumtum eſt. Metaphora ducta eſt à gladiatorum ac palæſtritarum certaminibus, in quibus certaturi vnguentis quibuſdam oleaceis perungebantur.

## Bos ad ceroma.

Diuus Hieronymus ad Pammachium, videtur huic adagio velut alterum quoddam adagium ſubtexuiſſe: Oleum perdidit & impenſas, qui bouem mittit ad ceroma. Siquidem hoc ipſum, bouẽ ad ceroma mittere, prouerbium

Ayuntamiento de Madrid

ſapit, pro eo quod eſt docere indocilem : aut ad id muneris quempiam aſciſcere, ad quod obeundum minimè ſit idoneus, videlicet ingenio repugnante. Nam ceroma dicitur vnguentum quo olim Athletæ vngebantur, id ex oleo certiſque terræ generibus conficiebatur. Porrò ad certamina bos inutilis eſt.

## Nihil agere.

Suidas hunc verſiculum citat è Cratini fabula, cui titulus Horæ:

Καὶ ταῦτα πράττων φάσκ' ἀνὴρ οὐδὲν ποιῶν. Id eſt.

Atque iſta faciens quidam ait, faciens nihil.

Admonetque ſubeſſe prouerbium, quod quadret in eos, qui fruſtrà laborant. Celebratur & illud Attili: Satius eſt otioſum eſſe, quàm nihil agere.

## Periit ſus.

Ἀπόλωλεν ὗς καὶ τάλαντον καὶ γάμος. Id eſt, Periit mihi ſus, & talentum, & nuptiæ. Dici conſuetum vbi quis fruſtratus perdiſſet operam & impenſam.

## Quid opus erat longis canere tibiis?

Τί γάρ με ἔδει μακροῖς αὐλοῖς αὐλεῖν. Id eſt, Quorſum attinebat me longis canere tibiis? Id aiunt conuenire in eos, qui ſumſiſſent inanem operam, aut ſumtum. *Plutarchus.*

## Ollas oſtentare.

Χύτρας ἐπιδείκνυσθαι. Eſt rem per ſe ridiculam ac ſordidam, perinde vt maximam efferre.

## Cum Diis non pugnandum. *Homerus.*

Qui monebit non eſſe pugnandum cum genio, cum ſuperis, cum magnis principibus, vſurpabit illud Homeri: Verùm homines Diis inferiores. Hanc ſententiam ſic extulit Pindarus: Oportet aduerſus Deum non contendere.

## Aſinum ſub fræno currere doces.

Hoc eſt, doces indocilem. Nam equus ad curſum idoneus, aſinus ad equeſtrem curſum inutilis. Horatius:

Infelix operam perdas, vt ſi quis aſellum
In campum doceat parentem currere fræno.

## Apud nouercam queri. *Plautus.*

Qui deplorant infelicitatem ſuam apud eos, qui nihil auxilij ſint laturi, vel gauiſuri magis cõquerentium malis.



Ayuntamiento de Madrid

Vide prou. Odium nouercale:& ad nouercæ tumulum.

## Ferrum natare doces.

Σίδηρον πλεῖν διδάσκεις. Id eſt, Ferrum fluitare doces. De iis, qui rem conantur, quæ repugnante natura nequaquam fieri poſſit.

## Cauda tenes anguillam.

Ἀπ' οὐρᾶς τὴν ἔγχελυν ἔχεις. Id eſt, Cauda tenes anguillam. In eos, quibus res eſt cum hominibus lubrica fide, perfidiſque.

## Auſtrum perculi.

## Aërem verbero.

Id eſt, Operam luſi. Eſt apud Plautum in Epidico. Quo quidem adagio non eſt grauatus vti Paulus in Epiſtolis ſuis.

## Σκιαμαχεῖν.

Olim qui inaniter laborabant, Σκιαμαχεῖν dicebantur, hoc eſt, cum vmbra pugnare. Plato: Sed neceſſe eſt omnino, vt cum vmbra pugnem, ſimul & defendens & accuſans, quum nemo reſponderit.

## Milium terebrare.

Κέγχρον τρυπᾶν. Milium perforare dicuntur, qui in re difficili, ſed prorſus inutili laborant.

*Plato.*

## Vacuam inhabitare.

Κενῷ ἐγχατοικεῖν δόμῳ. Vacuam habitare domum dicuntur, qui ſpeciem rei magnificam oſtentant, quum ipſo bono vacui ſunt.

## In frigidum furnum panes immittere.

Ἐπὶ ψυχρὸν ἰπνὸν τοὺς ἄρτους ἐπιβάλλειν. In frigidum furnum immittere panes dicitur & hodie, qui docet indocilem, qui monet auerſum, aut qui alioqui ſumit inanem operam.

*Terentius.*

## Lapidi loqueris.

Λίθῳ διαλέγῃ. Lapis pro ſtupido, brutóque homine ponitur.

## Linum lino nectis.

Λίνον λίνῳ συνάπτεις. Linum lino connectis. Huius adagij duplicem apud Græcos interpretes ſenſum inuenio. Quo-

Ayuntamiento de Madrid

rum alter eſt. Infirmis infirma copulas, friuola friuolis. Alter, Eadem non iiſdem rationibus facis, aut dicis.

## Surdo oppedere.

Παρὰ κωφῷ ἀποπαρδεῖν. Id eſt, Apud ſurdum crepitum edere. Dicitur vbi quid fruſtra fit. Siue quum conuitiis inceſſitur is, qui perinde negligit, quaſi non audiat.

## Laterem lauas. *Terentius.*

Πλίνθον πλύνεις. Quo operam inanem ſignificamus.

## Anthericum metere.

Τὸν ἀνθέρικον θερίζειν. Dicebantur, qui laborem inanem ac ſterilem caperent. Anthericus, herbæ genus quod meti non poſſit, ſed velli manibus neceſſe eſt, veluti & linum. Anthericces vocantur ſumma ſpicarum faſtigia, ſiue atherices.

## De aſini proſpectu. *Ariſtoph.*

Ὄνου παρακύψεως. Dici ſolitum in eos, qui ridendo titulo quempiam calumniantur, aut de friuolis rebus aliquem in ius vocant. Euentus, qui fabulæ præbuit occaſionem, variè narratur ab auctoribus: quidam ad hunc modum memorant: figulus quiſpiam varias auium formulas finxerat, eaſque in officina collocatas habebat. At aſinus quidam, inobſeruantiùs ſequente agaſone, inſerto per officinæ feneſtellam capite, pariter & aues, & reliqua vaſa deiecit, comminuitque. Is cuius erat officina, vocat in ius agaſonem, cumque rogaretur ab omnibus, quanam de re litem moueret, de aſini, inquit, proſpectu.

## De aſini vmbra.

Ὑπὲρ ὄνου σκιᾶς. Id eſt, Super aſini vmbra. Pro eo quod eſt, De re nihili.

## Lapidem decoquis. *Idem.*

Λίθον ἕψεις. Pro eo quod eſt, inaniter labores. Neque vnquàm molleſcit lapis quantumuis diutina coctione. Speciatim conuenit in hominem durum, nulliſque precibus molleſcentem.

## Surdo fabulam narras. Surdo canis.

Ayuntamiento de Madrid

Κωφῷ ᾄδεις. Virg. Non canimus ſurdis, reſpondent omnia ſiluæ. Horatius: Narrare putaret aſello Fabellam ſurdo.

## Verberare lapidem.

Plautus. Aptè dicetur, vbi quis obiurgat incaſtigabilem.

## Laborem ſerere.

Πόνον σπείρειν. Vulgò dicebantur, qui fruſtrà laborarent.

## A lupi venatu.

Ἀπὸ λύκου θήρας. Dici ſolitum, vbi quis protinus re infecta diſcedit, aut de negotio moleſto & agreſti. Neque enim tutum eſt lupum inſequi, neque is facilè capitur, quum reliquarum ferarum venatus non vulgarem adferant voluptatem.

## Alienum arare fundum.

Ἀλλοτρίαν ἄρουραν ἀροῦν. Id eſt, Alienum aruum arare. Pro eo quod eſt, Alienum agere negotium, aut cum alienis vxoribus habere rem. Plautus: Fundum alienum arat, ſuum incultum deſerit.

## Hylam inclamas.

Ὕλαν κραυγάζεις De fruſtra vociferantibus, aut in genere, de nihil proficientibus. Id fuerit venuſtius atque inconcinnius, vbi quis abſentem fruſtra deſiderat, vel deplorans, vel optans. Vnde natum ſit, habes apud Virgilium Egloga 6.

## Hic funis nihil attraxit.

Αὕτη μὲν ἡ μήρινθος οὐδὲν ἔσπασεν. Id eſt, Funis quidem iſte piſcium attraxit nihil. Quo ſignificabant operam fruſtra ſumtam, neque ex ſententia eueniſſe quod quis conabatur. Tranſlatum ab hamato funiculo piſcantibus.

## Hydram ſecas.

Plato. Ὕδραν τέμνεις. Hydram incidere eſt, ita vnum aliquod incommodum tollere, vt in eius locum pluria alia recipias. Adagium natum à fabula hydræ Lernææ, cum qua multum diuque conflictatus eſt Hercules, proptereà quòd vno reciſo capite plura renaſcerentur. Accommodari poterit ad eos, qui litibus inuoluuntur nunquàm finiendis. Lis enim litem parit.

Ayuntamiento de Madrid

## Cotem alis.

Ἀκόνην σιτίζεις. Dicitur in homines edaces, plurimique cibi, qui nihilo tamen habitiores inde reddantur. Nam in cotis macilentiam, hodiéque vulgò iactatur adagium, quum aiunt: Tam pinguem, quàm cotem, macilentum quempiam ſignificantes. Hermolaus Barbarus interpretatur hoc adagium, pro malè collocare beneficium, vnde non ſit reditura gratia.

## Cum Coryco luctari.

Πρὸς Κώρυκον γυμνάζεσθαι. Aduerſus Corycum luctari dicebatur, qui ſumeret inanem operam. Opinor Corycum palæſtritem fuiſſe quempiam inuictum.

## Cum Dijs pugnare.

Θεομαχεῖν. Dicuntur, qui vel naturæ repugnant, vel aduerſus fatalem neceſſitatem reluctantur. Sumtum à gigantum fabula. Cicero: Quid enim gigantum more bellare cum Diis, niſi naturæ repugnare?

## Quum plurimùm laborauerimus, eodem in ſtatu ſumus.

De fruſtra laborantibus. Quod euenit iis, qui poſt diuturnum ſtudium nihilo reperiuntur eruditiores, poſt longam negotiationem nihilo ditiores.

## Cum laruis luctari.

Cum laruis luctari dicuntur ij, qui vita defunctos inſectantur maledictis, qua re nihil eſſe poteſt indignius ingenuo viro. *Plinius.*

## Vndas numeras.

*Theocritus.*

Κύματα μετρεῖς. Id eſt, Rem infiniti laboris incœptas.

## Inaniter aquam conſumis.

Ἄλλως ἀναλίσκεις ὕδωρ. Id eſt, Inaniter aquam conſumis. In eos quadrabit, qui fruſtra ſuadent.

## In cælum iacularis.

*Zenodotus.*

Ἐς τὸν οὐρανὸν τοξεύεις. Id eſt, In cælum ſagittam torques. De iis, qui fruſtra laborant, aut qui audent eos laceſſere, quos non poſſunt lædere.

## Voluitur dolium.

*Lucianus.*

Κεκύλισται ὁ πίθος. Id eſt, Reuolutum eſt dolium. In eum,

Ayuntamiento de Madrid

qui commouetur alieno exemplo ſiue inſtinctu, ad ſtultè quid faciendum. Nam dolium facili impulſu, quò velis, voluitur. At ſapiens ſemper fixus eſt & immotus.

*Cicero.*

## Vlulas Athenas.

Γλαῦκας εἰς Ἀθήνας. Subaudiendum, portas, aut mittis. Conueniet in ſtultos negotiatores, qui merces eò comportant, vbi per ſe magis abundant. Vt ſi quis in Ægyptũ frumentum, in Ciliciam crocum inuectet.

*Terentius.*

## In eodem hæſitas luto.

In eos competit, qui ſic implicantur negotio cuipiam, vt ſe nequeant extricare. A' viatoribus tranſlatum, qui ſimulatque in lutum inciderint quum alterum pedem conantur educere, altero aliùs immerguntur.

*Horatius.*

## In ſiluam ligna ferre.

Eſt aliquem iis rebus augere velle, quibus ipſe maximè abundet. Eadem ratione dicimus. In mare deferre aquam.

*Pauſanias.*

## Contorquet piger funiculum.

Cratinus fingit quandam apud inferos funem torquentem? aſinum autem arrodentem ea, quæ ille iam torſiſſet, atque ita iam inaniter laborare, qui torquebat.

*Zenodotus.*

## Tranquillum æthera remigas.

Αἰθέρα νηνέμιον ἐρέσσεις. Id eſt, Aëre tranquillo remigas. De in caſſum laborantibus, quaſi dicas, aërem diuerberas.

*Idem.*

## Ventos colis.

Ἀνέμους γεωργεῖς. Colis autem dico, pro eo quod eſt, agricolationem exerces. Dicitur in eos, qui è ſuis laboribus nihil fructus reportant.

*Suidas.*

## Vento loqueris.

Ἀνέμῳ διαλέγῃ, Pro eo quod, Inaniter. Nam ventus omnia diſſipat. Conſimili figura apud Athæneum legitur Cælo & terræ loqui.

*Ariſtop.*

## Nugas agere.

Rem friuolam ac nihili facere, ſeu fruſtra conari, λῆρον ληρεῖς, Atticis familiare, id eſt Nugas nugaris.

*Terent.*

## Actum agere.

A iudiciorum conſuetudine ſumtum, qua fas non eſt iterum agere cauſſam de qua iam ſit pronunciatum. Plau-

Ayuntamiento de Madrid

tus: Rem actam agis, id eſt, incaſſum laboras. Tullius de amicitia indicat dici ſolitum de negotio, quod præpoſteré geritur. *Lucianus.*

## Aquam in mortario tundere.

Ὕδωρ ὕδαρῳ πλήττειν. Id eſt, Aquam piſtillo tundere. In eos qui laborant inaniter. Siquidem aquam ſi quis vel ætatem contundat, nihil aliud erit quàm aqua. Quantumuis doceas ὄνον λύρας, quantumlibet admoneas ſtupidum, ſui ſimilis eſſe pergit.

## Volantia ſectari.

De iis, qui nullum certum vitæ ſcopum ſibi proponunt, ſed ex tempore viuũt, ad quamuis occaſionem mutabiles.

## Vorſuram ſoluere.

*Terentius.*

Vorſuram ſoluere dicitur, qui ſic è præſentibus malis extricat ſeſe, vt aliis grauioribus impediatur. Nam Donato, Vorſuram facere, eſt æs alienum ære alieno ſoluere, aut minore fœnore maiorẽ acceptam pecuniam occupare. Hinc ducta voce, vt auctor eſt Feſtus Pompeius, quòd vertat creditorem.

## Saxum voluere.

*Idem.*

Saxum voluere dicuntur, qui inexhauſto quopiam atque inutili labore fatigantur. Tractum à notiſſima Siſiphi fabula, ſaxũ apud inferos ſurſum ac deorſum voluẽtis.

## Ex inanibus paleis.

*Diogenian.*

Ἀτὰρ ἐκ καθαρῶν ἀχύρων τετρύγηκας σιτίον. Id eſt, Atqui è puris paleis trituram frumenti facis. Id eſt: Operam ſterilem & infrugiferam ſumſiſti. Natum à ruſticis.

## Fruſtra canis.

*Lycophron.*

Ἄλλως ᾄδεις. De iis, qui fruſtrà ſuadent. Effertur etiam ad hunc modum: In vnum cantas. Fruſtrà pulſas chordas.

## Fruſtra currit.

Εἰς κενὸν τρέχει. Pro eo quod eſt, Fruſtrà laborat. Sic vſus eſt D. Paulus. Sumtum ab his, qui in ſtadio curſu certant.

## Milium torno ſculpere.

*Suidas.*

Τὰς κέγχρους ἀποτορεύειν. Milij grana torno ſculpere dicebantur qui rem abſurdam mollirentur. Milium enim minutius eſt, quàm vt inde quẽquam deſcalpi poſſit.

## Memorem mones, Doctum doces, & ſimilia.

Ayuntamiento de Madrid

Idem pollet illud Græcanicum:

Λαλεῖς πρὸς ἔχοντα τὴν ἐπιστήμην. Id eſt.

Loqueris ei qui ipſe rem calleat.

## Obturbas fruſtra velut vnda.

Ὀχλεῖς μάτην με, κῦμ' ὅπως, Id eſt, Turbas me vt vnda inaniter, id eſt, incaſſum mihi moleſtus es.

## Cancrum ingredi doces.

Καρκίνον ὀρθὰ βαδίζειν διδάσκεις. Id eſt, Cancrum rectè ingredi doces. De eo, qui doceat indocilem. *Suidas.*

## Apud fimum odorum vaporem ſpargis.

Εἰς κόπρον θυμιᾷς. Id eſt, In fimum aromatum odorem ſpargis. Nã perit omnis fragrãtia, fimique fœtore vincitur. *Plautus.*

## Inuitis canibus venari.

Hoc adagio ſignificatum eſt, non ſat feliciter ſuccedere, quod à nolentibus extorquetur.

## Inuitos boues plauſtro inducere.

*Theognis.* Simile dictum etiam hodie perſeuerat, vulgò celebratũ, incommodum eſſe, bobus inuitis plauſtrum ducere.

## Contra torrentem niti.

*Augu. cõtra Hyeronim.* Dicuntur, qui fruſtrà certant cum ijs, quos vincere non queant. Sumtum à natantibus, qui ſolent ſecundo natare flumine.

## Contra ſtimulum calces.

*Terentius.* Πρὸς κέντρα λακτίζειν. Id eſt, Contra ſtimulos iactare calcem. Eſt fruſtra repugnare iis, quos vincere nequeas: & incommodum quod euitare non queas, impatienter ferendo non ſolum non effugere, verumetiam conduplicare. Donatus parœmiam eſſe admonet cum eclypſi. Deeſt autem iactare, quod vnico verbo Græci dicunt λακτίζειν.

## Senis mutare linguam.

De fruſtrà atque intempeſtiuè laborantibus. Hieronymus præloquens in quatuor Euangelia: Pius, inquit, labor, ſed periculoſa præſumtio, iudicare de cæteris ipſum ab omnibus iudicandum ſenis mutare linguam, & caneſcentem mundum ad initia retrahere paruulorum. Quo ſignificatur, adultam ætatem ad omnia minùs eſſe tractabilem, quam rudes illos ac teneros annos. His finitimum eſt, Serum eſſe, canes vetulos loris aſſueſcere. Et hoc:

Ayuntamiento de Madrid

Senex pſittacus negligit ferulam.

## Senis doctor.

Γέροντος διδάσκαλος. Conuenit in eum, qui in re ſera atque intempeſtiua fruſtrà ſumit operam. Siquidem vt eſt iuuenta docilis, atque in quemuis habitum ſequax, ita ſenecta intractabilis, tarda atque obliuioſa.

## Herculei labores

Ἡράκλειοι πόνοι. Dicuntur plurimi atque ingentes, quique vires deſiderant Herculanas: Vel qui aliis quidem maximas adferunt commoditates, cæterùm auctori ſuo nihil fermè fructus adducunt, præter aliquantulum famæ, plurimum inuidiæ. Id quod ita fato quodam accidiſſe Herculi putant, quòd quarta luna natus credatur.

## Aſinus balneatoris.

Ὥσπερ ὄνος βαλανέως. Id eſt, Vt aſinus balneatoris. Dictũ in eos, qui ex ſuis laboribus ipſi nihil fructus caperent. *Plutarchus.*

## Mare exhauris.

Θάλασσαν ἀντλεῖς. De eo qui conatur, quod effici non poſſit.

## Exurere mare.

Propert. Tu priùs & fluctus poteris ſiccare marinos,
Altaque mortali detrahere aſtra manu.

## Muſcas depellere.

Dicitur, qui iocoſo atque inutili fungitur officio. *Ariſtoph.*

## Conchas legere.

Summi otij eſt, conchas & vmbilicos legere in litoribus, qui luſus eſſe ſolet puerorum. Transferri poteſt ad eos qui aliud agentes, obiter etiam leuiora quædam animi gratia admiſcent. Cicero ait lib. 2. de oratore, Lælium & Scipionem conchas & vmbilicos ad Caietam & ad Lucrinum legere conſueuiſſe, & ad omnem animi remiſſionem ludumque deſcendere,

## Aues quæris.

Ὄρνις ζητεῖς. Rem vagam & captu difficilem ſequeris. Perſius: An paſſim ſequeris coruos, teſtaque lutóque.

## Humi hauris.

Χαμαὶ ἀντλεῖς. De inaniter laborante dicebant. Nihil enim eſt quòd è ſolo haurias. Apparet dici poſſe, *Zenodot.*

Ayuntamiento de Madrid

quoties exhauſta copia, non multum ſupereſt, quod hauriias.

## Influit quod exhauritur.

Ἐπιρρεῖ τὸ ἐξαντλούμενον. Id eſt, Adfluit quod exhauritur. Vbi quis fruſtrà ſumit operam in re quapiam.

## E Tantali horto fructus colligis.

Ταντάλου κῆπον τρυγᾷς. Id eſt, Ex Tantali horto fructum colligis, id eſt, ea conſectaris, quæ nuſquam ſunt, aut quibus frui non licet. Quod quidem appoſitè dicetur in mundanis addictos voluptatibus.

## Dentem dente rodere.

Dicitur qui carpit eum, qui neque lædi queat, neque ſentiat. Aut qui mordet pari mordacitate præditum quempiam. Martialis:

Qui dentem dente iuuabit
Rodere? carne opus eſt, ſi ſatur eſſe velis.

## Oreſti pallium texere.

*Ariſtop.*

Ὀρέστῃ χλαῖναν ὑφαίνειν. Dicebatur, qui munus pararet abuſuro. Nam Oreſtes per inſaniam veſtes dilacerabat.

## Ver ex anno tollere.

*Herodot.*

Ἐκ τοῦ ἐνιαυτοῦ τὸ ἔαρ ἐξαίρειν. Dicebatur, qui id quod in negotio quopiam erat præcipuum tolleret, Ver enim anni præcipua pars eſt. Poteſt deflecti longiùs, vt dicatur ver eximere anno, qui linguarum ac bonarum litterarum peritiam ſuſtollat è ſcholis.

## Bulbos quærit.

Βολβοὺς ζητεῖ. Iocus prouerbialis in eos qui iuxta Perſiũ,
Obſtipo capite deſigunt lumina terræ.

## Nudus nec à centum viris ſpoliatur.

*Ariſtoph.*

Adducit prouerbium vulgò iactatum D. Chryſoſtomus, quo ſignificabitur conatus inanis. Apuleius aſinus effert in hunc modum: Nudus nec à decem poteſt paleſtricis ſpoliari.

## Inter lapides pugnabant, nec lapidem tollere poterant.

*Plutarchus.*

In eos qui præſenti commodo non fruantur, vel ob ignauiam, vel ob peruerſam de rebus opinionem, vt qui vel

ſaxum

ſaxum grauentur ex aceruo tollere, quo repellant aduerſarium. Torquebitur non inuenuſtè etiam ad inanẽ operã.

Vtrem cædis. *Ariſtop.*

Ἀσκὸν δέρεις. Sumtum vel à Bachi ſacris, vel ab alijs, qui percuſſis vtribus inanem mouent ſtrepitum.

Impete peritum artis.

Βάλλ' εἰς ἔχοντα τὴν ἐπιστήμην. Id eſt, Iaculare in eum qui nouit artem, vbi quis conuitium facit homini, qui norit & ipſe retorquere conuitium, aut qui carpit velut imperitum, qui non inferior ſit in artis ſcientia. Sumta metaphora videtur ab iis qui iaculo aut ſaxis petunt eum qui calleat ictum vel declinare, vel in iaculantem retorquere.

Canis.

Ἄδεις ἔχων. Pro eo quod eſt nugaris, ineptis, fruſtra loqueris. Etenim qui canunt, non agunt rem ſeriam, ſed tantùm vt aures deliniant voluptate mox peritura.

Vtre territas. *Diogenian.*

Dici ſolitum quoties inanem formidinem aut concipit aliquis, aut incutit. Sumtum ab iis qui vaſorum inanium ſtrepitu pauefaciunt pueros, aut alioqui formidoloſos.

Senex pſittacus negligit ferulam. Eundem calceum omni pede inducere. Coruus albus. Senis doctor. Mortuo mederi. Vmbra territas. Senis mutare linguam. Senem admonere.

Enarrauimus alibi ſuo quodque loco.

Mari aquam addere.

Eſt aliquem iis rebus velle augere, quibus ipſe maximè abundet.

Inanis conatus.

Vbi ſentiemus, fruſtrà ſumi operam, neque quidquam promoueri diutinis laboribus: non ineptè quadrabit illud Homeri Iliad. β.

Ἄπρηκτον πόλεμον πολεμίζειν, ἠδὲ μάχεσθαι. Id eſt,
Pugnam infrugiferamque & inutile ducere bellum.

Quaſi Sutrium eant. Phrynichi lucta.
Excubiarum cauſſa canens.



Ayuntamiento de Madrid

Tractauimus alibi quoque.

## Gyrgathum ſpiras.

Γύργαθον φυσᾷς. In inſanum fruſtráque vociferantem iaciebatur. Gyrgathus lectus eſt in quo paralytici menteque capti, quique vocantur dæmoniaci vincti iactant ſeſe, multa minitantes, ſed fruſtra.

INAEQVALIS PENSATIO.

## Ne verba pro farina.

Μὴ λόγους ἀντ' ἀλφίτων. Id eſt, Ne verba pro farinis. Aduerſus eos iaciebatur, qui beneficium verbis, non re dabãt. Veteres quidquid ad victũ pertineret, ἄλφιτα vocabãt.

## Pro perca ſcorpium.

Ἀντὶ πέρκης σκορπίον. Vbi quis optima captans, peſſima capit. Nam perca piſcis eſt vel maximè laudatus. Scorpius lethalis piſcis eſt, quanquam eſt & piſcis huius nominis, contemti ſaporis.

## Vmbra pro corpore.

Σκιὰ ἀντὶ τοῦ σώματος. Quoties aliquis magnum quiddam videbitur aſſequutus, quũ nihil tamen adferat præter titulum aut ſpes meras. Mutuò ſumtum ab Æſopica fabula de cane, qui dum vmbram carnium, quòd ea maior apparet, captat, veras amiſit carnes.

## Palumbem pro columba.

*Plato.*

Φάτταν ἀντὶ περιστερᾶς. Subaudi verbum ad ſententiam accommodatum. Conueniet, vbi quod deterius eſt & alterinũ, pro eo quod eſt præſtantius ac legitimum, ſupponũt.

## Pilos pro lana.

*Diogen.*

Τρίχας ἀντ' ἐρίων. De re vehementer inæquali, aut de negotio ſupra modum abſurdo.

## Pro malo cane ſuem repoſcis.

Ἀντὶ κακῆς κυνὸς σῦν ἀπαιτεῖς. Id eſt, Pro re vili precioſam. Sus enim eſculentus, canis haud quaquam veſcus eſt.

## In parte vel ignem prædetur aliquis.

Ἐν τῷ μέρει τις καὶ τὸ πῦρ σκυλευσάτω. Id eſt, Prædetur aliquis per vices ignem quoque. Dictum de iis, qui parum æqua referant in cõmune. Quid enim nõ prædetur, qui prędatur ignẽ, qui ſic eſt natura cõmunis, vt ipſe nihilominus poſſideas, poſteáquàm & aliis fueris impartitus.

Ayuntamiento de Madrid

## Diomedis & Glauci permutatio. *Homerus.*

In prouerbium abiit, quoties inæqualem commutationem ſignificamus, hoc eſt, deteriora pro melioribus reddita, ſcilicet ærea pro aureis. Vel quoties officium aut munus longè impari munere penſatur, aut contrà. Aut quoties aliquis rem pecuniariam auxit, ſed diſpendio famæ, Admiſſus eſt ad amicitiam principis, ſed excidit ab amicitia Chriſti.

## Si vinum poſtulet, pugnos illi dato. *Suidas.*

Ἂν οἶνον αἴτῃ, κονδύλους αὐτῷ δίδου. Id eſt, Si vina poſcat ille, pugnos porrige. Vbi pro bonis rebus expectatis, diuerſa accipiuntur. Putant metaphoram à pueris ductam, qui petentes non petenda, nonnunquã colaphos recipiũt.

### INCERTVS EVENTVS.

## Mars communis.

Incertum ac varium belli euentum, notabant hoc dicto, Ἄρης κοινὸς, id eſt, Mars communis.

## Inter os & offam. *Gellius.*

Quaſi dicas, Inter os & cibum. Quod à ſumendis cibis ſumtum eſt. In eadem ſententia adagiũ eſt quod ſequitur.

## Multa cadunt inter calicem ſupremaque labra. *Idem.*

Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου. His monemur, nihil tam certum ſperari, neque quicquam tam eſſe vicinum, quod non repentinus aliquis caſus queat interuertere. Adeóque non eſſe tutum venturis fidere, vt vix etiã illa ſint tuta, quæ manibus tenemus. Natum ab Alcæo, qui vini ſui calicem in manibus habẽs vt biberet, ne guſtauit quidem vt qui ab apro interiit, dum eum vineto expellere conaretur. *Ouidius.*

## In herba eſſe.

Vbi ſpem immaturam indicamus, ac longiùs adhuc abeſſe vt conſequaris, in herba eſſe dicimus. Sumta metaphora à ſegetibus teneris adhuc & herbeſcentibus. *Menip.*

## Neſcis quid ſerus veſper vehat.

Quo ſalubriter admonemur, ne præſentium ſucceſſuum proſperitate elati, futuri curam abiiciamus.



Ayuntamiento de Madrid

*Lucianus.* Nullo ſcopo iaculari.

Α᾽σκοπα τοξεύειν. Abſque ſcopo iaculari dicuntur, qui nihil certi propoſitum habent quod ſequantur, & ad quod inſtituti, concilijque ſui rationes referant.

*Ariſtotel.* Si crebrò iacias, aliud aliàs ieceris.

Quo ſignificatum eſt oportere rem ſæpiùs tentare, neque defatigari protinus; ſi quando parum ex animi ſententia ceciderit. Futurum enim, vt iterum atque iterum periclitanti, feliciùs aliquando cadat. Sunt qui putent metaphoram à ſagittarijs, non ab aleatoribus eſſe ductam.

INCITARE.

Cithara incitat ad bellum.

Plutarchus libro De fortuna Alexandri ſecundo, declarat hunc verſiculũ apud Lacedæmonios ſolere decantari:

Ε῎ρπει γὰρ ἄντα τῶ σιδήρω τὸ καλῶς κιθαρίσδεν.

Vergit ad lethale ferrum, lepidè cithara canere.

Quo ſignificabant certis citharæ modis ſedari motus animorum, aliis addi vigorem ad prælium.

*Ariſtoph.* Alas addere.

Α᾽ναπτερεῖν. vulgò dicebatur, qui verbis alicui adderent animum in quo bonam ſpem erigerent, &c.

*Plautus.* Frigidam aquam ſuffundere.

Pro eo quod eſt, inſtigare clanculum. Tranſlatum ab officinis ærariis, vbi fabri ſubinde frigidam aquam in ignem aſpergunt, quo ignis fit vehementior.

Modis omnibus incitat.

Vbi quis omnibus modis animum alterius ſollicitat, nũc precibus, nunc blanditiis, nunc iurgiis, nunc minis, vſurpare licebit illud Homeri:

Multum ille, ſcuticaque cita celerare iubebat.
Multum item blandè affatus, multumque minatus.

Feri puer.

Athenæus libro dipnoſoph. xv. demonſtrat olim prouerbio ſolitum acclamari ἴη παιών, quo ſignificant quempiam ſuo munere defunctum. Itidem ferme illud, quemadmodum non abſolutæ virtuti gratulãtes dicere ſolemus, Macte animo, macte virtute.

Ignarium dare.

Ayuntamiento de Madrid

Dicebatur ignarium dare, qui ſuggereret quod dolore quodam reuocaret hominem à peccando, quemadmodum lapis digito additus, vel pondere vel attritu non ſinit hominem obliuiſci, cuius gratia ſumſerat eum. Ignarium autem nonnulli lapidem pyritẽ vocant, quòd habeat plurimũ ignis, vt attritu digitos adũrat, alioqui ponderoſiſſimus.

INCONSTANTIAE, PERFIDIAE, VERSVTIAE.

## Chimæra.

Hominẽ inconſtantẽ ac variis moribus, aut opus ſi nõ cohærẽs M. Tullius deſignat feſtiuiter illo verſu homerico. Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα. Id eſt. Quid dicam neſcio, nam ita deplorat primis verſibus manſionẽ ſuam, vt quemuis mouere poſſit: ita rurſus remittit, vt me roget, vt annales ſuos emendem, atque edam. Epiſtolam ſibi inæqualem, appelllat, Chimæram.

## De ſtatu demigrare.

Quemadmodum de gradu deiici dicuntur, qui depelluntur à propoſito, ita M. Tullius ad Atticum libro IIII. dixit, De ſtatu demigro, pro eo quod erat, recedo à vitæ inſtituto. Tranſlatum videtur vel ab Athletis, vel à prœliis, vbi laudi erat non ceſſiſſe loco.

## Modò palliatus, modò togatus.

In hominem inconſtantem ac lubricæ fidei diuerſarumque partium eleganter torquebitur: veluti ſi quis ſubinde mutato vitæ genere, nunc Cidarim geſtet Theologicam, nunc cum paludamento militari incedat, &c.

## Trochi in morem. *Ariſtoph.*

Βέμβικος δίκην. Id eſt, Trochi in morem, de verſatilibus & inconſtantibus dici ſolitum. Eſt enim Bembix trochus, quem pueri flagello circumagunt.

## Veſpertilio. *Vlpianus.*

Veſpertiliones videntur appellari, qui grauati ære alieno, luce domi ſe continent, ne à creditoribus appellentur, noctu prodeunt. &c. Priſci ea voce ſecus vſi ſunt, videlicet pro homine ancipitis fidei, qui nec huius ordinis ſit, nec illius, quum vtroque tamen colludat: eo quòd veſpertilio ſic eſt vtrimque, vt nec inter volucres, nec inter mu-

res habeat locũ. Alas habet, ſed pennas non habet: volitat, ſed ſub veſperam. Dentes habet, quod auium nulla. Varro in Agathone: Quid multa? factus ſum veſpertilio, neque in murib⁹ plane neq; in volucribus ſum. Veſpertilionis conuitium torqueri poterit & in amantes, qui noctu volitant, quos Plautus in Trinummo vocat tenebricolas.

*Digeniano.*

## Venti campus.

Ἀνέμου πεδίον. In hominem inſtabilem, leuem & inconſtantem dicebatur. Nam in planitie, venti liberius huc atque illud diuagantur.

## Panagæa Diana.

Ἡ παναγαία Ἄρτεμις. Dicebatur olim peregrinationem impentius amans, errabundus, inſtabilis, nulla certa ſede conſiſtens, Siquidem Diana vagari dicitur apud Poëtas, & per nemora monteſque oberrare. Quin domicilium etiam ſubinde mutat, nunc apud Superos agens, nunc apud inferos. Ne ſpecie quidem ſemper, ſed nunc pleno orbe, nunc mutila, nunc nulla.

## Lacryma nihil citius areſcit.

Marc. Tul. lib. De inuent. priore, præcipiens ne orator, poſteà quã iudicis animũ cõmouit ad miſericordiã, diutius cõmoretur in quæſtione, adducit Apollinij dictũ. οὐδὲν θᾶσσον ξηραίνεται δακρύου, id eſt lachryma nihil citius areſcere, quòd vehemens affectus facile vertitur in tædium.

*Athenæus.*

## Mutabilior Metra Eriſichthonis.

Μεταβλητότερος Μήτρας τῆς Ἐρισίχθονος. In eum congruit qui ſecum non conſtat, ſed ſubinde aliam atque aliam perſonam ſumit. Eriſichthon quidam Theſſalus abſumtus facultatibus, ad extremam deuenit inopiam. Huic erat filia præſtãti forma, nomine Metra. Quã vbi proſtituiſſet, adoleſcentes qui commeabant ad illam, varia munera deferebant, alius equos, alius boues, alius verueces. Porro Theſſali per iocum dicebant, Metram Eriſichthonis verti in ea omnia, quæ illi ab amatoribus filiæ donabantur. Atque hinc prouerbium.

## Chamæleonte mutabilior.

Χαμαιλέοντος εὐμεταβολώτερος. Chamæleon commemoratur inter animantia, quæ colorem mutant, fitque is nunc niger, nunc adſimilis crocodilorum, nunc pallidus, &c.

Ayuntamiento de Madrid

Competit igitur adagium in hominem verſipellem, ſiue inconſtantem.

## Proteo mutabilior.

Πρωτέος ποικιλώτερος. In vafrum & verſipellem competit. Fabula Protei extat apud Homerum Odyſſ. IIII. & apud Maronem. IIII. Georgic. Simili figura dicetur, & Vertumno inconſtantior. Nam hic Deus in omnigenam ſpeciem ſeſe variat.

## Polypi mentem obtine.

Πολύποδος νόον ἴσχε. Quo iubemur pro tempore alios atque alios mores, alium atque alium vultum ſumere. Adagium natum à priſcis ingenio, qui ſcribitur colorem mutare in metu, &c. *Plutarchus.*

## Mulieris animus.

Γυναικὸς φρένες. Id eſt, Muliebre ingenium. Quadrat in imbelles & inconſtantes. Terent. Noſti mulierum ingeniũ? Nolunt, vbi velis: vbi nolis, cupiunt vltrò.

## Euripus homo.

Εὔριπος ἄνθρωπος. In inconſtantes, ac moribus inæqualibus homines dicetur. Quadrabit & in fortunæ vices, quæ res mortalium velut æſtu quodam ſurſum ac deorſum iactat. Ducta metaphora à maris Euripi prodigioſa quadam reciprocandi celeritate.

## Cnips in loco.

Ὁ κνὶψ ἐν χώρᾳ. Id eſt, Cnips in regione. Dictum in eos, qui ſubinde ſedem mutarent, & aliundè aliò migrarent. Eſt autem σκνὶψ ſiue κνὶψ, vermiculus innaſcens materiis. Is eroſo ligno ſemper locum mutare nititur.

## Cothurno verſatilior.

Εὐμεταβολώτερος κοθόρνου. Dictum in hominem parum conſtantem, lubricáque fide, quíue incertæ & ancipitis eſſet factionis, ſimilitudine ducta à calceamento, quod Latini cothurnum vocant, quo mos erat vti tragœdiarum actoribus. Suidas addit huiuſmodi fuiſſe, vt viris pariter ac mulieribus congrueret.

## Aliud ſtans, aliud ſedens.

Quo licebit vti, quum ſummam inconſtantiam animi ſignificamus, quaſi tantillum momentũ atque interuallum *Salluſt.*



Ayuntamiento de Madrid

commutet hominis ſententiam.

## Duabus ſedere ſellis.

*Macrob.* Eſt incertarum eſſe partium & ancipiti fide, ambabus ſatisfacere velle. Laberius Mimus in ſenatum à Cæſare lectus, quum à Cicerone ad conceſſum non reciperetur, dicente, Reciperem te niſi anguſtè ſederem: nimis mordaciter reſpondit, Atqui ſolebas duabus ſellis ſedere, obiiciẽs tanto viro lubricum fidei.

## Duos parietes de eadem dealbare fidelia.

*M. Curt.* Pro eo quod eſt, eadem re duplicem velle inire gratiam, eadémque opera duos pariter demereri. Tractum videtur ab his qui parietibus opus albarium ſuperinducunt.

## Duplices viros.

*Zenodotus.* Διπλῦς ἄνδρας. Vocabant, qui eſſent lubrica & inſyncera fide, quos nunc vulgò etiam bilingues appellant.

## De toga ad pallium.

*Tertullia.* Cuius duplex erit vſus, vel quum ad diuerſum vitæ genus ſeſe contulerit aliquis, vel quum de fortuna honeſtiore ad humiliorem. Veluti, ſi quis ex aulico fiat monachus, aut è præfecto pædagogus, è conſule rhetor. Toga Romanorum erat, pallium Græcorum. Pòſt pallium cœpit eſſe geſtamen Philoſophorum. Confine illi: Ab equis ad aſinos.

## Duodecim artium.

Δωδεκαμήχανοι. Appellabant callidum, verſutum, verſipellem, vafrum, ac variis inſtructum dolis. Narrant ſcortum quoddam fuiſſe nomine Cyrenen, cui cognomentum inditum, duodecim artium, proptereà quòd in peragenda Venere duodecim figuris vſa fuiſſe dicatur, &c.

## Theſſalorum commentum.

Θετταλῶν σόφισμα. Varias ad res accommodari ſcribit Suidas, tum ad eos qui in acie locum deſerunt, tum ad illos qui cultu delicatiore vtuntur, tum ad hos qui dolis quempiam circumueniunt. A quibuſdam ſic refertur hoc adagium: Semper enim res Theſſalorum infidæ.

## Phœnicum pacta.

Φοινίκων συνθῆκαι. Phœnicum conuenta. Phœnices Carthaginem debellaturi, poſtularunt à Libycis, vt ſibi liceret diem & noctem hoſpitio terræ vti. Quod quum impetraſ-

Ayuntamiento de Madrid

ſent, iámque exacto conceſſi temporis ſpatio iuberentur excedere finibus, recuſarunt, affirmantes ſe pactos, vt ſibi fas eſſet illic noctes quoque ac dies commorari, videlicet ambiguitatem vocum ad ſuum commodum detorquentes. Vnde prouerbium eſſe natum aiunt, de pactis inſidioſis & aſtutis.

## Locrenſe pactum.

*Zenodotus.*

Λοκρῶν σύνθημα, Id eſt, Locrenſium pactum. De fœdifragis dictum, cuiuſmodi quondam habiti Locrenſes, quòd fœdere prodito, quòd cum Peloponneſiis inierant, ad Heraclidarum partes defecerint.

## Thracium commentum.

*Idem.*

Θρᾳκία παρεύρεσις ſiue inuentum. Torquendum in eos, qui pacta eludunt callido, vafróque aliquo commento. Thraces pactis cum Bœotiis aliquot dierum induciis, nihilo ſegnius incurſiones agebant nocturno tempore. Hos quum propulſiſſent Bœotij, atque expoſtularent quòd violaſſent inducias, reſponderunt Thraces ſe nihil præter pacta feciſſe, pactos enim eſſe de diebus, noctibus incurſaſſe.

## Thraces fœdera neſciunt.

Θρᾷκες ὅρκια οὐκ ἐπίστανται. Id eſt, Thraces fœdera non norunt. Thracum barbariem & immanitatem, perfidiámque, ſatis arguit interemtus à Polymneſtore Polydorus, hoſpitij iure violato.

## Hoc calceamentum conſueuit Hiſtiæus, Ariſtagoras induit.

Τοῦτο ὑπόδημα ἔρραψε μὲν Ἱστιαῖος, ὑπεδύσατο δὲ Ἀρισταγόρας. Id eſt, Hoc calceamentum Hiſtiæus quidem conſuit, cæterùm Ariſtagoras induit. Diogenianus admonet dici ſolitum in eos qui callidè ſua malefacta in alios reiiciunt. Videtur magis conuenire, quoties in aſtutis & improbis conſiliis alteri alter auxilio eſt, mutuáque opera ſe iuuant.

## Repariazare.

Ἀνεπαρείασαν. Id eſt, Repariaſſarũt. De iis dicebatur, quos pœniteret inſtituti, quíque de conuentu diſcederent.

## Quibus nec ara, neque fides.

De vehementer perfidis. Dictum eſt in Spartanos, quorum perfidiam taxat Euripides:

Spartæ incolæ doloſa conſultamina.

## Altera manu fert lapidem, altera panem oſtentat.

*Plautus.* Qui corām blandiuntur, clàm obtrectantes: palàm amicos agunt, clanculum nocent, aut qui hic proſunt, illic lædunt. Tranſlatum ab iis, qui canes oſtentato pane pelliciunt, deinde accedentibus ſaxum illidunt.

## Maritimi mores.

Pro variis & inconſtantibus, quales ferè ſunt amantium. Plautus in Ciſtellaria: Ita, inquit, mihi omnia ingenia ſunt, quod lubet, non lubet iam id cōtinuò. Ita me amor lapſum animi ludificat, fugat, agit, appetit, raptat, retinet; iactat, largitur: quod dat, non dat, deludit. Modò quod ſuaſit, diſſuadet: quod diſſuadet, id oſtentat. Maritimis moribus mecum experitur.

## Lingua iurauit.

Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοκεν. Vbi quis non præſtat fidem promiſſi, aut vbi non ex animo pollicetur.

## Punica fides.

Pœnorum perfidia in prouerbium abiit, quòd ea gens peculiariter periurij, vanitatíſque notata ſit. T. Liuius de bello Punico lib. XI Quæ Punica religione ſeruata eſt fides, ab Hannibale, &c. Pœni fœdifragi ſemper habiti.

## Græca fide.

Ἑλληνικῇ πίστει. Reperitur pro certa item fide. Plautus Græcam fidem dixit, vbi non verbis, neque ſtipulationibus, ſed præſente pecunia res agitur. Cætera quæ volumus vti, Græca mercamur fide, id eſt, numerata pecunia.

## Non idem ſunt ſcriptura & Leucæus.

Γραφή τε καὶ Λευκαῖος οὐ ταυτόν. Id eſt, Scriptura & Leucæus non ſunt idem, aut non conueniunt. Vbi quis aliud ſcribit, aliud facit, aut dicit. Rectè iacietur in eos, qui ſtare pactis nolunt. Nam hæc plerunque ſyngraphis conſtant. Aut in eos, quorum vita non concordat, vel congruit cum libris editis. Coniicere licet, Leucæum fuiſſe malæ fidei ſcribam.

*Homerus.*

## Dædali opera.

Δαιδάλεια ποιήματα. Id eſt, Dædalia opera. Dicuntur

Ayuntamiento de Madrid

quæ nouo artificio fabricata ſunt & admirando. Hinc natum, quòd quum veteres illi plaſtæ formas animalium cæcas fingerent & immobiles: Dædalus inſolito artificio, primus & oculos induxit, & neruis quibuſdam additis, effecit vt huc atque illuc mouerentur adeò ſcitè, vt ſpectantibus viuere atque ingredi viderentur.

## Admirabiles in nectendis machinis Ægyptij.

De verſutis, & [vt ait Plautus] conſutis dolis dictitatum. Torqueri poteſt & in perplexas ſophiſtarum argutias, ac ſyllogiſmorum inexplicabiles labyrinthos. Celebrabantur olim Ægyptiorum opera, ex variis lignorum fruſtulis miro quodam artificio connexa.

## Multa nouit vulpes, verùm echinus vnum magnum.

*Zenodotus.*

Dicitur in aſtutos & variis conſutos dolis, vel potiùs vbi ſignificamus quoſdam vnica aſtutia plus efficere, quàm alios diuerſis technis. Nam vulpes multiiugis dolis ſe tuetur aduerſus venatores, & tamen haud rarò capitur. Echinus, quem opinor herinacium eſſe, vnica duntaxat arte tutus eſt aduerſus canum morſus. Siquidem ſpinis ſuis ſemet inuoluit in pilæ ſpeciem, vt nulla ex parte morſu prendi queat.

## Magnus verſator in re puſilla.

*Plutarchus.*

Μέγας κυλινδητὴς ἐν μικρῷ γε πράγματι. Id eſt, Verſator ingens in negotio leui. Quadrat in eos, qui arte parum honeſta ſibi diuitias parant.

## Simia non capitur laqueo.

*Diogenes.*

Ὁ πίθηκος οὐχ ἁλίσκεται βρόχῳ. In callidos tergiuerſatores dici ſolitum, qui coargui non queunt.

## Volaticum iuſiurandum.

Ταχυβάμονες ὅρκοι. Ad eum modum appellabant iuſiurandum irritum, quod euaneſceret, aduolarétque, ſimulatque pronuntiatum eſſet, cuiuſmodi ſunt amantium.

## Semper affert Libya mali quippiam.

Ἀεὶ φέρει τὶ Λιβύη κακόν. Quòd inde Romam monſtra deportarentur. Hinc & in mores, ingeniúmque gentis detorqueri poteſt, ſiquidē vt eſt regio venenorum ferax, ita gētis peſtilens ingenium. Peculiariter conueniet in fœdifragos.

Ayuntamiento de Madrid

Plinius.

### Semper Africa noui aliquid apportat.

Quod quidem ideò dicebatur, quòd in ſiticuloſa regione ad vnum aliquem riuum, plurimæ ferarum ſpecies bibendi gratia conuenire cogantur, inibíque varia mixtura violentæ Veneris, varias monſtrorum formas, ſubindéque nouas naſci. Quadrabit in homines lubrica fide, ſemper nouarum rerum auidos.

Athenæus.

### Magis varius quàm hydra.

Ποικιλώτερος ὕδρας. De callidis ac doloſis, quòd hydra ſerpens ſit verſicoloribus notulis diſtincta.

Ariſtop.

### Siſyphi artes.

Σισύφου μηχαναί. Dicebantur vafra, verſutáque conſilia. Homer.

Σίσυφος, ὃς κέρδιστος ἐπιχθονίων γένετ' ἀνδρῶν.
Siſyphus, in terris quo non aſtutior alter.

Idem.

### Pyrrhandri commentum.

Πυῤῥάνδρου μηχάνημα. De callido inuento. Hic Pyrrhander ſycophanta quiſpiam fuit inſigniter verſutus, notæque malitiæ.

Ariſtoph.

### Megaricum machinamentum.

Μεγαρικὴ μηχανή. Id eſt. Ars Megarenſis. Dicitur, quum dolo & aſtu res agitur, non ſyncera fide. Olim enim Megarenſes vulgò malè audiebant, tanquàm fraudulenti ac ficti, quòd aliud ſentire ſoleant, aliud loqui.

### Expedit plurima habere cognomina.

Ariſtophanes in Pluto:

Ὡς ἀγαθὸν ἐστ' ἐπωνυμίας πολλὰς ἔχειν. Id eſt.
Vt expedit, ſi plura habeas cognomina.

Conuenit in eos, qui multa ſimul profitentur, quo quæſtum faciant vberiorem, aut qui diuerſarum ſunt partium.

### Vlyſſeum commentum.

Ὀδύσσειος μηχανή. Id eſt, Vlyſſeum inuentum. Callidum, aſtutum & vafrum dicebatur. Vlyſſem Homerus vbique verſutum facit.

Ariſtoph.

### Nouit vias, quibus effugit Eucrates.

Οἶδε τὰς ὁδοὺς, ἅσπερ ἔφυγεν Εὐκράτης. In eum quadrat, qui ſemper aliquam inuenit rimam, per quam elabatur,

Ayuntamiento de Madrid

vt officium ſubterfugiat prætextu aliquo, ſi quando fides eſſet præſtanda.

### Lybica fera. Diogenian.

Λιβυκὸς θηρίον. Id eſt, Libyca beſtia. Dicebatur in hominem vafrum, callidum, verſipellem, variis moribus, ancipitique ingenio. Quod genus portentum Cicero Catilinam fuiſſe teſtatur. Inde natum, quòd in Libya variæ ferarum ſpecies ſæpenumerò miſceantur.

### Αἰγυπτιάζειν.

Dicebantur aſtuti & impoſtores. Sumtum à moribus eius gentis. De moribus Ægyptiorum teſtatur & illud ex Æſchylo, quod alibi retulimus.

Δεινοὶ πλέκειν τὰς μηχανὰς Αἰγύπτιοι.

Ægyptij miri ſtruendis artibus.

### E perforato poculo bibere.

Ἐκ τετρημένης κύλικος πιεῖν. Dicuntur, qui futiles ſunt, parumque continent fideliter arcana ſibi credita.

### Si leonina pellis non ſatis eſt, vulpina addenda. Zenodotus.

Ἂν ἡ λεοντῆ μὴ ἐξίκνηται, τὴν ἀλωπεκῆν πρόσαψον. Id eſt, Si leonis exuuium non ſufficit, adde vulpinum. Quum viribus res obtineri non poteſt, dolus adhibendus. Adagium natum eſt ex apophthegmate Lyſandri, qui diceret boni Ducis officium eſſe, quò leonina pellis non attingeret, eò contendendum, aſſuta vulpina.

### Non Chius, ſed Cius.

De gentis inconſtantia ac volubilitate, pro temporis ratione commutantis inſtitutum, ac idem ad fortunæ commoditatem accommodantis. Ariſtophanis carmina è Ranis, ſunt hæc in Theramenem: Euolauit è malis, haud Chius, imò Cius. Quanquam hoc loco Ariſtarchus Cous legit, non Cius. Theramenes enim Cous fuiſſe legitur.

### Dextrum pedem in calceo, ſiniſtrum in pelui. Suidas.

Δεξιὸν εἰς ὑπόδημα, ἀριστερὸν εἰς ποδονιπτῆρα. Subaudi verbum ad ſententiam accomodatum, mittit, aut ponit. Dici ſolet in eos, qui ſe norunt commodè ad rei præſentis conditionem applicare, próque loco, tempore, negotiis,

aliam atque aliam ſuſtinere perſonam.

## Multa noris oportet, quibus Deum fallas.

Vbi quis focum facere conatur ei, cui difficile ſit dare verba propter aſtutiam ſingularem.

## Ex eodem ore calidum & frigidum afflare.

Ἐκ τοῦ αὐτοῦ στόματος θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν ἐξάγειν, Bilingues, qui eundem modò laudant, modò vituperant, ex eodem ore calidum ac frigidum ſpirare dicuntur. Natum ex Apologo quopiam Aniani fabulatoris. Torquere licebit in rhetores, qui eadem norunt laudare & vituperare, eleuare atque attollere. Item in iuriſconſultos, qui cauſſam eandem nunc tuentur, nunc impugnant. Eſaias malè ominatur iis, qui dicunt bonum malum, malum bonum, dulce amarum, & amarum dulce.

## Ex ſe finxit velut araneus.

De homine ex ſeipſo comminiſcente mendacia. Aranei mox vt editi ſunt, fila mittunt, non ex interioribus velut excrementa, quemadmodum ſentit Democritus, ſed de ſumma corporis parte velut corticem.

## Obliquus curſus.

Κάμπιος δρόμος. Quoties res arte ac diſſimulanter agitur. Aut quoties aliud præ nobis ferentes aliò tendimus, & cuniculis atque ambagibus pergimus ad id, quod aſſequi conamur.

## Cantharo aſtutior.

Κανθάρου σοφώτερος, aut callidior. Zenodotus ait Athenis cauponem fuiſſe quempiam, nomine Cantharum, quem ob maleficia & impoſturas ac proditiones, capitis affecerint ſupplicio. Proinde vulgò receptum, vt in verſutos ac impoſtores diceretur.

*Diogenian.*

## Caſſioticus nodus.

Κασιωτικὸν ἅμμα. De moribus vafris ac verſutis dici conſueuit. Caſſion mons eſt, & eiuſdem nominis ciuitas in Ægypto vicina Peluſio. Ei genti quaſi genuinum ac gentilium eſt, miros quoſdam nodos nectere. Huic affine, Herculeus nodus, quo arctiſſimam atque indiſſolubilem amicitiam ſignificamus. In caduceo Mercuriali duo ſunt ſerpentes, maſculus & femina, qui medio corporum

Ayuntamiento de Madrid

complexu nodum efficiunt Herculanum.

## Pardi mortem adſimulat.

Θάνατον παρδάλεως ὑποκρίνεται. Id eſt, Pardi mortem ſimulat. Dicebatur, vbi quis aſtu perniciem alicui moliretur. In Maruſia ſimiarum ingens copia. Pardalis autem animal eſt natura ſimiis infeſtiſſimum, quas tamen viribus aſſequi non poteſt, dolis in eas vtitur. Emori fingit ſeſe, deinde ſimiæ, vbi iam mortuam arbitrantur, deſcendunt de arbore, pardali inſultantes ludibrij cauſſa. Poſteà repentè reuiuiſcens, aliam dentibus, aliam vnguibus corripit, dilaniatque ac deuorat.

## Sphondyla fugiens peſſimè pedit.

*Ariſtoph.*

Ὡς ἡ σφονδύλη φεύγουσα πονηρότατον βδεῖ. Id eſt, Vt feles quoties fugitat, malè pedere ſueta eſt. In eos quadrabit, qui diſcedunt non citrà infamiam. Sphondyla inſecti genus, odoris teterrimi. Plinius meminit Sphondylæ ſerpentis. Heſychius docet apud Atticos Sphondylen dici felem.

### INCVLPATVS.

## Purior clauo.

*Suidas.*

Ἁγνότερος πηδαλίου. Id eſt, Purior gubernaculo. De re vehementer inculpata, aut moribus vndequaque integris & incontaminatis. Clauus enim nauticus aſſiduis fluctibus abluitur.

## A puro pura defluit aqua.

*Theognis.*

Εἴ μ' ἐθέλεις πλύνειν, κεφαλῆς ἀμίαντον ἀπ' ἄκρης.
Αἰεὶ λευκὸν ὕδωρ ῥεύσεται ἡμετέρης.
Rurſum aqua de ſummo mihi vertice defluet vſque
Lympida, ſi innocuum fortè lauare paras.

Quadrabit in hominem vſquequaque innocentem, quem etiam ſi quis aliquando vocet in crimen, tamen non ſolùm fama illius non contaminatur, verùm etiam illuſtrior redditur.

## Aurum igni probatum.

*Ariſtoph.*

Ὁ χρυσὸς τῷ πυρὶ δοκιμασθείς. Dicitur is cuius fides rebus aduerſis explorata, ſpectatáque eſt. Aurum omnibus metallis prælatum, quòd vni rerum nihil igni depereat, tutò etiam in incendiis durante materia. Quinimò, què ſæpius arſerit, hoc magis proficiet ad bonitatem.

Ayuntamiento de Madrid

## Aurum Colophonium.

Χρυσὸς ὁ Κολοφώνιος. Apud Colophonios aurum optimum ſolet fieri. Venuſtius fiet, ſi longius deflectetur, velut ad mores vehementer incorruptos, aut ingenium exquiſitum & eximium.

IN DELICIIS.

## Porcellus Acarnanius.

*Lucianus.*

Χοιρίσκος Ἀκαρνάνιος. In mollem & amabilem, atque in deliciis habitum dicebatur. Lucian. Dialogis meretriciis, λεῖός μοι, φασὶ χαιρέας, καὶ χοιρίσκος ἀκαρνάνιος: Læuis mihi, vt aiunt Chæreas, & porcellus Acarnanius. Alluſum opinor, ad porcellum quem inducit Ariſtophanes ἐν ἀχαρνεῦσι, ſymbolum eorum membrorum quibus obſcœnæ voluptates peraguntur.

## Mus albus.

Μῦς λευκός. Id eſt, Mus albus. Apud Suidam: Μῦς κακός, id eſt, Mus malus, apud Diogenianum. In hominem laſciuum & libidinis immodicæ dicebatur. Nam mures domeſtici ſalaciſſimi ſunt, præſertim albi.

## Melitæa catella.

*Lucianus.*

Μελιταῖον κυνίδιον. Quadrat in eum, qui habetur in deliciis, ac lautius in otio alitur ad voluptatem, non ad vſum. Canes, qui animi cauſſa nutriuntur, & ad luſum dumtaxat mulierculaium, hos μελιταίους appellant. Eſt in familiis diuitum, huiuſmodi miniſtrorum genus, quos illi non ad miniſterium, ſed animi cauſſa domi habent.

## Melitæus catulus.

Μελιταῖον κυνίδιον. Dicebatur is, cuius opera nulli ſeriæ rei conducebat, ſed duntaxat animi cauſſa alebatur. Atque ij Melitæi vocantur ab inſula Melita.

IN DEPREHENSOS.

*Plutarchus.*

## Folio ficulno tenes anguillam.

Τῷ θρίῳ τὴν ἔγχελυν. Id eſt, Folio ficulno anguillam. Subaudiendum, tenes. Vbi quis alioqui fugax & lubricus, arctiore modo tenetur, quàm vt poſſit elabi. Nam fici folium ſcabrum eſt, atque ob id ad retinendam anguillam natura lubricam, vel maximè idoneum.

Medius

Ayuntamiento de Madrid

## Medius teneris.

Νῦν ἔχῃ μέσος. Id eſt, Nunc medius teneris. De eo, qui ſic tenetur, vt extricare ſeſe nulla ratione poſſit. Tranſlatum à palæſtritis atque athletis, qui ſi quem medium corripuerint, facilè vincunt. *Ariſtoph.*

## Decipula murem cepit.

Εἴληφεν ἡ παγὶς τὸν μῦν. Id eſt, Laqueus murem cepit. De rectè, meritoque deprehenſis, & malo dignis.

## In laqueos lupus.

Εἰς πάγας ὁ λύκος. Quum improbus quiſpiam tandem in extremum adducitur diſcrimen. Etenim quum lupus animal ſit inſidioſiſſimum, ſi quando contingat illum irretiri, protinus acclamant omnes, In laqueos lupus.

## In area latitas.

Ἐν ἅλῳ δεραοκάζεις. Id eſt In area occultaris. De eo, qui in eo verſatur negotio, vt non poſſit non eſſe conſpicuus. *Zenodotus.*

## Culleo dignus.

Cùm hominem enormiter ſceleroſum ſignificare volumus, eum culleo dignum dicimus. Hoc ſupplicium erat parricidis, hoc eſt, qui parentem occidiſſent, &c. *Tullius.*

## In eaſdem anſas veniſti.

Quadrat in eum, qui ſic irretitus eſt, vt quocunque ſe vertat, teneatur: nec explicare ſe poſſit. *Ariſtides.*

## Laqueus laqueum cepit.

Ἀτὰρ ἡ πάγη ἔοικε λύψεαδς πάγλω. Id eſt, Laqueum laqueus, ita vt videtur, ceperit. Vbi malus malum obſeruat. Veluti adulter adulterum, fur furem, perfidus perfidum, quod interdum vſu venit, vt dum duo ſibi viciſſim inſidias tendunt, vterque deprehendat alterum.

## Hinc illæ lacrymæ.

Dicetur de rei cauſſa aliquandiu diſſimulata, quæ verè tandem deprehendatur. Veluti ſi quis dicat barbaros dãnare Græcas litteras, ne ſcilicet ipſi parũ docti videãtur. *Tulli.*

## Hydrus in dolio.

Ὕδρος ἐν τῷ πίθῳ. Natum de ruſtico hydrum in dolio reperiente. Admonet Plin. lib. x. cap. xxii. ſerpentes quanquam exiguo indigeant potu, tamen vinum, quum *Sabellio.*

ſ

eſt occaſio, præcipuè appetere. Licebit vſurpare, quum quis occulta calamitate premitur, cauſſa atque auctore non extante: aut quum diuturni mali tandem auctor deprehenditur.

*Tertullia.*

## Tempus omnia reuelat.

Non diſcrepat Euangelicum dictum, apud Mathæum cap. x. Nihil opertum, quod non reuelabitur: & occultum, quod non ſcietur.

## Cuculus.

Olim, qui fuiſſent in re quapiam parum honeſta deprehenſi, vulgari probro cuculi dicebantur. Plinius ſcribit probro ſolere obiici vindemiatoribus, ſi cuculus eos deprehendiſſet, putantes vineam ſeriùs, nec hoc munus abſoluiſſent priùs quàm audiretur ea auis, veluti ceſſationem exprobrans agricolis.

# INDILIGENTIAE.

## Princeps indiligens.

Indiligens pædagogus corrumpit puerum, malus præceptor vitiat diſcipulum, rex improbus populum. Ad hanc ſententiam facit illud Homeri.

Αὐτὰρ μῆλα κακοὶ φθείρουσι νομῆες.

At corrumpit oueis paſtor malus.

*Plutarchus.*

## Si quis iuxta ciuitatem clypeus.

Εἴ τις περὶ πόλιν ἀσπίς. Id eſt, Si quis circum vrbem clypeus. Hoc ſcommatis iaciebant in eos, qui ſparſim ac diſſolutè ciuitatem obirent palantes.

*Idem.*

## Malus ianitor.

Πυλωρὸς κακός. Indiligens cuſtos, aut præfectus.

## Phani oſtium.

Ἡ φάνου θύρα. Id accinebatur, vbi quis fruſtrà ſeruaſſet aliquid, veluti ſi cuius vxorem adulterio vitiari contingeret, quam tamen ille multa zelotypia ſeruaſſet.

*Seneca.*

## A limine ſalutare.

Plurimum venuſtatis obtinebit hoc, ſi ad res incorporeas deflectatur. Veluti, ſi quis dicatur theologiam à limine duntaxat ſalutaſſe. Tranſlatum à vulgaribus iſtis amicis, qui non admittuntur in penetralia, ſed procul atque à limine ſalutant, ac deinde diſcedunt.

Ayuntamiento de Madrid

## Lacinia tenere.

Qui leuiter rem tenent, lacinia tenere dicuntur, hoc eſt, extrema veſtis ora. Idem dictum & hodie durat apud noſtrates, ſi quem inuitant non ex animo. *Cicero.*

## Surculum defringere.

Eſt non callere totam diſciplinam, ſed ex ea paullulum quod ad præſens faciat decerpere: quemadmodum iureconſulti non nunquam ſententiam, aut fragmentum adducunt è theologorum diſiciplina. *Idem.*

## Vt canis è Nilo.

Qui leuiter ac velut obiter artem quampiam aut auctorem deguſtant, hi ceu canis è Nilo deguſtare dicentur. In Ægypto conſtat canes raptu crocodilorum exterritos bibere & fugere. Solinus ait eos non niſi currentes lambitare, ne deprehendantur. *Macrob.*

## Per tranſennam inſpicere.

Pro eo quod eſt, non propiùs, neque ſigillatim, ſed procul & ſummatim inſpicere. Tranſlatum à negotiatoribus, qui mercibus cancellos obiiciunt. *Cicero.*

## Per nebulam, per caliginem, per ſomnium. *Plautus.*

Quarum rerum ambiguam quandam, ac tenuem, peneque euanidam memoriam aut intelligentiam obtinemus, eas res per nebulam recordari, per ſomnium meminiſſe, per caliginem videre prouerbio dicimur.

## Moriendum priùs quàm, &c.

Ariſtoteles lib. rhetoricorum 3. commemorat Alexandridæ dictum, vt vulgò celebre ac laudatum: Καλόν γ' ἀποθανεῖν πρὶν θανάτου δρᾶν ἄξιον. Id eſt, Honeſtum eſt mori, priùs quàm aliquid morte dignum commiſeris. Senſus eſt, vt ipſe exponit Ariſtoteles: Decet mori morte indignum: ſiue, honeſtum eſt mori, cùm nihil morte dignum admiſeris.

## Per ſatyram.

Variarum rerum mixturam ſparſim, nullóque ordine congeſtarum veteres Satyram appellabant. Apparet vocem primùm deductam à laſciuia ſatyrorum, temerè nunc huc, nunc illuc ſalientium. Hinc deflexa eſt ad cibi genus, quod ex diuerſis herbarum formis conflatum eſt: prætereà



Ayuntamiento de Madrid

ad lancem variis rerum generibus onuſtam, quæ ſic diis offerebatur, non diſſimilis illi poculo, quod Græci πεντάπλοον, à quintuplici rerum differentia, ſiue κέρνος à mixtura vocabant. Feſtus ait Saturam ſiue Satyram dici cibum variis rerum generibus conditum, aut legem aliis multis confertam legibus. Itaque in ſanctione legum aſcribi ſolere, Neue per ſatyram derogato, aut abrogato, cùm ſignificant totam legem eſſe ſeruandam, &c.

## Summo pede.

*Plato.* Ἄκρῳ ποδί. Id eſt, Summo pede. Eadem figura dictum eſt, qua ſummo digito. Negatur ſummo pede attigiſſe diſciplinam, qui nunquàm ingreſſus eſt, nec attigit limen illius.

## In tranſcurſu.

Plutarchus de liberis educandis: Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἐκ παραδρομῆς μαθεῖν, ὥσπερεὶ γεύματος ἕνεκεν. Id eſt, Sed hæc quidem ex tranſcurſu diſcere, veluti deguſtandi cauſſa.

## Summis labiis.

*Lucianus.* Quum quis verbis duntaxat ſimulat quippiam, non autem ex animo facit. Hierony. Summis labiis hoſpitem inuitemus.

## Summis naribus olfacere.

*Idem.* Τῇ ἄκρῃ ῥινὶ ὀσφραίνεσθαι. Id eſt. Summa nare olfacere, pro eo quod eſt, Leui experimento, coniecturáque qualicunque deprehendere.

## Extremis digitis attingere.

*Cicero.* Pro eo quod eſt, Leuiter attingere, quod ita demum adagium videbitur, ſi metaphora acceſſerit.

## Primoribus labijs deguſtare.

*Idem.* Eſt breuiter quippiam attingere. Ductum ab iis qui cibum aut potum tenuiter deguſtant, nihil inde in ſtomachum tranſmittentes.

## Molli brachio. Leui brachio.

*Idem.* Quum indiligentem operam ſignificamus.

## Suſpenſa manu.

*Plinius.* Pro eo quod eſt, Leuiter, parumque accuratè.

## Compreſſis manibus.

*Solomon.* Compreſſis ſedere manibus dicitur in otioſos, & nihil

Ayuntamiento de Madrid

aliud, quàm ſua fata deplorantes. In prouerbiis: Paullulum conferes manu in ignauum, &c.

## Pulmo priùs veniſſet.

Dictum eſt olim in lentos ac ceſſatores. Opinor quòd pulmo quum perpetuò moueat, nunquam tamen loco ſe promouet. Plautus: Dij immortales, ſoccos iuſſi adimere pedibus. Pulmo enim, quod perhibent, priùs veniſſet, quàm tu adueniſti mihi.

# INDVSTRIA.

## Dij facientes adiuuant. *Varro.*

Significat diuinam opem non ceſſantibus, ſed induſtriis, & pro ſua virili conantibus auxilio eſſe ſolere.

## Cum Minerua manum quoque moue.

Huic finitimum eſt. Σὺν Ἀθηνᾶ καὶ χεῖρα κίνει, id eſt, Auxiliante Minerua, manum interim moue. Monet adagium, ne fiducia diuinæ opis, induſtriam remittamus.

## Manum admouenti fortuna eſt imploranda.

Τὰν χεῖρα ποτιφέροντα δεῖ τὰν τύχαν ἐπικαλεῖν. Id eſt, Manum admouenti fortuna inuocanda eſt. Admonet adagium ita fidendum eſſe diuino auxilio, vt nihilo ſegnius noſtra adnitamur induſtria. Huic qui laborat, adeſſe numen aſſolet.

## Ni purges & molas, non comedes. *Diogen.*

Ἂν μὴ καθάρῃς καὶ ἀλέσῃς, οὐ μὴ φάγῃς Id eſt, Ni purges & molas, non comedes. Id eſt, Non continget tibi & victus, niſi tuam item induſtriam adiunxeris.

## Neque mel, neque apes. *Tryphon.*

Μήτε μέλι, μήτε μελίσσας. In eos dici ſolitum, qui recuſant incommodum ferre, quod ſit cum commodo quopiam coniunctum. Veluti ſi quis apes, quòd ſint aculeatæ, nolit perpeti, is nec quidem quod optat, fruetur. Eodem pertinet illud Plauti: Fortiter malum, qui patitur, poſt potitur bonum.

## Qui vitat molam, vitat farinam.

Ὁ φεύγων μύλον, ἄλφιτα φεύγει. Id eſt, Qui fugit molam, fugit farinam. Qui refugit induſtriam, non fruetur emolumentis.



Ayuntamiento de Madrid

## Induſtriam adiuuat Deus.

*Homerus.* In aggrediendo negotio quædam humana ratione prouidentur, quædam fortunæ commoditas, ipſaque res ſuppeditat, id eſt apud Homerum Odyſſ. Γ.

Hæc partim ipſe tuo perpendes pectore tecum,
Partim diuûm aliquis tibi ſuggeret.

## Manum admouere.

Τὴν χεῖρα ἐπιβάλλειν. Id eſt, Manum apponere. Dicebatur, qui ſeſe inſinuaret in rei cuiuſpiam egregiæ communionem.

## Optimum obſonium labor ſenectuti.

Ὄψον ἄριστον πόνος τῷ γήρᾳ. Laborandum in iuuenta, quo ſeni ſuppetat commodiùs viuendi facultas. Diogenes interrogatus, quid eſſe miſerrimum cenſeret, reſpondit, ſenectutem inopem.

## Lutum niſi tundatur, non fit vrceus.

*Apoſtolius.* Ὁ πηλὸς ἢν μὴ δαρῇ, κέραμος οὐ γίνεται. Id eſt, Lutum ni tundatur, non fit teſta. Citra laborem nullus euadit in virum abſolutum.

## Manu fingere.

*Seneca.* Eſt arte, curaque formare. Metaphora ſumta ab iis, qui è cera, ſiue argilla fingunt imagines.

## Serere ne dubites.

Quo monemur ne quando pigeat eiuſmodi rerum aliquid moliri, è quibus nihil omnino diſpendij, ſed plurimum emolumenti poſſit proficiſci, ſi non in præſens, certè in poſterum: ſi non nobis, at ſaltem poſteris.

## Qui arat oliuetum.

Columell. lib. VI. De re Ruſt. Quin etiam, inquit, compluribus interpoſitis annis oliuetum putandum eſt. Nam veteris prouerbij meminiſſe conuenit, eum, qui aret oliuetum, rogare fructum: qui ſtercoret, exorare: qui cædat, cogere. Huic adagio locus fuerit, vbi ſignificabimus fieri non poſſe, quin voto potiatur is, qui curam extremam impenderit.

## Quid tandem non efficiant manus?

*Ariſtop.* Τί δῆτα χεῖρες οὐκ ἂν ἐργασαίατο. Id eſt, Quid denique eſt quod manibus haud effici queat? Admonet nihil eſſe re-

Ayuntamiento de Madrid

rerum omnium, quod arte, quod induſtria non efficiatur.

## Proba eſt materia, ſi probum adhibeas artificem.

A Plauto dictum in Pænulo: Egregia quidem indoles, ſi rectè inſtituatur: Felix ingenium, ſi præceptor contingat idoneus.

## Artem quæuis alit terra.

Τὸ τέχνιον πᾶσα γαῖα τρέφει. Id eſt, Artem quæuis alit regio. Prouerbialis ſententia qua ſignificatum eſt, certiſſimum viaticum eſſe eruditionem, aut artificium aliquod. Fertur etiam inter Græcorũ ſentẽtias huiuſmodi ſenarius: *Suetonius.*

Ars ipſa inopiæ portus eſt mortalibus.

## Ex vmbra in ſolem.

Ex vmbra in ſolem educere, eſt rem priùs abditam & otioſam in publicum & in communem vitæ vſum educere. Tranſlatum ab athletis, quibus mos, ſolis & pulueris patientia confirmare corporis robur. Delicatorum autem eſt, in vmbra latitare.

## Manus pretium.

M. Tull. act. in Verr. III. Lapis aliquis cedendus & apparendus fuit, machina ſua. Nam illo non ſaxum, non materia aduecta eſt: tantũ operis & in iſta locatione fuit, quantum paucæ operæ fabrorum mercedis tulerunt, & manus pretium, machinæ. Manus pretium appellare videtur, mercedem non quæ datur pro materia, ſed quæ artis nomine debetur architecto.

## Muli Mariani.

*Plutarchus.*

Muli Mariani, caſtrenſi prouerbio dicti ſunt varicoſi milites, qui ex C. Marij Ducis inſtituto, in furca tabella interpoſita, ſua onera portare conſueuerunt. Feſtiuius erit, ſi detorqueatur in hominem immenſo ſtudio aut perpetuis negotiis vehementer diſtrictum.

### INFACVNDIA.

## Βατταρίζειν.

*Suidas.*

Dicebantur vulgò, qui balbutirẽt, quibusq; hæſitãs eſſet & impedita lingua. Inde tranſlatũ ad eos, qui nugas deblaterant. Vnde battariſmon nugacitatem vocant, vocem à Batto quopiam Thebano mutuati, cui vox fuerit exilis.



Ayuntamiento de Madrid

Plutarchus.

## Canere ad myrtum.

Ἄδειν πρὸς μυῤῥίνην. Ad Myrtum canere prouerbio iubebatur imperitus litterarum, & infacundus, quíque non poſſit apud eruditos loqui. Hinc ſumta metaphora, quòd apud veteres mos eſſet, vt in conuiuiis ſinguli ſuam cantionem canerent: quòd ſi quis citharam accipere recuſaſſet, vtpote muſices ignarus, is per iocum accepto ramo laureo, ſeu myrteo, cogebatur ad eum canere.

Euripides.

## Ialemo frigidior.

Ἰαλέμου ψυχρότερος. De cantione, oratione, argumento, ioco, aut eiuſmodi re quapiam ſupra modum frigida rectè dicetur. Quidam aiunt Ialemon lugentis vocem fuiſſe. Nam ἰαλεμίζειν Græci dicunt pro complorare.

## Peius Babys tibia canit.

Κάκιον Βάβυς αὐλεῖ. Id eſt, Peius Babys cantat. Hoc adagium dici conſueuit in eos, quorum exercitatio ſemper vergit in peius. Quod genus ſunt oratores quidam, qui quo diutiùs dicãt, hoc dicunt indoctiùs. Ferũt Babyn Apollinẽ ad canẽdi certamẽ euocaſſe. A quo quũ eſſet victus, Apollo Babyn adeò contemſit, vt eum ne ſupplicio quidem dignum exiſtimaret, ſed ſuæ potiùs inſcitiæ iudicaret relinquendum.

### INFORTVNII, SIVE EXITII.

Gellius.

## Aſinus inter ſimias.

Ὄνος ἐν πιθήκοις. Vbi quis incidit in homines naſutos & contumelioſos, ipſe ſtolidus à quibus impunè rideatur. Quin & hodie ſimile quiddam dicunt: Noctua inter cornices, vbi ſtupidior aliquis in homines petulantes ac dicaces incidit.

## Nouacula in cotem.

Ξυρὸς εἰς ἀκόνην. Dici ſolitum in hos, qui fortè in eas res inciderunt, in quas minimè volebant. Siquidem nouacula, ſi in molle quippiam inciderit, diſſecat: ſi in cotem, retunditur.

## Victus ſpinoſus.

Βίος ἀκανθώδης. Id eſt, Vita ſpinoſa, aſpera, dura ac priſca, qualem agebant illi, quibus glandes erant loco pla-

Ayuntamiento de Madrid

centarum. Suidas coniungit hoc Atticis prouerbiis, quibus mollem ac delicatam vitam declaramus, veluti contrariũ. Idem indicat eodem ſenſu dici, βίον ἀβίωτον, id eſt, vitam non vitalem, hoc eſt, triſtem & inſuauẽ. Nã Latinis interdum viuere dicũtur, qui non ſpirant tantùm, ſed qui genialiter viuunt. Contrà Græcis ἀβιώτως ἔχειν dicuntur, quibus deſunt vitæ præſidia: Poteſt intelligi & de acciſis facultatibus.

## Hodie nihil ſuccedit.

Plautinus Amphytrio in ſui nominis fabula citat adagij titulo: Nihil eſt, vt dici ſolet, quod hodie bene ſuccedat mihi. Alluſit autem ad vulgi ſuperſtitionem, cui quidam dies credebantur rebus gerendis auſpicati, quidam infelices. Quod ſi vnum atque alterum parum ſucceſſit ex ſententia, hinc æſtimantes totum diem dicunt, Hodie nihil ſuccedet, & ab omnibus negotiis abſtinent.

## Tempeſtas rerum.

Quum ſignificabimus magnam rerum confuſionem, vti licebit illis verſibus Homericis, quos vſurpat M. Tullius lib. epiſto. ad Qu. fratrem III.

Ἤματ᾽ ὀπωρινῷ ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ.
Ζεύς, ὅτε γή γ᾽ ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπαίνῃ. id eſt,
Menſibus autumni vehementem Iupiter hymbrem
Effundit, cum ſuccenſens mortalibus inſtat.

## Aqua & terra reddamini.

Ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε. Id eſt, In terram vertamini, aquamque. Pro eo quod eſt, Redigamini in nihilum, ac pereatis. Hemiſtichium eſt Homericum. *Suidas.*

## Aſinus inter apes.

Ὄνος ἐν μελίτταις. Dici ſolitum, vbi quis infeliciter incidit in homines improbos atque importunos.

## In apes induxiſti.

Εἰς μελίττας ἐκώμασας. Vbi quis præter opinionem in ingens agmen, velut examen malorum immergitur. *Zenodotus.*

## Dicas tria ex curia.

Εἴποις τὰ τρία ἐκ τῆς αὐλῆς. Antiquitus, qui iudicum ſententiis fuiſſent ad capitale ſupplicium condemnati, priùs quàm ad mortem ducerentur, ea facultas concede-

Ayuntamiento de Madrid

batur, vt vino cibóque expleti tria quædam, quæcunque lubitum eſſet, dicerent. Quæ ſimulatque dixiſſent, promulgata damnatione producebantur ad ſupplicium.

## Ad aquam malus.

Ἐφ' ὕδωρ κακός. In infimæ ſortis homines dicebatur, ac ſordidiſſimis quæſtibus addictos, propterea quód antiquítus litigantibus aquam per clepſydras tenues quidam ac nullius frugis homines infundebant, diſpenſabantque.

*Zenodot.*

## Canis in vincula.

Κύων ἐπὶ δεσμά. Dicebatur, vbi quis ſeipſum in ſeruitutem, aut in malũ aliquod iniiceret. Sumtũ à canibus, &c.

*Plutarchus.*

## Mitte in aquam

Βάλλ' ἐς ὕδωρ. Hoc eſt, Aufer è medio. Dicitur in hominem, vel in rem exitio dignam. Tractum à ſupplicio quorundam, qui in profluentem, aut mare præcipitabantur.

## Ad Cynoſarges.

Ἐς Κυνόσαργες. Erat Cynoſarges locus in Attica quiſpiam, in quo nothi, ſpuriique exercebãtur. Vnde vel contumeliæ cauſſa dicebatur, εἰς κυνόσαργες, velut in ſpurium, vel imprecando quaſi dicas: In malam crucem.

## Ad coruos.

Βάλλ' ἐς κόρακας. Id eſt, Abi ad coruos. Perinde valet quaſi dicas: Abi in malam crucem, in malam rem, atque in exitium. Ariſtophanes: Ocyus hinc ad coruos abeas.

*Lucianus.*

## In lapicidinas.

Εἰς λατομίας. Quum ſignificamus quempiam è medio tollendum, & in rem malam aliquo auferendum. Natum à Philoxeno Poëta dithyrambico, qui quum Dioniſij tyranni poëmata non probaret, vtpote indocta, in lapicidinas ab eo detruſus eſt.

## In puteo cum canibus pugnare.

Ἐν φρέατι κυσὶ μάχεσθαι. Dici ſolitum, vbi quippiam negotium incidit cum homine rixoſo & contentioſo, à quo ſe nequeat extricare.

*Ariſtoph.*

## In beatam.

Βάλλ' εἰς μακαρίαν. Id eſt, Aufer te in beatam, pro eo quod eſt, In malam rem. Pauſanias refert Macariam eſſe paludem in Marathone, in qua magna vis Perſarum pe-

rierat, ignoratione viarum in ipſam prolapſa. *Diogenian.*

## In orci culum incidas.

Ἄνδιν ὀρφωχτῷ περιπέσοις. Id eſt, In orci culum incidas. Sermo perniciem & extremum exitium imprecantis.

## Charontis ianua.

Χαρώνιος θύρα. Id eſt, Charonica ianua. De imminente capitis periculo, ſiue de re magnoperè triſti. Sic enim antiquitus appellabatur vna de carceris ianuis, per quam damnati iudicum ſententiis ad ſupplicium educebantur. *Gellius.*

## Aurum habet Toloſanum.

In eum, qui magnis ac fatalibus afficitur malis, nouóque ac miſerando exitio perit. Nam quum oppidum Toloſanum in Gallia Q. Cepio conſul diripuiſſet, multúmque auri in eius oppidi templis fuiſſet, quiſquis ex ea direptione aurum attigit, miſero cruciabilíque exitu periit.

## Equum habet Seianum.

Olim prouerbio dicebatur, in calamitoſum, & ad extremam inopiam redactum.

## Tragicum malum.

Τραγικὸν πάθος. Tragicum malum dicetur ingens, cuiuſmodi finguntur in tragœdiis. *Diogenian.*

## Muſtelam habet.

Γαλῆν ἔχει. In eum quadrat, cui omnia ſunt inauſpicata, tanquam fatis ac diis iratis, vt aiunt. Olim creditum eſt, hoc animal inauſpicatum, infauſtumque eſſe iis, qui haberent domíque alerent.

## Cadmea victoria.

Καδμεῖος νίκη Sunt qui Cadmeam victoriam appellabãt infelicem, etiam ipſis victoribus. Huius adagij varium inducunt ſenſum & originem, ſunt qui putent inutilem victoriam Cadmeam vocatam, quod Etheocles & Polynices Thebani, cùm de regni vicibus diſceptarent, ſingulari certamine congreſſi vtrique perierint vel quòd Cadmei deuicerint quidem Argiuos cum Adraſto militantes, ſed ſuo malo. *Suidas.*

## Fortunatior Strobilis Carcini.

Εὐδαιμονέστερος Καρκίνου Στροβίλων. Ironia prouerbialis in infelicem & improbum, Carcinus poẽta quiſpiam fuit, cuius filii dicti ſunt Strobilii. Iocus autem ſumtus eſt à

Ayuntamiento de Madrid

nominum alluſione. Nam Græcè Carcinus cancrum, Strobili cochleas ſignificant. Vtrunque genus diſtortum ac fœdum.

*Suidas.*

## Iſſa.

Ἴσσα. Iſſa, prouerbialis erat acclamatio in eos quibus littera ſorte cecidiſſet, quíque modis omnibus eſſent infortunati. Coniectare licet eam litteram in ſortibus inauſpicatam fuiſſe.

## Genius malus.

Adagium apparet è priſcorum opinione profectum, qui ſingulis binos geniós attribuũt, quos dęmones vocãt, quorum alter perniciem nobis moliatur, alter iuuare ſtudeat.

## Vel hoſti miſerandus.

Eſt hyperbole. Nam hoſtis non facilè commouetur miſericordia. Confine illi: Quod vel ipſe probet Momus.

## Mala vltrò adſunt.

Item & vulgò dicitur: Mala vltrò adeſſe, non inuocata.

## Per medium anulum traharis oportet.

*Ariſtoph.*

Διὰ δακτυλίου δεῖ σε ἑλκυσθῆναι. Id eſt, Per anulum trahendus es. In eum quadrabit qui ſit vehementer extenuato, gracilíque corpore, ſeu morbo, ſeu cura, ſeu ſtudio, ſeu qua alia re. Equidem opinor adagium eſſe natum à luſu, quo ouum aceto maceratum, per anulum trahitur.

## E tribus malis vnum.

*Zenander.*

Τῶν τριῶν κακῶν ἕν. Id eſt, Trium malorum vnum. Sumtum à Theramene, qui cuidam è tribus malis vnum induxerit, è quibus quod vellet eligeret. Sunt qui dicant iis qui ſententia capitali damnati fuiſſent, tria ſolere deferri, gladium, laqueum, & aconitum.

## Extrema extremorum mala.

Ἐσχάτων ἔσχατα κακὰ διαπέπρακται. Id eſt, Extrema extremorum mala acciderunt. Hunc ſermonis typum, Græci videntur ab Hebræis mutuò ſumſiſſe, qui vehementiam & ἐπίτασιν eiuſdẽ dictionis congeminatione ſignificant. Apud Ieremiam: Ficus bonas bonas, & ficus malas malas, dum valde bonas & valde malas velit intelligi.

## Ogygia mala.

Ὠγύγια κακά. Rectè dicentur vel ingentia, vel antiqua.

Ayuntamiento de Madrid

Nam vtrunque Græcè ſignificat Ogygium.

## Diolygium malum.

Διωλύγιον κακόν. In eſt, Ingens malum. Dicitur de eo, qui malo quopiam ingenti ac diuturno tenetur. *Plato.*

## Labore laborioſus.

Πόνῳ πονηρός. Ipſa figura hyperbolen habet laboris immodici. Eſt autem iocus ob amphibologiam vocis. πονηρός enim Græcis vt laborioſum ac miſerum, ita ſignificat & malum, aſtutúmque. *Suidas.*

## Lemnium malum.

Λήμνιον κακόν. De malis immenſis ac miſerandis. Hinc natum adagium putant, quòd aliquando Lemniæ mulieres graueolentia maritorum offenſæ, eos vniuerſos ſuſtulerunt, auxilio Thoantis, cuius rei meminit & Euripides in Hecuba.

## Magnetum mala.

Μαγνήτων κακά. De malis ingentibus dictum videtur, aut iis quæ in auctores ſuos recidunt. Sumtum apparet ab hiſtoria, quæ de Magnetibus afflictis Suidas meminerit, in quæ feruntur incidiſſe, violato numine quopiam.

## Malis mala ſuccedunt.

In eum, qui variis exercetur fortunæ incommoditatibus, nunc morbo, nunc rapinis, nunc aliis atque aliis malis, conueniet illud Homeri:

Tradebat Notus hunc Boreæ quandoque vehendum,
Nunc rurſum Zephyro tractandum tradidit Eurus.

## Tenarium malum.

Ταινάρειον κακόν. Si quid crudelius ſæuitum eſſet in famulos, Tænarium malum vocabant, propterea quòd olim Lacedæmonij captiuos qui in Tænarum confugerant, redactos capitis affecerunt ſupplicio. Eſt autem Tænarus oppidum quoddam Laconiæ, cuius incolæ Tenaritæ vocantur.

## Tam perit quàm extrema faba.

*Pompeius.*

Propterea quòd extremæ fabæ plerunque aut proterantur, aut decerpantur à prætereuntibus. Quadrabit igitur in hominem ſeu rem, omnibus omnium iniuriis expoſitam.

## Viuens vidénſque.

Quod in Eunucho dixit Terentius: Viuus, vidénsque pe-

Ayuntamiento de Madrid

reo, id M. Tullius indicat prouerbiali figura dictum eſſe in oratione pro P. Seſtio. Vſurpat & aliquot locis D. Hieronymus.

## Ilias malorum.

*Cicero.* Ἰλιὰς κακῶν. De calamitatibus maximis ſimul & plurimis: propterea quòd in Iliade Homerica nullum mali genus non recenſetur.

## Lerna malorum.

Λέρνη κακῶν. De malis plurimis ſimul in vnum congeſtis & accumulatis. Strabo commemorat Lernam lacum fuiſſe quempiam Argiuorum ac Mycenorum agro communem, in quem quum paſſim ab omnibus purgamenta deportarentur, vulgò natum prouerbium, λέρνη κακῶν, id eſt, Lerna malorum. In hoc lacu poëtæ fingunt hydram illam ſeptem capitum fuiſſe, quam Hercules confecerit.

## Semper Ilio mala.

*Athenæus.* Αἰεὶ Ἰλίῳ κακά. De vehementer calamitoſis & afflictis. Troianorum excidium poëtis multa tragœdiarum argumenta miniſtrauit, atque hinc prouerbium: Stratonicus rogatus cur nollet apud Ilienſes viuere, reſpondit, Semper Ilio mala.

## Sybaritica calamitas.

*Idem.* Συβαριτικὴ συμφορά. Id eſt, Sybaritica clades. Quemadmodum Sybaritæ perierint, déque calamitate & luxu eorum permulta retulit Athenæus. Quadrabit adagium in eos, qui neglectu Deorum, aut ob intemperantem luxum ſubuertuntur.

## Mare malorum.

*Plautus.* Κακῶν θάλασσα. Dici ſolitum de calamitatibus immenſis & omnigenis. Inde ſumtum, quòd mare res quædam eſt infinita, vel quod infinitis ærumnis abundat.

## Alio relinquente fluctus, alius excipit.

Non inconcinnè deflectetur ad incurſus malorũ, quum, *Ariſtides.* vt ferè fit, calamitas calamitati ſuccedit, iuxta illum prouerbialem verſiculum:

Fortuna obeſſe nulli contenta eſt ſemel.

## Cyrbes malorum.

Κύρβεις κακῶν. De vehementer improbis & omnium fa-

Ayuntamiento de Madrid

cinorum genere contaminatis. Apud Athenienſes tabulæ quædam erant quadræ, in quibus leges deſcriptæ proponebantur, prætereà variæ delinquentium pœnæ. Has illi κύρβεις appellant, apud Lucianum ἄξονες dicuntur.

## Malorum theſaurus.

Θησαυρὸς κακῶν. Extat inter Græcanicas ſententias ſenarius:

Θησαυρὸς ἐστὶ τῶν κακῶν κακὴ γυνή.
Theſaurus eſt mulier malorum, ſi mala eſt.

## Malorum Panegyris.

*Plautus.*

Κακῶν πανήγυρις. De malis agminatim ingruentibus, & inuicem ſibi ſuccedentibus. Panegyris dicebatur ſolennis ille populi conuentus, ad ludos feſtos celebrandos.

## Per tenebras quæ apud quercum.

*Ariſtotel.*

Τὸ παρὰ δρῦν σκότος. De ingenti ac fatali calamitate dicebatur. Plutarchus hiſtoriæ ſimul & adagij meminit. Cùm bellum eſſet inter Prienenſes & Samios, mille Samij à Prienenſibus occiſi ſunt. Septimo pòſt anno congreſſi cum Mileſiis, primos quoſque ciuium, ac nobiliſſimos ſimul vno prælio amiſerunt. Poſt eam itaque calamitatem atrocem ac miſerandam, Prienenſium fœminæ per tenebras quæ circa quercum erant obteſtari ac deierare cœperunt, quod liberos, parentes, maritos eo loco amiſiſſent.

## Grauiora Sambico.

*Plutarchus.*

Δεινότερα Σαμβίκου πάσχει. Id eſt, Atrociora Sambico patitur. In eos, qui cruciatibus exquiſitis torquentur, aut quibus inſignia mala accidunt. Sambicus quiſpiam Eleus, vnà cum ſociis aliquot non paucas apud Olympia æreas ſtatuas conſcidit, vendidítque. Deinde maiora etiam auſus, Dianæ præſidiis templum deripuit. At ille mox comprehenſus, dum ſocios prodere recuſat, annum perpetuum exquiſitis cruciatibus dilaceratus eſt, inter quos etiam animam efflauit.

## Malo aſino vehitur.

Ἐπ᾽ ὄνου πονηρᾶς ὀχούμενος. Mala aſella vehi dicuntur, quibus res ſunt parum ſecundæ. Felices enim egregiis equis inſidere gaudent.

Ayuntamiento de Madrid

Plutarchus. Quæ ex antiqua.

Τὰ ἐκ παλαιᾶς. Id eſt, Quæ ex antiqua, ſubaudiendum, Tyro. Perinde valet quaſi dicas ſummam moleſtiam, extremúmque malum. Nam ſignificabant tantum malorum, quantum antiqua Tyrus pertuliſſet.

Miſerior monomachis.

Τῶν μονομαχούντων ἀθλιώτερος. Id eſt, Miſerior his, qui monomachiam exercent. Nam hi duriſſima lege committuntur, vt aut alter aut vterque pereat. Hos Latini vocabāt gladiatores. Quo ſpectaculo quum nihil poſſit immanius eſſe, tamen olim Romanis erat in delitiis.

Cuiuſmodi portento me inuoluit fortuna?

Zenodotus. Οἵῳ μὲ ὁ δαίμων τέρατι συγκαθεῖρξεν; Id eſt, Cuiuſmodi portento me implicuit fortuna? Dici conueniet, vbi negotium incidit cum homine moroſo, difficilíque, cum quo non queas viuere, nec à quo te poſſis extricare.

My ſortitus es.

Ἔλαχες τὸ μῦ. Id eſt, M. litera tibi ſorte obtigit. Ænigma in ſtultos. Nam Græcè μωροὶ hanc initialem habent. Cùm aliquando Dionyſio μ, in ſortibus obueniſſet, quidam per iocum ait, μωρολογεῖς Διονύσιε: ſtulta loqueris Dionyſi, at ille detorquens aliò, μονάρχήσω μὲν οὖν, inquit: immò potiùs ero monarcha.

Nephaſti dies.

Ἀποφράδες ἡμέραι. Olim vocabantur inauſpicati, & quibus publica non licebat agere. Vnde receptum, vt homines inuiſos ac deteſtandos ἀποφράδες appellarent.

Seruabis bouem.

Βουκολήσεις. Id eſt. Bubulcus eris. Hoc velut ænigmate ſignificabant exilium.

Zenodot. Inus dolores.

Ἰνοῦς ἄχη. Ino Cadmi filia ex Athamante duos peperit filios, Learchum & Melicertam, præterea filiam Eurycleam. Athamas autem verſus in inſaniam, reliquos liberos arcu percuſſit, occidítque. Ino vnà cum Melicerta ſeſe in mare abiecit. Hinc ortum adagium, vt intolerandum & exanimantem [vt ita dixerim] dolorem ſignificantes, dicerent Ἰνοῦς ἄχη. Nam achos propriè dolor dicitur apud Græcos, qui

Ayuntamiento de Madrid

qui prorſus obſtupefacit, ſuíque ſenſum adimit homini.

## Niobes mala.

Νιόβης πάθη. Id eſt, Niobes dolores. De maximis & acerbiſſimis malis dicebatur. Hanc enim fabulæ narrant poſt occiſos liberos, quos permultos habebat, præ dolore in ſaxum conuerſam fuiſſe.

## Antiopæ luctus.

Ἀντιόπης θρῆνος. Dici conſueuit, vbi quis innumeris calamitatibus affligitur, deinde malis eximitur. Natum Adagium ab Antiopæ fabula.

## Cythnicæ calamitates.

Κυθνώδεις συμφοραί. Ariſtoteles citat, Cythnios vſque adeò diuexatos, afflictóſque fuiſſe ab Amphytrione, vt in prouerbium abierint. Cythnus ex inſulis Cycladibus vna contra Cryopen ſita.

## Cyrnia iactura.

Κυρνία ἄτη. Id eſt, Cyrnium malum. De magnis diſpendiis & explicationibus dicebatur. Cyrnus inſula quæpiam eſt, è regione Apuliæ, in qua eſt mellis ſumma copia. Hæc olim nauigantibus erat inacceſſa, propter prædonum ac piratarum circa illam frequentiam. *Zenodotus.*

## Argi collis.

Ἄργου λόφος. Vbi quis ingentibus malis eſſet implicitus. Poteſt accommodari vel ad locum, vel ad negotium variis obnoxium calamitatibus. Natum aiunt à colle quodam, cui cognomen Argi frequentibus homicidiis ac latrociniis infamis.

## Archidamicum bellum.

Ἀρχιδάμιος πόλεμος. De bello ſæuo crudelíque dicebatur, epitheto ſumto ab Archidamo Duce Lacedæmoniorum, qui maximis copiis irrepſionem fecerat in Atticam, eámque decem annis diuexarat. Proinde cùm funditus tolluntur omnia, bellum Archidamicum dicebatur.

## Ægypti nuptiæ.

Αἰγύπτου γάμος. Inauſpicatæ & infelices dicebantur. Sumtum à notiſſima fabula Ægypti, qui filios quinquaginta, totidem fratris filiabus maritos dedit. At hi, præter vnum omnes à ſponſis iugulati ſunt.



Ayuntamiento de Madrid

*Suidas.*

## Militauit cum Eraſinade.

Ἐστρατήγησε μετ᾽ Ἐρασινάδου. Vulgò per iocum dicebatur de his, quibus res vndequaque malè procederent.

## Excubias agere in Naupacto.

*Zenodotus.* Φρουρῆσαι ἐν Ναυπάκτῳ. Id eſt, Excubare Naupacti. Achiui capta Naupacto, Pauſaniam excubiis cuſtodiæque præfectum interfecerunt. Vnde res in iocum vulgi videtur abiiſſe aduerſus eos, qui pereunt ignauia ſua, aut qui munus odioſum ac plenum diſcriminis adminiſtrant.

## Lemnia manu.

*Herodot.* Λημνία χειρί. Dictum pro eo quod eſt, nefaria, impia, crudeli. Vide, Lemnium malum.

## Lepus apparens, infortunatum facit iter.

*Suidas.* Φανεὶς ὁ λαγὼς δυστυχεῖς ποιεῖ τρίβους. Id eſt, Inauſpicatum iter obuius facit lepus. Vulgò creditum, etiam his temporibus, occurſum leporis omen eſſe parum felix iter ingreſſis. Torqueri poteſt ad interuentum cuiuſpiam, qui videatur incommodum aliquod allaturus.

## Minxit in patrios cineres.

*Horatius.* Qui intemperiis agetetur, cuíque cuncta cederent infeliciter, in patrios cineres minxiſſe dicebatur. Antiquitus enim paterni ſepulcri ſumma fuit religio.

## Rupta ancora.

Κεραίης ῥαγείσης. Id eſt, Rupta crada. Dicebatur de his, qui repentè tanquam magnum quiddam facturi prodiiſſent, deinde falſa omnium exſpectatione turpiter & indecorè ſeſe geſſiſſent in negotio. Porrò crada hoc loco non ficulnum ramum indicat, ſed vncum illud æs, quo vincti tenebantur actores in machina.

## Commune naufragium.

Κοινὸν ναυάγιον τοῖς πᾶσι παραμύθιον. Id eſt, Commune naufragium, omnibus ſolatium. Multo faciliùs fertur malum quod nobis eſt cum omnibus, aut cum multis commune.

## Obedientia felicitatis mater.

*Æſchyl.* Πειθαρχία γάρ ἐστι τῆς εὐπραξίας μήτηρ. Principis eſt, conſulere ſaluti ciuium. Id conatur bonis & æquis legibus: Populi eſt his obtemperare, ſi velit eſſe felix. Sed vtinam non eſſent Ioues ἠλίθιοι, quib⁹ vxor eſſet ἄρπυια, & filia δυστυχία.

Ayuntamiento de Madrid

## Lupus pilum mutat, non mentem.

Ὁ λύκος τὴν τρίχα, οὐ τὴν γνώμην ἀλλάττει. Id eſt, Lupus pilum, non ingenium mutat. Senecta caniciem adfert improbis, non item aufert malitiam. Caneſcunt enim lupi velut & equi more hominum per ætatem.

## Naturam expellas furca, tamen vſque recurret.

Senſus eſt, Haud facilè dediſci, quæ nobis natura pœnitus indidit, atque inſeuit. Ducta eſt metaphora à ramis, qui appoſita furca torquentur aliò, quàm natura poſuerat. *Horatius.*

## Lignum tortum haud vnquàm rectum.

Ξύλον ἀγκύλον οὐδέποτ' ὀρθόν Id eſt, Nunquàm rectum tortile lignum. Diſtorta, prauáque ingenia vix vnquàm ad bonam frugem traducuntur.

## Æthiops non albeſcit.

Αἰθίοψ οὐ λευκαίνεται. Id eſt, Æthiops non candeſcit. De iis dici ſolitum, qui nunquàm mutaturi ſunt ingenium.

## Qui ſemel ſcurra, nunquàm paterfamilias.

*Porphyrius.* Senſus eſt, Eum quem ſemel depuduerit, quique contemta fama ſcurram agere cœperit, vix vnquam ad bonam frugem redire.

## Podex lotionem vincit.

Πρωκτὸς λουτροῦ περιγίνεται. Id eſt, Podex lotionem vincit. In eos, qui ſeſe in malum aliquod adigunt, proptereà quòd ea corporis pars etiam ſi lauetur, ſemet rurſum inquinat, ita vt ipſa ſit in cauſſa quo minùs lauari poſſit. *Ariſtoph.*

## Occaſione duntaxat opus improbitati, vel malitiæ.

Quadrabit in nocendi cupidos, qui ne temerè læſiſſe videantur, cauſſas prætexunt. Malefacere qui vult, nuſquam non cauſſam inuenit. Vulgò dicitur apud noſtrates: Facilè fuſtem inuenerit, qui cupit cædere canem. *Ariſtoph.*

## Saliuam imbibere.

Sumta metaphora ab infantibus, quibus præmanſum cibum in os inſerunt non ſine ſaliua: cui quum aſſueuerint, *Hieronym.*



Ayuntamiento de Madrid

nihil iam illis ſapit, quod ab illius primæ ſaliuæ guſtu diuerſum ſit.

## Quo ſemel eſt imbuta.

Horatius: Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem Teſta diu. Proinde rectè monet Fabius, vt ſtatim optima diſcantur, propterea quòd nihil hæret tenaciùs, quàm id quod rudibus annis percepimus.

# INGRATITVDO.

## Ingratitudo vulgi.

Qui ſignificabit ſibi moleſtam ingratitudinem, quòd intelligat ſuperiorum officiorum nullam haberi rationem, non inconcinniter vſurpauerit illud ex Odyſſ. ε, quod idem eſt & aliis locis:

Μή τις ἔτι πρόφρων, ἀγανὸς, καὶ ἤπιος ἔστω,
Σκηπτοῦχος βασιλεὺς, μηδὲ φρεσὶν αἴσιμα εἰδὼς,
Ἀλλ' αἰεὶ χαλεπός τ' εἴη, καὶ αἴσυλα ῥέζοι, Id eſt,
Poſthac ne placidus ſit quiſquam, néue benignus,
Nec mitis, iuſtíque tenax rex ſceptriger vnquam,
Sed ſemper ferus eſto & ſemper iniqua patrato.

## Viuum noueris.

Anteà retulimus viuorum meminiſſe oportere. Id meretricula in Truculento detorquet in alium ſenſum, amatorem pro mortuo ducens, qui deſierat eſſe dando. Dum viuit, inquit, hominem noueris, vbi mortuus eſt, quieſcas: Te, dum viuebas, noueram. Pecunia, iuxta Heſiodum, anima eſt mortalibus, ea amiſſa, exanimis eſt homo.

## Ale luporum catulos.

Theocritus in Hodœporis:

Θρέψαι καὶ λυκιδεῖς, θρέψαι κύνας ὥς τυ φάγοιντι. Id eſt,
Paſce canes qui te lanient, catulóſque luporum.

In eos, qui læduntur ab iis, de quibus benemeriti ſunt, aut in ingratos.

## Aries nutricationis mercedem perſoluit.

Menander. Κριὸς τροφεῖα ἀπέτισεν. Id eſt, Aries alituram rependit. Quadrat vbi quis pro benefactis maleficium reponit. Aries ipſos quorum opera nutritus eſt aut etiam nutritur, cornibus inceſſit.

## Qui canem alit externum.

Ayuntamiento de Madrid

Ο῎ς κύνα τρέφει ξένον, τύτῳ μόνος λίνος μένει. Id eſt, Qui canem alit peregrinum, huic præter funem nihil fit reliqui. Qui beneficium collocat in ingratum, perdit operá. Nam canis alienus, relicto fune quo alligatur, priſtinum dominum repetit.

## Hirundines ſub eodem tecto ne habeas.

Ο῾μωρόφιυς χελιδόνας μὴ ἔχειν. Hoc eſt, Hirundines ne habeas ſub eodem tecto. D. Hieronymus interpretatur abſtinendum à commercio garrulorum & ſuſurronum. Rectè Pythagoras conuictorem ingratum, parúmque firmum hirundinis ſymbolo monuit ablegandum, &c.

## Pro beneficentia Agamemnonem vlti ſunt Achiui.

Α᾽ντὶ εὐεργεσίας Α᾽γαμέμνονα τίσαν Α᾽χαιοί. Id eſt, Pro meritis malè tractarunt Agamemnona Graij. Dicebatur in ingratos, qui pro ſummo beneficio, ſummum remetiuntur maleficium. Agamemnon enim tot exhauſtis laboribus in expugnanda Troia pro dignitate Græciæ, domum reuerſus, veſte inexplicabili inuolutus, interfectus eſt à Clytemneſtra, auxiliante Ægiſtho adultero.

## Pro perca ſcorpium.

Α᾽ντὶ πέρκης σκορπίον. Vbi quis optima captans, peſſima capit. Nam perca piſcis eſt vel maximè laudatus. Scorpius lethalis eſt, piſcis etiam huius nominis contemti ſaporis.

## Nemo benemerito bouem immolauit, præter Pyrrhiam.

Οὐδεὶς εὐεργέτῃ βοῦν ἔθυσεν, ἀλλ᾽ ἢ Πυῤῥίας. Id eſt, Nemo bouem immolauit benemerito, niſi Pyrrhias. Hoc prouerbio quondam vtebantur, ſi quando quis extitiſſet homo inſignitè gratus, qui beneficium acceptum ampliter repenſaret. Accommodabitur & in vulgatam mortalium ingratitudinem, adeò vt vix vnum reperias, qui meminerit officij, non abludit hinc exemplum Euangelicum, quo è decem, lepra, Chriſti beneficio liberatis, vnus duntaxat reuerſus eſt, qui gratias egerit. *Plutarchus.*

## Simul & miſertum eſt, & interiit gratia.

Α῞μ᾽ ἠλέηται καὶ τέθνηκεν ἡ χάρις. Id eſt, Simul & miſerum eſt, interiítque gratia. Senarius dici ſolitus in ingratum, *Zenodotus.*



Ayuntamiento de Madrid

qui ſimulatque leuatus eſt malis, deſinit meminiſſe beneficiorum eius, cuius opera reſtitutus eſt. Plautus: Si quid iuues, pluma leuior gratia: ſi quid offendas, plumbeas iras gerunt.

## In ſenem ne quod collocaris beneficium.

*Ariſtotel.* Γέροντι μηδέποτε μηδὲν χρηστὸν ποιεῖν. Id eſt, Ne quid vnquã beneficij collocaris in ſenem. Dicitur hodiéque vulgò: Neque in ſenem, neque in puerum collocandum eſſe beneficium; proptereàquòd alter non refert, alter non meminit.

## Hoſtis non hoſtis.

Ἀπόλεμος πόλεμος Id eſt, Citra bellum hoſtis, dicitur, qui nulla laceſſitus iniuria, tamen quæ ſunt hoſtium facit, aut qui pacis obtextu facit hoſtilia.

## Arietis miniſterium.

Κριοῦ διακονία: Id eſt, Arietis miniſterium. Dici ſolitum de officio in ingratum collocato. Siquidem aries cornibus ferit paſcentem.

### INGRATA OB VETVSTATEM.

## Piſcis nequam eſt, niſi recens.

Dicitur peculiariter in hoſpitem, aut vulgarem amicum qui primo quidem aduentu non ingratus eſt, cæterùm ante triduum exactum putet. Plautus: Quaſi piſcis itidem eſt amator lenæ: nequam eſt, niſi recens.

## Piſcis repoſitus.

*Plutarchus.* Ἀποκείμενος ἰχθύς. Id eſt, Repoſitus piſcis. In prouerbium abiiſſe videtur aduerſus eos, qui nihil ſeruant in poſterum. Nam piſces olim in deliciis erant. E prudentia eſt è cibis ſemper aliquid habere ſepoſitum, quo ſubitum excipiat hoſpitem.

## Antiquiora diphthera loqueris.

Ἀρχαιότερα διφθέρας λαλεῖς. Id eſt, Antiquiora diphthera loqueris. In eos quadrat, qui nugas narrant, aut de rebus nimium priſcis & iampridem obſoletis. Siquidem aiunt diphtheram pellem fuiſſe eius capræ, quæ Iouem lactarit, in qua creditum eſt antiquitùs, illum omnia ſcribere quæ fierent. Vnde quæ nec in hiſtoricorum litteris extarent, nec in hominum memoria ſeruarentur, ea velut ex Iouis diphthera petita dicebantur.

Ayuntamiento de Madrid

## A Nannaco.

Ἀπὸ Νανάκου. Id eſt, A Nannaco. Quum ſignificamus rem ab extrema vſque antiquitate repetitam. Nannacus rex ante Deucalionem fuiſſe narratur,qui diluuium futurum præuiderit. Latini conſimili figura dicunt,ab Aboriginum ſeculo repetita,& perinde quaſi cum Euandri matre loquaris.Non diſcrepat ab hoc:Antiquior Codro. *Stephan.*

## Res Cannacæ.

Τὰ Κανάκου. Id eſt,Res, aut mala Cannacæ. Bifariam vtebantur hac parœmia, vel de rebus ob vetuſtatem admirandis, vel de lamentis & complorationibus miſeris. ac lacrymoſis.

## Antiquior quàm chaos &Saturnia tempora.

Χάους ἀρχαιότερος. Id eſt,Antiquior quàm chaos. De re nimium priſca & obſoleta. Alludit adagium ad chaos,ad quod poëtæ Deorum ac rerũ omnium originem referunt. Ouidius opificium mundi hinc auſpicatur,& Hebræi. *Ibycus.*

## Per antiquum diem.

Διὰ παλαιᾶς ἡμέρας. De re admodum vetuſta & priſca. Finitimum huic:Magno Platonis anno. *Diogen.*

## Pellenæa tunica.

Πελληναῖος χιτών. Id eſt, Pellenæa veſtis.De priſco cultu. Pellenæ peruetuſta Achaiæ ciuitas, Protei patria, in qua diuerſæ veſtimentorum formæ fieri conſueuerunt.

# INITIVM LAVDATVM.

## Operi incipienti fauendum.

Celebratiſſimum eſt, Honos alit artes, & virtus laudata creſcit. Ita Pindarus Olympiacon libro ſexto: Ἀρχομένου δ᾽ ἔργου πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγές. In initio facinoris oportet faciem illuſtrem addere: hoc eſt, fauendum aliquid egregii facinoris aggredientibus,ſimul vt ipſis addatur animus, & alii ad æmulationem prouocentur.At nunc plerique moleſtè obſtrepunt,ſi quis quid tentet eximium. Poteſt & hic ſenſus accipi. Qui famam affectat, hunc oportet ab egregio quopiam facinore auſpicari. Permagni ſiquidem refert, vnde nominis ſumas exordia.



Ayuntamiento de Madrid

## In hoc calciamento pedem habet.

*Pindarus.* Dictum ibidem & illud adagij forma: Ἴσω γὰρ ἐν τούτῳ πεδίλῳ δαιμόνιον πόδ᾽ ἔχων, Id eſt: Nouit enim ſe in hoc calciamento fortunatum habere pedem, pro eo quod eſt, nouit has laudes in ipſum competere. Olim magnæ deliciæ erant in ſoleis & calceis. Nam & Pedilon Græcis eſt calciamenti genus, varium ac picturatum, dictum παρὰ τὸ τῷ ποδὶ περιειλεῖσθαι, eò quòd pedi applicetur. Vt autem non omnis calceus conuenit cuílibet pedi, ita nec quæuis laus in quemuis congruit.

## Veſtigium ponere.

Veſtigium ponere, pro attingere dixit M. Tullius lib. de Finibus v. Quanquam id quidem infinitum eſt in hac vrbe: quacunque enim ingredimur, in aliquam hiſtoriam veſtigium ponimus. M. Tullius eiuſdem operis lib. v. Quid enim? Sapientia, pedem vbi poneret, non habebat, ſublatis omnibus officiis. Hic locus oſtendit elegantem vſum huius metaphoræ in rebus animi. Sentit enim nullum eſſe locum ſapientiæ, ſi tollatur officiorum delectus.

## Quum paruula eſt, bona videtur ſpina.

Μικρὰ ὄντι ἡ ἄκανθα ἀγαθὴ φαίνεται. Id eſt, Quum puſilla eſt ſpina, bona videtur. Pueritia ſemper amabilis.

## Primùm Ægina pueros optimos alit.

De re quapiam, quæ melioribus initiis cœpta, paullatim ad deterius delabitur, vt pleraque mortalium faciunt. Sumtum adagium ab Achille, Patroclo, Aiace, Neoptolemo, quòd hi virtute præcelluerint, quum eſſent Æginetæ. Deinde labente morum integritate, malè cœperunt audire Æginetæ. Non diſſimile illi: Quondam fuere ſtrenui Mileſij.

## Primùm Mars in filiis laudatus eſt.

*Suidas.* Τὰ πρῶτα Ἄρης εἰς τοὺς παῖδας ἐπῃνεῖτο. Id eſt. Initio Mars laudatur ob filios. De iis, qui initio ſpecimen aliquod indolis egregiæ præ ſe ferũt, deinde in alios paullatim degenerãt mores. Quemadmodũ euenit Romanis olim ſtrenuis.

## Κυαμοτρώξ.

Id eſt, Fabarum arroſor. Dicebatur, qui in creandis magiſtratibus vendebat ſua ſuffragia, cóque quæſtus gratia

Ayuntamiento de Madrid

ſedulò verſabatur in comitiis. Priùs quàm repertus eſt vſus calculorum, quos Græci ψήφυς appellant, ſuffragia nigris & albis fabis ferebantur. Vnde fabis victitare dicebantur, quibus hic erat quæſtus.

INIVSTITIA.

## Stateram ne tranſgrediaris.

*Pythago.*

Μὴ ζυγὸν ὑπερβαίνειν. Id eſt, Stateram ne tranſilias, hoc eſt, ne quid facias, præter ius & æquum. Nam ſtáteram olim æquitatis ſymbolũ habuiſſe vulgò, vel Doricum illud prouerbiũ indicat, Σπαχάνης δικαιότερος, id eſt, Trutina iuſtior.

## Malum lucrum æquale diſpendio.

*Heſiodus.*

Μὴ κακὰ κερδαίνειν, κακὰ κέρδεα ἶσ' ἄτησι. Id eſt, Ne malè lucreris, mala lucra æqualia damnis. Non eſt lucrum, quod iactura bonæ mentis comparatur. Pindarus: Quod præter iuſtum eſt dulce, exitum habet amariſſimum.

INSALVBRITAS.

## Herculanus morbus.

*Zenodot.*

Ἡράκλειος νόσος. Id eſt, Herculanus morbus. Hunc alij ſacrum alii comitialem appellant. Eſt autem ex eorum numero quibus nulla medicorum ope ſuccurri poteſt, propterea quòd diuinitus immitti creditur, eóque cognomen additum eſt, ſacro.

## Herculana ſcabies.

*Suidas.*

Ἡράκλειος ψώρα. Id eſt, Herculana ſcabies. De ſcabie iucunda, faciléque ſanabili, aut quæ deſideret Herculana, id eſt, calida balnea. Equidem opinor dici poſſe in eos, qui multo ſtudio alióue labore valetudinem offenderunt, vt quibus aliquo laxamento opus ſit.

## Ipſa ſenectus morbus eſt.

Terentius in Phorm. Nam in ſenibus, vt abſit morbus, ipſa ſenecta per ſe mala valetudo eſt. Homerus:

Viribus effœtum iam te premit aſpera ſenectus. Virg.
Subeunt morbi, triſtiſque ſenectus.
Φόβυ τὸ γῆρας, ὐ γὰρ ἔρχεται μόνον.
Metue ſenectam, non enim ſola aduenit.

INSIDIAE.

Βυσσοδομεύειν.

Frequenter eſt apud Homerum, pro eo quod eſt, alto

pectore moliri quippiam, & clanculum in animo ſtruere inſidias. Tranſlatum à fundamentis ædificiorum, quæ profundè iaciuntur.

## Canis ad cibum.

Κύων ἐπὶ σῖτον. Id eſt, Canis ad cibum. De iis, qui in ſuum properant exitium. Qui canem volunt occidere, cibo oſtenſo alliciunt.

Δούρειος ἵππος.

Id eſt, Dureus equus. De clandeſtinis inſidiis dicebatur, aut vbi repente complures apparerẽt, qui latebant anteà. Sumtum ab equo Homerico, in quo Græcorum proceres abditi, repentè proſilientes, Troiam ceperunt. Hunc Homerus Durateum appellat.

## Ineſcare homines.

Terent. in Adel. Neſcis ineſcare homines. Ducta eſt ab iis, qui præfixo æri cibo, piſces illiciunt.

*Simonia.*

## Oportet omnibus corydalis.

Πάσῃσι κορυδαλλοῖσι χρὴ λόφον ἐγγενέσθαι. Id eſt, Omnibus galeritis oportet criſtam ineſſe. Nullum eſſe mortale ingenium, cui non ſit aliquod vitium admixtum, ceu perinde ſecundùm hominis naturam ſit non carere vitio, vt galeritæ naturale eſt habere criſtam.

## Tragulam iniicere.

Plaut. in Epid. Tragulam in te iniicere adornãt, id eſt, dolum aliquem in te ſtruunt. Et ibidem: Neſcio quam fabricã facit. Huic ſimillimum in Moſtell. Pilum inieciſti mihi.

## Ab tranſenna cibum petere.

A tranſenna cibum petere dicitur, qui periculo proximus eſt.

*Plutarchus.*

## Cuniculis oppugnare.

Ὑπονόμοις πολεμίζειν. Id eſt, Cuniculis bellare dicitur, qui non aperta vi, ſed diſſimulanter ac dolis rem gerit. Contrà qui palam agit, quod agit, machinis agere dicitur. Plus veneris habebit, ſi ad res animi transferatur, veluti ſi quis dicat malos genios interdum oppugnare nos machinis, cum palàm terrent aut illectant, interdum cuniculis, quoties falſa ſpecie pietatis imponunt, obrepuntque incautis.

## In tranſennam inducere.

Ayuntamiento de Madrid

Eſt dolo fallere. Ab aucupibus ſumtum eſt, qui intra cancellos eſcam ſpargunt, inſidiantes auiculis. Vnde & hodie qui dolo captus eſt, intra tranſennam eſſe dicitur.

## Pulcrè fallit vulpem.

*Suidas.*

Παλεύει καλῶς τὴν ἀλώπεκα. Id eſt, Decipit pulcrè vulpē. Apparet dictum in eum, qui dolis captaret aſturum, cuique fruſtrà tenduntur inſidiæ. Nam παλεύειν, eſt arte illectare. At vulpem dolo circumuenire difficile eſt.

### INSTANS.

## Ante pedes.

Ante pedes eſſe dicitur, quod obuium, quodque vel præſens adeſt, vel imminet. Terent. Iſthuc eſt ſapere, non quod ante pedes modò eſt videre, ſed etiam illa quæ futura ſunt proſpicere.

### IN STVPIDOS.

## Ede naſturcium.

Ἔσθιε κάρδαμον. In ſocordem, ignauum, hebetem, ſtupidum, olim dicebatur, propterea quòd huic efficaciam ineſſe credant, erucæ contrariam: vim enim, vigoremque animi ſuſcitare, Venerem coërcere, cùm illa è diuerſo Venerem acuat, vim mentis hebetet.

## Nihil ab elephante differs.

*Diogenian.*

Ἐλέφαντος διαφέρεις οὐδέν. Id eſt, Ab elephante differs nihil. In magnos ac ſtupidos dicebatur, etiamſi primam ingenii laudem Plinius tribuit elephantis, ſed inter bruta. Verū corporis moles, & formæ fœditas adagio locū fecit.

## Sacer piſcis.

Ἱερὸς ἰχθύς. Id eſt, Sacer piſcis dicebatur, cui nemo nocebat, ſed ſui iuris erat. Per iocum dici poterit in hominem prægrandem, & in pretio habitum, quum ſit ſtupidus & infans.

## Tanagræus cetus.

Ταναγραῖον κῆτος. Obeſum ac prægrandi coporis mo'e Ταναγραῖον κῆτος appellabant, à Tanagra Bœotiæ ciuitate, ad quam delatus cetus immani magnitudine, prouerbio locum dedit.

## Loquax talpa.

*Ammianus.*

Homo nullius iudicii, ſed tamen impendio verboſus,

Ayuntamiento de Madrid

loquax talpa dictus eſt, populari conuitio : nam talpæ noſtri, vt cæci ſunt, ita ſunt æquè muti.

## Bos marinus.

Βοῦς ἐνάλιος. De magnis, inſulſis, & ad nihil vtilibus, quales ſunt phocæ, tantum paſcentes, nec operi, nec eſui vtiles contraque boues terreſtres.

## Nihil differs à Chærephonte.

Οὐδὲν διοίσεις Χαιρεφῶντος τὴν φύσιν. Id eſt, Nihil ore quicquam à Chærephonte diſcrepas, in macilentum pallidumque dicebatur. Chærephon enim tragœdiarum ſcriptor fuit. Is Heraclidarum res proſequutus eſt. Quoniam autem nocturnis lucubrationibus erat maiorem in modũ extenuatus, confectusque, vulgari ioco taxatus eſt.

*Diogen.*

## Mens non eſt in centauris.

Νοῦς οὐκ ἔνι κενταύροισιν. Id eſt, Mens non ineſt centauris. In vecordes & ſtultos dicebatur, & qui conarentur quod efficere non poſſent. Nota eſt centaurorum fabula.

*Ariſtoph.*

## Beccesélenus.

Βεκκεσέληνος. Prouerbio dicebatur ſtupidus ac delirus, ſydetatus, aut admodum ſenex. Beccus Phrygum antiquiſſima lingua, panem ſignificat, σελήνη lunam. Vnde Arcades qui volunt mortalium omnium antiquiſſimi videri, προσέληνοι dicuntur, tanquam antiquiores ipſa luna.

*Diogenian.*

## Saturni podex.

Κρόνου πυγή. Id eſt, Saturni culus. De carnibus vetulis, iamque mancis, & ſenſu vacantibus, Quidquid enim putre iam & effœtum intelligi volebant olim, id Saturnium vocabant.

## Caput vacuum cerebro.

Ὦ οἵα κεφαλὴ, καὶ ἐγκέφαλον οὐκ ἔχει. Id eſt, O quale caput, & cerebrum non habet. De his, qui corporis ſpecie præcellunt, ingenio carentes. Natum ex apologo Æſopico. Vulgò quoque vecordibus & inſipidis, aiunt cerebro vacuum eſſe caput.

## Margytes.

Margiten pro ſtupido Lucianus; Sed exiſtimas te cum Margite quopiam loqui. Hunc ita deſcribit Homerus citante Ariſtotele, Hunc neque foſſorem voluerunt numina

Ayuntamiento de Madrid

diuûm eſſe, nec agricolam, nec in vlla præterea re ſcitum aut egregium. Conuenit cum illo Heſiodico: Nulla in parte vtilis, qui nec ipſe ſapit, nec aliis obtemperat.

## Rana Gyrina ſapientior.

Sumtum eſt adagium ab informi partu ranarum, quem Græci γυρίνους vocant, à figura corporis in gyrum orbicularis. Porrò quum ranæ tribuitur loquacitas, quæ ſtoliditatis ſolet eſſe comes, minimum mentis ineſſe oportere gyrinis, quos vix deprehẽdas animalcſſe, niſi mouerẽtur. *Plato.*

## Ouium nullus vſus.

Προβάτων οὐδὲν ὄφελος ἐὰν ὁ ποιμὴν ἀπῇ. Id eſt, Ouium nulla vtilitas, ſi paſtor abſit. Admonet adagium, ἀναρχίαν rem eſſe omnium pernicioſiſſimam. Nihil rectè faciunt miniſtri, niſi adſit herus. Inutiles diſcipuli ſine præceptore.

## Ouium mores.

*Ariſtotel.*

Προβάτων ἦθος. In ſtupidos ac ſtolidos iaci ſolitum. Nã ouium ingenium, ſimplex ac ſtultum, ac omnium quadrupedum inertiſſimum.

## Fenum eſſe. Ambroſia alendus.

Vtrunque prouerbiali figura dixit M. Tullius: alterum in indoctos ac brutos homines, alterum in egregios, vt intelligas illos pecudibus, hos Diis æquandos. Nam feno victitant boues, ambroſia cibus eſt Deorum.

## Tibicines mente capti.

*Diogenian.*

Athenæus libro Dipnoſophi VIII. Dij tibicinibus nunquàm mentem inſeruere. Sed ſimul ac flarint, auocat ilico mens.

## Ne quis vnquam Megarenſibus.

Nunquàm quiſquam ſapientior ſit Megarenſibus. Scõma prouerbiale iaci ſolitum in ſtupidos. Dictum eſt autẽ per adulationem de Megarenſibus. *Idem.*

## Midas auriculas aſini.

Μίδας ὄνου ὦτα. Natum à fabula notiſſima Midæ regis Phrygiæ, cui Phœbus, quod ſtolidè Panem canentem ſibi prætuliſſet, aſininas affinxit auriculas. Quas cum diu infrà occuluiſſet, tandem à tonſore animaduerſum eſt, ac prolatum in vulgus. Porrò adagium rectè dicetur, vel in ſtolidos & craſſis auribus, pinguique iudicio homines.

Ayuntamiento de Madrid

## Fungus.

Plautus in Bacchid. Fungum dixit pro ſtupido, impenſeq́ue credulo. Vel quia fungus per ſe inſipida quæpiam res eſt, vel quòd mollis, ac fragilis, vel quòd ſubitò prorumpat.

*Seneca.*

## Aut regem, aut fatuum naſci oportere.

Dictum eſt hoc, quòd huiuſmodi fermè fuerint Barbari reges apud veteres.

## Stultior Melitide.

Μωρότερος Μελιτίδου. Melitides vnus è feliciſſimis fatuis, quos Homerus ſuo carmine nobilitauit. Hic iam euerſa Troia, veniſſe legitur auxilium laturus Priamo. Zenodotus dicit hunc nec potuiſſe numerare vltra quinque.

## Neſcit capitis & inguinis diſcrimen.

Qui eò impudentiæ deuenerunt, vt nullum prorſus faciant diſcrimen inter honeſtum ac turpe: hi neſcire dicuntur, quíd interſit inter caput & inguen. Iuuenalis:

Quid enim Venus ebria curat?
Inguinis & capitis, quæ ſint diſcrimina neſcit.

*Diogen.*

## Terræ inteſtina.

Γῆς ἔντερα. Dicebantur vilia, nulliusq́ue pretij. Saxa verò terræ viſcera dicuntur. Simile illi: Telluris inutile põdus.

## Larus hians.

Λάρος κεχηνώς. Dicebatur, vbi quis auidiùs inhiaret prædæ. Eſt enim Larus auis auida, voraxq́ue.

## Κορυβαντιᾶν.

Pro inſanire Ariſtoph. in Veſpis. Sumtum eſt à Corybantibus Cybeles cultoribus, qui ſacro correpti furore, cymbala pulſant, alios item in ſimilem agentes rabiem.

## Lucerna pinguior. Pinguior Lecytho.

*Diogenian.* Λιπαρώτερος λύχνου, Λιπαρώτερος ληκύθου. Id eſt, Pinguior Lucerna. Pinguior Lecytho. Videtur ironia prouerbialis in eos, qui quum ſint edaces, nihilo tamen inde fiũt habitiores, quemadmodum lucerna plurimum abſumit olei, neque tamen vnquam fit ſaginatior. Fortaſſis non abſurdè deflectetur in homines craſſo iudicio, aut luxu deditos.

## Bœotica ſus.

Ayuntamiento de Madrid

Ἡ βοιωτία ὗς. Qui priſcis temporibus Bœoticam regionem incolebant, ὕαντες appellabantur, gens barbara & agreſtis. Proinde quidam deprauata voce, pro ὕαντας, ὗας, id eſt, ſues appellabant. Idque ſcomma ceſſit in prouerbium, vt primùm in Bœotos diceretur, ab his, in quoſuis indoctos, inconditos, moribusque ruſticanis homines torqueretur. *Pindarus.*

## Bœoticum ingenium.

Quidquid inſulſum eſſet ac ſtultum, id Bœoticum dicebāt. Horatius: Bœotum in patria craſſóque ſub aëre naſci.

## Bœotica cantilena.

Βοιώτιος νόμος. Id eſt, Bœotica cantio. Dicebatur, ſi quibus rerum initia tranquilla ac proſpera fuiſſent, poſteriora turbulenta ac triſtia. Nam Bœotij primùm liberam ac pacatam agebant vitam, deinde mortuo Laio, in varias calamitates inciderunt, vt illorum cantilena à læto initio in luctum deſiiſſe videatur. *Zenodotus.*

## Bœotica auris.

Βοιώτιον οὖς. Id eſt, Auris Bœotica. In hominem pingui iudicio quadrat. *Diogenian.*

## Aſinus ſtramenta mauult quàm aurum.

Ariſt. lib. moral. Nicomachiorum 10. citat Heraclitum, qui dixerit: Ὄνος σύρματ' ἂν ἕλοιτο μᾶλλον ἢ χρυσόν, ἥδιον γὰρ χρυσοῦ τροφὴ ὄνοις. Id eſt, Aſinos ſtramenta malle, quàm aurum, quòd aſinis pabulum auro ſit iucundius. Atque hac quidem in parte aſini plus ſapiunt, quàm homines. Illi rem æſtimant vſu, nos inutilibus atque etiam noxiis rebus ex animi perſuaſione ingentia ſtatuimus pretia. Notus eſt apologus de Gallo, qui gemmam in ſterquilinio repertam contemſit. Gallus enim mauult putre granum, quam margaritum aut adamantem. Ita qui ventris ſunt mancipia, compotationem temulentam omnibus diſciplinis liberalibus anteponunt.

## Colophonium calciamentum.

Κολοφώνιον ὑπόδημα. Id eſt, Colophonium calciamentum dicebatur cauū. Nam antiqui ferè ſoleis vtebātur, quæ infimam pedū partē tantū munirent. Vnde quadrabit in hominē ſtolidum & incompoſitum, & ruſticanum, per lutum ituris conuenit tale calciamentum. Venuſtè itaque

Ayuntamiento de Madrid

dixeris, in ſordidis auctoribus verſaturo opus eſſe calceis Colophoniis. Huic contrarium videtur calciamentum Sicyonium.

*Theocritus.*

## In nauibus educatus.

Ἐν ναυσὶ τεθραμμένος. Id eſt, In nauibus educatus dicebatur, qui rudis eſſet, & alienus à moribus liberalibus, ſenſuque communi, ſolet enim fere nauticum genus ſuo elemento reſpondere, quòd à ciuiliũ hominum commercio ſubmotum viuat. Plautus Ciſtellaria, mores agreſtes appellat, maritimos, imò potius inconſtantes, quod mare vicibus æſtuariis accedat, recedatque.

## Vaſis inſtar.

Ἀγγεῖν δίκην. Id eſt, Vaſis inſtar loqui dicitur, qui quũ ob imperitiam ex ſe nihil poſſit adferre, ab aliis audita profert. Fons ex ſe liquorem habet vas ni aliunde infuderis, ſiccum eſt. Homines autem qui vacant eruditione, per aures implentur. Socrates in Phœdro Platonis: Ὅτι μὲν οὖν παρά γε ἐμαυτοῦ οὐδὲν αὐτῶν ἐννενόηκα, εὖ οἶδα, συνειδὼς ἐμαυτῷ ἀμαθίαν· λείπεται δή, οἶμαι, ἐξ ἀλλοτρίων ποθὲν ναμάτων διὰ τῆς ἀκοῆς πεπληρῶσθαί με, δίκην ἀγγείου. Id eſt Nihil horum ex meipſo excogitaui, fateor, imperitiæ mihi conſcius. Supereſt igitur opinor, vt aliunde ex alienis fluentis per aures fuerim impletus inſtar vaſis.

## Mittere ſanguinem.

Olim militibus, ſi quid grauius deliquiſſent, ignominiæ cauſſa incidebatur vena. Id appellabant ſanguinem mittere. M.Tullius in epiſtolis: Miſſus eſt ſanguis inuidiæ ſine dolore. Sentit ſe liberatum aliqua parte inuidiæ, quòd in eo iudicio non valuiſſet ipſius teſtimonium, idque citra dolorem ſuum, quòd omnes ſcirent iudices eſſe corruptos, &c,

## Tredecim cubitorum.

Homines inſigniter procero corpore, & hiſce temporibus populari ioco taxantur, vt ignaui & inutiles. Quod, vt alia pleráque, manaſſe videtur ab ipſa antiquitate. Sic etiam in Syracuſanis Praxinca de marito loquitur, Ἀνὴρ τρισκαιδεκάπηχυς, id eſt, vir tredecim cubitorum, hyperbolicos ſignificans enormiter procerum, quum eſſet tam inſulſus, vt è mercatu pro nitro ſalem attulerit. Priſci prælongos

Ayuntamiento de Madrid

longos homines ridiculi gratia Longuriones appellabant.

## Salſitudo non ineſt illi.

Ἅλμη οὐκ ἔνεστιν αὐτῷ. Id eſt, Salſitas non ineſt illi. In infacetos & fatuos ac ſtupidos. Plinius lib. xxxi, indicat metaphoram eſſe ſumtam ab vſu ſalis, quód in omnibus cibis ſit condimenti vice, & auiditatem inuitet. *Lucianus.*

## Bibe elleborum.

Πῖθ' ἐλλέβορον. Quo dicto ſignificatum eſt inſanire quēpiam. Qui parum animo conſtant, elleboro opus habere dicuntur. Atquę idem apud Latinos etiam auctores, elleborum edere, & elleboro ſeſe purgare, prouerbio iubētur, propterea quòd antiquitùs plurimus vſus fuerit huius herbæ ad ſeruanda mentis & capitis vitia. *Lucianus.*

## Nauiget Anticyras.

De inſano dicitur apud Horatium, quíque mentis morbo laborat. Huic ſimile dicit idem alibi: Curatorē opus eſt. Itidem Varro: Ad agnatos & gentiles deducēndus.

## Strychnum bibit.

Στρύχνον ἔπιεν. In inſanos item competit, à ſtrychni herbæ natura, quæ vel guſtata, ſtatim inſaniam parit.

## Porcum immola.

Plautus in Menæchmis porcum ſyncerum & ſacrum immolare iubet eum, quem mente captum ſignificat. Opinor hinc ſumtum quòd veterum vſu, qui cuiúſpiam irati numinis intemperiis ageretur, hoc piaculo ſe ſoleat purgare. Horatius: Immolet æquis Hic porcum Laribus. Loquitur de eo, qui iam ab inſania reſipuiſſe videretur.

## Squillas à ſepulchro vellas.

Σκίλλας ἀπὸ σήματος τίλλειν. Id eſt, Squillas à ſepulcro vellere iubebantur, qui parum ſanę mentis eſſe viderentur.

## Minus habet mentis, quàm dithyramborum poëta.

Διθυραμβοποιῶν νοῦν ἔχεις ἐλάττονα. Id eſt, Minus ſapis ſcriptoribus dithyrambicis. In ſtupidos ac furioſos torquetur. Sumtum è poëtis dithyrābicis, qui Baccho inflati furebāt.

## Piſtillo retuſius.

Pro eo quod eſt, Minimè acutum. Et Chryſippeum acu- *Hieronym.*

u.

men, per ironiam vſurpatur in ſtupidum. Et Cornuthus ſyllogiſmus, pro ratione ridicula, friuolaque.

## Embarus ſum.

Ἔμβαρός εἰμι. Dictum eſt olim de inſano, deliroque. Natum ab Embaro vſque adeò demente, vt filiam à ſe immolaturum polliceretur, ea lege, vt ſacerdotium in poſteros ſuos traduceretur.

## Phryx plagis emendatur.

Suidas. In Barbaros, ſeruilique ingenio homines dicitur, qui non pudore, neque monitis, ſed verberibus redduntur meliores.

## Meſſena ſeruilior.

Δουλότερος Μεσσήνης. Id eſt, Seruilior Meſſena. De minimè liberis dicebatur, & alieno viuentibus arbitrio. Lacedæmonij Meſſenios, quòd iterum atque iterum deſciuiſſent, in ſeruitutem redegerunt, eosque duriùs etiam, quã reliquos ſeruos tractarunt, ne denuò res nouas moliri poſſent.

Lucianus.

## Stultior Corœbo.

Ἠλιθιώτερος Κοροίβου. In ſtupidos ac vecordes. Corœbi ſtultitia vulgi fabula celebrata eſt, qui maris vndas numerare ſit conatus, quum non potuerit vltra quinque proſequi ſupputationem.

## Stultior Morycho.

Μωρότερος εἶ Μορύχου. Id eſt, Stultior es Morycho. Siculum prouerbium, in eos, qui ridiculè ſtultéue quippiam facerent. Zenodotus tradit apud Siculos Baccho cognomen eſſe Morycho, idque inde natum, quòd in vindemiis, huius Dei facies, muſto, ficisque virentibus oblini conſueuerit. Bacchus autem vbique ridiculus, ac parum cordatus inducitur à poëtis, vtpote Deus temulentus.

## Stupidior Praxillæ Adonide.

Ἠλιθιώτερος Πραξίλλης Ἀδώνιδος. Id eſt, Stultior Praxillæ Adonide. In vehementer ſtupidos. Polemon apud Zenodotum, tradit Praxillam fuiſſe quampiam Sicyoniam poëtriam, quæ in ſuis cantionibus Adonidem inducit ab inferis interrogatum, quid apud ſuperos pulcerrimum reliquerit, reſpondere ſolem, cucumeres, mala. Quod

Ayuntamiento de Madrid

cum vehementer inſulſum videretur, cucumeres & mala cum ſole componere, prouerbio dici cœptum in homines nullius iudicij.

## Veruecea ſtatua.

Plautinus Hegio, ſeruum ſtupidum appellat ſtatuam veruecceam, quaſi dicas, brutum ac mutum hominem.

## Corpus ſine pectore.

Horatius: Non tu corpus eras ſine pectore: Dij tibi formam, Dij tibi diuitias dederant, artem'que fruendi. Nam ſapientiam & ingenium in pectore conſtituunt. Vnde cordatos appellamus prudentes.

## Antronius aſinus.

Ἀντρώνιος ὄνος. Olim dicebatur, qui deformi, prægrandíque mole corporis eſſet, cæterum ingenio ſtupido, tardóque. Antron autem ciuitas erat Theſſaliæ, nomen inde ſortita, quòd cauernis & ſpecubus abundaret. Iilic aiunt aſinos inſigni magnitudine quondam fuiſſe: vnde prouerbium increbuit. Auctores Stephanus & Suidas.

## Naribus trahere.

Τῆς ῥινὸς ἕλκεσθαι. Id eſt, Nare trahi. Eſt citra iudicium alieno arbitratu quouis abduci. Metaphora ſumta à bubulis animalibus, qui annulo in ſummam narem inſerto circumducuntur, non aliter quàm equi freno. *Lucianus.*

## Arcadicum germen.

Ἀρκαδικὸν βλάστημα. De grandibus & ignauis dici ſolitum. Arcades olim malè audierunt ob ſtuporem ingenij.

## Arcades imitantes. *Plato.*

Ἀρκάδας μιμούμενοι. Dictum in eos, qui aliis, non ſibi laborant. Arcades olim inter Græcos bellicoſiſſimi, ſuis auſpiciis, ſuóque titulo nunquàm hoſtem vllum ſuperarunt, verùm aliis ſuppetias ferentes perſæpe. Vnde illud illis fatale videbatur, aliis vincere, non ſibi.

## Aſinum in rupes protrudere.

Horatius: Qui malè parentem in rupes protruſit aſellum. Quadrabit in quoſdam peruerſo natos ingenio, qui quum ipſi non ſapiant, nolint tamen bene conſulentium



Ayuntamiento de Madrid

monitis obtemperare. Natum à ruſtico eſt, qui quum aſinum ſuum per alpes niuibus obtectas duceret, iſque freno non obediret, iratus in rupes protruſit.

## Feles Tarteſſia.

Γαλῆ Ταρτησσία. De magnis & ridiculis dicebatur. Tarteſſi ſunt in Iberia, apud quos feles maximæ naſci dicũtur.

## Non ineſt illi dentale.

*Suetonius.* Γύης οὐκ ἔνεστιν αὐτῷ. Id eſt, Gyes non ineſt illi. Dici conſueuit de quopiam ad rem aliquam parum vtili. Sumta metaphora ab aratro, cuius pars eſt γύης: eam non nulli putant eſſe, quam Latini dentale vocant. Ea quoniam præcipua videtur, ſi abſit, nihil confici poteſt aratro.

## Stulto ne permittas digitum.

Nihil permittendum imprudentibus, quantumuis puſillum. Siquidem in maximis lædunt, ſi vel tantillum commiſeris.

*Ariſtoph.*

## Septennis quum ſit, nondum edidit dentes.

Ε᾽πταέτης ὢν ὀδόντας οὐκ ἔφυσεν. Id eſt, Quum ſit ſeptem natus annos, nondum tamen dentes produxit. Mihi quadrare videtur in eum, qui natu grandis, tamen adhuc quaſi puerum agit. Aut qui diu commoratus alicubi, nihil adhuc auctoritatis, aut honoris ſit aſſequutus. Adagiũ natum à pueris, &c.

*Suidas.*

## Stultitia eſt Iouem putare eſſe.

Τῆς μωρείας, τὸν Δία νομίζειν, ὄντα τηλικοῦτον. Id eſt, Inſcitia eſt, natum tot annos, credere eſſe vllum Iouem. In cũ accommodari poteſt, qui grandis natu dicit, aut ſentit abſurdum quippiam, quum propter ætatem nihil oporteat ignorare. Non conueniet enim in natu grandes puerilis ſuperſtitio.

*Plutarchus.*

## Vt Bagas conſtitiſti.

Βάγας ἕστηκας. Id eſt, Vt Bagas ſtabas. In ſtupidum & elinguem dicebatur. Bagas erat quiſpiam ſimili attonito, iſtupidóque & inſulſo.

## Deſertum obtueri.

Ε᾽ρημὸν ἐμβλέπειν. Id eſt, Deſertum intueri, dicebatur, *Ariſtoph.* qui fixis & attonitis intueretur oculis. Metaphoram mutuati ſunt ab iis, qui pelagus immenſum, aut ſolitudinẽ

Ayuntamiento de Madrid

taciti intuerentur.

## Terebintho ſtultior.

Τερεβίνθου ἀνοητότερος. Id eſt, Terebintho dementior. In ſtupidum, ſibíque placentem, quòd arbor ea latè porrigat ramos; quod eſt inſolenter oſtentantium ſeſe: ad hæc nigrore inſignis, foliis craſſis, ſucco item pingui & reſinoſo, tum aliàs alia ſpecie.

## Cæcus auribus.

Tu ſimul & aurē & mēte & oculis cæcus es. Quadrat in hominem planè ſtupidum.

## Bis pueri ſenes. *Varro.*

Δὶς παῖδες οἱ γέροντες. Quadrabit in eos, qui prouectiore quum ſint ætate, tamen puerilibus quibuſdam ſtudiis intempeſtiuiter atque indecorè tenentur.

## Saturniæ lemæ.

Κρονικαὶ λῆμαι. In cæcutientes ac ſtupidos dicitur, præſertim in eos qui ætatis vitio deſipiſcunt. Eſt enim lema humor in oculis concretus, vnde lippitudo naſcitur. Porrò Saturniæ dicuntur, quaſi ſeniles ac veteres, proptereà quòd Κρόνος, id eſt, Saturnus podagroſus ac ſenex à poëtis fingitur, & temporum Deus:

## Auris Batava.

Martialis Epigrammatum lib. VI. Batauam aurem dixit agreſtem, inelegantem, tetricamque. Erant Bataui Germanię populi, Catthorū pars, qui domeſtica ſeditione pulſi, extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus occupauere, &c. *Cicero.*

## Abderitica mens.

Abderitæ in ſtuporis inſaniæque fabulam abiere. Abderitanis autem natura peculiarem fuiſſe mentis ſtuporem indicat M. Tullius. &c.

# INTEMPERANTIA, LIBIDO. *Suidas.*

## Myconius vicinus.

Μυκόνιος γείτων. In eum, qui inuocatus ad conuiuium accedit. Nam Myconij liguriones erant, & alienæ appetentes menſæ. Zenodotus autem ait conuenire in ſordidos atque humiles homunciones: proptereà quòd ea inſula ſterilis, habet gentem auidiuſculam, & alieni appetentiorem. Idem addit Myconios immodica bibacitate, luxúque

olim infames. Vnde & Cratinus Iſchomacum quẽdã gulæ mancipium, Myconium appellarit.

## Vnico digitulo ſcalpit caput.

Molles atque effœminati, vno digito caput ſcalpere dicuntur, nimirum ſollicitè, ne comam ſtudioſè compoſitam perturbent. Iuuenalis ſatyra IX. Qui digito ſcalpunt vno caput.

## Bacelis ſimilis.

Ἴκελος Βακήλῳ, καὶ βάκηλος εἶ. Id eſt, Bacelo ſimilis, aut Bacelus es. In cinædos, ac paruum viros dictum, aut in magnos quidem corpore, ſed animo ſtupidos. Tractum à forma, moribusque Bacelli cuiuſdam, qui fuit exectus.

## Herniosus vſque ad gulam.

Ψωλὸς μέχρι τοῦ μυῤῥίνου. Quadrat in vehementer hernioſum. Carmen eſt apud Ariſtophanem in Equitibus:

Ψωλὸν γενέσθαι δεῖ σε μέχρι τοῦ μυῤῥίνου. Id eſt,
Sis hernioſus oportet ipſam vſque ad gulam.

*Plutarchus.*

## Batalus.

Βάταλος εἶ. Id eſt, Batalus es. Olim in effœminatos per contumeliam dicebatur. Id cognominis Demoſtheni puero inditum fuit, & ab inimicis probro obiectum. Plutarchus cognominis huius varias adfert rationes: vel quòd Batalus quiſpiam fuerit tibicen, mollis & effeminatus, qui mulieribus ſandaliis primus omnium in ſcenam prodierit, ac muſicam euirarit, vel quòd poëtæ cuidam obſcœno nomen fuerit Batalo, vel quod apud Atticos Batalus appellata ſit ea pars corporis, quæ verecundè nominari non poteſt.

## Βαταλίζεσθαι.

Dicuntur qui turpiter atque effœminatè viuunt. Plutarchus oſtendit id cognominis Demoſtheni puero inditum fuiſſe: & ab inimicis probro obiectum. Batalus, tibicen fuit mollis & effœminatus qui muliebribus ſandaliis primus omnium in ſcenam prodiit, & muſicam, vt ita dixerim, euirauit: Vel quod poetæ cuidam obſcœno nomẽ fuerat Batalo: Vel quod apud Atticos, Batalus appellata ſit ea pars corporis quæ honeſtè nominari non poteſt.

## Tibicinis vitam viuis.

Ayuntamiento de Madrid

Αὐλητοῦ βίον ζῇς. In eum dicebatur, qui lautè quidem, ſed alieno viueret ſumtu. Tibicines, quoniam in ſacris adhibebantur olim, adeſſe ſolebant & in cœnis illis pontificalibus, idque immunes. Ariſtoteles in problematis rationes affert cur hoc hominum genus vix vnquam bonæ frugis eſſe conſueuerint: nempe quod, non neceſſariis artibus magnam vitæ partem occupati, non dent operam Philoſophiæ præceptis: aut quod aſſiduè in deliciis ac voluptatibus vitam agant: ſiue quod egeſtas etiam ipſa ad vitia propellat.

## Samiorum flores.

Σαμίων ἄνθη. Vbi quis extremam voluptatem decerperet. Hoc autem nomine dicebatur locus quidam, in quo mulieres cum viris conuiuium agitabant, omníque genere voluptatum affatim explebant ſeſe, quibus delitiis effœminati, poſtea ſubacti ſunt à Perſis, & in ſeruitutem acti. Stephanus admonet, Samum inſulam olim ἀνθέμουσαν appellatam fuiſſe, nimirum à floribus. *Idem.*

## Sponſi vita.

Νυμφίου βίος. Pro molli ac delicata. Confine illi, quod alibi relatum eſt, Muſica vita.

## Melle teipſum perungis.

Ἐν μέλιτι σαυτὸν κατεπάτησας. id eſt, In melle te ipſum obuoluis, oblinísque, hoc eſt, molliter, ſuauitérque vitam agis, quaſi parum ſit veſci melle, niſi totus ſis melleus. *Diogenian.*

## Samiorum laurea.

Σαμίων λαῦρα. Dictitabatur in turpibus addictos voluptatibus. Lauri apud Samios angiportum quoddam erat, in quo cupediæ, popinariæque lautitiæ venditabantur, à mulierculis in hoc paratis. *Plutarchus.*

## Samium comatum.

Τὸν ἐν Σάμῳ κομήτην Dicebant eum, qui antè ignauus habitus, præclarius expectatione ſeſe geſſiſſet in negotio. Aiunt pugilem quempiam apud Samios fuiſſe, qui quum ab aduerſariis haberetur ludibrio, quòd comatus eſſet, cõmiſſus cum illis vicit. *Plutarchus.*

## Sardanapalus.

Σαρδανάπαλος. Huius cognomen ob inſignem hominis *Ariſtoph.*



Ayuntamiento de Madrid

molliciem abiit in prouerbium. Fuit autem Sardanapalus delitiis vſqueadeò effœminatus, vt inter Eunuchos & puellas, ipſe puellari cultu deſidere ſit ſolitus.

## Lesbiis digna.

Λεσβίων ἀξία. De rebus irritis dicebatur, ob id, vt coniicio, quòd Lesbij ob vanitatem vulgò malè audirent. Fortaſſis non malè quadrarit & in ſordidos atque impuros. vnde λεσβιεῖν dictum, pro eo quod eſt, Polluere & conſpurcare.

## Leſbiari.

Λεσβιάζειν. Antiquitus polluere dicebatur. Aiunt turpitudinem quæ per os peragitur, fellationis opinor, aut irrumationis, primum à Lesbiis auctoribus fuiſſe profectam, & apud illos primum omnium feminam tale quiddam paſſam eſſe.

*Stepha.*

## Corinthiari.

Κορινθιάζεσθαι. Veteres vulgato ioco dicebant eos, qui ſcortationibus ac luſtris indulgerent, qui vel lenocinium exercerent. Sumtum eſt à meretricibus Corinthienſibus, de quibus ſuo loco dictum eſt.

## Lydus in meridie.

Λυδὸς ἐν μεσυμβρίᾳ. In hominem inſatiatæ aut etiam intempeſtiuæ libidinis dictitabatur. Narrant Lydos adeò libidine perditos fuiſſe, vt non tantùm noctu vacarent voluptati Venereæ, verumetiam ipſo meridie laſciuirent, manibus fœdum opus peragentes.

*Suidas.*

## Lydus cauponatur.

Λυδὸς καπηλεύει. In effeminatos, & voluptatibus addictos. Ex huiuſmodi natum hiſtoria tradunt. Cyrus Rex deuictis Lydis imperauit, vt cauponiam exercerent, neque tractarent arma; ſed veſte ad terram vſque demiſſa vterentur, quæ olim molliciem indicabat, vt ad eum modum veluti in fœminas trãsformati, ad rebellionẽ fierẽt inutiles.

## Pepones.

Πέπονες. Prouerbiali conuitio dicuntur homines molles, parúmque viri. Metaphora ſumta à fructu, qui ſimul atque maturuit, dulcis quidẽ eſt, verùm flaccidus & inutilis. Homerus: ὦ πέπον, ὦ Μενέλαε. O Pepon, ô Menelae.

Ayuntamiento de Madrid

## Lydio more.

*Heſychius.*

Λυδίῳ νόμῳ. Id eſt, Lydia lege, ſiue Lydia cantione. Conuenit quoties ariolatur aliquis, & auguriis, diuinationibúſque ſeruit. Hac enim ſuperſtitione Lydi laboraſſe feruntur.

## Videre mihi labda.

Δοκεῖς δέ μοι καὶ λάβδα κατὰ τοὺς Λεσβίους. Id eſt, Mihi videre & labda iuxta Leſbios. Fellatricem indicat velut ęnigmate primæ litteræ, quæ communis Leſbiis, & vitio, quod ei tribuitur genti. Ex Ariſtophanis concionatricibus.

## Adonidis horti.

*Pauſanias.*

Ἀδώνιδος κῆποι. De rębus leuiculis dicebatur, parúmque frugiferis, & ad breuem, præſentémque modò voluptatem idoneis. Erant Adonidos horti Veneri ſacri, propter Adonidem eius amaſium, primo ætatis flore præreptum, atque in florem conuerſum.

## Vt Corinthia videris.

*Plutarchus.*

Ἀ' Κορινθία ἔοικας χοιροπωλήσειν. Id eſt, Corinthia videris corpore quæſtum factura. In mulierem intempeſtiùs libidinantem. De mulieribus Corinthiis præſtantibus dictũ eſt alibi.

## Agathonica cantio.

*Zenodotus.*

Ἀγαθώνιος αὔλησις. Rectè dicetur de oratione blanda magis quàm frugifera. Agathon tibicen quiſpiam erat, cãtilenarum ſuauitate maiorem in modum aures deliniens. Nec huius mores diſſimiles muſicæ fuiſſe perhibentur. Laborauit enim infamia molliciei.

## Chalcidiſſare.

Χαλκιδίζειν καὶ χαλκιδεύεσθαι dicebantur, qui rapaciores & plus ſatis ad rem attenti viderentur. Chalcidenſes in inſula Eubœa populi, comœdiæ veteris cõuitiis notati ſunt, quòd auariores eſſent.

## Phicidiſſare.

Φικιδίζειν. Dicebantur viri puerorum obſcenis amoribus dediti.

## Siphniaſſare.

*Stephan.*

Σιφνιάζειν. Pro eo quod eſt, Manum admouere poſtico. Sumtum eſt à moribus Siphniorum, qui libidinis cauſſa id factitare conſueuerint. Eſt autem Siphnus inſula quæpiam

Ayuntamiento de Madrid

haud procul à Creta.

Αὐτολήκυθοι.

Vulgato prouerbio dicebantur, qui non ex animo, ſed ventris cauſſa colerent amicos.

Κλειτοριάζειν.

Vulgato conuitio dicebantur ij, qui puerorum amoribus oblectarentur, aut [vt Diogenianus ait] mulieres immodicè libidinoſæ.

## Cliſthenem video.

Κλεισθένην ὁρῶ. Cliſthenes hic malè audiit, & Comicorum conuitiis laceratus eſt, quòd parum vir haberetur, ſeſéque cultu indecoro, velut in mulierem transfiguraret.

## Cleocritus.

Κλεόκριτος. Id nominis contumeliæ cauſſa iaciebatur in cinædos ac molles, & parum viros. Nam & hunc veteris comœdiæ maledicta nobilitarunt. Dictus eſt autem effœminatus, cinædus hoſpes, obſcuro fœdóque genere, Cybeles filius, &c.

## Sinopiſſas.

Σινωπίζεις. Id eſt, Laſciuis. A Sinope ſcorto quodam celebratæ laſciuiæ, cui cognomen hinc inditum videtur, quòd noxiis eſſet oculis.

## Sus per roſas.

*Eudemus.* Ὗς διὰ ῥόδων. Ego legendum arbitror, διὰ ῥοιδῶν, ἀπὸ τῆς ῥοιᾶς, vt ſit nomen diminutiuum. Rhoæ verò Græcis dicuntur mala Punica. Et dicitur de agreſtibus & intractabilibus. Quemadmodum ſus per mala commodè duci non poteſt.

## Aries cornibus laſciuiens.

*Diogen.* Κριὸς ἀσελγοκέρως. Diogenianus oſtendit conuenire in magnos & laſciuos. Pruriunt cornua arietibus bene paſtis, quod idem accidit bubus.

Ἱππομανεῖν.

Dicebãtur prouerbiali conuitio fœminæ viroſæ, ac libidine pretermodũ pruriẽtes: vt enim equa ἱππομανεῖ, i. equũ appetit: ſic mulier ἀνδρομανεῖ, inſanit præ deſiderio viri.

## Caprarius in æſtu.

*Zenodotus.* Αἰπόλος ἐν χεύματι. Confine illi: Lydus in meridie. Nam

Ayuntamiento de Madrid

his horis caprarij, dum ſeductis gregibus in vmbra latitant, laſciuire ſoliti ſcribuntur. Poteſt ad quamuis voluptatem accommodari non in tempore adhibitam.

## Quæ ſub alis fiunt.

Αἱ ὑπὸ μάλης πράξεις. Id eſt, Pacta ſubalaria. Plutarchus: Ad laborem, ad res honeſtas ſegnis, in his rebus quæ ſub alis fiunt, nihil recuſat. De adulatore loquitur ad honeſta officia tum pigro, tum inutili, ad voluptuaria miniſteria prompto. Equidem opinor ob id adulationi ſub alis ſedem datam eſſe, quòd hæ corporis partes titillationem præcipuè ſentiant.

## E Maſſilia veniſti.

Ἐκ Μασσιλίας ἥκεις. Id eſt, E Maſſilia veniſti. Suidas ait dici ſolitum de iis, qui cultu parum viris decoro vterentur. Quòd Maſſilienſes luxu perditi, muliebrem fermè in modum ornarentur, comis vnguento delibutis.

## Complura maſculi canis cubilia.

Πολλαὶ κυνὸς ἄρσενος εὐναί. Id eſt, Sunt canis infinita cubicula maſculi. Rectè dicetur in hominem mulieroſum, peculiariter in eum, qui non contẽtus certo toro, paſſim per aliena cubilia volutari gaudeat.

## Lentiſcum mandere.

Σχῖνον διατρώγειν. Lentiſcum mandere vel arrodere dicuntur ij, qui nimio comandi corporis ſtudio ſuperfluunt. Nã ex lentiſco dentifricium fieri conſueuit. Is eſt puluiſculus quidam candidandis dentibus comparatus. Martialis:

Lentiſcum melius, ſed ſi tibi frondea cuſpis
Deſuerit, dentes penna leuare poteſt.

Huiuſmodi igitur quibus dentiſcalpium ſemper in ore eſt, lentiſcum arrodere dicuntur, & σχινοτρῶγες, lentiſci arroſores appellantur.

## Peniciſſare.

Πηνικίζειν καὶ δοκεῖς. Perinde valet, quaſi dicas, fucum facere. Nam πηνίκη Græcis comam non genuinam, ſed appoſititiam ſignificat, quam quidam galericulum vocant.

## Πτερυγίζειν.

Dicitur, qui conatur & geſtit quippiam efficere. Sumtum à pullis auium, quum adhuc inuolucres ſunt, alas mouentibus. Lucianus vſurpat pro indecorè & ſcurriliter geſticulari.

Ayuntamiento de Madrid

## Voluptas fœda.

In voluptatem inhoneſtam, aut ſcortum ad perniciem iuuenum omnibus inſtructum artibus, quadrabit illud ex Odyſſ.K. dictum de Circe:

Ηʹχει ἀπῦτας

Ηʹ ῥῦς ἦν λύκυς ποιήσηται ἦν λέοντας. Id eſt; Siquidē omnis Fecerit illa ſuéſue, lupóſue, trucéſue leones.

Αʹλλοτριοφάγοι.

*Athenæus.* Vocantur, quibus dulce eſt aliena viuere quadra.

Huius farinæ eſt quod alibi citauimus, illud Diogeniani, Melle temetipſum perungis.

### INTEMPESTIVA, ET INEPTA.

*Horatius.*

## Simulare cupreſſum.

Ortum ab imperito quopiam pictore, qui præter cupreſſum nihil nouerat pingere. A quo quum naufragus quidam petiſſet, vt vultum ſuum exprimeret, ac naufragium ſuum depingeret, interrogauit ille num ex cupreſſo vellet aliquid adiici. Concinnè vſurpabitur in eos, qui quod didicerunt, id vbique intempeſtiuiter inculcant, quum ad rem nihil attineat.

## Intempeſtiua beneuolentia, nihil à ſimultate differt.

*Suidas.*

Αʹκαιρος εὔνοι ὐδὲν ἔχθρας διαφέρει. Id eſt, Par odio importuna beneuolentia. Quadrabit in eos qui dum officioſi ſtudent eſſe, non habita temporis ratione nocent, aut moleſti ſunt ſedulitate. Veluti, qui non apto tempore obiurgat amicum, aut qui immodicis & intempeſtiuis laudibus conciliat homini inuidiam, aut qui pecuniam ſuppeditat adoleſcenti, qua fit deterior.

*Varro.*

## In lente vnguentum.

Τὸ ἐπὶ φακῇ μύρον. Id eſt, In lente vnguentum, ſubaudi narras. Quadrat autem in hominem, aut in rem quampiam, quæ neutiquam in tempore adhibeatur iis, quibus minimè congruit. Veluti ſi philoſophum iuuenum laſciuientium cōuiuio miſceas. Aut inter pocula, de rebus grauibus ac theologicis incipias diſputare. Quemadmodum videlicet lenticulæ vili legumini ineptè quis admiſcuerit vnguentum.

Ayuntamiento de Madrid

## In craſtinum ſeria.

Εἰς ἄυϱιον τὰ σπουδαῖα. Id eſt, In craſtinum ſeria. Plutarchus in vita Pelopidæ narrat hanc vocem apud Græcos abiiſſe in prouerbium, &c.

## Æſtate penulam deteris.

Ἐν θέρει τὴν χλαῖναν κατατρίβεις. Rectè dicetur in eum, qui res neceſſarias temerè nec in tempore profundit, aliquando futuras vſui ſi ſeruentur. *Zenodotus.*

## Menſe Maio nubunt malè.

Dici poteſt in eos, qui alieno tempore quidquam faciunt, aut qui parum auſpicatò quid aggrediuntur. Nam olim inauſpicatum exiſtimabatur mulieres Maio menſe nubere. Ouid. in Faſt. *Ariſtotel.*

Menſe malas Maio nubere vulgus ait.

## Mentham belli tempore neque ſerito, neque edito.

Μίνθην ἐν πολέμῳ μήτ᾽ ἔσθιε, μήτε φύτευε. Id eſt, Mentham nec comedas, nec plantes tempore belli. Mentha corpori frigus adducit, quia ſemen genitale minuit: Frigus autem aduerſatur fortitudini, atque audaciæ. Poteſt & in eum ſenſum deflecti parœmia, vt admoneat ne quid alieno tempore fiat, quod officiat.

## Roſam, quæ præteriit, ne quæras iterum.

Ῥόδον παρελθὼν μηκέτι ζήτει πάλιν. Id eſt, Ne quære rurſum præteritam ſemel roſam. Ne te maceres deſiderio rerum, quæ reuocari, reſtituíque non queunt, velut exactæ iuuentæ, formæ, virium, fortunæ. Nam vt nihil eſt roſa gratius, ita nihil minus diuturnum.

## Foras Cares, non amplius anthiſteria.

Θύραζε Κᾶρες, οὐκ ἔτ᾽ ἀνθεστήρια. Id eſt, Cares foras peracta enim anthiſteria. Dici conſueuit, vbi quis ſemper eadem ſibi ſperat commoda, aut idem ſemper licitum fore credit, quod aliquando pro temporis ratione fuerit permiſſum. Athenienſibus menſis quidam Anthiſterion appellabatur, quòd is plurimos flores progigneret. In hoc feſta quæpiam agebantur & conuiuia liberaliora. Exactis autem feriis, quum iam ad ſolitas operas reuocarentur ſerui, hoc peracto dicebant heri: Foras Cares, non iam

Ayuntamiento de Madrid

amplius Anthiſteria. Cares autem ſeruos appellabant, quod ea gens mercenariis operis quæſtum factitaret.

## Anus hirciſſans.

*Ariſtoph.* Γραῦς χαπρῶσα. Id eſt, Anus hirciſſans. De anu adhuc intempeſtiua libidine pruriente. Nota eſt hircorum libido, ordorque.

## Anus bacchatur.

Γραῦς βακχεύει. Id eſt, Anus bacchatur. In eos dici ſolitum, qui præter ætatem indecorè laſciuiunt. Nam Bacchanalium licentia iuuenculis vtcunque permittitur, aniculis certè fœdiſſima eſt.

## Feli crocoton.

Γαλῇ κροκωτόν. Id eſt, Feli crocoton, ſubaudiendum das, aut addis. Dici ſolitum quoties honos datur indignis, & quos haud quaquam decet. Aut quum datur quippiam iis, qui munere non norunt vti. Crocoton veſtis genus eſt rotundæ ac fimbriatæ, qua diuites vtebantur.

## Quid de puſillis magna procemia.

*Plutarchus.* Τί μικρῶν πέρι μεγάλα προοιμιάζῃς. Id eſt, Quid de minutis rebus magna texis procemia? Vbi quis in re non magni momenti, verboſa vtitur præloquutione. Horatius: Quorſum hæc tam putrida tendunt? Huic cognatum eſt: Abſque procemiis & affectibus.

## Ab vnguibus incipere.

Ἐκ τῶν ὀνύχων ἄρχεσθαι. Dicuntur, qui à leuiſſimis miniméque ad rem pertinentibus ordiuntur.

## Tragœdias in nugis agere.

*Cicero.* Tragedias in nugis agit, qui in re leuicula tumultum mouet, vt ait Terẽtius, Magno conatu magnas nugas dicit.

## Annoſam arborem tranſplantare.

Γέρων δρῦν μεταφυτεύειν. Id eſt, Vetulam arborem tranſplantare. In eos dicitur, qui ſerò atque exacta iam ætate conantur dediſcere, quibus diu iuuenes aſſueuerint. Aut ſimpliciter de iis, quæ fruſtra molimur.

## Ne vnquam viri ſenis.

*Zenodotus.* Ἀνδρὸς γέροντος μήποτ' εἰς πυγὴν ὁρᾶν. Id eſt, Tu ne viri vnquam inſpicito podicem ſenis, id eſt, ne requiras illud à quoquam quod ab eo præſtari non poſſit.

Ayuntamiento de Madrid

## In ſenem emeritum, ſed facundum.

Homerus.

In eos, qui ad rem gerendam iam inutiles ſunt ob ætatem, verùm oratione valẽt appoſitè, dixeris illud Homeri:

Γήραϊ δὴ πολέμοιο πεπαυμένοι, ἀλλ' ἀγορηταὶ Ἐσθλοί.

Iam ob ſenium bello emeriti, ſed dicere tantũ Egregii.

## Moleſtum, ſapientem apud ſtultos loqui.

Diogenian.

Ἀργαλέον φρονέοντα παρ' ἄφροσι πόλλ' ἀγορεύειν. Id eſt, Dicere multa graue eſt, ſapientem apud inſipientes. Nihil intractabilius homine ſtulto, qui quidquid rectè dicitur, in diuerſam partem rapit.

## Malum eſt bonum.

Καλὸν τὸ καλὸν ἤτοι μὴ καιροῦ τύχῃ. Id eſt, Bonum malum fit, tempore datum haud ſuo. Nihil gratum, quod intempeſtiuum.

## In pace leones.

Ariſtophanes in Pluto:

Οἴκοι μὲν λέοντες, ἐν μάχῃ δ' ἀλώπεκες. Id eſt.

Quum leones ſint domi, idẽ in Marte ſunt vulpeculæ.

Conueniet in eos qui præpoſterè ſe gerunt. Aut in illos, qui ſimulata manſuetudine perueniunt ad tyrannidem.

## Mira de lente.

Vide, Aliena de re.

# INTERNECIO.

## Funditus, & radicitus.

Plautus. Cicero.

Quod prorſus & citra ſpem inſtaurationis perditur, funditus ac radicitus tolli dicitur: quorum alterum ſumtum eſt ab ædificio, quum æquatur ſolo, alterum ab arboribus, quum non ſolùm amputantur rami, verùm etiã ipſa ſtirps inciditur, aut vnà cum radicibus tollitur, &c. Quod nos dicimus, radicitus ſiue à ſtirpe, Græci dicunt ἐκπρεμνίζειν, quaſi dicas, extirpare. Multum accedet gratiæ ſi ad animũ deflectatur: veluti ſiquis dicat ambitionem, auaritiam ac libidinem funditus ac radicitus ex animo reuellendam.

## Ne bolus quidem relictus.

Eupolis.

Οὐδ' ἔγκαφος λέλειπται. Id eſt, Ne bolus quidem relictus eſt, hoc eſt, nec vel pauxillum. Nam ἔγκαφος id apud Græcos ſignificat, quod nos vulgata voce magis quàm Latina, morſellũ dicimus, à verbo κάπτω, quod eſt auidè comedo.

Ayuntamiento de Madrid

*Euſtathius.*

## Ne ignifer quidem reliquus eſt factus.

Οὐδὲ πυρφόρος ἐλείφθη. Id eſt, Ne ignifer quidem ſuperfuit. Vbi ſignificamus omnes ad vnum interiiſſe adeò, vt ne ei quidem ſit parcitum qui ignem præferat exercitui.

## Pinus in morem.

Πεύκης τρόπον. Id eſt, Piceæ ritu. Vbi quis funditus radicitúſque perit, ita vt nullo pacto reſtitui poſſit, piceæ ritu perditus dicitur. Nam piceā ſucciſam negant ſuppullulaſcere.

## Totum ſubuertere.

Ὅλον ἀνατρέπειν. Id eſt, Totum euertere. Dicitur qui funditus perdit quempiam, & velut ab ipſis radicibus, funditúſque. Ductum ab ædificiis, quæ ſubuertuntur à fundamentis.

## Perdere naulum.

Iuuenalis: Furor eſt poſt omnia perdere naulum.
In eum, qui quum multa admiſerit, reliquum etiam velit perdere. Metaphora ſumta à mercatoribus.

## Cum cane ſimul & lorum.

Σὺν τῷ κυνὶ καὶ τὸν ἱμάντα. Id eſt, Vnà cum cane lorum quoque. Eudemus indicat dici, quoties ſimul omnia pereunt.

## Qui iure perierunt.

In eos, qui ſuo merito pereunt, cōueniet illud Homeri:
Τούσδε δὲ μοῖρ' ἐδάμασσε θεῶν, καὶ σχέτλια ἔργα.
Hos fatum & malefacta neci exitióque dederunt.

## Omitte vatem.

Πάρες τὸν μάντιν. Id eſt, Omitte vatem. Vti conueniet, quoties alicui parcendum admonebimus, quòd is eximius ſit & immunis habendus à vulgari ſorte. Velut ſi quis poëtæ, Theologo ſacerdoti diceret oportere parci. Antiquitus mos erat, vt augur coronatus ante aciem incederet, neque fas erat hunc telis impetere, vtpote virum ſacrum. Poterit adagium etiam per ironiam vſurpari.

# INVIDIA, AEMVLATIO.

## Cognatio mouet inuidiam.

Ariſtoteles Rhetoricorum lib. 2. docens inuidiam oriri erga vicina & cognata (nullus enim inuidet olim defunctis, aut diuerſi generis, aut immenſo interuallo ſuperioribus, inferioribúſue) adducit huius verſiculi teſtimoniū.

Τὸ

Ayuntamiento de Madrid

Τὸ συγγενὲς γὰρ καὶ φθονεῖν ἐπίσταται. Id eſt.

Etenim inuidere nouit ipſa affinitas. Vnde qui eò altitudinis proceſſerunt, vt inuidiam gloria ſuperarint, extra omnem alcam, extráque inuidiæ tela eſſe dicuntur.

## Eſurienti ne occurras.

Prouerbii faciem habet illud Theocriti in Syracuſanis: Gorgo hortans ad reditum quòd maritus eſſet iracundus, addicit :

Πεινᾶντί γε μηδέποτ' ἔνθῃς. Id eſt.

Abſit vt vnquam occurreris eſurienti.

Fames enim exaſperat iracundiam. Vnde apud Plautum aliquis iracundiùs loquentem rogat, quàm pridem ediſſet. Apud eundem eſt. Fames & mora bilem in naſum conciunt.

## Figulus figulo inuidet, Faber fabro.

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων, *Heſiodus.*

Καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.

Odit ita fabrumque faber, figulóque moleſtus eſt

Figulus: mendico protinus inuidet alter

Mendicus, cantor cantorem liuidus odit.

## Inimicus & inuidus vicinorum oculus.

Alcipus in epiſtola quadam ad Eucymonem : Δυσμενὴς, καὶ βάσκανος ὁ τῶν γειτόνων ὀφθαλμὸς, φησὶν ἡ παροιμία. Id eſt, Inimicus & inuidus vicinorum oculus, vt dictum eſt prouerbio, vicinus vicino inuidet. Nec inuidemus iis, à quibus longo abſumus interuallo, ſed quos propemodum ſperamus aſſequi. *Zenodot.*

## Vnicum arbuſtum haud alit duos erithacos.

Μία λόχμη οὐ τρέφει δύο ἐριθάκους. Id eſt, Idem arbuſtum non alit duos erithacos. Non intempeſtiuiter dicitur in eos, quibus parum conuenit, nec in eodem munere concorditer verſari queunt. Eſt autem erithacus auis quædam ſolitaria, vt in eodem ſaltu non temerè niſi vnam inuenias. Alexander Magnus dixit non diſſimile huic: Mundum non capere duos ſoles.

## Vna domus non alit duos canes.

Εἷς οἶκος οὐ δύναται τρέφειν τοὺς δύο κύνας. Id eſt, Eadem domus non bene canes alit duos. In eos, inter quos parum



Ayuntamiento de Madrid

conuenit, propter idem lucrum quod communiter expectunt. Sic idem regnum non ſert duos ambitioſos tyrãnos.

## Zoili.

Zoili vocantur alienarum laudum obtrectatores, & alienorum laborum reprehenſores. Zoilus ſophiſta quiſpiam fuit, qui Homerum auſus eſt, libris in eum ſcriptis, inceſſere. Vnde ὁμηρομάστιγος cognomen meruit. Sic enim appellantur nobilium auctorum caſtigatores.

## Edentulus veſcentium dentibus inuidet.

D. Hieronymus: Cui quæſo vt ſuadeas, ne veſcentium dentibus edentulus inuideat, & oculos caprearum talpa contẽnat, hoc eſt, ne quod ipſi non cõtingit, aliis inuideat.

## Expertes inuidentiæ muſarum fores.

Ἄφθονοι μουσῶν θύραι. Id eſt, Candidæ muſarum ianuæ. De his dictitatum, qui litteraturam ſuam candidè libentérque impertiunt aliis, & ad docendum promti, propenſique ſunt.

## Iactantiæ comes inuidia.

Qui monebit, ne quis inſolentiùs iactet vel fortunæ munera, vel naturæ dotes, nequando Nemeſis exaudiat auferatque, non intempeſtiuiter vſurpabit illud Homeri:

Ἀλλ' ὅγε σιγῇ δέχε θεῶν ἔχοι, ὅττι διδοῖεν.

Poſſideat tacitus, ſi qua adſunt numina Diuûm.

## Turpe ſilere.

*Ariſtotel.* Αἰσχρὸν σιωπᾷν. Hoc licebit vti, quoties quis alterius exemplo extimulatur ad ſtudium, aut negotium aliquod ſuſcipiendum.

## Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

*Horatius.* Vitium illud ſignificat humanis ingeniis inſitum, vt ſemper alienam ſortem magis mirentur, ſuam contemnant, ac faſtidiant: optent inexperta, experta damnent.

## Fertilior ſeges eſt in alieno agro.

Ouid. Fertilior ſeges eſt alieno ſemper in aruo,
Vicinumque pecus grandius vber habet.

Perſius: Securus & angulus ille. Aul. Gell. Aliena nobis, noſtra plus aliis placent. Horat.

Qui fit Mæcenas, vt nemo, quam ſibi ſortem

Ayuntamiento de Madrid

Seu ratio dederit, ſeu fors obiecerit, illa
Contentus viuat, laudet diuerſa ſequentes?

## Præſtat inuidioſum eſſe.

*Herodot.*

Præſtat inuidioſum eſſe, quàm miſerabilem. Nam inuidia ferè comes eſt felicitatis, miſeratio calamitatis.

# IRA.

## Lucernam accendere poſſis.

Vehementem iram hac hyperbole exaggerauit Theocritus in Thionicho:

Κῆφατ' ἔτ', εὐμαρέως κεν ἀπ' αὐτῆς καὶ λύχνον ἅψαις.
Id eſt.
Incaluitque ira, facile accendiſſe lucernam
Ex ipſa vt poſſis.

## In fermento iacere.

*Plautus.*

Ἐν τῇ ζύμῃ κεῖσθαι. Dicebantur, qui animo eſſent ægro, quíque iracundia turgerent. Nota tranſlatio. Fermentum enim & acorem habet & tumorem. Vnde & in diuinis litteris fermētum malitiæ rancoriſq; ſignificationem habet.

## Fluctus mutus.

Κῦμα κωφόν. Fluctum mutum appellabant, qui nondum edebat fragorem, ſed iam incipiebat intumeſcere. Dici poteſt de bili hominis quæ nondum erupit in conuitium, ſed tacitè inardeſcit.

## Iracundior Adria.

Qui moribus parum eſt commodis, & irritabili ingenio, Adriæ comparatur prouerbio.

## Demiſſis auriculis.

Qui deiecto ſunt animo, auriculas ſuper humeros habere dicuntur. Plato lib. de Repub. 10. Τὰ ὦτα ἐπὶ τῶν ὤμων ἔχοντες. Id eſt: Auriculas ſuper humeros habentes, hoc eſt, animis deiectis & ægris. Sumtum à iumentis, aurium moribus animi affectum teſtantibus.

## Mordere frænum.

*Brutus.*

Pro eo quod eſt, vel leuiter repugnare ſeruituti. Papinius in diuerſum ſenſum vſurpauit, nempe pro eo quod eſt ſeruitutem accipere, frænumque recipere.

## Mordere labrum.

*Ariſtoph.*

Ἐσθίειν τὰ χείλη. Id eſt, Comedere labra. Vel hodiernis



Ayuntamiento de Madrid

temporibus vulgò dicitur, qui ſtomachatur, animóque ringitur. Sumtum ab indignantium geſtu.

Tacitè ſtomachari.

In eum qui ſecum indignatur quadrabit illud Homeri:
Ὁ δ' ἐχώσατο κηρόθι μᾶλλον. Id eſt.
Illi cor magis, atque magis ſuccenditur ira.

ITERATIO CIRCA TAEDIVM.

Bis ac ter quod pulcrum.

Δὶς καὶ τρὶς τὸ καλόν. Id eſt, Iterum ac tertiò quod pulcrum eſt, ſubaudi, dicendum eſt. Vſurpatur à Platone. Cæterùm bene videtur prouerbio dictum, quod egregium ſit, id iterum ac tertiò in ſermone repeti oportere. Lucianus: Nulla ſatietas rerum honeſtarum. Omnino ea vis ineſt rebus egregiis, vt quo ſæpius ac preſſius inſpiciantur, hoc magis ac magis placeant.

ITERATVS ERROR.

*Horatius.* Eadem oberrare chorda.

A cantoribus ducta tranſlatio eſt. In eos concinnè dicetur, qui vel in ſimili re crebriùs peccant, vel culpam eandem iterum atque iterum committunt. Primus enim lapſus vel caſui datur, vel imprudentiæ, iteratus ſtultitiæ tribuitur, aut inſcitiæ.

*Zenodotus.* Iterum eundem ad lapidem offendere.

Δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν αἰσχρὸν ἐγχρούειν λίθον. Id eſt, Iterum ad eundem turpe lapidem impingere. Sapientis haud eſt, bis in eodem labier.

Vulpes non iterum capitur laqueo.

Ἀλλ' οὐκ αὖθις ἀλώπηξ πάγαις. Id eſt, At non iterum vulpes laqueis, ſubaudiendum, capitur. Stupidi eſt hominis, in malum guſtatum incidere.

*Val. Maxim.* Non licet in bello bis peccare.

Ἁμαρτεῖν οὐκ ἔνεστι δὶς ἐν πολέμῳ. Id eſt, In bello bis errare non licet. In rebus periculoſis non eſt tutum labi. Nam ſi ſemel erretur, actum eſt de capite, nec eſt ſecundo errori locus. Deliberandum ergo eſt diu, quidquid ſtatuendum eſt ſemel, puta de ſacerdotio, de matrimonio, &c.

Venia primùm experienti.

Ayuntamiento de Madrid

Συγγνώμη πρωτοπείρῳ. Id eſt, Venia primùm experienti. Ignoſcendum his, qui rudes nouo quopiam in negotio incipiunt verſari, ſi quid per imperitiam peccarint. *Diogenian.*

## Sus in volutabro cœni.

Υ̃ς λουσαμένη εἰς κύλισμα βορβόρου. Id eſt, Sus lota rediit ad volutabrum luti. Quum quis iterat iam extirpata flagitia. Extat in epiſtolis Petri.

## Canis reuerſus ad vomitum.

*Idem.*

Κύων ἐπὶ τὸ ἴδιον ἐξέραμα. Id eſt, Canis ad proprium vomitum. Quadrabit in eos, qui relabuntur in eadem flagitia.

## Decipienti ſemel.

Ioannes Campanus: Decipienti me ſemel, Dii malè faxint:faxintque bene,ſi bis idem deceperit.Confine illi:Improbè Neptunum accuſat, qui iterum naufragium facit.

### IVDICANDI RECTE, SECVS.

## In quinque iudicum genibus ſitum eſt.

*Zenodotus.*

Ἐν πέντε κριτῶν γούνασι κεῖται. In quinque ſitum genibus iudicum,id eſt,in alieno arbitrio res eſt poſita. Nam antiquitùs quinque iudicibus datum erat negotium,vt de Comicorum fabulis pronuntiarent. Quum ſignificabimus non eſſe noſtræ facultatis, præſtare rei exitum, verùm hunc Superis & Fortunæ in manu eſſe. Pindarus: Nunc ſpes quidem mihi, at in Deo ſitus exitus.

## Panidis ſuffragium.

Πανίδος ψῆφος. In eos torquebatur, qui ſtultè atque ineruditè iudicarent.Aiunt Panidem hunc Chalcidis regem fuiſſe, qui Heſiodum Homero prætulerit, perinde quaſi dicas:Midæ ſuffragium.In genere, conueniet in iudicia vulgi, cui ferè ſemper peſſima pro optimis placuerunt.

## Sus tubam audiuit.

Σάλπιγγος ὗς ἤκουε. In eos quadrabit, qui res quidem egregias audiunt, verùm eas neque intelligunt,neque mirantur. Aut in eos, qui iis quæ audiunt, neque gaudent, neque commouentur.

## Quod index auro,id aurum homini.

*Suidas.*

In ſaxeis coticulis aurum exploratur, euidens præbens ſpecimen. In auro verò proborum pariter & improbo-



Ayuntamiento de Madrid

rum ingenium deprehenditur.

Πλοῦτος δ' βάσανός ἐστιν ἀνθρώπου τρόπων.

Opes, vt index, hominis ingenium arguunt.

*Theophraſt.*

## Lydius lapis, ſiue Heraclius lapis.

Λίθος ἡρακλεία, ἢ λίθος λυδή. Id eſt, Lapis Heraclius, ſiue Lydius lapis. In eos dicitur, qui vehementer acri, exactóque iudicio ſunt. Adagium accommodari poteſt, vel ad perſonam, vel ad rem.

## Gnomon & regula.

Quod in re quapiam præcipuum, & ad quod vnum reliqua omnia conferuntur, regulam & gnomonem prouerbio vocabant. Porrò ad regulam adæquant fabri ſtructuram. Idem vtuntur gnomonibus. Conſtat autem gnomon è duabus lineis rectis, quas vtrinque dimetiens, diſſecto quadrangulo conſtituit.

## Emunctæ naris. Mucoſis naribus.

Emunctæ naris dicitur acri exactóque iudicio, quaſi purgatis naribus, mucóque emunctis. Horatius.

Emunctæ naris, durus componero verſus.

Contrà, obeſæ naris dicuntur ſtupidiores.

*Plutarchus.*

## Tenedius homo.

Τενέδιος ἄνθρωπος. Dici ſolitum de homine tetrico, formidabilíque aſpectu. Suidas ait regem quempiam Tenedi fuiſſe, cui nomen Tenes, qui leges tulerit, vt à tergo iudicis aſtaret quiſpiam ſecurim tenens, videlicet in hoc paratus, vt qui perperam quid in iudicio dixiſſet, opinor mendacium aut falſum teſtimonium, eum protinus ſecuri feriret.

## Tenedius patronus.

Τενέδιος συνήγορος. Id eſt, Tenedius aduocatus. Eodem è fonte profectum eſt, & hoc dici ſolitum de eo, qui compendio cauſſam expedit, litiſque nodum ocyùs diſſecat. Ductum à Tenedia ſecuri.

*Iuuenalis.*

## Manum ferulæ ſubduximus.

Antiquitùs litteratores diſcipulorum manus ferulà cædebant. Vnde manus ferulæ ſubduxiſſe dicuntur, qui deſierunt in ludo litterario verſari, neque iam vt pueri docendi, ſed vtcunque docti ſunt.

Ayuntamiento de Madrid

## Nouit quid album, quid nigrum.

Duplicem in ſententiam accipi poteſt. Aut nouit diſcrimen recti, prauique, aut nouit id quod nemo vel indoctus ignorat. Nam euidentius eſt albi nigrique diſcrimen, quàm vt quiſquam non videat. Videtur tractum eſſe à priſcis illis mortalibus, qui duos tantùm naturales colores nouerant, album & nigrum, teſte Pompeio.

## Nouit mala & bona.

In eum, qui per ætatem vſumque rerum, iam delectum habere poteſt fugiendorum atque expetendorum, congruet illud Homeri:

Δὴ γὰρ νοέω, καὶ οἶδα ἕκαστα,
Ἐσθλά τε καὶ τὰ χέρεια.
Iam dudum ſiquidem nouique & ſentio cuncta,
Quæ bona, quæque mala.

## Purpura iuxta purpuram dijudicanda.

Ἡ πορφύρα πρὸς τὴν πορφύραν διακριτέα. Id eſt, Purpura ad purpuram diiudicanda eſt. Certiſſimum iudicium ex collatione naſcitur. Vnde emtores mercaturi purpuram, ne fallantur, alteram adhibent purpuram. *Plato.*

## Alba amuſſi.

Λευκῇ στάθμῃ. Hoc eſt, nullo delectu ac citra diſcrimen. Effertur & ſic: In albo lapide alba linea. Dicitur vel in eos qui nullo ſunt iudicio, vel in ſtupidos, vel in eos qui incertis probant, aut ſignificant incerta. Solet enim funiculus ille minio oblini, quo diſcrimen faciat. Vnde & rubricam vocauit Perſius: Ac ſi oculo rubricā dirigat vno.

## Nullus delectus.

Ariſtoteles lib. II. Politico., refert hunc verſiculum:

Ἐν δὲ ἰῇ τιμῇ ἠμὲν κακὸς ἠδὲ καὶ ἐσθλός. Id eſt.
Par honor, ignauóque viro, & virtute valenti.

Quo licebit vti ſi quando ſignificabimus nihil eſſe diſcriminis inter eruditum & impoſtorem, inter bene merentem & malè merentem, &c.

## Lesbia regula.

Dicitur, quoties præpoſterè, non ad rationem factum, ſed ratio ad factum accommodatur, & quum lex moribus applicatur, non mores ad legem emendantur: aut quoties



Ayuntamiento de Madrid

Princeps ſe populi moribus accommodat, quum contrà
Diogen. conueniat plebẽ ad Principis arbitrium vitam inſtituere, ſi
modò Princeps iſte ad honeſti regulam ac ſcopum reſpi-
ciat.

## Naſus.

Ipſe denique naſus in prouerbio abiit pro iudicio. Horatius: Non quia nullus illis naſus erat. Faciunt item huc quæ citauimus, partim etiam citabimus alibi:

Auris Bataua. Coruus albus.

Cœci præſcriptio. Cenſoria virgula.

### IVVENTA.

## Iuuenta viribus pollet.

Ad vires plurimum momenti adfert ætas iuuenta. Ad id facit illud Homeri:

Καὶ δ' ἔχει ἥβης ἄνθος, ὅτε κράτος ἐστὶ μέγιστον.

Flos quoque adeſt æui, cuius nunc maxima vis eſt.

## Iuuenari.

Iuuenari dixit Horatius, quod Græci νεάζειν νεανίζειν, νεανιεύειν, pro eo quod eſt, iuuenum more iactantius, inconſideratius, inconſultius agere, aut ſi quid aliud ei ætati peculiãre videtur. Quod quo longius traducatur, hoc fuerit venuſtius, vt ſi quis orationem floridam phaleratámque dicat νεανίζειν. Eiuſdem formæ eſt γυναικίζειν, pro geſtu, cultùque repræſentare mulierem. *Ariſtotel.*

### IVSTITIA.

## Iuſtitia in ſe virtutem complectitur omnẽ.

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετ' ἐστίν. id eſt, Iuſtitia in ſe virtutem complectitur omnem.

## Homines frugi omnia rectè faciunt.

M. Tullius lib. Tuſcul. 4. Frugalitatis nomen tanquam ad caput referre volumus, quòd niſi eo nomine virtutes continerentur, nunquam illud tam peruulgatum eſſet, vt iam prouerbij locum obtineret, Homines frugi omnia rectè facere.

*Ariſtotel.*

## Exigua res eſt ipſa iuſtitia.

Quo prouerbio ſignificabant, non multum adferre momenti, ſi probus ſis, niſi talis etiam habearis: & opinionem longè plus valere, quàm ipſam rem.

Ayuntamiento de Madrid

## Trutina iuſtius.

Δικαιότερον τρυτάνης Id eſt, Iuſtius trutina. De iis, qui inſigni, incorruptaque ſunt æquitate. Eſt autem id libræ genus, quo vel minutiſſimum ponderis momentum ſentitur, dignoſcitúrque. Latini quoque exactam qualitatem æquilibrium appellant. Vnde & æqua lance dicitur.

## Iuſtitiæ oculus.

Δίκης ὀφθαλμός. Dicitur ſyncerus & incorruptus iudex, aut ipſum etiam iudicium. Adagij meminit Suidas.

## Iuſtitia iuſtior.

Δίκης δικαιότερος. De vehementer integris & incorruptis.

## Maras.

Μάρας. Hoc nomine ferunt fuiſſe quempiam apud Berœam Syriæ ciuitatem, ditiſſimum quidem illum, verùm nihilominus humanum & officioſum in omnes, tum ciues, tum hoſpites. Vnde & vulgò receptum, vt id vocabuli tribueretur viris, qui ad multorũ vtilitatem nati viderentur. Suidas.

## Bocchyris.

Βάκχυρις ſiue Βόκχυρις. Rex quidam fuit Ægyptiorum, adeò notæ & incorruptæ in iudicandis litibus iuſtitiæ, vt vulgò ſi quem magnopere iuſtum & integrum ſignificare vellent, Bocchyrim appellarent. Dici poteſt & de iis, qui non temere de re quapiam pronunciant.

## Rhadamantheum iudicium.

Ῥαδαμάνθυος κρίσις. De incorruptè iudicantibus. Rhadamanthus manium iudex, neque muneribus, neque gratia flectitur, quominus ſeuerè iudicet. Accommodari poteſt ad mortis neceſſitatem, maximis pariter ac minimis æquè communem.

## Orphica vita.

Ὀρφικὸν βίον. id eſt, Orphicam vitam. Plato dixit vitam innoxiam, & à luxu, ſanguinolentíſque dapibus puram. Huiuſmodi vitæ rationem Orpheus videtur inſtituiſſe, vt non ſolùm ſanguine pecudum non inquinatent aras deorum, verum ne veſci quidem vllius animantis carnibus ſuſtineret ſed libis ac frugibus melle conſperſis ſacra facerent, nec aliis ipſe veſcerentur.

Ayuntamiento de Madrid

## Virtus ſimplex.

Ariſtotel. Ἐσθλοὶ μὲν γὰρ ἁπλῶς, παντοδαπῶς δὲ κακοί. id eſt, Eſt ſimplex virtus, omnigenum vitium. Facile enim eſt à ſcopo aberrare, ſed ſcopum attingere difficile.

## Eadem penſari trutina.

Id eſt, eadem lege. Horatius in Sermon. Hac lege in trutina ponetur eadem. Perſius: Examenque improbum in illa Caſtiges trutina. Huic ſimillimum eſt: Æquali trutina, ſiue æqua lance, quòd pari iure ſit citra perſonarum reſpectum.

## Rhamnuſius.

*Eudemus.* Ῥαμνούσιος. Id cognominis olim, ceu prouerbio additum ſapientibus ac moderatis viris. Vel ab eius gentis moribus ductum, vel à Dea Rhamnuſia, quæ modum in omni negotio docet adhibendum.

## Prienenſis iuſtitia.

*Strabo.* Πριηνὴ δίκη. Quum ſignificamus aliquem in iudicando plurimum excellere. A' Biante Prienenſi ſumtum, cuius integritas in iudicandis cauſis in prouerbium abiit.

## Rectàm ingredi viam.

*Ariſtotel.* Τὴν ὀρθὴν βαδίζειν ὁδόν. Rectam ambulare viam dicitur, qui nuſquam deflectit ab honeſto. Huic ſimillimum eſt: Rectam inſtas viam, id eſt, rem acu tetigiſti.

## Dum clauum rectum teneam.

Id eſt, Dum meo fungare officio. Significat non imputandum euentum parum proſperum artifici, modò is præſtiterit quod artis eſt. Nam & gubernator, inquiens Quinctilianus, vult ſalua naue in portum peruenire, ſi tamen tempeſtate fuerit abreptus, non ideò minus erit gubernator, dicetque notum illud: Dum clauum rectum teneã.

## Ad amuſſim applica lapidem, non ad lapidem amuſſim.

*Plutarchus.* Πρὸς στάθμην πέτρον τίθεσο, μὴ τὴ πρὸς πέτρῳ στάθμην. Id eſt, Lapis amuſſi eſt applicandus, non amuſſis ad petram. Admonet vitam ad leges eſſe corrigendam, &c.

## Ne moueto lineam.

Μὴ κίνει γραμμήν. Id eſt, Ne moue lineam. Id tranſlatum à more veterum, qui metam ducta linea ſignabant, in qua

Ayuntamiento de Madrid

re præmium propoſitum erat, quod auferret victor. Significat autem non eſſe mutandas leges, neque prætereundos fines rerum præſcriptos.

## Ex æquo partire.

Ε῎ξ ἴσου δίδου πᾶσιν. id eſt, Ex æquo da omnibus. Tranſlatum ab iis, qui conuiuium aut hereditatem partiuntur. Quadrabit in iudicem aut Principem, quem oportet æquabile ius reddere.

## Æqualitas haud parit bellum. *Plutarchus.*

Ι῎σα πόλεμον οὐ ποιεῖ. Id eſt, Æqualitas bellum haud parit. Æqualitas continetur concordia, inæqualitas diſcordiarum eſt mater.

## Quæ non poſuiſti, ne tollas. *Plato.*

Α῍ μὴ κατέθου, μὴ ἀνέλῃ. id eſt, Quæ non depoſuiſti, ne ſuſtollas. Laërtius refert inter Solonis leges, ſentiens, opinor, de terminis agrorum non mouendis, quos maiores fixiſſent. Conueniet in furaces, & in eos qui repetunt quod non crediderunt. Item qui ſibi poſtulant acceptum ferri quod non præſtiterunt.

## A ſacris abſtinendæ manus.

Vulgò quoque creditum eſt, fatum inſtare ei, qui ſacris rebus ac Deo dicatis manus iniecerit. Vnde Homerus:

Cum diuo certare viro ſimulatque cupit quis,
Cuiq; Deus beneuult, malum huic breui imminet ingēs.

## Nemo quenquam ire prohibet publica via. *Plautus.*

Quo ſignificant rerum communium æqualem omnibus vſum eſſe, neque cuiquam vertendum vitio, quod ius publicum concedit.

## Zaleuci lex. *Val. Max.*

Ζαλεύκου νόμος. De edicto mandatóque plus ſatis rigido, parũque humano dicebatur. Zaleucus quidam Socrenſibus leges tulit acerbiores. Non diſſimile illis: Manliana imperia, & Phalaridis imperium. Quum filius Zaleuci ſecundùm ius ab eo conſtitutum, ob crimen adulterij, vtroque oculo carere deberet, ac tota ciuitas in honorem pœnam adoleſcenti remitteret, repugnauit aliquandiu: poſtremò populi victus precibus, ſuo priùs, deinde filii oculo eruto, ſalua lege, ſupplicii modum temperauit.

Ayuntamiento de Madrid

Dat veniam coruis,vexat cenſura columbas.

*Iuuenal.* Pœna legum exercetur in humiles quoſpiam , rapacibus ignoſcitur.Plutarchus in vita Solonis:Leges aranearum telis adſimiles dicebat,propterea quòd in illas ſi quid leuius aut imbecillum incurrerit,hæret:ſin maius aliquid,diſſecat ac fugit.Terentius in Phorm.

Quia non rete accipitri tenditur,neque miluio.
Qui malè faciunt nobis;illis qui nihil faciunt tenditur.
Quia quum in his fructus eſt,in illis opera luditur.

## Vrbanus nihil æqui cogitat.

Οὐδὲν φρονεῖ δίκαιον ἀνὴρ ἀστικός.Id eſt, Vrbanus æqui nihil,boníue cogitat. Admonet ruſticanam vitam innocentiorem eſſe , vt quæ ſola cum ſolis habeat commercia terris.Contrà qui degunt in vrbibus , propter contagia negotiorum & hominum,aſtutiores euadere. Poteſt huic accõmodari parœmia,quòd eximiæ morum ciuilitati & vrbanę blandiloquentiæ ferè comes eſſe ſolet aſtutia. Contrà qui moribus ſunt agreſtibus,iis plerunque fides eſt certior.

## Quod aliis vitio vertas,ipſe ne feceris.

Quod damnaturus ſis in aliis,in te ne admiſeris.Ad id facit illud Homeri:

Imò adeò ſi quiſquam alius patrare pararet
Tale aliquid,damnaretis,vitióque daretis.

# LACESSENTIS.

*Diogen.*

## Arietem emittit.

Ἄρια προβάλλει.Id eſt,Arietem obiicit.In rixæ pugnæque cupidum dicebatur.Antiquitùs enim bellum ſuſcepturi,fecialem mittebant,qui arietem adductum in hoſtium fines immitteret,hoc ſignificans pacto,ciuitatem & agros illorum hoſtibus compaſcuos fore.

## Cominus atque eminus.

Ἐγγύθεν καὶ πόῤῥωθεν.Tranſlatum à bello,in quo nunc cõferti pugnant gladiis,nunc machinis procul tela in hoſtem torquentes.Id ſi ad animi res transferatur, fiet venuſtius. Cum hominibus habenda pax , cæterùm cum vitiis cominus atque eminus pugnandum.

## Ad pila vbi ventum.

Quum de propinquo res geritur,ad pila ventum dicitur.

Ayuntamiento de Madrid

Pilum autem eſt genus haſtæ Romanæ breuius.

## Non vt prior lædam,ſed vt iniuriam retaliem.

Sed iam datum malo retaliem malum. Conuenit cum illo Terentiano: Sic exiſtimet,reſponſum,non dictum eſſe. *Terentius.*

## Nunquam enim meos boues abegerunt, nec equos.

Οὐ γὰρ πώποτ' ἐμὰς βοῦς ἤλασαν, οὐδὲ μὲν ἵππους. Id eſt, Non enim equos vnquam mihi ſubduxere, bouéſue. Nunquam me læſerunt aut affecerunt iniuria. Quum negamus nobis eſſe cáuſſam,cur illum aut illum odiſſe debeamus. *Plutarchus.*

## Omni conatu inuadere.

Si quem ſignificabimus totis viribus tendere in quempiam oppugnandum,conueniet illud Homeri: *Homerus.*

Αἰνείας δ' ἐπόρουσε σὺν ἀσπίδι δουρί τε μακρῷ.

Obuius Aeneas,clypeóque inſurgit & haſta.

## Pugnis & calcibus.

Πὺξ καὶ λάξ. Pro eo quod eſt,omni contumeliæ genere,totíſque viribus. *Tullius.*

## Irritare crabrones.

Id dictum eſt à Plauto in Amph. in mulierum ingenium, quibus iratis ſi repugnes,magis prouoces, neque ſine tuo malo diſcedas.

## Refricare cicatricem.

Quum dolor temporum ſpatio iam mitior renouatur , refricari cicatrix dicitur. Dicimus & refricare dolorem, & refricare memoriam,& ſuffricare memoriam,pro eo quod eſt,leuiter renouare,ſed in malam ferè partem.

## Tangere hulcus.

Κινεῖν ἢ θιγεῖν τὸ ἕλκος. Id eſt, Mouere ſeu tangere hulcus. Eſt mouere dolorem,eiúſque rei facere mentionem , quæ nos magnopere vrat. Terentius: Quid minus neceſſe fuit, quàm hoc hulcus tangere?

## Vnguis in hulcere.

Cicero in Clodium,qui populum fame iam exaſperatum concionibus inſuper ſeditioſis in rabiem agebat. Vt tu,inquit,in hoc hulcere tanquam vnguis exiſteres.

## Vt lupus ouem.

*Plato.*

Ayuntamiento de Madrid

Ὡς λύκος ἄρνα φιλεῖ. Id eſt, Vt lupus ouem iuuet. Qui ſui commodi gratia ſimulat amorem.

## Ignem gladio ne fodito.

*Pythago.* Πῦρ σιδήρῳ μὴ σκαλεύειν. Hoc eſt, Ira percitum ne laceſſas, quin magis concedere conuenit, & blandis verbis tumidum animum placare.

## Temulentus dormiens non eſt excitandus.

Sopitum ebrium non oportere excitari ſomno. Simillimum eſt autem illi, Malum bene conditum moueas. Non eſt refricandum odium, cui iam tempus induxit obliuionem. Non eſt renouandum animi vulnus, cui iam obduci cicatrix cœpit.

## Thynniſſare.

*Diogenian.* Θυννίζειν. Græci transferunt pro ſtimulare, pungeréque, vel quòd hic piſcis quo ſit palato gratior, pungi ſoleat, vel quòd ipſe piſcis adurat pungátque contacta.

### Laetitia, tristitia.

## Irriſibilis lapis.

*Zenodotus.* Ἀγέλαστος πέτρα. Id eſt, Irriſibile ſaxum. De re vehementer acerba, triſtíq́; Quadrabit in ſeueros ac tetricos, quóſque vocant ἀγελάστους.

## Sinapi victitare.

Triſtes ac ſupra modum tetrici, ſinapi victitare dicuntur, quod hodiéque vulgò tritum eſt. Plautus: Si ecaſtor hic homo ſinapi victitet, Non cenſeam tam eſſe triſtem poſſe.

## Animus habitat in auribus.

*Horatius.* Veteres animo ſedem in oculis dedere, pleríque in corde. At Herodotus docet animum habitare in auribus, quòd qui bene audiunt, voluptate afficiantur; qui ſecus, exacerbentur. Opinor hunc eſſe ſenſum adagij, quòd ex his quæ audimus maximè placatur aut irritatur animus.

## In antro Trophonij vaticinatus eſt.

Ἐν τροφωνίου μεμάντευται. Id eſt, In Trophonij antro vaticinatus eſt. De homine vehementer triſti tetricóque, proptereà quòd olim creditum eſt eum, qui in Trophonij ſpecum deſcendiſſet, poſteà nunquam ridere.

## Harmodij cantilena.

Ayuntamiento de Madrid

Ἁρμοδίου μέλος. Id eſt, Harmodij cantio. De lugubribus ac triſtibus dicebatur. Simillimum illud: Admeti melos. *Suidas.*

## Argiuos vides.

Ἀργείους ὁρᾷς. Id eſt, Stupidis & attonitis oculis. Sumtum, opinor, ab Oreſte furiis agitato. *Idem.*

## Admeti nænia.

Ἀδμήτου μέλος. De triſti lugubríque cantione. Accommodari poteſt ad orationem querulam ac miſerabilem. Admetus Rex fuit Pheræorum, qui defuncta vxore ſtridulas quaſdam ac lugubres nænias decantabat aſſiduè, donec mota Proſerpina remiſit Alceſtidem eius vxorem.

## Arctum anulum ne geſtato.

Μὴ φορεῖν στενὸν δακτύλιον. Hoc eſt, ne vixeris anxiè. Et ne temet in ſeruitutem coniicias, aut in eiuſmodi vitæ inſtitutum, vnde te non queas extricare. *Pythago.*

## Cor ne edito.

Μὴ ἐσθίειν τὴν καρδίαν. Hoc eſt, Ne curis tuum ipſius animum excrucies, aut ne ſolicitudinibus vitam reddas breuiorem. *Idem.*

## Mutare veſtem.

Mutare veſtem à M. Tullio dicuntur, qui lugent mortuũ, aut ſunt rei.

## Ne ſi ad Iouis quidem aulam.

Qui metuunt malum, ad aſylum, ad aram, ad arcem, ad columnas Principis, ad diuorum phana tanquam tutiſſimum refugium confugiunt. *Sophocles.*

## Suſtollere manus.

Qui vehementer gaudent, quaſi res diuinitus geratur ex animi ſententia, ſuſtollere manus dicuntur. *Cicero.*

## Canere de Telamone.

Ἄδειν τὰ Τελαμῶνος. Id eſt, Canere cantionem Telamonis. De querculo ſermone dictum prouerbium, quòd Telamon impotentius fleuerit, Aiacem filiũ periiſſe apud Troiã.

## Lityerſam cantionem canis. *Theocritus.*

Λιτυέρσαν ᾠδὴν ᾄδεις. Lityerſes nothus erat Mydę regis. Hic inſtituit vt in honorẽ Mydę, thericos, id eſt, æſtiuus aut meſſorius hymnus caneretur, vnde dictum prouerbium, vt qui non ex animo canerent, aut qui coacti canerent,

Ayuntamiento de Madrid

hi Lityerſam cantionem canere dicerentur.

## Tragicum tueri.

*Ariſtoph.* Τραγῳδικὸν βλέπειν. Quadrabit vel in faſtuoſos, vt in triſtes ac luctuoſos.

## Tauricum tueri.

Βλέπειν ταυρηδόν. Id eſt, Tueri taurinè, pro eo quod eſt, toruè. Plato demonſtrat hunc Socrati fuiſſe morem, taurinis oculis obtueri.

## Atrei oculi.

Ἀτρέως ὄμματι. De toruo, truculentóque aſpectu dicebatur. His enim oculis in Tragœdiis inducebatur Atreus, &c.

## Titanicus aſpectus.

*Lucianus.* Τιτανῶδες βλέπειν. Id eſt, Titanicum intueri, hoc eſt, vultu Titanico obtueri. Titanicum autem toruum vocát, ac tetricum, ac cuiuſmodi fuiſſe feruntur veteres illi Titanes.

## Cepas edere, aut olfacere.

Κρόμμυα ἐσθίειν. Id eſt, Cepas edere. Dicebantur ioco prouerbiali, qui lacrymari viderentur. Ductum eſt hinc prouerbium, quod ceparum odor, vt eſt acris, conſueuerit lacrymas oculis excutere.

## Superatus es à gallo quopiam.

*Eudemus.* Ἡττήθης τινὸς ἀλεκτρυόνος. Iocus prouerbialis in ſeruos, qui dominos à tergo ſequuntur, ſupplices videlicet & abiecti, cuiuſmodi ſolent eſſe galli ſuperati in pugna. Nam hæc auis victa, ſilere ſolet: canere, ſi viciſſet.

## Triſtis ſcitale.

*Ariſtoph.* Ἀχνυμένη σκυτάλη. De re triſti, ſeriáque dicebatur, aut de nuncio, qui dolorem adferret. Cicero ad Atticum: habes ſcytalam Laconicam. Quod videtur non abſurdè vel ad Epiſtolam perbreuem, vel ad obſcuram & arcanis de rebus conſcriptam, vel ad ſolicitam ac triſtia nunciantem ac mandantem accommodari poſſe.

## Areopagita.

Ἀρεοπαγίτης. De triſti, ſeueróque dicebatur, aut etiam de iudice vehementer incorrupto. Athenis ſumma erat Areopagitarum auctoritas: hi erant iudices, qui de capitalibus cauſis pronuntiabant.

Ne ſis

Ayuntamiento de Madrid

Ne ſis patruus mihi.

Sapere patruos. Patruorum in nepotes ceu peculiaris genuináque ſeueritas, prouerbio locum fecit. Horatius: Metuentis patruæ verbera linguæ. Patruam linguam vocat ſeueram,& obiurgatricem. Ad hãc formam pertinet illud Perſianum: Quum ſapimus patruos, id eſt, poſtquam abiectis puerilibus nugamentis ſeueros mores induimus. Idem dicit: Ne ſis mihi tutor, id eſt, ne mihi præſcribas atque imperes. *Perſius.*

Frontem exporrigere. Frontem contrahere.

Frontem explicare, quum hilareſcimus: contrahere, quum ringimur: hoc eſt, vbi quid moleſtum eſt, dicimur. Horat. Deme ſupercilio nubem. Exporrecta fronte, hilariter. Obducta fronte, corrugata fronte, contracta fronte, caperata fronte. Plaut. Caperat frons ſeueritudine: Et nubila frons, ſerena frons, explicita frons. *Plinius.*

Magis gaudet eo, qui ſenectam exuit.

Γέγηθε μᾶλλον, ἢ τὸ γῆρας ἐκδύς. Id eſt, Gaudet magis, quàm qui ſenectam exuit. De vehementer hilari, ac geſtienti gaudio. Ductũ eſt à ſerpentibus & cicadis, qui æſtatis temporibus exuunt ſenectutem ac veluti renaſcuntur. *Ariſtoph.*

Contrahere ſupercilium. Inflare buccas.

Ὀφρῦς ἀνασπῶντες καὶ γνάθους φυσῶντες. Id eſt, Adductis ſuperciliis, & inflatis buccis. In faſtuoſos ac turgidos dictum; ſiquidem in ſuperciliis arrogantiæ ſedes. Horatius inflatas buccas ad iracundiæ retulit argumẽtum. Quin Iupiter ambas iratus buccas inflet. Traductum à ranis, quæ per iram inflantur. *Suidas.*

Sanguine flere.

Αἵματι κλαίειν. Prouerbialis hyperbole, ſignificans nihil non fieri, quo inflectatur aliquis. Sic enim antiquitùs loquebãtur. Haud flectes illum, ne ſi ſanguine quidẽ fleueris.

Lapides flere.

De re vehementer miſeranda, prouerbiali hyberbole dici ſolet, eam eſſe tam lamentabilem, vt vel lapides cogantur ad fletum.

Erynnis ex tragœdia.

Ἐριννὺς ἐκ τραγῳδίας. De fœdis & aniculis. Sumtum ex



Ayuntamiento de Madrid

Ariſtophanis Pluto, dictum de Penia.

## Sarone magis nauticus.

Σάρωνος ναυτικώτερος. Aiunt hunc fuiſſe Deum quempiam nauticum. Vnde & Saronico mari cognomen inditum. Congruet in horrido cultu hominem, & moribus feris, quod genus nautas pleroſque videmus eſſe. Aut in negotiatorem per omnia maria volitantem.

## LANGVOR, VEHEMENTIA.

## Oeſtro percitus.

*Plato.* Οἰστρο πληγείς. Id eſt, Ingenti animi cupiditate commotus, ac velut attonitus. Oeſtrũ enim inſecti genus, horrendo ſtrepitu, vnde & nomen inditum apud Græcos. Nam Latini aſylum appellant. Hoc addito Iuno vaccam Io in furorem egit. Vnde poëtæ diuino correpti furore, œſtro conciti dicuntur.

## Pyrrhichen oculis præ ſe ferens.

Πυῤῥίχην βλέπειν. Id eſt, Tumultum ac bellum vultu præ ſe ferre. Inde dictum quòd pyrrhiche ſaltationis genus eſt: quod ab armatis pueris peragebatur. In ea belli imago repræſentabatur: impetus, & ardor adorientium, & celeritas fugientium.

## Πυῤῥιχίζειν.

Si quis tumultuantem & ira excandeſcentem dicat πυῤῥιχίζειν, non carebit prouerbij ſpecie.

## Martem tueri.

*Ariſtoph.* Simili tropo dicitur apud Ariſtophanem ἀρηβλέπειν pro toruè tueri.

## Manum habere ſub pallio.

*Quinctilia.* Dicuntur, qui languent otio. Sumtum à geſtu rhetorum. Nam qui languent, manum occultant ſub pallio: qui commoti ſunt, proferunt.

## Non contis, aut ramulis.

*Ammianus.* Ammianus lib. xv. de Antonio quodam ad honorem menſæ regalis apud Perſas euecto, & ad ius ferendæ ſententiæ admiſſo; Non contis, inquit, aut ramulis, vt aiunt, id eſt, non flexiloquis ambagibus, vel obſcuris, ſed velificatione plena in Rempublicam ferebatur. Quanquam pro Ramulo legendum arbitror, Remulo.

Ayuntamiento de Madrid

## Iouis cerebrum.

Διὸς ἐγκέφαλος. Et, Βασιλέως ἐγκέφαλος, id eſt, Regis cerebrum. De cibo vehementer opiparo ac ſuaui. Aut de molliter delicatéque viuentibus. Clearchus apud Zenodotum ſcribit opiparas epulas, apud Perſas, Iouis ac Regis cerebrum appellari. Athenæus Iouis cerebrum inter ſecundæ menſæ delicias annumerat. *Zenodotus.*

## Nectaris flos. Veneris lac. Helenæ cibi.

Ephippus apud Athenæum cibum prælautum, νέκταρος ἄνθος, id eſt, nectaris florem, atque alibi vinum, Τῆς ἀφροδίτης γάλα, id eſt, Veneris lac, ab Ariſtophane nominatum docet. Rurſum alio in loco ſuaues cibos τὰ ἑλένης βρώματα, Id eſt, Helenæ cibos dictos indicat.

## Iouis lac.

Διὸς γάλα. Quod inſigniter eſſet lautum in cibis, Iouis lac veteres appellabant. Euripides apud Athenæum, καὶ τυρὸς ὀπίας ἔστι καὶ διὸς γάλα, id eſt, Eſt ſucculentus caſeúſque, & lac Iouis. *Plinius.*

## Deorum cibus.

Θεῶν τροφή. De prælautis epulis dicebatur, propterea quòd Homerus finxit Deos nectare atq; ambroſia victitare, nec ob id vnquam ſeneſcere.

## Attica bellaria.

Τρέμματ' Ἀττικά. De lautitiis & cupediis. Transferri poteſt ad rem quamcunque maiorem in modum ſuauem ac iucundam. *Plato.*

## Herculana balnea.

Ἡράκλεια λουτρά. De impendiò feruentibus balneis dicebatur, quales legimus & thermas Neronianas.

## Ὑπερμαζᾶν.

Μάζα Græcis genus eſt cibi è ſimila tritici, quod [vt apparet] in deliciis erat. Vnde vulgari ioco dicebant ὑπερμαζᾶν, pro opiparè, ſplendidéque viuere, ſiue ob egregias mazas, ſiue quòd aliquid his etiam lautiùs ſumerent.

## Ματτυάζειν.

Dicebatur in eos, qui ſuauiter viuerent. Ματτύα cibi genus eſt, primum à Theſſalis repertum.



Ayuntamiento de Madrid

## De lautitiis.

De cibis prælautis quadrabit illud Odyſſeæ ΙΙΙ.

Ο῞ψατε, οἷα ἔδουσι διοτρεφέες βασιλῆες.

Qualia purpurei comedunt opſonia Reges.

Venuſtius fiet, ſi trahatur ad orationem ſupra modum elegantem.

## Mellis medulla.

Μέλιτος μυελός. De re maiorem in modũ ſuauẽ dicebatur. Vnde & illa paſſim obuia in medullis, & medullitus amara.

## Optimum condimentum fames.

Irridebat Socrates hoc dicto luxum Athenienſium, qui variis cupediis & operoſis condituris conarentur efficere, vt cibus ſaperet palato, quum id optimè præſtet fames.

## Afra auis.

*Ariſtoph.* Λιβυκὸν ὄρνεον. Id eſt, Libyca auis. Horatius de prælatura vſurpauit:

Non Afra auis deſcendat in ventrem meum
Iucundior, quàm lecta de pinguiſſimis
Oliua ramis arborum.

Nam gallinas prægrãdes olim mittebat Africa. Non ineptè iacietur in hominem peregrino cultu notabilem.

## Anima & vita.

Ζωὴ καὶ ψυχή. Id eſt, Anima & vita. De re ſupra modum ſuaui. Prouerbium natum in cubilibus, atque inde deductum in communem ſermonem. Nihil autem eſt vita neq; iucundius, neque carius.

## Coturniſſare.

Κιχλίζειν. Prouerbio dicebantur, qui pinguibus coturnicibus aut turdis veſcerentur, aut qui riderẽt laſciuè parúmque indecorè. Quadrabit igitur vel in liguritores & cupédiis addictos, vel in laſciuiùs ludentes. Sturni nihil nõ imitantur, & turdus à Plinio recenſetur inter aues, quæ ſermonem humanum imitantur.

## Dubia cena.

Dubiam cenam opiparam, variíſque inſtructam ferculis appellabant. Phormio apud Terentium: Cena dubia apponitur. Et dubia cena poſſit intelligi, quæ non careat ſuſpitione veneni. Horatius:

Ayuntamiento de Madrid

Vides vt pallidus omnis
Cena deſurgit dubia.

## Cena popularis.

Plautus cenam popularem appellat, magnificam, egregiéque lautam, atque adeò gratuitam quoque, quales ſolẽt exhiberi populo.

## In leporinis.

Ἐν λαγῴοις. Id eſt, In leporinis carnibus viuere dicebantur, qui lautè atque in delitiis vitam agebant. Nam leporina olim in delitiis habita.

## Lydorum carycæ.

Λυδῶν καρύκας. Id eſt, Lydorum caricas, antiquitùs appellabant quidquid eſſet opiparum & variis conditum cupediis. Nam caryca cibi genus eſt Lydij, ex multiiugis lautitiis apparatum, & ſanguine confectum. Efferunt adagium integrè ad hũc modum: Nec Lydorum carycas, nec flagrorum ſtrepitus ſubaudiendum, volo. Id eſt: nec blandimenta volo, nec conuitia.

## Quî poſſum ab hoc epulo abeſſe?

Plato in Phædro: Πῶς γὰρ οἷός τε ἄλλω τοιαύτης θοίνης ἀπέχεσθαι; Id eſt, Quî poſſum ab hoc epulo abſtinere? de re vehementer ſuaui, atque expetenda: quod genus eſt feſtiuiſſimũ aliquod conuiuium.

## Thaſium infundis.

Θάσιον ἐνέχεις. Id eſt, Thaſium miſcuiſti. Dici ſolitum videtur, vbi quis vinum non aqua, ſed alio quopiam efficaciore vino dilueret. Nam Thaſia vina laudatiſſima quondam fuerunt. Plinius inter tranſmarina vina Thaſium, Chiúmque in ſumma gloria fuiſſe ſcribit.

# LIBENTER.

## Accipit & glebam erro.

Δέχεται καὶ βῶλον ἀλήτης. Dici ſolitum in eos, qui nihil grauantur aut aſpernantur, ſed quidquid datur, quantumlibet puſillum, id boni conſulunt. Originem adagionis ad huiuſmodi caſum referunt. Aletes quidam Corintho pulſus, adhortante oraculo, tentauit, ſi poſſet in patriam redire. At interim ruſtico cuipiam factus obuius, cibum mendicauit. Ille ludibrij, opinor, cauſſà, glebam ex agro ſubla-



Ayuntamiento de Madrid

tam porrexit. Aletes eam, tanquam felix omen accipiens, affatus eſt: Accipit & glebam erro.

## Obuiis vlnis.

Apud Quinctilianum, pro eo quod eſt auidè, ſitientérque. Tranſlatum ab iis, qui porrectis vlnis properant in cõplexum eorum, quorũ magno deſiderio tenebantur, quóſque cupidiſſimè conſpiciunt. Legimus & Obuiis manibus, Ambabus manibus.

# LIBERALITAS.

## Plena manu.

Plena manu, pro eo quod eſt ampliter, copioſè, prolixè, miniméque malignè. Tranſlatum ab iis, qui non minutim ac parcè, ſed plena manu largiuntur. Cicero ad Atti. lib. 2. At hercle alter familiaris tuus Horatius, quã plena manu, quã ornatè noſtras laudes in aſtra ſuſtulit! Fit lepidius quò magis ad animi res transfertur.

## Quod rectè datum eſt.

Plato in Philebo oſtendit prouerbium à pueris vſurpatum, non oportere repoſci, quod ſemel datum eſt: Ἡμεῖς δ' δὴ λεγόμεν. καθάπερ οἱ παῖδες, ὅτι τῶν ὀρθῶς δοθέντων ἀφαίρεσις οὐκ ἔστι, id eſt, Nos autem dicimus id quod ſolent pueri, quæ rectè data ſunt, non licere rurſus eripi. Simile quiddam & hodie iactatur inter pueros, vbi quis, quod dedit, repoſcit. Adeò dicta huiuſmodi per tot ſecula, pérque tot nationes ad nos vſque demanarunt.

## Pleno modio.

Antè dictum eſt nobis plena manu fieri, quod largiter, miniméque malignè dicitur. M. Tul. ad Attic. li. 5. epiſtola 1. ſimillima figura dixit, pleno modio. Si illa iam habent pleno modio, verborum honorem, imitationem crebram, &c. Nam antea dixerat ſe publicanorum vſuram affatim laudaſſe.

## Pingui menſura.

Πίονι μέτρῳ. Id eſt, Pingui mẽſura, dixit Theocrit. in Thaly. pro eo quod erat affatim & largiter.

Μάλα γάρ σφιν πίονι μέτρῳ.
Ἀνδαίμων εὔκριθον ἀνεπλήρωσεν ἀλωάν. Id eſt,
Illis fortunante Deo bona copia frugum.

Ayuntamiento de Madrid

Arcarum campos menſura impleuit opima.

## Bis dat, qui citò dat.

Seneca: Bis dat, qui citò dat. Item lib. De beneficiis II. Ingratum eſt beneficium, quod diu inter manus dantis hæſit. Monet haud cunctanter opitulandum amicis, quum opus eſt, ſed vltro non exſpectatis precibus deferendum officium. Tardum beneficium ingratum eſt. Euripides:

Odi equidem amicis ſeriùs ſuccurrere.
Bis eſt gratum, quod opus eſt, vltro ſi offeras.
Beneficium inopi bis dat, qui dat celeriter.

## Ambabus manibus haurire.

Ἀντλεῖν ἀμφοτέραις. Id eſt, Haurire ambabus, ſubaudi manibus. De iis dici conſueuit, qui ſummo conatu quippiam agunt. Huic confine eſt:

Οἶδ' ἐπὶ δεξιὰ, οἶδ' ἐπ' ἀριστερὰ νωμῆσαι βῶν.
Noui equidem clypeum dextra, læuáque mouere.

Inuenitur & illud: Ambabus manibus largiens, id eſt, affatim & prodigè, aut etiam perbenignè.

## Ipſo horreo.

Quod prolixè & affatim datur, ipſo horreo dari, dicitur, quemadmodum ipſo caniſtro, propterea quòd ex horreo pleniùs depromitur, quàm è chœnice. Simile illi, E dolio hauris.

## Promus magis, quàm condus.

Auſonius torquet in quendam profuſiorem, qui parta prodigere noſſet, quærere aut quæſita ſeruare non noſſet. Sumta metaphora à rei familiaris diſpenſatoribus, maximéque penuariæ, quos Græci ταμίας vocant.

## Larus in paludibus.

Λάρος ἐν ἕλεσι. Id eſt, Larus in paludibus. Suidas ſcribit dictitatum de iis, qui faciles ſunt ad dandum. Ductum à Laro aue. Ea quoniam facilè decipitur, illiciturque, proinde prouerbio locum fecit.

## Bona Porſenæ.

Bona Porſenæ dicebantur, quæ velut ab hoſtibus erepta paruo væneunt. Eam appellationem Liuius ſcribit ad ſuam vſque ætatem duraſſe, putátque inde natam, quòd in bello-



Ayuntamiento de Madrid

ſoleant bona Porſenæ vænire Romæ, eáque conſuetudo vnà cum titulo perſeuerarit & in pace.

## De alieno liberalis.

De alieno facilè largimur, de noſtris nõ item. Homerus:

Ἐπεὶ οὔτις ἐπίσχεσις, οὐδ᾽ ἐλεητὺς
Ἀλλοτρίων χαρίσασθαι. Id eſt.
Nam res largiri alienas
Haud res vlla vetat, neque enim piget.

## Communis Mercurius.

*Lucianus.*

Κοινὸς ὁ Ἑρμῆς. Quidam hinc natam parœmiam arbitrantur, quòd Mercurius, vt eſt furtorum auctor ac repertor, primus oſtendit, quæ furto parta ſunt, ea in medium communiter oportere deponere. Alii malunt huc referre, quòd Mercurius ſit orationis auctor, per quam inter homines omnes commercii genus conſtat, vnde & medius inter ſuperos atque inferos à poëtis fingitur: pariter ſuperis Deorum gratus & imis, quòd ſermo animi interpres, ſummos cum infimis, Reges cum plebe conciliet.

# LIBERTAS, VERITAS.

## De plauſtro loqui.

*Lucianus.*

Veteres comœdiæ in plauſtris agebantur à iuuenibus, ore fæce collito, ne poſſent agnoſci, qui magna licentia obuium quenque non ſolùm ciuium primates, ſed & Deos ipſos taxabant. Inde natum adagium: ὡς ἐξ ἁμάξης λαλεῖν, id eſt, Tanquam è plauſtro loqui: de his, qui palàm ac liberè conuitiantur.

## Iubentis apertè loqui.

Si quem admonebimus vt proferat doloris aut odij cauſſas, neque celet in animo, non illepidè dixerimus illud Homeri Iliad. α.

Ἐξαύδα, μὴ κεῦθε νόῳ, ἵνα εἴδομεν ἄμφω. Id eſt.
Eloquitor ne cælato, quò norimus ambo.

## Obſequium amicos, veritas odium parit.

Terent. in And. Vulgaris enim amicitia conſtat obſequiis. Nam inuicem conniuere ad familiarium vitia, hæc res & iungit, iunctos & ſeruat amicos. At inter veros amicos, nihil eſt veritate iucundius, modò abſit aſperitas, agreſtis, inconcinna, grauiſque.

Ayuntamiento de Madrid

## Byzeni libertas.

Βυζήνου παῤῥησία. Id eſt, Byzeni libertas. Vbi quis audaciùs liberiúſque loquitur. A Byzeno quodam Neptuni filio, cui mos fuerit mira in dicendo libertate vti.

## Aſſeuerantiùs dicere.

Audaciùs quippiam & aſſeuerantiùs dicturi, quod nobis tamen ita videatur, adducemus illum Homeri verſum, quo Helena vtitur de Telemacho:

Ψεύσομαι ἢ ἔτυμον ἐρέω, κέλεται δέ με θυμός. Id eſt.
Mentiar, aut verum dicam, mens attamen ipſa
Imperat vt dicam.

## Non poſſum non dicere.

Vbi quis negat ſe reiicere poſſe, quod habet in animo, feſtiuiter accommodabit illud Homeri Odyſſ. Ξ.

Εὐξάμενός τι ἔπος ἐρέω, οἶνος γὰρ ἀνώγει. Ἠλεός. Id eſt.
Dicam equidem iactantiùs, vrget enim me
Vinum amens.

## Et fama fuit, & erat.

Ἦ μὲν κλεινός, ἠδὲ καὶ ἦσθα. Id eſt, Et dicebaris, eraſque. Quoties facta reſpondent opinioni. *Suidas.*

## Aperto pectore.

Pro eo quod eſt, vehementer ex animo, citráque fucum, quaſi renudatis animi penetralibus. *Cicero.*

## Apertè, ſimplicitérque loqui.

Quum citra ambages nos loqui ſignificamus, conueniet illud Homeri ex Odyſſ. Δ.

Οὐκ ἂν ἔγωγε
Ἄλλα παρὲξ εἴποιμι παρακλιδόν, οὐδ' ἀπατήσω. Id eſt.
Non fucis te diſſimulans decepero fictis.

## Veritatis ſimplex oratio.

Simplex illa ruſticanáque veritas, negligit orationis fucos. Conuenit in eos, qui perplexè loquuntur, dum verum diſſimulant. Terentius: *Diogenes.*

Pergin' ſceleſta mecum perplexè loqui?
Scio, neſcio, abiit, audiui, ego non adſui.
Non tu iſthuc mihi dictura apertè es, quidquid eſt?

## Ad cribrum dicta.

Τὰπὶ κοσκίνῳ. Quæ vera, compertáque videri vellent ad

Ayuntamiento de Madrid

hunc appellabant modum. Sumtum à diuinationis genere quod peragebatur ſuſpenſo circumactóque cribro.

*Zenodotus.*

## Curetum os.

Κυρήτων ςόμα. Dici ſolitum, ſi quando quis numine afflatus loqui videretur, propterea quòd Curetes Cybeles comites, furore quodam ſacro perciti, diuinare viderentur.

*Plutarchus.*

## Quod in corde ſobrij, id eſt in lingua ebrij.

Τὸ ἐν τῇ καρδίᾳ τοῦ νήφοντος ἐπὶ τῆς γλώττης ἐςὶ τοῦ μεθύοντος. Nec prætereundum illud Herodoticum: Subſidente vino, ſupernatant verba. Nam ſobrios aut metus aut pudor cohibet, quo minus effutiant ea, quæ ſatius putarint ſuppreſſiſſe. At vinum & pudorem diſcutit, & timorem abigit.

## In vino veritas.

Ἐν οἴνῳ ἀλήθεια. Significat ebrietatem animi fucum tollere, & quidquid pectore conditum eſt, in apertum proferre. Vnde ſacræ litteræ prohibent vinum dari Regibus, quòd nullum ibi ſit arcanum vbi regnet ebrietas. Effertur & in hunc modum apud Athæneum libro 11. parœmia, Οἶνος καὶ ἀλήθεια, id eſt, Vinum & veritas: Quòd largius poti non tantùm effutiunt ſua arcana, verùm etiam audaciùs in alios loquuntur. Theognis:

Ἐν πυρὶ μὲν χρυσόν τε καὶ ἄργυρον ἴδριες ἄνδρες
Γινώσκουσ', ἀνδρὸς δ' οἶνος ἔδειξε νόον. Id eſt.
Aurum & argentum fabris dignoſcitur igni:
Vinum hominis prodens arguit ingenium.

Facit huc etiam quod inferius adſcripſimus ad locum alium: Bos in lingua.

*Euripides.*

## Vinum animi ſpeculum.

Κάτοπτρον εἴδους χαλκός ἐςτ', οἶνος δὲ νοῦ. Id eſt, Forma ære lucet, vina produnt pectora.

## Lingua lapſa verum dicit.

Ἡ γλῶσσ' ἁμαρτάνουσα τ' ἀληθῆ λέγει. Id eſt, Verum ſolet prolapſa lingua dicere. Nam verum eſſe creditur, quod exciderit imprudenti, quandoquidem id demum vacat fictionis ſuſpicione.

## Emendus cui imperes.

Cuique in ſuos ſeruos imperioſum eſſet licet, in alienos

aut in liberos non item. Plautus: Emere oportet quem tibi obedire velis.

## Libero lecto nihil iucundius.

M. Tullius ad Atti. de Quincto loquitur, qui cælibem vitam iudicabat eſſe ſuauiſſimam. Eam appellabant lectulum liberum.

## Oracula loqui.

Χρησμῳδὲς λέγειν Dicuntur qui certa, vera, & indubitata loquuntur. *Theocritus.*

## Vera fronte.

Quæ ex animo citráque fucum dicuntur, geruntúrue, vera fronte fieri dicuntur. Contrà, dicemus mendaci fronte fieri, quod geritur per ſimulationem. *Cicero.*

## Vero verius. Certo certius.

Dicimus vero verius, quod prorſus indubitatum haberi volumus. Non diſſimili forma dicimus, Certo certius: quanquam nihil prohibet aliud alio certius eſſe. *Martialis.*

## Ficus ficus, ligonem ligonem vocat.

Τὰ σῦκα σῦκα, τὴν σκάφην σκάφην λέγων. Id eſt, Ficuſque ficus, ac ligonem nominans ligonem. Quadrabit in eum qui ſimplici & ruſticana vtens veritate, rem, vt eſt, narrat, nullis verborum ambagibus ac phaleris obuoluens. Nam ego, quemadmodum ait Comicus, ruſticanus ſum, ligonem ligonem appello. *Ariſtoph.*

## Profundum ſulcum.

Βαθεῖαν ἄυλακα. Dictum de iis, qui cogitationibus profundis ac penitioribus expenderent. Mihi videtur rectè quadraturum in eos, qui ſe metiuntur non ex aliorum opinione, ſed ex rectè ſecúſue factorum conſcientia. *Plutarchus.*

## Os ineſt orationi.

Ὀςοῦν ἔνεςι τῷ λόγῳ. Id eſt, Sermoni ineſt os ac vigor. De oratione non inani, ſed ſolidas habente ſententias. Dictum hoc Themiſtocli tribuitur. Quinctilianus rerum inuentionem appellat orationis oſſa, ſumta ſimilitudine ab animantium corporibus, quæ oſſibus ſuſtinentur, colligantur neruis, veſtiuntur carnibus & pelle, cohærent anima, mouentur actu.

## Audi quæ ex animo dicuntur.

Ayuntamiento de Madrid

Α'χυε τ' ἀπὸ χαρδίας. Nam ſeria, quæque citra diſſimula-
*Lucianus.* tionem dicuntur, ex animo dici dicuntur, eáque ex corde proficiſci vulgus ait.

## Liberi poëtæ & pictores.

*Idem.* In Demoſthenis encomio.

Τὸ μὲν δὴ ποιητικὸν φῦλον ἐλεύθερον. Id eſt,

Atqui poëticum genus liberum. Horatius: Pictoribus atque poëtis Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas. Sentit autem liberum eſſe poëtis & pictoribus impunè quidquid velint fingere. Torqueri poteſt in eos, qui pertinaci & obſtinato ſunt ingenio, quosque neceſſe ſit ſuis moribus relinquere. Aut in mulieres, quibus nihil non permittitur. Aut in Principes, quibus omnia laudi dātur.

## Libera Corcira, caca vbi libet.

*Euſtatius.* Ἐλευθέρα Κόρκυρα, χέζ' ὅπου θέλεις. Id eſt, Corcyra libera, proin caces vbi velis. Cùm ſignificamus libertatem quiduis agendi. Sed magis quadrabit vbi ſignificabimus impunitatem eſſe maleficiis.

## Ter.

Ternio apud priſcos & abſolutiſſimus & ſacer habebatur, vt quidquid ter dictum aut factum eſſet, id ratum & efficax haberetur. Vnde in magnorum myſteriis adhiberi ſolet. Virgil. in Pharmaceutria:

Terna tibi hæc primùm triplici diuerſa colore,
Licia circundo, terque hæc altaria circum
Effigiem duco: numero Deus impare gaudet.

### LONGAEVITAS.

## Neſtorea ſenecta.

Apud Latinos Neſtoris anni in prouerbium abierunt, cui tres ætates attribuit Homerus in Odyſſ. I I I.

Τρὶς γὰρ δή μιν φασὶν ἀνάξασθαι γένε' ἀνδρῶν.

Illum iam exegiſſe hominum tria ſecula fama eſt.

Breuiter prouerbii ſpeciem habebit, quidquid ab iis ſumetur, qui inſigni viuacitate fuerunt. Vt, Ceruo viuacior, & Tireſia viuacior, quem tragœdia finxit ſex ætates hominum vixiſſe. Et Seribus viuacior, quos Græcis hiſtoriis proditum eſt, trecentos annos viuere.

Ayuntamiento de Madrid

## Vltra penſum viuit.

Lepidum eſt quod ait Lucianus in Philopſeude: Ὑπὲρ γὰρ τὸν ἄτρακτον ἤδη βιοῖ, id eſt. Iam enim vltra fuſum viuit, hoc eſt, viuit vltrà fatalem diem. Alluſum ad Parcarum fuſos, quibus æuum mortalium euolui fabulantur poëtæ.

## Vltra catalogum.

Suidas.

Ὑπὲρ τὸν κατάλογον ζῆ. Id eſt, Vltra catalogum viuit. De eo dicebatur, qui multum ætatis viueret, vt iam præſcriptum illum annorum numerum præteriiſſe videretur.

## Vltra fuſum. Vltra linum.

Ὑπὲρ τὸν λῖνον. id eſt, Vltra linum, pro eo quod eſt, extra decretum fatale. Alluſum eſt autem ad fila trium Parcarum.

## Cornicibus viuacior.

Ὑπὲρ τὰς κορώνας βεβιωκώς. De vehementer annoſis. Ab auis eius prodigioſa viuacitate ſumtum.

## Heſiodi ſenecta.

Ἡσιόδειον γῆρας. id eſt, Heſiodia ſenecta. Longæua, viuaxque ſic appellabatur. Notum eſt Pindari epigramma de longæuitate Heſiodi.

## Tithoni ſenecta.

Suidas.

Τιθωνοῦ γῆρας. Fabulæ tradunt Tithonum adamatum ab Aurora, in cælum ſublatum fuiſſe, atque illius ſucco perfuſum, ad tantam perueniſſe ſenectutem, vt tandem optarit vt in cicadem verteretur. Suidas refert hunc in modum: Seneſcas Tithono profundius.

## Phœnice viuacior.

Lucianus in Sectis: Ἢν μὴ φοίνικος ἔτη βιῷη, id eſt, Ni phœnicis annos vixerit. Hunc Heſiodus ſcribit nouem corui ætates viuere.

## Sibylla viuacior.

Propertius: At me non ætas mutabit tota Sibyllæ. Sibyllæ ætatem pro quantumuis longa poſuit.

## Facies tua computat annos.

Hoc eſt, Frontis rugæ numerum annorum tuorum præferunt, quanquam libido nondum in te conſenuit. Dictū à Iuuenale in vetulam.

Ayuntamiento de Madrid

## Alterum pedem in cymba Charontis habere.

Lucianus in Sectis: Καὶ τὸν ἕτερον πόδα, φασὶν, ἐν τῇ σορῷ ἔχων. id eſt, Et alterum pedem, vt aiunt, in tumulo habens. Extremæ, decrepitæque ſenectæ homines, etiam hodie vulgò dicuntur alterum pedem in ſepulchrum habere.

## Viri ſenis aſtaphis caluaria.

Ἀνδρὸς γέροντος ἀσταφὶς τὸ κρανίον. id eſt, Viri ſenis, velut vua paſſa cranium. Admonet adagium, inualidum & flaccidum eſſe ſenile corpus, exhauſto ſucco, carnibúſque adeſis. Veteres & vuas paſſas vocabant ſenes paſſos, ob rugoſitatem.

*Cicero.*

## Maturè fias ſenex.

Maturè fias ſenex, ſi diu velis eſſe ſenex. Quo monemur, vt integra adhuc ætate deſiſtamus à laboribus iuuenilibus, ac valetudinis curam agere incipiamus, ſi velimus eſſe viuaci ac diuturna ſenecta. Maximè loqui videtur de vitiis iuuentæ, puta libidine, bibacitate, turbulentia vitæ.

*Macrob.*

## Sexagenarios de ponte deijcere.

Eſt natu maiores, perinde quaſi deliros, & ad omne vitæ minus inutiles, in otium reiicere, atque ab omni functione negotiorum relegare. Inde natum, quòd olim ſexagenariis ætate velut à publicis muniis dimiſſis ſuffragium ferēdi ius non erat, quod per pōtē ferebatur: Ouid. in Faſt.

Pars putat, vt iuuenes ferrent ſuffragia ſoli,
Pontibus infirmos præcipitaſſe ſenes.

Vnde & Depontani dicuntur ſenes, iam velut emeriti.

## Vitiat lapidem longum tempus.

Σήψει καὶ πέτρην ὁ πολὺς χρόνος. Id eſt, Saxa etiam longum faciet putreſcere tempus. Nihil in rerum natura ſaxo durabilius. Ad id quoque temporum diuturnitas abſumit.

*Homerus.*

## Mors optima rapit, deterrima relinquit.

Videmus quoſdam prorſus inutiles Tithoniam ætatem viuere, pauciſſimos egregio præditos ingenio, ad ſenectæ limen peruenire. In hanc ſententiam quadrat illud Homeri Iliad. Ω.

Τοὺς μὲν ἀπώλεσ' Ἄρης, τὰ δ' ἐλέγχεα πάντα λέλειπται
Ψεῦσταί τ' ὀρχησταί τε, χοροιτυπίῃσιν ἄριστοι,

Ayuntamiento de Madrid

Ἀρηίθοι δ' ἔλιφον ἐπιδήμιοι ἁρπακτῆρες. Id eſt,
Suſtulit hos Mauors, reliqua at mala probra relicta,
Mendaces, ſaltatores, primíque choreis
Ducendis agnis atque hœdis diripiendis
Strenui.

## In ſola Sparta expedit ſeneſcere.

Ἐν Σπάρτῃ μόνῃ λυσιτελεῖ γηράσκειν. Apud Spartanos ſummus honos ſenibus habebatur olim. Torqueri poteſt ad quoſlibet, penes quos virtus in pretio ſit. Dictum eſt autem à quodam hoſpite, quum videret apud Lacedæmonios iuuenes tantum honoris habere ſenioribus.

## Senex bos non lugetur.

Γέρων βοῦς ἀπένθητος δόμοισι. id eſt, Bos ſenex vacat luctu domeſticorum. Hoc eſt, ſenum mors, quod tempeſtiua videatur, non lugetur ab amicis. *Sophocles.*

## Viuum cadauer. Viuum ſepulchrum.

Ἔμψυχος νεκρός. Id eſt, Viuum cadauer. In eos dicetur, qui ſic viuunt, vt nihil dignum vita agant. Lucianus ſenem decrepitum viuum quoddam ſepulcrum appellat. *Lucianus.*

## Danace.

Δανάκη. Sic appellabatur numulus ille, qui Charonti perſoluitur, nolum pro tranſmiſſione Stygiæ paludis. Mihi videtur rectè vſurpandum, ſi quis iubeat ſenem parare δανάκην, innuens prope eſſe, vt emigret è vita.

## Epimenideum corium.

*Eudemus.*

Ἐπιμενίδειον δέρμα. Id eſt, Epimenidea pellis. De re repoſita miraculíque loco ſeruata. Tractum ab Epimenide Cretenſi, qui legitur perpetuo ſumno dormiſſe quadraginta ſeptem, aut ſi Laërtio credimus, quinquaginta ſeptem annos, neque paucos poſtea ſuperuixiſſe.

## Viro ſeni maxillæ baculus.

Ἀνδρὸς γέροντος αἱ γνάθοι βακτηρία. Maxilla ſenibus ſcipionis eſt vice. Dici ſolitum de iis, qui ob defectas ætate vires, lautiore pariter & copioſiore victu coguntur vti, quo, quod ſenecta deterit, vtcunque ſarciant cibo. Manet autem in hodiernum ſenile verbum: Ego me dentibus meis ſuſtento.

## Effeta ſenecta.

Ayuntamiento de Madrid

*Homerus.* Quod in Odyſſ. v. dictum eſt de mortuis, id ad hominem ob longæuitatem iam defectum viribus accommodare licebit, in eum qui conſternetur animo.

Οὐ γὰρ ἔτι σάρκας τε καὶ ὀστέα ἶνες ἔχουσι.

Nam iam non neruis carnes atque oſſa cohærent.

## Limen ſenectæ.

Γήραος οὐδός. Antiquitùs appellabant, velut extremum autumnum ætatis humanæ, quum iam appetit hiems decrepitæ ſenectæ.

*Idem.*

## Seneſcit bos.

Γηρᾷ ὁ βοῦς, τὰ δ' ἔργα πολλὰ τοῦ βοός.

Bos conſeneſcit, at opera multa ſunt bouis.

Quum ob ætatis imbecillitatem aliquis inutilis redditur ad obeundum munus. Nam diuitum vulgus haud aliter miniſtris vtitur, quàm equis & canibus, aut paulò etiã inhumaniùs. Dum vſui ſunt, alliciũt: vbi ſenuerint, reiiciũt. Quiſque meminerit Diogenis apophthegmatis, qui rogatus, quidnam eſſet in hac vita calamitoſiſſimum, reſpondit γέρων ἄπορος, id eſt, Senex egens.

## Fatale vitæ tempus exactum.

In decrepitos, quorum ætas iam exacta videbitur, quadrabit illud Homeri: *Suidas*

Νήπιοι, οἳ κατὰ βοῦς ὑπερίονος ἠελίοιο Ἤσθιον.

Dementes, vt qui ſacros tibi maxime Phœbe

Abſumſere boues. Nam per ſolis boues annos fatales, vt opinor, innuit poëta. Huc facit quod adducetur infrà quoque: Idem Accij quod Titij.

### LVCRVM EX SCELERE.

## Vſuræ nauticæ.

Apud Iuriſconſultos vſuræ nauticæ dicuntur centeſimæ magnæque. Negotiaturi ſortem interdum accipiunt mutuò. Quoniam autem, qui nauticam exercent negotiationem, ſe ſuáque ventis & vndis committunt, fœneratores maiorem vſuram exigebant interdũ accipiebant mutuũ in vna ciuitate, quod in alia redderent.

## Tributis potiora.

Τὰ τῶν φόρων κρείττω. Dicebatur, vbi quis ex malefactis & iniquitate commodum ingens reportaret. Inde natum opinor,

Ayuntamiento de Madrid

pinor quòd qui Principum nomine tributum exigunt, ferè plus extorqueat, quam par eſt.

LVXVS ET MOLLITIES.

## Indulgere genio.

Prouerbiales ſunt figuræ. Defraudare genium. Pro eo quod eſt, negare naturæ quod appetit. Indulgere genio: pro eo quod eſt, animo obſequi. Terentius in Phormione: Suum defraudans genium. Perſius: Indulge genio, carpamus dulcia. Vnde & genialem appellant diem lætum & voluptuarium. Et genialiter viuere, pro molliter & lautè.

## Vita macerata.

Βίος μεμαλαγμένος. Id eſt, Vita macerata, ſeu permollita. De molliter viuẽtibus quibus ex facili omnia ſuppetũt. *Diogenes.*

## Curare cuticulam.

Horatius: Ire domum, atque pelliculam curare iube. Nam qui voluptati ſtudent magis quàm famæ, vnum hoc curant, vt cutis ſummè niteat. Perſius.

Et aſſiduo curata cuticula ſole.

## Pontificalis cena.

Olim cenas ſumtuoſas opiparáſque, pontificales appellabant. Inde natum apparet, quòd ſolennes ſacræque cenæ exquiſitiſſimis ſoleant cibis celebrari. Legimus & adipales, cenas & adipoſas, & adiiciales. De cena dubia & populari dictum eſt in loco Lautitiæ.

## Pergræcari.

Pro eo quod eſt, genialem agere vitam. Plautus:
Dies, inquit, noctéſque bibite, pergræcamini.
Amicas emite, liberate paſcite
Paraſitos, obſonate, pollucibiliter. *Diogen.*

## Semper Leontini iuxta pocula.

Αἰεὶ Λεόντιοι περὶ τοὺς κρατῆρας. id eſt, Semper Leontini iuxta crateras. In voluptuarios quadrabit, aut in eos qui ſemper ſunt iiſdem ſtudiis addicti. Leontini Siciliæ populi ſunt, quos vbi Phalaris expugnaſſet, ne quando rebellionem pararent, ademtis armis, ad compotationes & voluptates reiecit.

## Thericlei amicus.

Θηρικλείου φίλος. Dictum in biboſos. Thericles figulus



Ayuntamiento de Madrid

Corinthius fuit qui noua arte primus è therebintho tornatile poculum finxerit. Ideò quidquid nouo artificio reperiſſet aliquis, Thericleum appellabatur. Dictum eſt autem inuentum inuentoris vocabulo. Siquidem Græci vitreum poculum θηρίκλειον vocant.

Ariſtoph.

## Sale perunctus hic adiuuabitur.

Ἁλσὶ διασμηχθεὶς ὄναιτ' ἂν οὑτοσί. Id eſt, Acri ſale hic perlutus adiuuabitur. Dicebatur in eos, qui vel ætate vel vino delirarent. Quidam ab vtribus tranſlatum exiſtimant, qui ſale loti redduntur meliores, quód ſalis acrimonia coriorum craſſitudinem emendet. Itidem temulentia laborantes, mos erat ſale & oleo perungere. Id aduerſus ebrietatem remedium exiſtimabatur.

Idem.

## E'clibano boues.

Vſus erit, quoties efferemus ſplendorem conuiuij, aut inſignem edacitatem. Herodotus tradit, apud Perſas diebus natalitiis fuiſſe morem vt diuites bouem, aſinum, equum, & camelum apponerent totos in clibano aut camino coctos. Prouerbialis hyperbole de barbarica rerum copia, ſiue de lautitiis affatim ſubminiſtratis. Huic ſimile, Polyporum hecatombes.

Plinius.

## Theſſalorum alæ.

Θετταλικαὶ πτέρυγες. Id eſt, Alæ Theſſalicæ. Prouerbiali ioco quondam dicebatur in veſtes manicatas, quas Græci χειριδωτοὺς vocãt, quod hoc genere per luxũ ac delicias vterentur Theſſali. Apud Maronem hoc amictus genus, tãquam parum virile Troianis, ab hoſtibus opprobratur.

## Sapientia viuo obumbratur.

In prouerbiis item duo referuntur, quæ ſapientem etiam dementent vinum & mulieres.

## Sine Cerere & Baccho friget Venus.

Terent. in Eunuch. Cibus enim & potus irritamẽta ſunt libidinis. Eleganter autem Cererem pro cibo, Bacchum pro vino, Venerem pro libidine dixit, continentur in figura perſiſtens.

## Heterognatus es.

In edacem dici conſueuit, quòd ob voracitatem alter-

natim vtraque mandibula cibum commãderet. Nam hinc dictum ἑτερόγναθος, quod nunc in hanc, nunc in illam mandibulam cibum transferat.

## Siculiſſare.

*Eudemus.*

Σικελίζειν. Pro eo quod eſt, auſterum eſſe tetricumque. Athenæus indicat adagium natum ab Androne Siculo, qui morem inuexerit ad tibiam ſaltandi geſticulandique.

## Ficus auibus gratæ.

*Athenæus.*

Quadrabit in voluptuarios, ac fugitantes honeſti laboris, quum tamen appetant emolumentum.

## Aſini mandibula.

Ὄνου γνάθος. Conueniet in edaces, alioqui ſtolidos & ignauos.

## Riſus ionicus.

In molles & voluptuarios dicitur. Nam Ionum mollicies perinde, vt Sybaritarum faſtus, in prouerbium abiit, quod alteri Græcorum, alteri Barbarorum eſſent luxurioſiſſimi. Horatius in Odis.

Motus doceri gaudet Ionios.
Matura virgo.

Laſciuas ſaltationes, & parum decoras geſticulationes ſignificans.

## Choreæ Ionicæ.

De laſciuis ſaltationibus dicuntur, vt ſuprà.

## Ionicè.

Ἰωνικῶς, pro eo quod eſt, ἁβρῶς, id eſt, molliter ac delicatè.

## Matrem ſequimini porci.

*Ariſtoph.*

Ἕπεσθε μητρὶ χοῖροι. Id eſt, Poſt matrem adeſte porci. In ſtupidos & indoctos dicitur. Quadrabit & in gulæ ventrique deditos.

## Porcus Troianus.

*Macrob.*

Conueniet in opipara conuiuia, aut in hominem variis delitiis expletum.



Ayuntamiento de Madrid

## Græco more bibere.

In voluptatibus & deliciis addictos, huic ſimile, Pergræcari, pro eo quod eſt genialem vitam ducere. Plautus: Dies noctéſque bibite, pergræcamini, Amicas emite, liberate paſcite, paraſitos obſonate pollucibiliter.

## Sybariſſare.

Pro eo quod eſt, opiparè ac genialiter viuere. Et Sybarica menſa, de conuiuio nimium opiparo. Natum à gẽtis eius moribus.

## Alcinoi menſa.

Gregorius ſimili tropo menſam luxu redundantem, Alcinoi dixit.

## Decempes vmbra.

Δεκάπους σκιὰ ἐστί. Id eſt. Decẽpes vmbra eſt, id eſt, Cenandi tempus. Veteres vmbris notabant horas diei.

## Ventres

Plutarchus. Γαστέρες. Dicebantur homines edaces, ventríque atque abdomini ſeruientes. Lucillius:

Viuite lurcones, comedones, viuite ventres.

## Venter auribus caret.

Γαστὴρ οὐκ ἔχει ὦτα. Id eſt, Venter non habet aures. Vbi de paſtu agitur, non admittuntur honeſtæ rationes. Contra famem nulla contradictio eſt.

## Ventrem mihi obijcis.

In Græcorum adagiorum collectaneis commemorantur & hi verſus:

Γαστέρα μοὶ προφέρεις κάλλιστον ὄνειδος ἀπάντων.
Ἡ πλήρης μὲν ἐλαφροτέρα, κενὴ δὲ βαρεῖα. Id eſt,
Ventrem mî obiectas, quo probrum haud pulcrius vllum.
Plenus is eſt leuior, grauis idem vbi pendet inanis.
Eurip. Mihi approbaſti probrum honeſtum ſcilicet.

Athenæus.

## Vtres Thylaci.

Ἀσκὸς καὶ θύλακος. Id eſt, Vter & Thylacus. Dicebatur, qui cibo potuíque indulgebat: ἄσκος enim vter eſt vinarius, θύλακος, vas farinarium.

Ayuntamiento de Madrid

## Methyſocottabi.

Μεθυσοκότταβοι. Vulgari conuitio dicebantur bene poti, quaſi cottabo temulenti. Cottabus enim poculi genus eſt.

## Μύτης.

Impendiò tacitus, aut in venerem ſolutior dicebatur μύτης, quaſi dicas mutitor, à μυ mutorum ſyllaba. Dicetur rectè in libidinoſos, aut ſupra modum vxorios. Rectiùs autem in viroſas feminas.

## Piræus non fert vaſa inania.

Piræus portus erat Atticæ. Huc appellebant vaſa oneribus onuſta. Eodem conueniebant adoleſcentes conuiuium acturi. Hinc dictum ſcomma in eos, qui gaudent ſemper cibo, potúque diſtendi. *Iul. Pol.*

## Bos in ſtabulo.

Βοῦς ἐν αὐλίῳ. Dicebatur inutilis & in otio vitam degens.

## Herculani lecti.

Ἡράκλειοι στρωμναί. Herculani lecti dicebantur molles ac delicati, teſtis Athenæus lib. 12. quod dictu mirum, cum Cynici ſibi vendicent Herculem. Sed qui hæc loquitur apud Athenæum, hoc agit vt perſuadeat Herculem mollem ac voluptuariam egiſſe vitam, cæterum quæ de illius laboribus feruntur apud poëtas, mera eſſe figmenta. Sic homines blandiuntur ſuis vitiis.

## Abronis vita.

Ἄβρωνος βίος. De molliter ac delicatè viuentibus. Sumtum à moribus Abronis cuiuſpiam notæ luxuriæ. *Zenodot.*

## Epiſcythizare.

Ἐπισκυθίζειν. Lacedæmoniorum adagio dicitur. Pro eo quòd eſt, vinum merum intemperantiùs bibere. Commodè deflectas licebit ad cuiuſuis rei intemperãtem & immodicum vſum.

## Sybaritica menſa.

Συβαριτικὴ τράπεζα. De conuiuio dicebatur nimium apparato. Natum à gentis moribus. Eſt enim Sybaris oppidum vicinum Crotoni. *Zenodot.*

## Syracuſana menſa.

Συρακουσία τράπεζα. Prælauta atque opipara dicebatur,



Ayuntamiento de Madrid

Syracuſani enim vt erant olim opibus florentiſſimi, ita voluptatibus ac delitiis addictiſſimi.

## Vixit dum vixit, bene.

Eſt in Hecyra Terentiana. Conuenit in eos, qui molliter ac ſuauiter viuunt, atque ita faciunt ſumtus, vt non multum iuuent hæredem. Eſt autem amphibologia in verbo viuere, quod interdum ſimpliciter viuere eſt, interdum genialiter vitam agere. Catullus: Viuamus mea Lesbia atque amemus.

*Eudemus.*

## Teneri calidis balneis.

Ἀπαλοὶ θερμολουσίαις. id eſt, Teneri calidis lauacris. In molles & luxu defluentes dicebatur.

## Amazonum cantilena.

Ἀμαζόνων ᾆσμα. In delicatos ac laſciuos, & parum viros. Amazones ludibrij cauſſa in molles viros cantilenas ſolere celebrare opinantur quidam.

## Coronam quidem geſtans, cæterum ſiti perditus.

*Ariſtoph.*

Στέφανον μὲν ἔχων, δίψῃ δ᾽ ἀπολωλώς. Id eſt, Coronam quidem geſtans, cæterùm ſiti perditus. In temulentum & lurconem aptè torquebitur, quique obligurita re redactus ſit ad inopiam.

## Ex amphitheto bibiſti.

Ἀμφιθέτῳ ἔπινες. Dicebatur in eum, qui meraciùs ac largiùs potaret. Amphithetum enim erat poculi genus, ita factum, vt quauis ex parte poſitum ſtaret, nullumque certum haberet fundum.

*Zenodotus.*

## Maſchallam tollere.

Μασχάλην αἴρειν. Dicebatur qui auidiùs biberet. Sumtum à geſtu bibonum, inter ebibendum cyathos, gulam, ac mentum intendentium, & altiùs erigentium cubitos, ne quid reſideat in cyatho liquoris.

*Homerus.*

## Vinum ſenem etiam vel nolentem ſaltare compellit.

Admonet nihil eſſe tam ineptum, neque tam alienum, ad quod non incitet ebrietas:

Οἶνος ἄνωγε γέροντα καὶ οὐκ ἐθέλοντα χορεύειν.

Ayuntamiento de Madrid

Inſanire facit ſanos quoque copia vini.

## Vinum caret clauo.

Athenæus.

Τὸν οἶνον οὐκ ἔχειν πηδάλια. Id eſt, Vinum non habere clauum. Propterea quòd ebrietas nihil conſultè neque moderatè, vel dicit vel facit. Obruitur enim ratio, quæ claui vice ſobrios moderatur ac gubernat. Ouidius:

Nox & amor, vinúmque nihil moderabile ſuadent:
Illa pudore vacat: Liber, amórque metu.

## Amphidromiam agis.

Ἀμφιδρομίαν ἄγεις. Adagium ad varios vſus poterit accommodari; vel ad eos qui pueros oſtentant ac circumferunt, aut munuſcula captant, ambiúntque. Sumtum à priſca conſuetudine, qua mulieres quæ in partu adfuiſſent, & in obſtetricando iuuiſſent, quinta pòſt die manus abluere ſolent, ac puerum curſu laribus circumferre: eóque die munera miſſitabantur à cognatis ſepiæ plerunque & polypi, decimo à partu die nomen indebatur infanti. Heſychius Amphidromiam ſeptimo die ſcribit celebrari ſolitam.

# MAGNIFICA PROMISSA.

## Aureus in Olympia ſtato.

Lucianus in Pſeudologiſta: Χρυσοῦς, φασὶν, ἐν Ὀλυμπίᾳ σάθητι. Id eſt: Aureus, vt aiunt, in Olympia ſtato. Quẽ ſummo præmio dignum Græci ſignificant, ei dicere ſolent: Aureus in Olympia ſtatuere, Plato: Polliceor me ſtatuam auream tibi æqualem Delphis collocaturum.

## Aureos polliceri montes.

Χρυσᾶ ὄρη ὑπισχνεῖσθαι. De iis, qui immenſa promittunt, ſpéſque ampliſſimas oſtendunt. Terent. in Phorm. Is ſenem per epiſtolam pellexit, modò non montes auri pollicens: vbi modò non, ſignificat tantum non, hoc eſt, propemodum.

## Montes frumenti. Mare aureum.

Plautus.

Ad rerum adfluentem copiam transferuntur. Huc poterit referri quòd ſuprà adductum eſt: Theagenis hecateũ.

## Solidos è clibano boues.

Ariſtoph.

Prouerbialis hyperbole de barbarica, ſiue de lautitiis affatim ſubminiſtratis: antiquitùs enim in delitiis erant cibi in clibano cocti. Primũ enim panis in clibano decoqui cœpt⁹,



Ayuntamiento de Madrid

quem κριβανίτην, hoc eſt, clibanarium vocabant, eáque res vſque adeò viſa eſt noua, vt etiam prouerbio locum fecerit, deinde carnes & piſces eodem modo coqui cœperunt. Vnde & Thunni & id genus alia in clibano coćta, xeniorum vice miſſitabantur amicis. Accommodabitur non inſcitè etiam ad præcedentem locum.

### Καπνός.

Καπνὸς, id eſt fumus, eſt cognominatus Theagenes, quòd magnificè polliceretur, quum eſſet pauper.

## Charetis pollicitationes.

Αἱ Χάρητος ὑποσχέσεις. Dici ſolitũ, vbi quis facilè ac benignè promittit, iuxta illud Naſonis:

> Promittas, facito, quid enim promittere lædit?
> Pollicitis diues quilibet eſſe poteſt.

Natum adagium à Charete quodam Athenienſium Duce, qui quiduis cuiuis pollicebatur.

## Album panem tibi pinſo.

Λευκὴν μάζαν φυρῶ σοι. Dici ſolitum, vbi quis magnarum rerum ſpes amplas oſtendit. Eſt enim maza panis genus. Porrò Græcis album panem in deliciis fuiſſe, locis aliquot teſtatur Lucianus, Et hoc ad lucrum accommodabitur.

## Ariolari.

Prouerbio dicebatur, qui nihil adferret certi, nihílque præſentis emolumenti, verùm in diem modo polliceretur. Terent. Sed ego ariolor. Sumtum à diuinis, qui prædicunt euentura.

### Ἐπαύλια δῶρα.

Dicebantur magnifica munera, quæ poſtero poſt nuptias die ſponſæ pater adducebat ſpõſo, pompæ cuiuſdã ſpecie.

## Modio demetiar.

Μεδίμνῳ ἀπομετρῶ. Ingens & cumulatum ſperantis emolumentum. In magna quidem rerum abundantia, non heminis, neque congiis, ſed modio metimur. Suidas: Modio metiar acceptum à patre argentum.

## Verba importat Hermodorus.

Λόγοις γὰρ Ἑρμόδωρος ἐμπορεύεται. Id eſt, Sunt Hermodori verba mercimonium In eum dicebatur, qui præter verba nihil adferret. Aut in eos, qui verba vendunt pecunia. Quod in poëtas, aduocatos, fumi venditores rectè dici po-

Ayuntamiento de Madrid

terit. Natū aiunt ab Hermodoro quodā Platonis auditore.

## Heſperidum mala.

Μῆλα Ἑσπερίδων δωρῆσαι. Id eſt, Mala Heſperidum largiri, qui magna, ſplendidáque largirentur. Virgil.

Aurea mala decem miſi, cras altera mittam.

## Alybantis hoſpitis munera.

Aut, Alybantij amici xenia, quoties fit, vt aliquis falsò iactet ſe magna largitum eſſe, ſeu verbis duntaxat, non re præſtet beneficium.

## Ad pileum vocare.

Ad libertatem inuitare, aut promiſſis ingentibus ſeditionem commouere. Macrobius: Dicet aliquis nunc me dominos de faſtigio ſuo deiicere, & quodammodo ad pileum ſeruos vocare. Metaphora ducta à veterum conſuetudine, qua ſerui quum ſtatum mutarent ac manumitterentur, capite raſo pileum accipiebant.

## Cillicon bona.

*Suidas.*

Ἀγαθὰ Κιλλικῶν. Id eſt, Bona Cillicon, ſubaudi facit, aut habet. Conuenit vbi quis malefactis ac fœdis artibus ſibi parauit opes: Huic adagio locum fecit Cillicon quidam, natione Mileſius: qui prodita Prienenſibus Mileto patria, ampliter quidem, ſed fœdè ditatus eſt. Is cùm proditionem moliens rogaretur, quidnam eſſet facturus, reſpondit, Πάντ' ἀγαθὰ, id eſt, Omnia bona. Vnde prouerbium effertur etiam ad hunc modum: πάντ' ἀγαθὰ, ὡς ἔφη Κιλλικῶν, id eſt: Omnia bona, velut inquit Cillicon.

### Ἔσπετε νῦν μοι.

Homerus Iliados β.

Ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι, ὅπως μὴ πρῶτοι ἔπεσθε.

Dicite nunc Muſæ, dixiſtis quippe priora.

In commemoratione rerum ridicularum habebit locum & gratiam.

## Ego faciam omnia more Nicoſtrati.

*Suidas.*

Ἐγὼ ποιήσω πάντα κατὰ Νικόστρατον Id eſt, Ego cuncta more fecero Nicoſtrati: pro eo quod eſt, egregiè. Nam hunc aiunt comœdiarum actorem fuiſſe talem, qualis apud Romanos prædicatur fuiſſe Roſcius.

## Sponde, noxa præſto eſt.

Ayuntamiento de Madrid

*Plato.* Ἐγγύα, πάρα δ' ἄτη. Id eſt, Sponde, ſed noxa præſto eſt. Nam qui pro altero fideiubet, id pollicetur, quod non ſit in ipſo ſitum præſtare, nempe fidem alienam.

## MAGNI MOMENTI.

### Vel Megaram vſque.

Vbi quid ſignificamus magni pretij, nobíſque vehementer expetitum, dicimus: Huius rei gratia vel in Indiam vſque proficiſceret. Aut, Digna res eſt, cuius gratia vel in Hyberniam vſque nauigetur. Socrates apud Platonem: Mihi ſanè tanta cupiditas eſt audiendi, vt ſi pedibus vel Megarã vſque ambules, non te ſim relicturus.

### Dignum propter quod vadimonium deſeratur.

*Plautus.* Vbi rem maximi momenti volumus ſignificare, quæque vel quantouis diſpendio debeat expeti, dignam eſſe dicemus, cuius gratia vadimonium deſeratur. Nam qui vadati ſunt, non niſi ſummo ſuo periculo abeſſe poſſunt.

## MALEDICENTIA.

### Ἰαμβίζειν.

*Suidas.* Priſci dixerunt pro conuitiari ac maledicere, voce ducta ab Iambo pede, qui conuitiis repertus eſt, impetum ferientis atque impetentis exprimens. Vnde & hominem ad conuitiandum propenſum ἰάμβηλον appellant.

### Στηνιᾶσαι.

Eſt alterum aſperis conuitiis inceſſere. Athenis erat feſtum quoddam, in quo ius erat dicteriis & conuitiis in alios ludere. Vnde Στηνιᾶσαι dici cœperunt, qui liberius in quempiã debacchantur. Feſto nomẽ erat στηνία: στηνὸν enim propriè dicitur, quod aſperum auribúſque moleſtum eſt.

### Execrationes ſerere.

*Heſychius.* Ἀρὰς ἐπισπεῖραι. Dicebantur, qui diris deuouerent aliquem. Inde natũ, quòd apud Cyprios eſſet ſolenne, quoties ſererent hordeũ, addito ſale, deuouere quibus malè vellent.

### Mæſonica dicteria.

Dicteria petulantiùs iacta, priſci Mæſonica vocabant: σκώμματα Μαισωνικά, à Mæſone quodam hiſtrione comœdiarum, Megarenſi.

### Vltra Hyperbolum.

Ὑπὲρ τὸν Ὑπέρβολον. Id eſt, Vincit Hyperbolum. Hyper-

Ayuntamiento de Madrid

bolus quiſpiam erat mirum in modum appetens litium. Vnde conuenit in eos, qui ſimili laborant morbo:

## MALI RETALIATIO.

### Neoptolemi vindicta.

Pauſanias.

Νεοπτολέμειος τίσις. Id eſt, Neoptolemica vindicta. Vbi quis patitur eadem, cuiuſmodi patrauit in alios. Siquidem Neoptolemo Achillis filio, qui Priamum in ipſis palatij focis occiderat, viciſſim euenit, vt & ipſe apud Delphos ad Apollinis aram occideretur.

### Termeria mala.

Τερμέρεια κακὰ, veteri prouerbio dicuntur ingentia, maximè quoties mala quæ quis in alios impegerit, aliquando in ipſius caput retaliantur. Suidas ait locum quendam eſſe in Caria cui nomen Termerio, quo tyranni quandoque pro carcere ſoleant vti.

### Cædimus, inque vicem præbemus crura ſagittis.

Perſius Satyra IIII. id eſt, Viciſſim carpimus & carpimur, ridemus, & ridemur, mordemus & mordemur, lædimus & lædimur. Horat.

Cædimus, & totidem plagis conſumimus hoſtem.

### Dedi malum, & accepi.

Plinius.

Beticum adagium eſt, quo licebit vti quoties eiuſmodi permutatio videbitur facta, vt malum pro malo ſit redditum, & par pari relatum, veluti ſi quis improbum generum dediſſet, ac nurum item improbam recepiſſet.

### Qui quæ vult, dicit, quæ non vult, audiet.

Terentius: Si mihi pergit quæ vult dicere, quæ non vult, audiet. Rurſum in prologo Phorm. Benedictis ſi certaſſet, audiſſet bene. In prologo Andriæ: Deſinant maledicere, malefacta ne noſcant ſua. In prologo Eunuchi: Tum ſi quis eſt, qui dictum in ſe inclementius exiſtimet eſſe, ſic exiſtimet, ſciat reſponſum non dictũ eſſe. Reſponſum enim vocat conuitium, conuitio redditum. Vulgò dicitur: Vt ſalutabis, ita & reſalutaberis.

### Eodem bibere poculo.

Eſt iiſdem affici incommodis, maliſque communibus obnoxium eſſe. Plautus: Vt ſenex eodem hoc poculo, quo bibi, biberet.

Ayuntamiento de Madrid

## Malvm condvplicatvm, avt renovatvm.

### Ignem igni ne addas.

Μὴ πῦρ ἐπὶ πῦρ. Id eſt, Ne incendium incendio addas. Plato lib. De legib. II. vetat ne pueri ad annum vſque duodeuigeſimum vinum bibant, ne ſi vini calor acceſſerit ad feruorem ætatis, ignem igni ſuggerere videantur.

### Ignis non extinguitur igni.

Πυρὶ οὐ σβέννυται πῦρ. Id eſt, Igni non extinguitur ignis. Malum malo non tollitur, ira non ſedatur iracundia, ſed ferocitas ſedatur lenitate; malum patientia tollitur, iniuria beneficio vincitur.

### Oleum camino addere.

Malo fomentum, ac velut alimoniam ſuppeditare. Hierony. ad Euſtoch. Vinum & adoleſcentia, duplex eſt incendium voluptatis. Quid oleum flammæ adiicimus?

### Oleo incendium reſtinguere.

Ἐλαίῳ πῦρ σβεννύειν. Dici ſolitum, vbi quis ea admouet remedia, quæ malum magis ac magis exacerbent. Veluti ſi quis offenſum iurgiis & conuitiis velit placare.

*Plato.*

### Hydram ſecas.

Ὕδραν τέμνεις. Dictum eſt loco, Inanis opera.

*Sophocles.*

### Malum malo medicari.

Τὸ κακὸν κακῷ θεραπεύειν. Eſt malum aliud alio malo tollere.

### Morbum morbo addere.

Eſt conduplicare malum. Euripides: Μὴ νοσοῦντί μοι νόσον
Προσθῇς, ἅλις γὰρ συμφορᾷ βαρύνομαι.
Ne tu mihi morbo laboranti, alterum
Appone morbum, nam ſat hoc premor malo.

### Lutum luto purgare.

Πηλῷ πηλὸν καθαίρειν. Dicitur, vbi res ſordida ſordibus tollitur, hoc eſt, quum ſordes non tolluntur, ſed mutantur.

*Ariſtoph.*

### Pro cæco exoculatus eſt.

Quum videamur corrigere quod dictum eſt, ſed altero verbo, quod vel idem polleat, vel magis etiam lædat: veluti ſi quis dicat: Non furatus eſt, ſed inuolauit.

Ayuntamiento de Madrid

## Poſt Marathonem pugna. *Herodot.*

Μετὰ τὴν Μαραθῶνα μάχην. Id eſt, Poſt Marathonem prœlium. Vbi quis poſt calamitatem in aliam nouam rurſus incidit. Marathon locus eſt Atticæ, crebris cladibus inſignis, vbi acerrima pugna fuit cum Perſis. Simile huic: Poſt bellum tumultus.

## Lis litem ſerit.

Ἔρις δ' ἔριν ἀντιφυτεύει. Id eſt, At lis ſeritur de lite viciſſim. Reſecanda iniuria eſt, non retalianda. *Phocylides.*

## De fumo ad flammam tendere.

De eo qui ſe à rebus dubiis in præſens exitium coniicit.

## Litem parit lis, noxa item noxam parit.

Δίκη δίκην ἔτικτε, καὶ βλάβη βλάβην. Senarius in rixoſos & litium auidos.

## Fallacia alia aliam trudit.

Sumtum à conſuetudine conantium fallere, ac dolos dolis conſarcinantium, ne deprehendantur. Vnde conſutis dolis dixit Plautus. Et ſutelas appellat huiuſmodi technas. Et apud Homerum, δόλους ὑφαίνειν, id eſt, Dolos texere. *Terentius.*

## Refricare cicatricem.

Quære loco, Laceſſentis.

## Illico hiems erit.

Εἰ δ' ὁ νότος βορέαν προκαλέσεται, αὐτίκα χειμών. Id eſt, Illico hiems fit, vbi boream accerſiuerit auſter. *Ariſtotel.*

Vbi malum malo ſucceſſerit, aut ingens periculum imminet.

## Præſtat vni malo obnoxium eſſe quàm duobus.

Ariſtophanes in concionatricibus hunc ſenarium prouerbialem refert:

Ἑνὶ γὰρ συνέχεσθαι κρεῖττον ἢ δυοῖν κακοῖν. Id eſt.

Vni, atque geminis præſtat inuolui malis.

Quoties vtrumque malum euitari non poteſt, danda tamen opera quò declinemus alterum, & in id, quod minus habeat incommoditatis, incurramus. Ad hunc locum refertur: Poſt bellum tumultus.

Eſt pylus ante pylum. Adducetur infrà.

Ayuntamiento de Madrid

## Nunc bene nauigaui.

*Plutarchus.* Νῦν εὖ πεπλέυκα, ὅτε νεναυάγηκα. Quoties id quod videtur incommodum fortuna præter ſpem vertit in bonum. Zeno Cretenſis naufragio eiectus dixiſſe legitur: bene facit fortuna, cùm nos ad philoſophiam admouet.

## Laqueus auxiliari videtur.

Α᾽μύνει ὡς ἔοικεν, ἡ πάγη. Id eſt, Laqueus ita vt videtur, & bono fuit. Dictitari conſueuit, quoties incommodum alicui verteretur in bonum. Veluti ſi quis Turca bello captus ſeruiret apud Chriſtianos, iſque hac occaſione noſtræ religionis ſacris initiaretur. Aut ſi diues ad inopiã redactus, hac occaſione fieret ex luxurioſo ſobrius, ex impio pius.

## Bellum haud quaquam lacrymoſum.

*Laërtius.* Α᾽δάκρυς πόλεμος. Id eſt, Bellum lacrymis carens. Vbi victoria cõtigit citra cædem & ſanguinem. Effertur etiam ad hunc modum: Incruentum ſtatuit trophæum.

MALVM ASSVETVM.

## Callum ducere.

Prouerbiales metaphoræ ſunt: Callum ducere, & Occalleſcere, ſiquidem ad animum torqueantur. Quinctilianus libro duodecimo: Et ingenio adhuc alendo callum inducere. Sæpiuſculè legimus apud Tullium, occalluiſſe aures, quum aſſuetudo ſenſum mali adimit.

## Dies adimit ægritudinem.

Terent. in Heaut. Quod audio vulgò dici, Diem adimere ægritudinem hominibus.

## Malorum aſſuetudo.

*Homerus.* Qui malis aſſueuerit, ac permulta tulerit, commodiùs fert & aliud, ſi quod inciderit infortunium.

## Neque enim ignari ſumus.

Vbi quis ad tolerantiam præſentium incommodorum animat ſeſe præteritorum malorum recordatione, non infeſtiuiter vſurpabit illud ex Odiſſ. Υ.

Τέτλαθι δὴ κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλο ποτ᾽ ἔτλης. Id eſt.
Obdures anime, & quondam grauiora tuliſti.

Id æmulans Virgilius inquit: O ſocij, neque enim ignari ſumus ante malorum.

Ayuntamiento de Madrid

O paſſi grauiora, dabit Deus his quoque finem,
Durate, & voſmet rebus ſeruate ſecundis.

## Nota res mala, optima.

Dictum eſt ſub perſona ſenis, ſuadere conantis amico, ne vxorem tametſi malam repudiaret, aliam ducturus, propterea quòd plerunque fit, vt qui commutat primum, pro malo peius accipiat, tum ignotum pro noto, inſuetum pro familiari. Tantum enim valet aſſuetudo, vt mala quibus aſſueuerimus, optima videantur. Contrà, quæ ſunt optima, propter inſolentiam peſſima videantur. *Plautus.*

## Vſus eſt altera natura.

Nihil hoc dicto celebratius: Ἔθος, ἄλλη φύσις, id eſt, Vſus altera natura. Natura nihil efficacius, potentiúſue. Vnde Satyricus: Cuſtode & cura natura potentior omni. *Ariſtot.*

## Scarabeo citius perſuaſeris.

Θᾶσσον ὁ κάνθαρος ἂν μεταπεισθείη. Id eſt, Citiùs ſcarabeum in diuerſam ſententiam pertraxeris. De iis qui malis aſſueuerunt, à quibus reuocari non poſſunt, eò quòd aſſuetis videantur optima. *Lucianus.*

# MALVM ACCERSITVM, AVT RETORTVM.

## Ilienſis tragœdos conduxit.

Ὁ ἰλιεὺς τραγῳδοὺς ἐμίσθωσε. Vbi quis vltrò prouocat quempiam, vnde ſua audiat probra. *Lucianus.*

## Suo iumento ſibi malum accerſere.

Qui ipſe ſibi malorum eſt auctor, ſuo iumento ſibi malum accerſere dicitur. Tanquam ſuo ſumtu ſuáque opera, quaſi ſuopte plauſtro, malorum ſarcinam apportet ſibi.

## Suo ſibi hunc iugulo gladio, ſuo telo.

In eum qui ſuis ipſius dictis reuincitur, aut qui ſuopte inuento dolóue capitur. Ouid. *Plautus.*

Remigiumque dedi, quo me fugiturus abires.
Heu patior telis vulnera facta meis.

## Suo ipſius laqueo captus eſt.

Metaphora ſumta ab iis, qui inſtructis pedicis, auibus, aut feris inſidias tendunt. *Terent.*

## Suo ipſius indicio periit ſorex.

Terentius: Egomet meo indicio miſer quaſi ſorex hodie

Ayuntamiento de Madrid

perij. Donatus admonet eſſe prouerbium in eos, qui ſuapte voce produntur. Atque hinc exiſtimat ductam eſſe metaphoram, quòd ſoricum proprium ſit, ſtridere clarius, quàm mures, &c.

## Incidit in foueam quam fecit.

In Odis Dauidicis: Λάκκον ὤρυξε, καὶ ἀνέσκαψεν αὐτόν, καὶ ἐμπεσεῖται εἰς βόθρον, ὃν εἰργάσατο. Lacum fodit, & aperuit eum, & incidet in foueam, quam fecit.

## Captantes capti ſumus.

Αἱροῦντες ᾑρήμεθα. Quum res præpoſterè euenit, vt ipſi circumueniamur ab iis, quibus conabamur imponere.

## In venatu periit.

Lucianus: Αὐτή τε ἀπώλετο ὑπὸ τῆς ἄγρας. Id eſt, Et ipſa venatu periit, hoc eſt, dum adoleſcentem venatur, ſtudetque irretire, etiam ipſa ſeſe perdidit.

## Hanc technam in teipſum ſtruxiſti.

Eandem ſententiam aliter expreſſit Lucianus: Ὥστε σόφισμα κατὰ σαυτοῦ συντέθεικας. Id eſt, Itaque commentum in tuum ipſius exitium reperiſti. De heredipeta, qui veneno quo ſenem appetiuerat, ipſe fortè fortuna captus interiit. Vtendum erit quum dolus in alterum excogitatus, in caput auctoris recidit.

## Qui inſpuerit in cauernam formicarum.

Ὡς ὁ πτύσας εἰς μυρμηκίαν, οἰδεῖ τὰ χείλη. Id eſt, Quod qui inſpuerit in agmen formicarum, huic intumeſcunt labra. Torqueri poterit in eos, qui multitudinem imbecillium quidem, ſed tamen numeroſam & concordem prouocant.

## Ex ipſo boue lora ſumere.

*Plutarchus.* Ἐκ τοῦ βοὸς τοὺς ἱμάντας λαμβάνειν. Qui quo lædunt quempiam, ab ipſo quem lædunt accipiunt. Metaphora ſumta ab agricolis, qui lora cædunt è boum tergoribus, quibus boues vinciunt.

## Viro Lydo negotium non erat, at ipſe foras profectus parauit.

Ἀνδρὶ Λυδῷ πράγματα οὐκ ἦν, ἀλλ᾽ αὐτὸς ἐξελθὼν ἐπρίατο. Dici ſolitum, vbi quis impatiens otij, ipſe ſibi negotium ac turbam accerſit.

Talia

Talia gignit bellum.

Τοιαῦθ' ὁ τλήμων πόλεμος ἐξεργάζεται. Id eſt, Similia bellum calamitoſum parit. Docet hic ſenarius. E diſſidiis eorum qui rempublicam adminiſtrant, multa gigni abſurda. Id tranſlatum ad priuatam diſcordiam, pluſculum habebit gratiæ. *Cicero.*

Securim iniicere. *Cicero.*

Dicuntur qui vehementer lædunt ac vulnerant.

Sibi parat malum, qui alteri parat. *Ariſtotel.*

Ipſe ſibi mala cudit, quiſque alij mala cudẽs. Nemo poteſt alterum iniuria afficere, niſi prius lædat ſeipſum. Qui alium fraudat pecunia, ſeipſum ſpoliat bona mente, grauius ſeipſum lædit quàm alterum.

Chius dominum emit. *Athenæus.*

Χῖος δεσπότην ὠνήσατο. Id eſt, Chius dominum mercatus eſt. In eos quadrabit, qui ſibiipſis malum accerſunt. Nátum inde, quòd quum Chii primi ſeruis mercenariis inſtituiſſent vti, poſtea ſubacti à Mithridate Cappadoce, propriis ſeruis vincti ſunt traditi.

Mala attrahens ad ſe, vt Cæcias nubes. *Gellius.*

Κακ' ἐφ' αὐτὸν ἕλκων ὡς ὁ Καικίας νέφος. Id eſt, Sic mala ſibiipſi, vt Cæcias nubem attrahens. In eos, qui ſibiipſis litium ac negotiorum materiam pariunt, accerſuntque. Ducta ſimilitudine ab eius vẽti natura, cui nomen Cæcias.

Omnes attrahens, vt magnes lapis. *Suidas.*

Πάντας γ' ὑφέλκων, οἷα μαγνῆτις λίθος. Id eſt, Cuncta attrahens, haud aliter ac magnes lapis. Ducta metaphora à natura lapidis, ferrum ad ſe trahentis.

Ne quid ſuo ſuat capiti.

Terentius in Phormione: Pro eo quod eſt, ne quid mali ſibi conciliet.

In cælum expuis.

Ἐς οὐρανὸν πτύεις. Id eſt, Facis quod in tuum ipſius recidat caput. Aut, Obloqueris his, qui facilè poſſunt lædere. Confine illi: Aduerſus ſtimulum calcitrare.

Spontanea moleſtia.

Celebratur inter Græcos cum primis bellus, & elegãs



Ayuntamiento de Madrid

trimeter.

Αὐθαίρετος λύπ' ἐστὶν ἡ τέκνων σπορά. Id eſt.

Vltroneus dolor eſt parare liberos. Dici non poteſt quantum,& quàm moleſtum negotium ſit, educare filios: præſertim cùm adeò pauci ſint, qui parentum officio reſpondeant.

## In tuum ipſius malum lunam deducis.

Ἐπὶ σ' αὐτῷ τὴν σελήνην καθελᾶς. Aglaonice quæpiam, quum per Aſtrologiam defectus præſciret, iactabat ſe lunam è cælo detracturam in terras. Atque eius iactantiæ pœnas dedit. Prouerbium igitur hinc ſumtum dicebatur de iis, qui ſuis ipſorum artibus ſibi malum accerſerent.

## Lunam detrahere.

Τὴν σελήνην κατασπᾷ. Id eſt, Lunam detrahit. Conſueuit dici de eo, cui res vehementer aduerſæ viderentur. Sumtum ab Aglaonice, vt ſuprà.

## Dares Entellum prouocas.

Conueniet vti, quando quiſpiam iuuenili temeritate laceſſat aliquem, non perinde promtum ad ſuſcipiendum certamen, verùm intolerandum, ſi ſemel inierit. Sumtum ex quinto Æneid. lib.

## Atlas cælum.

Ἄτλας τὸν οὐρανόν. Subaudiendum, ſuſcepit. Dici ſolitum de his, qui ſeſe magnis & moleſtis inuoluunt negotiis, ipſique ſibi malum accerſunt. Nam hic cælum hoſpitio ſuſcepit. Deprehenſus autem, quòd illi ſtruxiſſet inſidias, præceps datus eſt in mare Atlanticum.

## Accerſitum malum.

*Homerus.* Ἐπίσπαστον κακόν. Accerſitum malum dicitur, cuius ipſe tibi cauſſam præbueris.

## Coruus ſerpentem.

Κόραξ τὸν ὄφιν. Vbi quis ſuo ipſius inuento perit. Sumtum ex apologo quodam Æſopi: Coruus eſuriens ſerpentem in aprico dormientem conſpicatus rapuit, à quo morſus periit. Cognatum ei: Coruus ſcorpium. Torquere licebit & in hominem ob edacitatem periclitantem.

## Bis interimitur qui ſuis armis perit.

Magis dolent incõmoda, quibus ipſi dedimus occaſionẽ

## Colubrum in ſinu fouere.

Ὄφιν ἐν τῷ κόλπῳ θάλπειν. Id eſt, Serpentem in ſinu fouere. Dicitur qui complectitur amore, ſtudióque proſequitur ingratum. Samtum ab apologo quodam Æſopi.

## Hoſtis domeſticus.

Vbi malum non aliunde proficiſcitur, ſed ex nobis ipſis naſcitur. *Plato.*

## Capra gladium.

Αἲξ μάχαιραν. Subaudi, reperit. In eos dicitur, qui ipſi reperiunt, quo pereant.

## Pyrauſtæ gaudes gaudium.

Χαρὰν πυραύστου χαίρεις. De momentanea fluxáque voluptate. Oſtendimus alicubi pyrauſtam ad lucernas aduolantem, ambuſtis alis perire. Vnde natum prouerbium: Pyrauſtæ fatum. In eos, qui ſibiipſis exitium accerſunt.

## Prudens in flammam mittere manum.

Hieronymus vſurpat pro eo quod eſt, ſciens expono me diſcrimini, maliſque obiicio.

## Callidum prandium comediſti.

*Plautus.* Feciſti, quod tibi magno malo ſit futurum. Ab his ſumtum, qui ſe noxis ac lethiferis ingurgitant cibis, poſtea ventris tormina ſenſuri.

## Malum conſilium.

Malum conſilium conſultori peſſimum. In eos, in quorũ caput recidit, quod aliis perperã cõſuluerunt. Heſiodus:

Οἷ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ, ἄλλῳ κακὰ τεύχων.
Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη. Id eſt.
Ipſe ſibi nocet is, alium qui lædere quærit.
Conſultum malè, conſultori peſſima res eſt.

## Camelus deſiderans cornua, etiam aures perdidit.

Ἡ κάμηλος ἐπιθυμήσασα κεράτων, καὶ τὰ ὦτα προσαπώλεσεν. Conueniet in eos, qui dum peregrina ſectantur, ne ſua quidem tuentur. Sumtum ex apologo de camelis, qui per oratorem cornua à Ioue poſtularunt. Ille offenſus ſtulta poſtulatione, aures quoque reſecuit.

## Sibi malum reperit.



Ayuntamiento de Madrid

In eum qui ſuo læditur inuento, quadrabit illud Homeri ex Odyſſ. Φ.

Οἵ τ' αὐτῷ πρώτῳ κακὸν εὕρετο οἰνοβαρείων. Id eſt.

Qui ſibi perniciem vel primum repperit ipſe
Vino victus.

Dictum eſt de Eurytione, qui primus inuenit vſum vini, peremtus à Lapithis.

## Cœno puram aquam turbans, nunquam inuenies potum.

Dici ſolitum, vbi quis ea, quæ ſunt per ſe pulcerrima, contaminat admixtis iis, quæ ſunt turpiſſima.

## Bellerophontes litteras.

*Zenodotus.* Βελλεροφόντης τὰ γράμματα. Subaudiendum, adfert, aut aliud aliquod. Locus erit huic prouerbio, quum quis litteras velut cõmendatitias perfert, quæ contra ipſum ſint deſcriptæ. Vulgò litteras Vriæ vocant. Plautus:

Tace, nullus homo dicit, hæ tabulæ te arguunt,
Quas tu attuliſti, hæ te vinciri iubent.
Aha Bellerophontem iam tuus me fecit filius.
Egomet tabulas detuli, vt vincirer.

## Ale luporum catulos.

In eos qui læduntur ab iis, de quibus bene meriti ſint, aut in ingratos. Nam plerumque ſolet id vſu venire illis, qui catulos luporum enutriunt.

## Phoci conuiuium.

*Idem.* Φώκου ἔρανος. Id eſt, Phoci præmium, ſiue conuiuium. Dictitari ſuetum, vbi quis ſuo malo cõuiuas acciperet. Aiunt Phoco cuipiam filiam fuiſſe iam nuptiis maturam. Is procos (nam erant complures) conuocare ſolitus, præmia ſtatuebat, & conditionibus ſubinde nouis propoſitis nuptias prorogabat. Quamobrem indignati iuuenes, Phocum in conuiuio trucidarunt.

## Puer glaciem.

*Zenodotus.* Ὁ παῖς κρύσταλλον. Dicebatur in eos qui quum retinere quippiam non poſſint, nolunt tamen amittere. Veluti ſi quis magiſtratum recuſet deponere, cui gerẽdo ſit impar.

## Turdus ipſe ſibi malum cacat.

*Athenæus.* Κίχλα χέζει αὐτῇ κακόν. In eos, qui ſibiipſis miniſtrent

Ayuntamiento de Madrid

exitii cauſſam. Siquidem viſcum, auctore Plinio, non prouenit, niſi maturatum in ventre, ac redditum per auium aluum, maximè palumbium ac turdorum.

Tute hoc intriſti, tibi omne eſt exedendum. *Terentius.*

Verba ſunt Phormionis paraſiti, qui quoniam fuerat auctor conſilii de ducenda puella, æquum eſſe putat, vt ſuo periculo rem item expediat. Tranſlatum ab alliato ruſticorum mortario. Idem: Colo quod aptaſti, ipſi tibi nendum eſt. Id eſt, Tu incipiundi auctor extitiſti, nunc idem explices oportet.

Faber compedes, quas fecit, ipſe geſtet. *Auſonius.*

Competit in eos, qui ſibiipſis auctores ſunt malorum. Flagellum ipſe parauit, quo vapularet.

Ipſe ſibi mali fontem reperit. *Athenæus.*

Sunt enim & pernicioſi fontes, quorum aqua guſtata mortem aut inſaniam adferat.

Bos aduerſus ſeipſum puluerem mouet. *Zenodotus.*

Βῦς ἐφ' ἑαυτῷ κονιῶται. Id eſt, Bos aduerſus ſeipſum puluerem mouet, ſiue feſtinat. Vbi quis ad ſuum ipſius malum volens lubenſque ducitur. Nam boues facilè ſe præbent vinciendos.

Echinus partum differt. *Suidas.*

Ἐχῖνος τὸ τόκον ἀναβάλλει. De iis qui prorogarent quippiam ſuo malo. Veluti qui creditam pecuniam comperendinant, tamen aliquando reddendam vel maiore cum fenore. Aiunt echinum terreſtrem ſtimulata aluo remorari partum, deinde iam aſperiore ac duriore facto fœtu mora temporis maiore cruciatu parere.

Noſtris ipſorum alis capimur. *Athenæus.*

Τοῖς αὐτῶν πτεροῖς ἁλισκόμεθα. Id eſt, Noſtris ipſorum pennis capimur. Fertur autem apologus huiuſmodi: Aquilam ictam ſagitta, quum inſpexiſſet iaculum ad imaginem pennarum effictum, imitatumque, dixiſſe: Hæc non ab aliis, imò pennis propriis capimur. Conueniet in eos, qui ipſi præbent occaſionem ſui mali.

Capra contra ſeſe cornua.

Ἡ αἲξ κατ' ἑαυτῆς τὰ κέρατα. Ab apologo natum. Capra quæpiam quum eſſet iaculo vulnerata, circumſpectans


Ayuntamiento de Madrid

vndenam id mali ſibi aduenißet, arcum contemplans caprinis cornibus compactum dixit ad hunc modum: In meam ipſius perniciem produxi cornua.

*Ariſtotel.*

## Carpathius leporem.

Ὁ Καρπάθιος τὸν λαγών. Dicebatur in eos, qui ſibi rem noxiam accerſerent. Hinc deductum adagium, quòd quum in Carpathiorum inſula lepores non eſſent, illi curarunt importandos alicunde. Verùm vbi eius animantis magna vis increuiſſet, vt eſt mira fecunditas, fruges inſulæ populari cœperunt.

## Calidam veruti partem.

Τὸ θερμὸν τῦ ὀβελῦ. Subaudiendum, arripuit. Vbi quis per imperitiam negotii, ea parte rem aggreditur, qua minimè tutum fuerat aggredi. Sumta metaphora ab iis, qui per imprudentiam, eam veruti partem manu prehendunt, quæ caleat, deinde offenſi reiiciunt, & alteram partem apprehendunt.

*Zenodotus.*

## Cornix ſcorpium.

Κορώνη τ σκορπίον. Subaudiendum, rapuit. Quadrat in hos, qui parant eos lædere, vnde tantũdem mali ſint viciſſim accepturi. Quemadmodum cornix correpto ſcorpio, arcuata illius cauda, vulnus accepit lethale, periítque.

*Plautus.*

## Cornutam beſtiam petis.

Qui illum laceſſit, qui paratus ſit retaliare iniuriam.

## Cicadam ala corripuiſti.

*Lucianus.*

Τέττιγα πτερῦ συνείληφας. Cicada ſi preſſeris alas, vehementiùs etiam perſtrepit, ita ne quis hominem poëtam ſibi faciat inimicum. Horatius, Genus irritabile vatum, dixit.

## Irritare crabrones.

*Plautus.*

Τὰς σφηκιὰς ἐρεθίζειν. Id dictum eſt à poëta in mulierum ingenium, quibus iratis ſi repugnes, magis prouoces. Eſt autẽ crabro inſecti genus, affine veſpis, pertinaciſſimum, aculeóque peſtilentiſſimo.

## Octipedem excitas.

*Suidas.*

Ὀκτώπουν ἀνεγείρεις. Nimirum ſcorpium, quem non niſi tuo periculo ſuſcites.

*Ariſtoph.*

## Anagyrum commoues.

Ayuntamiento de Madrid

Ἀνάγυρον κινεῖς. In eos, qui ſibiipſis malorum auctores eſſent. Anagyrum genium quendam exiſtimant, qui propter violatum ſacellum ſuum vicinos omnes funditus euertit. *Diogenian.*

## Suem irritat,

Ὗν ὀρίνει. In auidum rixarum dicebatur. Sus enim agreſtis prouocatus, rectà petit eum, à quo prouocatus eſt.

## Leonem ſtimulas.

Τὸν λέοντα νύττεις. Id eſt, Leonem pungis, ſeu vellicas. De his, qui potentem ac ferocem in ſuum ipſius exitium prouocant.

## Ipſa olera olla legit. *Catullus.*

In eos quadrabit, qui ſuum ipſorum vitium in aliud quippiam reiiciunt: aut, qui ſic ad ſcelus aliquod, quaſi facti ſunt, vt non poſſint non peccare. Nam olla coquendis oleribus nata eſt.

## Fontibus apros. Floribus auſtrum. *Virgillius.*

Vbi quis optat nocitura.
Eheu, quid volui miſero mihi? floribus auſtrum
Perditus, & liquidis immiſi fontibus apros.
Nam auſter ventus floribus inimiciſſimus eſt.

## Leonem radere.

Λέοντα ξυρεῖν dicuntur, qui feroces & præpotentes arte tractant & illidunt magno ſuo periculo: Vſurpauit hoc adagium Socrates apud Platonem lib. De Repeb. 1. negans ſe vſque adeò dementem eſſe, vt leonem auſit tondere, & Thraſymacho homini præferoci illudere.

## Nemo læditur niſi à ſeipſo. *Diogen.*

Nemini fit iniuria ſi eam exiſtimet ad ſe nonpertinere.

## Arcadiam me poſtulas. *Idem.*

Ἀρκαδίαν μ' αἰτεῖς. Conueniet vel in magna vel inutilia petentem, ait Diogenianus, vnde natum ſit adagium non indicat. Sed Herodotus lib. 1. ſatis docet natum eſſe ex oraculo, ἀρκαδίαν μ' αἰτεῖς, μέγα μ' αἰτεῖς, οὐδέ τι δώσω. Id eſt, Arcadiam me oras, magnum petis haud dabo quicquam.



Ayuntamiento de Madrid

## Eurycles.

Ε᾿υρύκλης. Vulgato cognomine dicebatur, qui de ſe ſuiſque incommodis aliquid diuinaret. Hoc nomine vates fuit quiſpiam Ε᾿παστρίμυθος cognominatus, hinc, ni fallor, quòd ex aſtris vera prædiceret, παρὰ τὸ ἐπάζειν.

## Ipſe ſibi perniciem accerſiuit.

In eum qui ſibi pertinaciter accerſit malum, cui veluti fato deſtinatus ſit, congruet illud ex Homeri Iliad. ν.

Τὸν δ' ἄγε μοῖρα κακὴ θανάτοιο τέλοσδε. Id eſt,

Iſtum mortis in exitium mala parca trahebat.

*Zenodot.*

## Bœotis vaticinare.

Βοιωτοῖς μαντεύσαιο. Abominātis eſt ſermo, perinde vt ſi dicimus, hoſtibus iſta vaticinare. Aptiùs dicetur in eum qui triſtia vaticinatur, ſi quando precabimur vt ea in ipſius caput recidant.

## Ipſi ſibi teſtudines edite qui cepiſtis.

Α᾿υτοὶ χελώνας ἐσθίεθ' οἵπερ εἵλετε. Id eſt,

Qui prendidiſtis, iidem edite teſtudines.

In eos dicitur, qui poſteà quàm inconſultè quippiam adorti ſunt, aliorum implorant auxilium, quos ſuo negotio admiſceant. Ex apologo quodam nata parœmia.

*Heſychius.*

## Oenœ charadram.

Οἰνόη τὴν χαράδραν. Id eſt. Œnoe torrentis alueum. Charadra ſignificat Græcis eam terræ fiſſuram, quā aqua, pluuia, aut torrens, nonnunquàm terræ motus efficit. Dici ſolitum in eos qui ipſi malum acceſſerent. Hinc nata parœmia, quòd Œnoe vicus quidam ſit Atticæ, quem qui incolebant, alueum quendam torrentis vicinum ſuis finibus incluſerunt, deinde ingruente immodica vi aquarum & ob id corruptis agris, agricolationem perdidiſſe. Effertur adagium ad hunc quoque modum: Οἰναῖοι τὴν χαράδραν, id eſt, Oenæi charadram. Vbi quippiam accerſitur ad commoditatem, vnde pernicies adfertur.

*Virgil.*

## Malum bene conditum ne moueris.

Μὴ κινεῖν κακὸν εὖ κείμενον. Id eſt, Ne moueris malum bene conditum, ſiue quieſcens. In eos qui ſua ſtultitia ſibi turbas excitant.

## Mouere Camarinam.

Ayuntamiento de Madrid

Καμᾶν τὴν Καμάριναν. Eſt ſibiipſi malum accerſere. Camarina palus eſt iuxtà oppidum eiuſdem nominis, quæ ſiccata peſtilentiam creauit, &c.

## Pyrauſtæ interitus.

Zenodot.

Πυραύστου μόρος. In eos dicebatur, qui ſibiipſis exitium accerſunt. Ait enim Zenodotus pyrauſtem inſectum eſſe, quod lucernis aduolet, atque ita exuſtis alis, concidat, pereatque,

## Ipſo cratere.

Ipſo cratere contingant mala, Dictari ſolitum de iis, in quos recidit, quod per inſidias in alios moliebantur. Crateram enim quaſi malorum fontem vocat. Vnde κρατὴρ κακῶν, id eſt Crater malorum.

## Docui te vrinandi artem, & tu me vis demergere.

In eos quadrat, qui bene facta malefactis retaliant.

## Fæcem bibat, qui vinum bibit.

Qui fruitus ſit optimis, eundem boni conſulere deteriora. Ariſtophanes in Pluto.

Ὅμως δ' ἐπειδὴ καὶ τὸν οἶνον ἤξίους
Πίνειν, συνεκποτέον ἐστὶ καὶ τὴν τρύγα. Id eſt,
At vbi haud grauatus bibere vinum es: fex item
Tibi nunc eidem eſt ebibenda ſcilicet.

MALVM MALE VITATVM.

## Fumum fugiens, in ignem incidi.

Lucianus.

Καπνὸν γε φεύγων, εἰς τὸ πῦρ ἐνέπεσον. Dum vito fumum, flammam in ipſam decidi. Horatius:

In vitium ducit culpæ fuga, ſi caret arte,

## Euitata Charybdi in Scyllam incidi.

Τὴν Χάρυβδιν ἐκφυγὼν τῇ Σκύλλῃ περιέπεσον. Dum vito grauius malum, in alterum diuerſum incidi. Sumtũ adagium ab Homerica fabula, quæ narrat Vlyſſem, dum metu Charybdis propiùs ad Scyllam nauem admouet, ſex è comitum ſuorum numero perdidiſſe.

## Ne cinerem vitans in prunas incidas.

Μὴ τέφραν φεύγων εἰς ἀνθρακιὰν πέσῃς. Id eſt, Ne cinerem fugiens, in carbonariam incidas.

Ayuntamiento de Madrid

*Apoſtolius.*

## Cucurrit quiſpiam, ne pluuia madeſceret, & in foueam præfocatus eſt.

Vbi quis leuius malũ incautus fugiẽs, in maximũ incurrit.

MALVM IMMEDICABILE.

*Zenodot.*

## Chironium vulnus.

Χειρώνειον ἕλκος. Immedicabile malum appellabant. Chiron in bello aduerſus centauros, ictus ab Hercule, vulnus immedicabile accepit in pede, vnde periit.

## Podex lautionem vincit.

Vide, Ingenij malitia.

## Aceſias medicatus eſt.

Ἀκεσίας ἰάσατο. Dici ſolitum de re, quæ ſemper vergeret in deterius, quóquo magis accuraretur, hoc peius haberet. Occaſionem adagio dedit Aceſias quidam medicus imperitus.

## Non liberat podagra calceus.

Plutarchus: Οὔτε ποδάγρας ἀπαλλάττει καλλίκιος, οὔτε δακτύλιος πολυτελὺς παρωνυχίας, οὔτε διάδημα κεφαλαλγίας. Id eſt, Nec podagra liberat calceolus, nec pretioſus anulus vnguium vitio, nec diadema capitis dolore. Plutarchus vtitur ad hunc modum: Si diuitiæ reliquaque fortunæ munera non tollunt morbos corporis, quanto minus mederi poſſunt animi malis?

MALVS VICINVS.

*Ariſtoph.*

## Sulſuginoſa vicinia.

Ἀλμυρὸν γείτονημα. De ſterili, agreſti, atque inhumana vicinia dicebatur. Traductum ab agris mari finitimis, qui plerunque ſolent ad culturam inhabiles eſſe.

*Plautus.*

## Aliquid mali propter vicinum malum.

Admonet vti bonorum conuictum & conſuetudinẽ expectamus, vt malis nos quã maximè poſſumus abducamus.

*Plutarchus.*

## Si iuxta claudum habites, ſubclaudicare diſces.

Ἂν χωλῷ παροικήσῃς ὑποσκάζειν μαθήσῃ. Prouerbium admonet periculoſam improborum hominum conſuetudinem vitandam.

Ayuntamiento de Madrid

## Mactata hoſtia lenior.

Horatius; mactata veniet lenior hoſtia. De ſpontaneis ac manſuetis. Sumtum eſt à ſacrificijs, in quibus explorabatur hoſtia, ducto per frontem cultro. Idque mactare vocabant, Vnde, qui ſpectata ſunt virtute, eos mactos virtute vocant.

## Auricula infima mollior.

Tullius vſurpat in epiſtolis. Tranſlata metaphora ab ea auriculæ parte, qua non eſt aliud in humano corpore mollius, aut flexibilius.

## Sedens columba.

Ἡ μένη πελειάς. Suidas indicat dici ſolitum de ſupra modum manſuetis ac ſimplicibus. Nam columbæ quum auolant, fallunt cæteras pernicitate volatus: quum ſedent, nihil mitius ac ſimplicius.

## Spongia mollior.

Ad eandem formam dicebatur. Pepone mollior. Mitior malua. Item Cinædo mollior. Priſci ſaltatores & pantomimos cinædos vocabant.

## Apio mollior, aut mitior. *Theocritus.*

Ἀπίω πιαίτερος. Id eſt, Apio mitior. Eſt autẽ apius Græcis raphanus, aut pyri genus.

## Oleo tranquillior. *Plautus.*

In homines minimè iracundos, leníque ingenio præditos. A liquoris natura ſumta.

## Mitior columba.

Πρᾳότερος περιστερᾶς. Id eſt, Manſuetior columba. Columbina ſimplicitas vbique laudatur. *Diogen.*

## Cera tractabilior.

Κηροῦ εὐπλαστότερος. De vehementer docili dicebatur, aut de ingenio facili, tractabilique, & in quẽuis habitũ ſequaci. Horatius, Cereus in vitiũ flecti, monitoribus aſpe.

### MEMORIA.

## Iucundi acti labores. *Cicero.*

Ex ipſa hominum natura ſumtum adagium. Eſt enim hoc inſitum omnibus, vt iucunda cuique ſit ante actorum malorum aut periculorum ſecura recordatio, commemoratioque præſertim inſignium fatalium.

Ayuntamiento de Madrid

*Amphis.*

## Quæ dolent, moleſtum eſt contingere.

Vnuſquiſque inuitus audit ſua incommoda, maximè ea, quæ ſint cum aliqua infamia coniuncta. Velut turpitudinem generis, vitium formæ, &c.

## Vbi quis dolet, ibidem & manum habet.

Ὅπου τὶς ἀλγεῖ, κεῖσε καὶ τὴν χεῖρ' ἔχει. Id eſt, Vbi dolet quis, ibi & manum frequens habet. Tempeſtiuiter vtemur, quũ ſignificabimus quempiam ea tractare, déque iis libenter verba facere, quæ mouent animum. Plutarchus huc torquet, vbi quid ſiue dolet, ſiue delectat, ibi quiſque linguam habet.

## Aurem vellere.

*Virgilius.*

Aurem vellere veteres dicebant admonere, à priſco ritu ſumta figura, quo in ius ducturi quempiam aurem vellicabant, atteſtantes eum, quem quaſi teſtem meminiſſe volebant.

## Iucunda malorum præteritorum memoria.

Ἀλλ' ἡδύ τοι σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων. Id eſt, Meminiſſe laborum ſuaue, qui ſeruatus eſt.

## Ignarium dare.

*Seneca.*

Stimulis fodere, Fodere latus, Tangere aliquem cubito. His geſtibus admonemus, quemadmodum & vellendo aurem. De lapide pyrite tractum, quem alij viuum, nonnulli ignarium vocant. Plura quære loco, Incitare.

## Tanquam meum nomen, tanquam digitos.

Tanquam meum nomen, & tanquam meos digitos teneo, ſi quando promptum, certámque memoriam ſignificare volumus. Martialis:

Totis diebus Afer hæc mihi narras.
Et teneo meliùs iſta, quàm meum nomen. Iuuenalis:
Tanquam vngues, digitóſque ſuos.

# METVS EX CONSCIENTIA.

## Fures clamorem.

Οἱ φῶρες τὴν βοήν. Subaudiendum, timent aut ſenſerunt. Quadrabit in eos, qui ſibi conſcij, metuunt ne deprehendantur. Habet hoc autẽ cum omnis malefacti, conſcientia, tum præcipuè furti, vt hominem trepidum reddat ac lucifugam.

Ayuntamiento de Madrid

## Lupus aquilam fugit.

Λύκος ἀετὸν φεύγει. Vbi periculum imminens euitari non poteſt. Aquilam enim, alata quum ſit, fruſtrà lupus fugit. *Diogen.*

## Lupus ante clamorem feſtinat.

Λύκος πρὸ τῆς βοῆς σπεύδει. Vbi quis admiſſi conſcius, vltro timet, priuſquam accuſetur. *Idem.*

## Conſcientia mille teſtes.

Heu quàm difficile eſt crimen non prodere vultu. Senſus interprete non eget. *Quinctilia.*

METVS POENAE,

## Funiculum fugiunt miniatum.

Τὸ σχοινίον φεύγουσι τὸ μεμιλτωμένον. Id eſt, Vitant Sinopi collitam reſtim rubra. Aptè dicetur, vbi quis properat officio ſuo fungi, non ex animo, ſed ne in mulctam incidat. Athenienſium magiſtratus funem pararant rubro colore, quem minium vocant Latini, nonnulli cinnabarim appellant, oblitum. Hoc duo miniſtri publici populum cingentes agebant in concionem. Studebat quiſque funiculum effugere, propterea quòd quiſque colore notatus appareret contagio funis, is mulctam pendere cogebatur. *Ariſtoph.*

## Manum de tabula.

Marcus Tullius in epiſtola quadam: Heus tu manum de tabula. Magiſter adeſt citiùs, quàm putaramus. Peculiariter conueniet in ſcriptores plus ſatis acutos, & moroſæ cuiuſdam diligentiæ, qui ſine fine premunt ſuas lucubrationes, ſemper aliquid addentes, adimentes, immutantes, &c.

## Metus infamiæ.

Cùm dicemus nos hominum de nobis opinione rumoribúſque commoueri quò minùs mutemus conſilium, conueniet illud Home. *Pythagoras.*

Αἰδέομαι Τρῶας, καὶ Τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους.

Troianos ac Troianas vereórque, pudétque.

## Abſque baculo ne ingreditor.

Ἄνευ ξύλου μὴ βάδιζε. Id eſt, Abſque ligno ne ingrediare. Inermis ne ſis, verùm ſemper ad manum ſit quo depellas, ſi quis fortè quærat lædere.

## Cautus enim metuit.

Qui non ex animo, ſed mali metu continent à maleficio, *Horatius.*

Ayuntamiento de Madrid

in eos quadrabunt hæ metaphoræ:

Cautus enim metuit foueam lupus, accipitérque
Suſpectos laqueos, adopertum miluius hamum.

## In tempore cauenda pœna mali.

Quoties admonebis, vt multò antè occurratur malo priùs quàm oppreſſerit nos, aut ceſſandum à peccando, priùs quã ingruat diuina vindicta, vſui erit illud Homeri:

Ἀλλὰ πολὺ πρὶν
φραζώμεσθ᾽, ὥσκεν καταπαύσομεν. Id eſt,
Verùm nos multò antè modum finémque velimus
Ponere.

## Samiorum mala metuis.

Τὰ Σαμίων ὑποπτεύεις. Dictitatum de iis, qui metuerent proditionem. Narrant Athenienſes olim in Samios, quoſcunque cœpiſſent, inclementiùs ſæuiſſe, atque alios interemiſſe, alios confixiſſe ſama. Id eſt ſupplicij genus. Samij viciſſim, ſi quos cepiſſent Athenienſium, hos ad eundem modum cruciabant.

## Volam pedis oſtendere.

*Heſychius.* Τὸ κοῖλον τοῦ ποδὸς δεῖξαι. Id eſt, Cauum ſiue volam pedis oſtendere. Dicuntur, qui in bello fugiunt. Dicitur & vulgò in fugaces, Calcaneum oſtendere. Vertere terga apud hiſtoricos.

## Περίτριμμα.

Περίτριμμα probroſè dicitur, qui ſeſe per omne rerum genus voluit. In molles ac meticuloſos.

## MINANTIS.

## Et meum telum cuſpidem habet acuminatam.

*Homerus.* Rectè vtemur, quoties fatebimur nos inferiores quidem eſſe, verùm non deeſſe tamen quo queamus nocere. Ouid.

Et mihi ſunt vires, & mea tela nocent.

## Si tibi machæra eſt, & nobis vrbina eſt domi.

Plautus in Bacchidibus: Quoties malum malo opponitur. Nam machęra & vrbina, vtrunque teli genus eſt. Simillimũ illis: Par pari, & Malo nodo malus quærendus cuneus.

## Æacidinæ minæ.

Non ſine prouerbij ſpecie dictum eſt, pro atrocibus ac ſuperbiſſimis minis. Ductũ ab Achille Æaci nepote, quem

Ayuntamiento de Madrid

Homerus vbique facit ſtomachabundum ac minabundum, velut perſpicere eſt ex primo ſtatim Iliados libro.

ψευδόπυρα οἷοι τὰ σαί.

De minis ac terriculis inanibus, aut quum oſtenditur arte periculum, quum re nullum ſit periculum. Tranſlatum à militari aſtutia, qua fit vt ad territandos homines noctu diuerſis locis ignes incendant, vt ingens exercitus eſſe credatur. Eos ignes aſſimulatos ψευδόπυρα vocant.

## Complurium thriorum ego ſtrepitum audiui.

*Ariſtoph.*

Πολλῶν ἐγὼ θρίων ψόφους ἀκήκοα. Id eſt, Thriorum ego ſtrepitum audij complurium. Senarius eſt prouerbialis, quo minas & inanem clamorem nos contemnere ſignificamus. Porrò thria à Græcis dicuntur ficulnea folia, quæ quum incenduntur, minacem quendam edunt ſtrepitum.

## Ollam alere.

*Suidas.*

Χύτραν τρέφειν. Dicebantur, qui metum oſtenderent quo deterrerēt quempiam. Veluti ſi quis præſidium alicubi collatum habeat, quo minus vicini res nouas molliantur. Sumtum à more ciuitatis Athenienſis, in qua ollas in tectis diſponere conſueuerunt ad deterrendas vlulas, quarum illis maxima vis. Nam ollarum ſtrepitum omne genus auium reformidat.

## Ferrum & flamma.

Quum exitiabile bellum ſignificamus, ferro, flāmáque rem geri dicimus, ſiue ferro, igníque.

## Igni, ferróque minari

*Cicero.*

Qui extremam denuntiant inimicitiam, igni, ferróque minari dicuntur. Venuſtius erit, quoties ad animi res transfertur, veluti ſi quis dicat philoſophos cuipiam igni, ferróque minitari, quòd in eum parent atrociter ſcribere.

## Tolle calcar.

*Ariſtoph.*

Αἶρε πλῆκτρον ἀμυντήριον. Id eſt, Tolle calcar vltorium. In eum dici ſolitum, qui iam vltionem parat. A gallis metaphora ſumta pugnam inituris, quibus ferrei ſtimuli quidam alligari ſolent, quo ſe tueantur inter certandum.

## Qui paratus ad reſiſtendum.

Ayuntamiento de Madrid

Qui ſignificare volet, ſe nequaquam detractare certamen, ſed abundè ſuppetere quo partes tueatur ſuas, vſurpabit illud ex Iliad ν.

Τῶ μοι δούρατά τ' ἔστι, καὶ ἀσπίδες ὀμφαλόεσσαι,
Καὶ κόρυθες καὶ θώρηκες λαμπρὸν γανόωντες. Id eſt,
Et mihi ſunt haſtæ teretes, clypeique rotundi.
Tum galeæ, tum thoraces procul igne micantes.

## Ne mihi vacuam abſtergas.

*Theocritus.* Μή μοι κενεὰν ἀπομάξῃς. Subaudiendum autem, γναθὸν ἢ χεῖρα, aut ſimile quiddam. Apparet eſſe comminantis, aut timentis alapam.

## MIRA NOVA.

## Agamemnonij putei.

*Zenodotus.* Ἀγαμεμνόνεια φρέατα. De nouis & admirandis operibus dicebatur. Aiunt enim Agamemnonem & circa Aulidem, & paſſim in omni Græcia puteos effodiſſe, ne per æſtum aquarum inopia laborari poſſet.

## Annus clibanum.

*Suidas.* Ἄννυς κρίβανον. In eos olim dicebatur, qui nouæ quippiã rei reperiſſent. Nam Annus quidam Ægyptius clibanorum vſum, in quibus panes coquerentur, fertur excogitaſſe. Siquidem priſci pulte, polentáque victitabant, cocti panis vſum neſcientes.

## Cyziceni ſtateres.

*Idem.* Κυζικηνοὶ στατῆρες. Videtur fore locum prouerbio, quum hominem ſignificamus inæqualem, ac ſui diſſimilem, aut qui longè aliud agat, quàm præ ſe ferat. Quemadmodum nũmi Cyziceni ex vno latere Cybelen oſtendebant effeminatam, ex altero leonem.

## Cornicum oculos configere.

*Cicero.* Is videtur cornicum oculos velle configere, qui perſpicaciſſimis, oculatiſſimiſque viſum adimat, offendátque tenebras, aut qui ea, quæ antiquitas magno cõſenſu approbauit damnare, ac reſcindere, conuellerέque conetur, aut nouo inuento veterem eruditionem obſcurare.

Ἀπ' ἀχροφυσίων.

Prouerbialiter dicebatur, pro eo quod eſt, recens ab officina profectum, perinde quaſi modò productum à follibus,

bus, ærariáque fornace.

## Glauci ars.

*Zenodotus.*

Γλαύκου τέχνη. Conuenit vel in opus celeriter abſolutum, vel in id quod eſt arte ſumma, ſummáq; cura elaboratum. Quidam ortum exiſtimant à Glauco quodam Samio. Alij à Libyco quodam, &c.

## Tenui filo.

Pro ſtylo ſubtiliori, minúſque grandiloqua oratione: nã rhetores tres faciunt orationis χαρακτῆρας, grandem, tenuem, & mediocrem. Sumta metaphora à nentibus, aut certè à textoribus. Horat. Tenui deducta poëmata filo. Cui diuerſum erit, craſſo filo, craſſiore filo.

## Agas aſellum.

Fortaſſe legendum, agaſo aſellum. Atque ita ſenſus erit, vnumquenque facere, quæ ſe digna ſint. Depotant nepotes, decoquit lurco, digladiatur miles, peierat leno, mentitur aduocatus. *Plautus.*

## Magna ciuitas, magna ſolitudo.

Quadrabit in vrbes aut domos, agros aut hortos, aut id genus quippiam, amplum quidem & ſpatioſum, ſed parum excultum. Aut in librum ingentem quidem, verùm impolitum & illimatum. *Strabo.*

## Ad id quod erat opus.

Εἰς τὸ δέον. Id eſt, In id quod erat opus. Subaudiendum, inſumſi, aut ſimile quiddam. Natum aiunt ex oratione Periclis. Narrant hunc datis pecuniis impetraſſe ab Aſtyanacte Lacedæmoniorum rege, qui iam bellum parabat, vt ex Attica diſcederet. Deinde cùm eſſet populo rationem eius pecuniæ redditurus, puderétque, palàm titulum inſumtæ pecuniæ proloqui, rectè ſignificauit, εἰς τὸ δέον inquiens: Ἀνήλωσα τοσαῦτα τάλαντα εἰς τὸ δέον. Id eſt, in vſus neceſſarios tantum talentorum inſumſi. Eleganter per iocum torquebitur in eos qui ſic adminiſtrarunt pecuniam alienam, vt non poſſint idoneam rationem reddere

## Cercyræa ſcutica.

Κερκυραία μάστιξ. Id eſt, Cercyræum flagrum. De re ſuperuacaneo cultu ornata. Quadrabit & in ea, quibus ornatus additur neutiquàm decorus & cõgruus. Cercyræis quo- *Plutarchus.*



Ayuntamiento de Madrid

niam crebris ſeditionibus agitabantur, mos erat geſtare flagra ingentia, anſis eburneis exornata.

Facit item ad hunc locũ alibi adductũ: Carcini poëmata.

MIXTA.

### Πεντάπλοα.

Athenæus libro XI. commemorat poculi genus, quod olim πεντάπλοον dicebatur, quod in publicis ludis adhibebatur. Ephebi quidem curſu contendebant Athenas. Currebant autem geſtantes viteum ramum onuſtum fructu, qui dicebatur ὄσχος. Initium curſus erat à templo Bacchi, vſque ad templum Palladis, cui cognomen σκιρράς. Victor in eo certamine capiebat calicem dictum πεντάπλοον, atque ita tripudiabat in chorea. Nomen inditum calici, quòd in eo quinque rerum ſpecies eſſent commixtæ, vinum, mel, caſeus, farina, & paullulum olei. Accommodari poterit ad orationem ex variis argumentis conſarcinatam.

### Copiæ cornu.

Vide, Bona fortunæ.

### Centones.

Vide adagium: Farcire centones.

MODESTIA, MODVSQVE.

### Demittere ſeſe ad aliorum mediocritatem.

Vbi quis moderatur data opera vires ſuas ad aliorum mediocritatẽ. Veluti ſi quis præceptor tradat auditoribus, non quantum ipſe docere poſſet, ſed quantum illi capere, conueniet illud Homeri;

Ἡ δ' μάλ' ἡνιόχευεν ὅπως ἅμ' ἑποίατο πεζοὶ,
Ἀμφίπολοί τ' Ὀδυσεύς τε, νόῳ δ' ἐπέβαλλεν ἱμάσθλην. Id eſt
Hæc ita lora regens, pedes vt comes iret Vlyſſes
Tum comitum quoque turba, modo, rationéque certa
Inſtigat ſcutica.

### Noſce teipſum.

Γνῶθι σεαυτὸν In quo modeſtiæ, mediocritatíſque commendatio eſt, ne nobis vel maiora, vel etiam indigna ſequamur. Iuuenalis: E cælo deſcendit, γνῶθι σεαυτόν. *Plato.*

### In ſe deſcendere.

Eſt ſua ipſius vitia quempiam inſpicere. Perſius:

Vt nemo in ſeſe tentat deſcendere nemo:
Sed præcedenti ſpectantur mantica tergo.

Ayuntamiento de Madrid

## In tuum ipſius ſinum inſpue.

Iubet hominem aliena vitia taxantem, in ſuum ipſius ſinum inſpuere, tanquam admonẽtes vt domeſticorum malorum recordatione deſinat arrogantius inſectari vitam alienam. Vide Plin. lib. 8. cap. 4. *Plinius.*

## Ter abſtergere.

Refert Athenæus libro 1. priſcos ad depellenda mala ſolitos ter abſtergi.

Τρὶς δ' ἀπομαξαμένοισι θεοὶ διδόασιν ἄμεινον. Id eſt,
Ter verò abſterſis, melius bona numina donant.

## Secum viuere.

Confine eſt cùm illo: Tecum habita.

## Contrahere vela.

Pro eo quod eſt, reprimere ſeſe, & cautiùs agere. Sumtum eſt à nautis, qui vehementiùs ſpirante vento vela contrahunt, quò tutiùs nauigent: vento languidiore pandunt captantes auram. *Cicero.*

## Intra tuam pelliculam te contine.

Quo vetamur obliti ſortis noſtræ, maiora conari, quàm pro noſtra facultate. Id ſumtum ab aſino illo Cumano, quẽ apologi fabulantur adaptaſſe ſibi leonis exuuium, atque ita ſeſe ad tempus pro leone geſſiſſe. Martial. *Porphyrio.*

Luſiſti, inquit, ſatis eſt, ſed te, mihi crede, memento,
Intra pelliculam cerdo tenere tuam.

## Tecum habita.

Perſius: Tecum habita, & noris, quàm ſit tibi curta ſupellex. id eſt, Domi tuæ viuitò, vt intelligas quàm tenuis ſit fortuna tua.

## Efficimus pro noſtris opibus mœnia. *Plautus.*

Vulgò dicitur hodie, puſillæ auiculæ puſillos nidulos conſtruunt.

## Manu ſerendum, non thylaco.

Τῇ χειρὶ δεῖ σπείρειν, ἀλλὰ μὴ ὅλῳ τῷ θυλάκῳ. Manu ſementem facere oportet, non autem tota corbe. Modus in omni re ſeruandus. Ductum ab agricolis. *Plutarchus.*

## Ita fugias, ne præter caſam.

Terent. in Phorm. Donatus ad hunc modum enarrat: Ita fugito, ne tuam caſam prætermittas, quæ ſit tibi tutiſſimum



Ayuntamiento de Madrid

receptaculum, Quidam enim calore fugiendi etiam ea prętercurrunt, vbi commodè poterant quieſcere. Quod vnica voce Græci παραφέρεσθαι vocant.

## Arabicus tibicen.

*Menander.* Α'ράβιος ἀυλητής. Id eſt, Arabius tibicen, aut Α'ράβιος ἄγγελος, id eſt, Arabius nuntius. In eos dici ſolitum, qui à ſemel cœptis nunquam deſiſtunt. Quod vitij Flaccus cantoribus peculiare eſſe ſcribit.

## Ne vities muſicam.

*Plutarchus.* Μὴ κακχύεργει τὴν μυσικήν. Id eſt, Ne loquaris diſcrepantia, ne noua moliaris.

## Nihil minùs expedit, quàm agrũ optimè colere.

*Plinius.* Admonet adagium, modum rerum omnium vtiliſſimũ. Bene colere neceſſarium eſt; optimè, damnoſum. Terent. in Phorm. Noſtrapte culpa facimus, vt malos expediat eſſe, dum nimium dici nos bonos ſtudemus & benignos.

## Ne quid nimis.

*Terent.* Μηδὲν ἄγαν. Homerus Odyſſeæ ο.

Νεμεσσῶμαι δ' καὶ ἄλλῳ
Α'νδρὶ ξεινοδόκῳ, ὅς κ' ἔξοχα μὲν φιλέησιν,
Ε'ξοχα δ' ἐχθαίρησιν, ἀμείνω δ' αἴσιμα πάντα.
Mihi nequaquam is placet hoſpes,
Qui valde prætérque modum ſimul odit amátque,
Sed puto rectiùs eſſe vt ſint mediocria cuncta.

Apprimè in vita eſt vtile, Ne quid nimis. Nuſquam non laudatur aurea mediocritatis regula.

## Dimidium plus toto.

*Plato.* Πλέον ἥμισυ παντός. Quo commendatur aurea mediocritas. Siquidem qui dimidio contentus eſt, is in medio conſiſtit.

## Vbi parueris, impera.

Πασσάμενος ἐπίτασσε. Id eſt, Præcipito poſtquam ſatiaueris eſca. Ad eum modum reſpondent mulieres cuipiam obiurganti, quòd loquaciores eſſent, & ſilentium imperanti. Conueniet vbi quis imperioſior eſt in eos, de quibus nihil eſt meritus.

## Domus recta.

Seneca domum rectam vulgo vocat, non quidem opulentam & ambitioſam, ſed cui nihil deſit iuſtæ ſupellectilis.

Ayuntamiento de Madrid

## Neque Lydorum carycas.

Μήτε Λυδῶν καρύκας, μήτε μαςίγων ψόφους. Id eſt, Neque Lydorum condimenta, neque flagrorum crepitus. Dici ſolitum, quoties mediocrem vitæ rationem, aut conditionem ſignificarent, quæ pariter & à ſummis deliciis, & ab extremis malis abeſſent. Venuſtius erit, ſi ad animi res transferatur, velut ad orationem, nec omnino ruſticam, nec operoſiùs expolitam. *Suidas.*

## Neque peſſimus, neque primus.

Mediocritatem hoc pacto ſignificare licebit, οὔτε χάκιςος, οὔτε πρῶτος, id eſt, Neque peſſimus, ac nec primus. Lepidius fiet ſi ad ingenij laudem transferatur. *Theocritus.*

## Funem abrumpere nimium tendendo.

Ἀποῤῥαγήσεται τεινόμενον τὸ καλώδιον. Id eſt, Abrumpetur tenſus funiculus. In eos, qui dum extrema experiuntur, alienant à ſe eos, cum quibus agunt, & vniuerſæ rei iacturam faciunt, dum plus ſatis attenti ſunt ad lucrum. Furor fit læſa ſæpiùs patientia. Huic ſimile: Qui nimium emungit fortiter, elicit ſanguinem. Seneca: Bonus animus læſus, grauiùs multò iraſcitur. *Lucianus.*

## Ne ſupra pedem calceus.

Μὴ ὑπὲρ τὸν πόδα τὸ ὑπόδημα. Id eſt, Ne vltra pedem calceus, id eſt, ne maiora viribus ſuſcipias. Aut ne magnificentiùs te geras, quàm pro tua conditione. *Lucianus.*

## Meſſe tenus propria viue.

Sumtum facito pro modo facultatum tuarum. Ab agricolis traductum, qui ſumtus annuis agrorum prouentibus metiuntur. Ad eandem ſententiam pertinet, Tuò te metire pede. Horatius. *Perſius.*

## Iucundiſſima nauigatio iuxta terram, ambulatio iuxta mare.

Πλοῦς μὲν ὁ παρὰ γῆν, περίπατος δ' ὁ παρὰ θάλατταν ἥδιςος. Id eſt, Nauigatio iuxta terram, rurſus ambulatio, quæ iuxta mare, iucundiſſima eſt. Rectè torquebitur ad eam ſententiam, vt dicamus ita demum eſſe iucundiſſimum vnumquodque, ſi diuerſi generis admixtu temperatum adhibeatur, veluti ſi in luſibus non nihil eruditionis aſpergas, rurſum in ſtudiis aliquid ludicrum admiſceas. *Plutarchus.*



Ayuntamiento de Madrid

## Iucunda rerum viciſſitudo.

*Ariſtotel.* Μεταβολὴ πάντων γλυκύ. Id eſt, Iucunda rerum omnium viciſſitudo. Varietas enim tantam in omni re vim habet, vt commendatione nouitatis, interdum & peſſima pro optimis placeant.

## Iniquum petendum, vt æquum feras.

*Quinctilia.* A' negotiatoribus ductum videri poteſt, qui callidè merces longè minoris licentur, & multò pluris indicant, quàm pro dignitate, quo pretium ſaltem æquum accipiant. Iactatur & vulgò verbum huiuſmodi: Qui annititur vt auream quadrigam ſibi comparet, vnam certè rotam aſſequetur.

## Summum cape, & medium habebis.

*Zenodotus.* Ἄκρον λάβε, καὶ μέσον ἕξεις. Id eſt, Summa cape, & medio potieris. Admonet ad res ſũmas & egregias eniti. Sic enim futurum, vt ad mediocritatem perueniamus.

## Paſtillos Ruffillus olet, Gorgonius hircum.

Horat. in Sermon. Dicendum vel in duos aliquos, diuerſis laborantes vitiis, vel in eundem ſui diſſimilem, nempe modò loquaciorem quàm ſat ſit, modò impendio taciturnum, interdum pueriliter ineptum, interdum Catone ſeueriorem. Siquidem vt vltio dandum, ſi quis hircum oleat: ita adæquè vituperandũ, ſi quis oleat vnguẽta. Nã paſtilli ſunt pilulæ vnguentariæ. Alterum ſpurci eſt, alterum mollis.

## Arcus tenſus rumpitur.

*Plutarchus.* Τόξον μὲν ὥς φασιν, ἐπιτεινόμενον ῥήγνυται, ψυχὴ δὲ ἀνιεμένη. Arcus quemadmodum aiunt, quum intẽditur, rumpi ſolet: contrà animus, quum remittitur.

## Oportet agrum imbecilliorem.

Columella lib. 1. cap. 1 1. Oportet agrum imbecilliorem eſſe quàm agricolam. Hoc ænigma ſic explicuit Virgilius, ſpecie non minùs prouerbiali, Laudato ingentia rura, Exiguum colito. Nec dubium quin minus reddat latus ager non rectè cultus, quàm anguſtus eximiè. Conueniet in eos, qui ſuſcipiunt munus, cui gerendo ſunt impares.

### MOLESTI INTOLERABILES.

## Ferire frontem.

Qui ſupra modum & impotenter indignantur, frontem ferire dicuntur.

## Lippo oculo ſimilis.

Ayuntamiento de Madrid

Video quoſdam his moribus, vt eos æquo animo ferre non queas: rurſus ita induſtrios & ad obſequium expoſitos, vt quoties ſeſe offert occaſio, non poſſis cauere, quin aliquid illis committas.

## Ne beſtiæ quidem ferre poſſent.

Prouerbialis hyperbole eſt apud M. Tullium, qui idem in Catili. his verbis exprimit: Ne pecudes quidem mihi paſſuræ eſſe videantur.

## Tota hulcus eſt.

Conueniet in hominem moleſtis moribus, quique omni parte ſcateat vitiis inquinatiſſimis.

## Imbrobitas muſcæ.

In improbum & ſubinde redeuntum, etiam ſi turpiter repellatur, quadrabit illud Homeri ex Iliad. ρ.

Καὶ οἱ μυίης θάρσος ἐνὶ στήθεσσιν ἐνῆκεν,
Ἥτε καὶ εἰργομένη, μάλα περ χροὸς ἀνδρομέοιο
Ἰσχανάᾳ δακέειν. Id eſt,
Atque illi muſcæ vim intra præcordia miſit.
Quæ quamuis de pelle viri ſit ſæpe repulſa,
Aſſultat morſura tamen.

## Onus nauis.

Ἄχθος νεώς. In inertes & inutiles. Confine illi: Telluris inutile pondus.

## Quos non tolerent centum Ægyptij.

Οὓς οὐκ ἄραιντ' ἂν οὐδ' ἑκατὸν Αἰγύπτιοι. Id eſt, Quos ferre nec centum queant Ægyptij. De moleſtis dici ſolitum, ac moribus intolerandis, ſeu faſtu præturgidis. Inde ductum, quòd Ægyptij plerique geſtandis oneribus, quæſtum non ſatis honeſtum factitare conſueuerint. *Eudemus.*

## Ægyptius laterifer.

Αἰγύπτιος πλινθοφόρος. Id eſt, Ægyptius laterum geſtator. Quadrare videtur in ſordidum atque infimæ ſortis hominem, aut in eum qui moleſtis negotiis premitur. Argumento eſt, quòd Hebræi, quum apud illos agerent, adacti ſunt luto lateribúſque geſtandis, ſeruilem operam præſtare Pharaoni. De mulis Marianis alibi reperies. *Suidas.*

## In culmo arare.

Ἐπὶ καλάμης ἀροῦν, Id eſt, In ſtipula arare: dicuntur, *Idem.*



Ayuntamiento de Madrid

qui labore nunquam intermiſſo vim mentis exhauriunt, aut qui nunquam deſinunt ab amicis petere, quod dent. Sumta metaphora à nimium auidis agricolis, qui aſſidua cultura ſuccum omnem ſoli exhauriunt, ſtatim à meſſe nouam ingerentes ſementem.

## Qui conturbat omnia.

In eum, qui maximas vndique ciet turbas, aptè torquebitur illud Homeri:

Πάσας δ' ὀρόθυνεν ἀέλλας
Παντοίων ἀνέμων.
Omnes omnigenûm ille procellas
Ventorum ciet.

## Anno ſenior fio.

Quoties aliquid nobis magnoperè moleſtum ſignificamus, ſeneſcere nos etiam vulgò dicimus. Homerus indicat tædio moleſtiáque conciliari ſenium.

Αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι.
Illico mortales inter mala multa ſeneſcunt.

*Suidas.*

## Vt fici oculis incumbunt.

Ὥσπερ τὰ σῦκ' ἐπὶ τοῖς ὀφθαλμοῖς ἔφυ. Id eſt, Quemadmodum fici oculis innati. De iis dicebatur, qui pertinaciter vrgerēt, premerentque negotium aliquod. Sumta ſimilitudine à ficis, hoc eſt vitio quod oculis adnaſcitur, nec facilè poteſt auelli. Accōmodabitur haud quaquam ineptè in principes, & principū optimates, & in mendicantes, &c.

*Ariſtoph.* Ἄγουσι καὶ φέρουσι.

Pro eo quod eſt, hoſtili more populantur, aut vexant. Tranſlatum videtur à more militari, quòd illic homines & iumenta aguntur, ſarcinæ feruntur.

*Zenodotus.*

## Maniuoro vinculo.

Χειροβρῶτι δεσμῷ. Sic quiſpiam appellauit manicas veſtiū Ponticarum, quòd manus offendant, atterantque.

*Plutarchus.*

## Athos celat latera Lemniæ bouis.

Ἄθως καλύπτει πλευρὰ Λημνίας βοός.
Athos obumbrat latera Lemniæ bouis.

Vbi quis officit aut moleſtus eſt, aut gloriam cuiuſpiam obſcurat, aut alioquin obſiſtit. Tradunt in Lemno bouis fuiſſe ſimulacrum ingens, candido factum lapide. Id

Ayuntamiento de Madrid

Athos mons tametſi longo diſſitus interuallo, tamen ob ſummam celſitudinem obſcurat vmbra ſua.

## Ætna, Athon.

Ætnam & Athonem montes, in moleſtiæ tædiique prouerbium abiiſſe Lucillius teſtatur. Ætna mons Siciliæ, crebris incendiis grauis ac pernicioſus eſt accolis. Vnde M. Tullius dixit onus Ætna grauius. De Atho verò, quòd ob ingentem celſitudinem vmbra ſit moleſtus, quam in Lemnium vſque trecentis diſſitam ſtadiis mittit. *Gellius.*

## MVLTI.

## Non vna vehit nauis.

Οὐ μία ναῦς ἄγει. Quo conueniet vti, quoties maiorem hominum multitudinē ſignificam⁹, quàm vt eos vna nauis poſſit capere. Veluti ſi dicas: Indoctos nō vna nauis vehat. *Theognis.*

## Pueri ſeneſque.

Omnes fermè huiuſmodi figuræ prouerbiales ſunt quæ conſtant ex contrariis. Maximi minimíque: Iuuenéſque ſenéſque: Diis atque hominibus. Horatius: *Plato.*

Parui properemus & ampli.

## MVNERVM CORRVPTELA.

## Argentanginam patitur.

Ἀργυράγχην πάσχει. Natum à Demoſthene pecunia corrupto, ne contra Mileſiorum legatos diceret. Quum res foret agēda, Demoſthenenes multa lana collo circumuoluto in concionem prodiit, fingens ſeſe συνάγχην, id eſt, anginam pati, neque per morbum poſſe dicere. Quod ſentiens è populo quiſpiam, exclamabat, cum non συνάγχην, ſed ἀργυράγχην, pati. *Plutarchus.*

## Bos in lingua.

Βοῦς ἐπὶ γλώττης. In eos, qui non audent liberè, quod ſentiunt dicere. Tranſlatum vel à robore animantis, quaſi linguam opprimens, non ſinat eam eloqui, Vel hinc, quòd Athenienſium numiſma quōdam bouis obtinuit figuram

## Bouem in faucibus portat.

Βοῦς ἐπὶ γνάθοις φέρει. In edacem olim dicebatur. Natum, vti coniicio, vel à Theagene athleta Thaſio, vel à Crotoniata: quorum alter bouem ſolidum ſolus comedit, alter in Olympiis taurum quadrimum humeris ſuſtulit, ac ſtadij *Gellius.*

Ayuntamiento de Madrid

ſpatio geſtauit, cumque eodem die ſolus comedit. Cuius rei meminit Aulus Gellius.

## Lupi illum priores viderunt.

In raucum dicitur, & cui vox repentè ſit ademta. Feſtiuiùs dicetur in eos, qui metu alicuius obticeſcunt, alioqui feroces. Virgilius in Ægloga Mœris: Vox quoque Mœrim iam fugit ipſa, lupi Mœrim vidêre priores. Seruius refert ineſſe eam vim lupis, vt ſi quem hominem priores viderint, ei vocem adimant.

## Malis ferire.

*Diogenian.* Μήλοις βάλλειν. Id eſt, Malis petere. Dicuntur, qui muneribus aſſequi ſtudent, quod optant, aut qui donis prouocant ad amorem mutuum. Ducta eſt allegoria à fabula Atlantæ, quam Hippomenes curſu ſuperauit, ſed arte, proiectis inter currendum malis aureis, in quibus ſublegendis, dũ puella ſubinde remoratur, præceſſit ac vicit iuuenis.

## Muneribus vel Dij capiuntur.

Ouid. Munera, crede mihi, placãt hominéſque Deóſque.
Placatur donis Iupiter ipſe datis.
Celebratur & hic verſiculus, quẽ etiam vſurpauit Plato:
Δῶρα θεοὺς πείθει, καὶ αἰδοίους βασιλῆας.
Cum diuis flectunt venerandos munera reges.
Vnde Seneca: Omnium eſſe dulciſſimum accipere.

## Virtutem & ſapientiam vincunt teſtudines.

Τὰν ἀρετὰν, καὶ τὰν σοφίαν νικῶντι χελῶναι. Id eſt, Et virtus teſtudinibus, & ſapientia cedit. Eſt autem velut ænigma, innuens pecuniam longè plus poſſe, quàm aut virtutem aut ſapientiam. Antiquitùs enim Peloponneſiorum numiſma χελώνη, id eſt, teſtudo dicebatur, propter inſculptam in eo teſtudinis imaginem. Conſimili figura dictum eſt & illud: multas noctuas ſub tegulis latêre.

## Dorica muſa.

Δωρικὴ μοῦσα. De munerum auidis. Ariſtophanes in Equitibus iocatur in Cleontem, quòd nullam aliam muſicam diſcere potuit, quàm Doricam. Videlicet alludens ad notiſſimas harmoniarum ſpecies, Doricam, Lydiam, Phrygiam, & Bœoticam.

Ayuntamiento de Madrid

## Pecuniæ obediunt omnia.

Apud Eccleſiaſticen cap.x. Proinde Horatius pecuniam reginam appellat:

Scilicet vxorem cum dote, fidemq́ue, & amicos,
Et genus, & formam, regina pecunia donat.

## Munerum corruptela.

In eum, qui rem auro doniſque aggreditur, non infeſtiuiter torſeris illud Homeri Odyſſ. ε.

Corripuit virgam: qua mulcet lumina ſomno
Quorumcunque velit, ſoluit quoque lumina ſomno.

## Muneribus res agitur.

Qui dicit non eſſe locum rectè factis & æquis rationibus, ſed largitione & aſſentatione omnem rem peragi, poterit illud Homeri accommodare ex Iliad. ι.

Δώροισίν τ' ἀγανοῖσιν, ἔπεσί τε μειλιχίοισι. Id eſt,
Et donis permagnificis, & lenibus dictis.

## Argenteis haſtis pugnare.

Ἀργυρέαις λόγχαις μάχου. Dicuntur, qui, quum negotium alio pacto confici nequit, muneribus & largitione perficiunt. Nihil autem tam arduum quod pecunia non explicetur. Tullius: Nihil eſſe tam ſanctum, quod non violari: nihil tam munitũ, quod non expugnari pecunia poſſit.

## Qui multa rapuerit, pauca ſuffragatoribus dederit, ſaluus erit.

Ὁ πολλὰ κλέψας, ὀλίγα δοὺς, ἐκφεύξεται. Id eſt, Qui multa tollit, pauca dat, ſeruabitur. Admonet adagium, non niſi multum furibus ſurripiendum, vt ſuperſit quo iudicem, ſi fortè ſit opus, corrumpant atque exoculent. Cæterùm qui parua tollunt, deprehenſi pendent, vtpote quibus nihil ſit quod impartiant Præfectis.

## Vulpes haud corrumpitur muneribus.

Ἀλώπηξ οὐ δωροδοκεῖται. De callidis ac verſutis, quos haud facilè ſit obiecto munuſculo, aut aſſentiũcula, pollicitiſue fallere. Aues quædã eſca capiũtur, vulpes nõ item.

## Corrupta iudicia.

In eos, qui corruptè iudicant, aut ſuffragium ferunt, aut qui per tyrannidem leges opprimunt, competet illud Homer. ex Iliad. π.

Ayuntamiento de Madrid

Οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας,
Ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες. Id eſt,
Qui per vim in populi cœtu communia iura
Deprauant, ac iuſtitiam depellere tentant,
Nil veriti vocem diuûm.

## Faba nummus.

Dictum eſt olim fabis ferri ſolita ſuffragia, quod innuiſſe Pythagoram exiſtimant, quum vitaret edere fabas. Corrupta itaque ſuffragia lepidiſſimo tropo ſignificaui M. Tullius.

## Guttam aſpergere.

Quum ex magno lucro paullulum quiddam alicui deciditur, guttam aſpergi dicimus. Hinc & guttatim fieri dicitur, quod fit paullatim. Et guttatim donat, qui ſæpe, ſed minuta largitur.

## Saluete equorum filiæ.

Apparet ioco vulgari fuiſſe iactatum in eos qui emolumẽti gratia blandiuntur. Refert Ariſtot. 3 Rhetoric. In certamine mulorum, cùm is qui vicerat, dixiſſet exile pretiũ pro carmine, Simonides recuſauit, indignans mulos celebrari ſuo poëmate: verùm vbi victor dediſſet ſatis magnum præmium, carmen tale fecit.

Χαίρετ' ἀελλοπόδων θυγατέρες ἵππων,
Saluetote volucripedum ſoboles equorum.

Siluit quod eſſent ex aſinis quoque nati, & quod honeſtius erat expreſſit.

## Pecunioſus damnari non poteſt.

M. Tullius ait omnium ſermone percrebuiſſe, non apud Romanos tantùm, verùm etiam apud exteras nationes, in iudiciis illorum temporum, pernicioſum, quamuis ſit nocens, neminem poſſe damnare. Huic affine eſt: Romæ eſſe venalia omnia.

### MVNVS NON MVNVS.

Lucianus.

## Cyclopis donum.

Κύκλωπος δωρεά. Id eſt, Cyclopis munus. Pro eo quod eſt, munus inutile. Cuiuſmodi ſunt ferme tyrannorum &

latronum beneficia, qui ſolent hoc ipſum magni beneficij loco imputare, quòd aut minùs aut ſerius noceant. Natum à Polyphemo, cui ſæpiùs vinum dulce dederat Vlyſſes, ſpe muneris amplioris, quod promiſerat ille. *Homerus.*

## Hoſtium munera, non munera.

Priſcorum ſuperſtitio credidit, obſeruanda vel maximè munera à quibus quo animo mitterentur.

Οὕτως δ᾽ ἐχθροῖσιν αὐτοκλέα πέμπετο δῶρα,
Ἐν χάρισι προφάσει μοῖραν ἔχοντα μόρου.

Atque ita ab hoſte hoſti veniunt lethalia dona,
Quæ ſtudij ſpecie fata necemque ferunt.

Κακοῦ γὰρ ἀνδρὸς δῶρ᾽ ὄνησιν οὐκ ἔχει.

Lædit, iuuat nil improbi munus viri. Affinia ſunt. Mali viri munera inutilia, Pauper diuiti dans petit.

## Malum munus.

Κακόν γε δῶρον ἴσον ἐπὶ ζημίᾳ. Id eſt, Munus malum eſt perinde vti diſpendiũ. Nocet, non iuuat, qui largitur noxia.

## Quum Delphis ſacrificauerit, ipſe carnes abſumit.

*Plutarchus.*

Δελφοῖσι θύσας αὐτὸς ὀψωνεῖ κρέας. Id eſt, Carne ipſa Delphis immolata veſcitur. Dici ſolitum de iis, qui vocatis conuiuis, ipſi cibos appoſitos deuorant, vt illis ſpectare tantùm liceat, non veſci. In Delphicis enim ſacris is qui immolarat victimam, ea veſcebatur. Adagium torqueri poteſt etiam ad illos, qui beneficio quod alij dediſſe videntur, ipſi fruuntur. Vt Epiſcopi nõnulli, nepotibus ſuis ſacerdotia magnifica donant nonnunquam, ſed ad pueros ſolus titulus redit; ad epiſcopos prouentus.

### MVNVS APTVM, AVT INEPTVM

*Zenodotus.*

## Ranis vinum præminiſtras.

Βατράχοις οἰνοχοεῖς. Ranis vinum infundis. In eum dicebatur, qui id miniſtraret, quo nihil opus eſſet ei, cui exhiberetur: veluti ſi quis apud indoctos multa de philoſophia diſſerat.

## Non noſtrum onus, bos clitellas?

*Quinctil.*

Prouerbium duplici forma poterit efferri: Boui clitellæ impoſitæ ſunt. Vbi mandatum eſt negotium parum apto. Et Bos clitellas? vt ſubaudias ferat. Vbi quis depreca-

Ayuntamiento de Madrid

tur prouinciam cui ſit parum idoneus. Neque enim boum eſt clitellis tergo impoſitis, onera geſtare, ſed potius aſinorum ac mulorum.

## Negotium non aptum.

Qui recuſat munus aut prouinciam ſibi parum accommodam, aut qui negabit accerſere velle ſeſe quempiam ad id muneris, ad quod gerendum idoneus non videatur, vſurpabit illud Homeri;

Ἵππους δ' ἐς Ἰθάκην οὐκ ἄξομαι.

Cæterùm equos Ithacam non duxero.

## Non è quouis ligno fit Mercurius.

*Theophraſt.*

Οὐκ ἐκ παντὸς ξύλου Ἑρμῆς ἂν γένοιτο, Id eſt, Non è quouis ligno Mercurius fingi poteſt, id eſt, non omnium ingenia ſunt accommodata diſciplinis.

## Officium humilius.

Quum quis recuſat munus tanquam humilius, parumque ſeſe dignum, applicabit illud Homeri ex Odyſſ. ρ.

Οὐ γὰρ ἐπὶ σταθμοῖσι μένειν ἔτι τηλίκος εἰμι. Id eſt,

Nam vt manẽã in ſtabulis, iam non mea poſtulat ætas.

## Apta prouincia.

In eum, qui prouinciam ſuſcipit ſuis aptam viribus, abſtinens à negotio cui ſit impar, conueniet illud Homeri ex Iliad. π.

Εἵλετο ἄλκιμα δοῦρε, τά οἱ παλάμηφιν ἀρήρει,

Ἔγχος δ' οὐχ ἕλετ' οἶον ἀμύμονος Αἰακίδαο. Id eſt;

Quæ manibus quadrent, ingentes corripit haſtas

Quaſlibet, ad haſtam ſolam non ſumit Achillis.

*Diogen.*

## Nauis annoſa haud quaquam nauigabit per mare.

Ναῦς παλαιὰ πόντον οὐχὶ πλώσει. In eos qui iam ob ætatis imbecillitatem, ad res arduas, ſuſtinendáque pericula parũ ſunt idonei, ac primùm pereunt oppreſſi negotiorum magnitudine.

*Athenæus.*

## Putre ſalſamentum amat origanum.

Σαπρὸς τάριχος τὴν ὀρίγανον φιλεῖ. Aptè dicetur de re per ſe parum honeſta aut iucunda, atque ob id exoticis condimentis & honeſtamentis egente. Veritas per ſe placet, honeſta per ſe decent. Falſa fucis, turpia phaleris indigent.

Ayuntamiento de Madrid

## Ad pedem.

Περὶ πόδα. Id eſt, Iuxta pedem. Quod appoſitum & vehementer accommodatum, id περὶ πόδα dicebatur, ſumta metaphora à calceamẽtis, probè ad pedis menſuram quadrantibus, Suidas: Vt hoc meo negotium quadrabit pedi.

## Iuxta nauem.

Κατὰ ναῦν. Dicuntur, quæ digeſta ſunt ordine, quæque quadrant ac congruunt, propterea quód inſtrumenta nauium ſuo quæque loco reponi ſoleant. Item, Iuxta nauem carbaſa. Neque enim omni nauigio quæuis vela congruũt.

## Pygmæorum acrotinia coloſſo aptare.

*Philoſtratus.*

Ἀκροθίνια τῶ Πυγμαίων κολοσσῷ ἐφαρμόζειν. Dicebantur, qui inanem ac ſtultam ſumerent operam, aut qui præter decorum minima maximis adaptarent. Coloſſi vaſtæ ac magnæ ſtatuæ dicuntur. Porro acrothinia Græcis primitiæ dicuntur, quòd hæ ſoleant è ſummo aceruo tolli: ἄκρον ſummum, & θῖνες frumentorum acerui.

## Veneri ſuem immolauit.

Ἀφροδίτῃ ὗν τέθυκεν. Dici ſolitum, vbi quis munus offert minimè gratum. Inuiſus enim Veneri ſus, propter Adonidem illius amaſium apri dente peremtum. Aut cõtrà, quum quis alium, in gratiam alterius lædit.

## Bos ſub iugum.

Βοῦς ἐπὶ ζυγόν. Vbi quis aſſiduè laborat, aut vbi quis ſe laborioſo inuoluit negotio. Ductum à bubus agricolis.

## A Deo ficti.

Qui vehementer ad aliquid natura compoſiti ſunt, hos prouerbiali ſermone ad hoc natos, factos, ſculptóſque dicimus: inſignem autem naturæ dexteritatem Marcus Tullius eleganter expreſſit libro De oratore 1. Sunt autẽ, inquit, quidam ita naturæ muneribus in iiſdem rebus habiles, ita ornati, vt non nati, ſed ab aliquo Deo ficti videantur.

### MVNVS BONI CONSVLENDVM.

## Munerum animus optimus.

*Phurnutus.*

Ξενίων δὲ τε θυμὸς ἄριστος. Hemiſtichium heroicum prouerbiale, quod ſignificatur in amicorum muneribus non eſſe ſpectandum, rei miſſæ pretium, ſed mittentis potiùs [illegible]. Et quidam monet, exiguum munus à tenui miſ-

Ayuntamiento de Madrid

ſum amico, perinde vt maximum, boni conſulere.

## Nihil recuſandum, quod donatur.

Si quãdo dices nullum eſſe recuſandum munus, quodcunque offertur, aut arripiendum eſſe quoties obtigerit alicuius occaſio commoditatis, conueniet illud Homeri ex Odyſſ. 6.

Οὐ γάρ χαλὸν ἀνήναϑαι δόσιν ἐϛίν.

Strabo. Donum reiicere haudquaquam decet.

## Donum quodcunque aliquis dat, proba.

Δῶρον δ' ὅ, τι δῷ τις, ἐπαίνει. Id eſt, Donum quodcunque probato. Boni conſulendum eſſe munus, aut officium,

Homerus. conſiliumúe, quod offertur ab amico.

## Arripienda, quæ offeruntur.

Οἱ δ' ἐπ' ὀνείαϑ' ἑτοῖμα προκείμενα χεῖρας ἴαλλον. Id eſt, Quiſque ſibi appoſitis, ſi quid foret vtile, promtas Admouere manus.

## Equi dentes inſpicere donati.

Quum ſignificabimus æqui boníque conſulendum,

Plato. qualecunque eſt quod non emitur, ſed gratis donatur.

MVTANDAE SENTENTIAE.

## Palinodiam canere.

Παλινῳδίαν. Eſt diuerſum ab his, quæ priùs dixeris, dicere atque in contrarium vertere ſententiam. Sonat autem Græcè παλινῳδία quaſi dicas recantationem.

## Calculum reducere.

Cicero.

Eſt mutare factum, cuius te pœniteat, aut vertere conſilium rei non ſatis commodè inſtitutæ. Tranſlatum apparet, aut à ratiocinantibus, aut quod eſt vero propius, à ludo laterũculario. Ad calculos vocare, eſt rationẽ inire, & æſtimare. Et ad calculos reuerti eſt redire ad rationem.

## Vertere vela. Funem reducere.

Eſt in diuerſum mutare ſententiam. Perſius: Quæ dederam ſuprà repeto, funemque reduco. Horatius: Nunc retrorſum Vela dare atque iterare curſus Cogor relictos. Tranſlatum à nauigantibus. &c.

## Conſilium in melius commutandum.

Si quando iubebimus mutare conſilium, vtpotè fœ-

dum

Ayuntamiento de Madrid

dum ac ſtultum, aut reprehendemus quippiam, vt inconſultè factum, vſui fuerit illud Homeri ex Iliad. ε.

Τίς τοι νυ θεῶν νηκερδέα βυλὴν
Ἐν ςήθεσσιν ἔθηκε καὶ ἐξέλετο φρένας ἐσθλάς. Id eſt.
Quis tibi conſilium ſubmiſit inutile tandem
Diuorum, ſanámque exemit pectore mentem.

## Imitabor Nepam.

Imitari Nepam dicitur, qui retrocedit. Nam Nepa, auctore Feſt. Pomp. Afrorum ſidus, appellatur cancer, vel, vt quidam putant, ſcorpius. Plautus in Caſſ. Retrouerſum cedem ad parietem, imitabor Nepam.

## Reprehenſio cogitationis.

Quum ipſi reprehendimus animi noſtri conſilium, aut cogitationem parùm honeſtam aut parum vtilem, locus fuerit huic Homeri verſiculo ex Iliad. ε.

Ἀλλὰ τίη μοι ταῦτα φίλος διελέξατο θυμός,
Sed mihi cur animus ſecum hæc in pectore verſat?

## Talum reponere.

Τὸν κύβον ἀναθέσθαι. Dicebantur, qui quod parùm ex ſententia euenerat, curis, vt aiunt, poſterioribus corrigebant.

MVTATI INSTITVTI.

## Nuces relinquere.

Eſt omiſſis ſtudiis ac nugis puerilibus, ad grauiora magiſque ſeria conuerti. Perſius: Et nucibus facimus quæcũque relictis, Quum ſapimus patruos. Ad hanc prouerbij formam pertinebunt, & reliquæ illæ figuræ: Nunquàm à nucibus recedere, Redire ad nuces, Nuces abiicere, Nuces intermittere, Nucibus indulgere, Nuces repetere, atque id genus alia.

## Longum valere iuſſit.

Μακρὰν χαίρειν φράσας ταῖς ἐνταῦθα τιμαῖς. Id eſt, Honoribus qui hîc ſunt longum valere iuſſit. Ea figura quoties ad rem non ad hominem refertur, haud dubiè prouerbialis eſt. Rem igitur, à qua nos abdicamus, ei renunciare dicimur, ac longum valere iubere. *Lucianus.*

## Rudentes & remos cum armis commutauit.

Νῆια καὶ χειροπλεῖας ἀντ' ὅπλων ἠλλάξαντο. Id eſt, Mutarunt armis remos & nautica vincla. Conueniet, vbi quis artem



Ayuntamiento de Madrid

aut quæſtum ſolitum relinquit gloriæ cupiditate cõmotus, veluti ſi quis è nauta fieret miles, è negotiatore ſacerdos.

*Plutarchus.*

## Pro eleganti medico malus poëta.

Ἀντὶ χαρίεντος ἰατροῦ, κακὸς ποιητὴς καλεῖσθαι ἐπιθυμεῖς. Id eſt, Pro venuſto medico malus poëta dici cupis. In eum dici ſolitum, qui non contentus artis ſuæ profeſſione, in qua locum mediocrem obtinebat, pergit aliena profiteri, in quibus non perinde ſit exercitatus, nec parem proinde gloriam reportaturus,

*Tertullia.*

## De calcaria in carbonariam.

Quoties fit, vt à re propoſita ad aliud quippiam longè diuerſum digrediamur, de calcaria in carbonariam decurrere dicimur: ſiue quum ex vno malo in aliud diuerſum incidimus.

*Idem.*

## De toga ad pallium.

Hæc nimirum indignitas erat, à toga ad pallium, cuius duplex erit vſus: vel quum ad diuerſum vitæ genus ſeſe contulerit aliquis, vel quum à fortuna honeſtiore ad humiliorem: veluti ſi quis ex aulico fiat monachus, aut è præfecto pædagogus, è conſule rethor. Confine illi? Ab equis ad aſinos.

*Suidas.*

## A' Dorio ad Phrygium.

Ἀπὸ δωρίου ἐπὶ φρύγιον. Vbi quis à temperatiore vita ad luxum conuertitur, aut à fortuna mediocri ad maiorem ſtrepitum. Apuleius floridorum lib. primo palàm indicat Doricam muſicam multò diuerſiſſimam à Phrygia fuiſſe. Quandoquidem hæc ad religionem commouebat animũ, illa ad bellum inflammabat.

## Maritimus quum ſis, ne velis fieri terreſtris.

Θαλάττιος δ' ὢν μήποτε χερσαῖος γένῃ. Id eſt, Si ſis marinus, abſtine à terreſtribus. Admonet non mutandam conditionem, ne in melius quidem. Mutuò ſumtum ex apologo quodam Æſopico: Cancer quidam relicto mari, cœpit in agro quodam paſci, vbi fortè conſpectus à vulpe, protinus arreptus ac deuoratus eſt.

## Subitò alius.

In hominem repente mutatum, quique ſubitò alius factus eſſe videatur, torquebitur illud Homeri ex Iliad. π.

Ἀλλοῖός μοι ξεῖνε φάνης νέον ἠὲ πάροιθεν, Id eſt,

Ayuntamiento de Madrid

Hoſpes nunc alius mihi, quàm dudum eſſe videris.

Congruit huic illud Theocriti:

Ἀ' ῤά τις ἐξαπίνας μὲ θεὸς βεϐλὸν ἄλλον ἔτευξεν. Id eſt.

Num quo alius ſubitò factus ſum numine diuûm?

## Vliſſes pannos exuit.

Plutarchus hunc Homericum verſum vſurpauit ex Odyſſ.x.

Α'υτὰρ ὁ γυμνώθη ῥακέων πολύμητις Ὀδυσσεύς. Id eſt.

Vilibus ac pannis mox eſt exutus Vlyſſes.

Accommodare licebit iis, qui genere vitæ ſubitò commutato è pauperibus diuites, è ſqualidis nitidi, è triſtibus hilares exiſtunt. Plutarchus torquet in adulatorem, qui Polypi more omnium ſtudiis ſeſe accommodat. Nam Vlyſſes ſimulatque pannos, in quibus mendicum apud procos egerat, exutus, magnificis veſtibus ornatus eſſet, repentè viſus eſt alius.

## Sui diſſimilis.

In ſui diſſimilem quadrabit illud Homeri ex Odyſſ.ı.

Σὲ γὰρ ἀυτὴν παντὶ ἐίσκεις. Id eſt,

Nunc alio, nunc ruſſum alio fis obuia vultu.

## Ab bonam frugem. *Tullius.*

Qui commutatis ad meliora ſtudia moribus, reſipiſcũt: prouerbio dicebantur ad meliorem frugem ſeſe recipere. Ab agris, qui cultu redduntur frugiferi.

## Qui multum obfuit.

Vide, Infortunij.

## Circeo poculo.

De homine ſubitò in alium mutato, ſermone prouerbiali vſus eſt Cicero actione in Verrem 1. Sed repentè è veſtigio ex homine tanquàm aliquo Circeo poculo factus eſt Verres, redit ad ſe, atque ad mores ſuos.

NECESSITAS.

## Neceſſitas magiſtra.

Suidas ex Carchedonio citat hoc prouerbium:

Χρεία διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ, σοφόν.

Catum è rudi reddit magiſtra neceſſitas.

Neceſſitas excitat ingenium ad diſcendas artes.

## Ineuitabile fatum.



Ayuntamiento de Madrid

Quod homini fatis decretum eſt, id eueniet: In hanc ſententiam Homerus Odyſſ.η. Ἔνθα δ' ἔπειτα.

Πείσεται, ὅσσα οἱ αἶσα κατακλῶθές τε βαρεῖαι
Γεινομένῳ νήσαντο λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ. Id eſt,
Pòſt, illic accidet illi,
*Homerus.* Quod fatum, Parcæque graues in flamine nerunt
Naſcenti, tum quum matris promergeret aluo.

## Nemo cogendus officij cauſſa.

Nullus hoſpes retinēdus aduerſum animi ſententiā, & inuitus. Nemo cogendus, vt cuiuſquā vtatur beneficio, ſi nolit.

## Fatum immutabile.

Diuina decreta non commutantur, humanæ leges pro tempore variantur, vt mores & voluntates.

## Fatis adactus.

In eum, qui non ſponte, ſed caſu, veluti fatis impellentibus, in aliquod vitæ genus incidit, congruet illud Homeri ex Odyſſ.ε.

Τὸν δ' ἄρα δεῦρ' ἄνεμός τε φέρων κῦμα. Id eſt,
Aſt hunc huc, ventuſque ferens, atque appulit vnda,

## Fatis imputandum.

Quando hominem quempiam culpa liberamus, eamque vel in fatum vel in fortunam reiicimus, vſurpare licebit illud Homeri ex Iliad.γ.

*Plato.* Οὔτι μοί αἰτίη ἐσσὶ, θεοί νύ μοι αἴτιοί εἰσιν. Id eſt.
Nil tibi ego imputo, verùm ipſis magis imputo diuis.

## Diomedea neceſſitas.

Διομήδειος ἀνάγκη. De iis, qui vi adacti, non ſponte quid faciunt. Quidam originem adagij referunt ad Thracium illum Diomedem, qui ſolitus fertur hoſpites ſuos compellere, vt cum filiabus ſuis deformiſſimis rem haberent, quo facto eoſdem interimebat. *Liuius.*

## Ingens telum neceſſitas.

De re ineuitabili. Vnde & certa dicuntur tela, conſilia, quæ nunquàm fallunt. *Gellius.*

## Feras, non culpes, quod vitari non poteſt.

Quibus verbis admonemur, vt mala fatalia, quæ nulla ratione poſſint neque declinari neque propelli, ſaltem animi æquitate leniantur. Huc pertinet & illud ſcitū Varro-

Ayuntamiento de Madrid

nis dictum: Vxoris vitium aut tollendum eſſe, aut ferendū. *Terentius.*

## Quòd factum eſt, infectum fieri non poteſt.

Agathon: Μόνυ γὰρ αὐτοῦ καὶ θεὸς στερίσκεται, ἀγένητα ποιεῖν, ὅσσ' ἂν ᾖ πεπραγμένα. Etenim illud vnum ipſi negatum eſt Deo vt infecta reddat facta, quæ fuerint ſemel. *Macrob.*

## Tranſuerſum agere.

Tranſuerſus agi dicitur, qui vi & impetu quodam ab inſtituto deflectitur. Ductum à nauigantibus.

## Vocatus atque non vocatus Deus aderit.

Oraculum olim Lacedæmonijs redditum, abiit in prouerbium: Καλούμενός τε κἄκλητος θεὸς παρέσται, Id eſt, Vocatus & inuocatus Deus aderit. Vſus erit, vbi quid ſignificabimus etiam non accerſitum, neque curatum, tamen euenturum, velimus, nolimus, puta ſenectutem, mortē, &c.

## Ne Dij quidem à morte liberant.

Nemo tam carus Superis, vt illorum fauore mortem euitarit. Huic ſententiæ ſuffragabitur Homericum teſtimonium Odiſſ. γ.

Ἀλλ' ἤτοι θάνατον μὲν ὁμοίιον, οὐδὲ θεοί περ,
Καὶ φίλῳ ἀνδρὶ δύνανται ἀλαλκέμεν, ὁππότε κεν δὴ
Μοῖρ' ὀλοὴ καθέλῃσι τανηλεγέος θανάτοιο. Id eſt,
At verò mortem communiter omnibus æquam
A dilecto homine neque Dij depellere poſſunt,
Quem funeſta dies fati iam vrget acerbi.

## Mors omnibus communis.

Qui dicet omnibus ex æquo moriendum, nec vllis viribus arceri fati neceſſitatem, dicet illud Home.

Οὐδὲ βίη Ἡρακλῆος φύγε κῆρα. Id eſt,
Nec vis Herculea fatum euitauit acerbum.

## Omnia eſculenta obſeſſis.

Ἅπαντα γάρ τοι βρωτὰ πολιορκουμένοις. Id eſt, Cinctis ab hoſte veſca ſunt & quælibet. Senarius prouerbialis, quum vrget neceſſitas, nihil non facimus. Et vehementer famelicis nullus non ſuauis eſt cibus. Natū m ab vrbiū obſidionibus.

## Lepori eſurienti etiam placentæ fici

Λαγῶ πεινῶντι καὶ πλακοῦντες εἰς σῦκα. Id eſt, Lepori eſuriēti, & placentæ pro ficis. Suidas tradit dictum de iis, qui compulſi neceſſitate, res etiam pretioſiſſimas abſumunt.



Ayuntamiento de Madrid

## Viro eſurienti neceſſe furari.

Πεινῶντι κλέπτειν ἐστ' ἀναγκαίως ἔχον. Id eſt, Famelicus vir eſſe furax cogitur. Quod congruit in eos, qui extrema adacti neceſſitate, quid faciunt. Aut ſi quis auidus gloriæ aliena pro ſuis edat, quum ipſe de ſuo nihil poſſit egregium edere.

## Adactum iuſiurandum.

Ἐπακτὸς ὅρκος. Dicebatur, vel quod non vernaculum eſſet, ſed peregrinum,& aliunde aſcitum, vt indicat Zenodotus, vel quod non ſpontaneum, ſed adactum vi.

## Volentem bouem ducito.

Τὸν θέλοντα βοῦν ἔλαυνε. Id eſt, Volentem bouem agito. Vtere illorum opera, qui ex animo faciunt. Stultitia eſt, venatum ducere inuitos canes.

## Officium ne collocaris in inuitum.

*Homerus.* Inſtar iniuriæ fuerit, ſi quis officium collocet in inuitum. Conuenit, emittendus vbi diſcedere quærit.

## Nemo cogendus amicus.

Quum innues aliquem non eſſe ad negotium accerſendum, præter animi ſententiam, aut non eſſe collocandũ officium in eum qui nec agnoſcat nec accipiat libenter, accommodum fuerit illud Homeri:

Ἤν ἐθέλῃσιν, ἀνάγκῃ δ' οὔτι μιν ἄξω. Id eſt,
Si volet, inuitum hunc haudquaquam abduxero quoquam.

## Neceſſitas moleſta.

*Ariſtotel.* Πᾶν γὰρ ἀναγκαῖον πρᾶγμα ἀνιαρὸν ἔφυ. Quidquid enim eſt neceſſarium, natura moleſtum eſt. Quod oſtendit eſſe moleſta, quæ ſecundum naturam non ſunt.

## Vadimonium deſerere.

Olim & turpe erat & damnoſum, vadimonium deſerere, nec excuſabatur vadimonij promiſſor, niſi ob cauſſas egregié graues.

## Sontica cauſſa.

Næuius ſonticam cauſſam appellat admodum graué. Tranſlatum à duodecim tabulis, quæ ſonticum morbũ appellant non vulgarem, ſed tam moleſtum vt reus

Ayuntamiento de Madrid

non cogatur apud iudices comparere,

## NOBILITAS, OBSCVRITAS.

### Generoſior Codro.

Εὐγενέστερος Κόδρου. Per ironiam rectè dicetur in iſtos, qui maiorum fumoſis imaginibus & natalium antiquitate gloriantur. Codrus Melanthi filius, qui ſingulari pietate in patriam præcipuè nobilis fuit.

### Generoſior Sparta.

Ἐλευθεροώτερος Σπάρτης. Dicetur excellenti animo, minimḗque timidus, aut humilis. Spartanis enim olim indoles aderat generoſa, & ingenium omnis impatiens ſeruitutis, ac velut imperio natum, vnde nec mœnibus vrbem cingebant, &c.

### Subdititius es.

Ὑποβολιμαῖος εἶ. Id eſt, Suppoſititius eſt. Subdititij ſiue ſubmiſſitij vocantur partus adſimulati. Inde transfertur in hominem fictum, & per dolum ab alio quopiam allegatum, ſubornatúmque.

### Ne patris quidem nomen dicere poſſit. *Syneſius.*

Quadrabit in vehementer obſcuros & ſpurios, incertóque patre natos. Quod genus eſt illud Iuuenalis:

Quorum nemo queat patriam monſtrare parentis.

Vnde Plutarchus exiſtimat ſpurios dictos nothos, quòd duabus his litteris prænotari ſoleant, S. P. híſque ſignificari, ſine patre.

### Terræ filius.

Olim homines obſcuro, ignotóque genere prognati, terræ filij dicebantur, propterea quòd terra ſit omnium communis parens. *Tertullia.*

### Matris vt capra dicitur.

Τῆς μητρὸς ὡς αἲξ καλεῖται. In ſpurios dictum videtur, quorum pater incertus eſt, eáque gratia à matre denominantur. Ductũ ab hœdis, qui in caprilibus à matre dignoſcuntur, nam à patribus haud quaquàm poſſis. Manet etiam hodie iocus, quo dicũt ſapiẽtẽ eſſe filiũ, qui patrẽ ſuũ norit.

### Lychnobij. *Seneca.*

Apparet λυχνοβίους prouerbiali ioco dictos, qui lucernariã vitam ducerent, vt torqueri poſſit vel in nocturnum poto-



Ayuntamiento de Madrid

rem, vel hominem ſupra modum ſtudioſum, qui quemadmodum dictum de Demoſthene, plus abſumat olei, quàm vini. Vel in ſordidum & parcum, quaſi de lucernario oleo victitantem.

### Virtus gloriam parit.

Sentit benefactis potiùs, quàm opibus parari veram gloriam. Nec vno modo contingere honeſtam famam, ſed ſua quemque virtute clarum fieri. Ex Pindari Olymp.

### Quanta vix cœlo capi poſſint.

Hac hyperbole M. Tullius famæ celebritatem expreſſit. Idem: In cælum laudibus ferre. Ita Virg. Vltra ſidera notus. Et Horatius: Sublimi feriam vertice ſidera.

### Auis ex auibus.

Ὄρνις ἐκ τῶν ὀρνέων. Prouerbij forma dictus eſt Ariſtophani per ironiam vir nobilis, quaſi bonus ex bonis prognatus.

### Cymbalum mundi.

De homine celebrati nominis.

*Plinius.* Διακωδωνίζειν.

Demoſthenes dixit pro explorare atque examinare.

### Domi nobilis.

Qui non opibus tantùm aut potentia clarus eſt, ſed ex nobilibus nobilis prognatus eſt. Hunc Cicero ſubinde domi nobilem vocat.

### E domo in domum.

Οἴκοθεν οἴκαδε. Hac ſermonis forma ſignificamus aliquem propriis virtutibus quippiam egregiæ laudis peperiſſe ſuæ domui patriæue.

### Fumoſæ imagines.

In eos dicebatur, qui iactarent peruetuſtam generis nobilitatem. Iuuenalis veteres ceras appellat.

### Iouis germen.

Ἐκ Διὸς ἔρνος. Id eſt, Ex Ioue germen. Dicebatur inſigni virtute præditus.

## NON SOLVS ILLE.

*Plutarchus.*

### Braſidas quidem vir bonus, ſed Lacedæmon multos habet præſtantiores.

Βρασίδας μὲν ἀνὴρ ἀγαθὸς, ἁ δὲ Λακεδαίμων πολλὼς ἔχει κάρ-

Ayuntamiento de Madrid

ꝓ οιας. Aduerſus eos, qui ſe non modò primos, verùm etiam ſolos exiſtimant. Finitimum illi, Multi Mannij Ariciæ.

## Multi Mannij Ariciæ.

Mannius apud Feſtum Pompeium, Dianæ Aricinæ lucum, qui & ipſe Aricinus dictus eſt, conſecraſſe legitur. Ex hoc Mannio Aricio viro laudatiſſimo, quàm plurimi extiterunt viri item clariſſimi eodem nomine, & hinc natum prouerbium.

## Multi, boníque.

Πολλοὶ κἀγαθοί. Tranſlatum à ritu ſacrorum, in quibus ſacrificus rem diuinam facturus, dicebat: Τίς τῇδε; id eſt, Quis hic? Deinde qui aderant, reſpondebant: πολλοί, κἀγαθοί, id eſt: Multi & boni. Atque hæc partim ominis cauſſa dicebantur: oportebat enim in ſacris εὐφημεῖν, hoc eſt, benè ominata dicere: partim, vt ſi quis eſſet ſibi conſcius admiſſi piaculi, diſcederet à myſteriis. Prouerbium igitur locum habuerit, quoties aut teſtes, aut iudices, aut conuictores ſignificamus idoneos, ac neutiquam reiiciendos.

# NOTVS.

## Hoc iam & vates ſciunt.

Aptè torquebitur iocus in rem tandem compertam, quæ diu fefellerat.

## In ore atque oculis.

Quæ propalam fiunt, in ore atque oculis omnium fieri dicuntur. *Cicero.*

## Rumor publicus non omninò fruſtra eſt.

Heſiodus:

Φήμη δ' οὔτοι πάμπαν ἀπόλλυται ἥντινα λαοὶ
Πολλοὶ φημίζουσι. Id eſt,
Haudquaquam in totum rumor perit ille, per ora
Qui volitat populis compluribus.

## Domeſticè notus.

Lucianus: Ἀνδρὶ ἐλευθέρῳ, καὶ οἰκόθεν σε ἀκριβοῦντι, id eſt, Viro libero, & qui te ex domeſtico conuictu cognitum habeat. Id erit venuſtius, ſi ad res animi traducatur, vt ſi quis dicat artem rhetoricam οἴκοθεν alicui notam.

## Intus & in cute.

Intus & in cute notus, eſt omnibus modis cognitus, per-

Ayuntamiento de Madrid

inde quaſi dicas, foras atque intus notus. Perſius:

Ad populum phaleras, ego te intus & in cute noui.

Id eſt: Aliis fucum feciſti, mihi planè notus es, neque potes impoſturam facere. Plautus: Hunc ego penitus & domi inſpexi.

## Principes inter ſe noti.

Qui dicet mutuam principum, aut inter eruditorum inter ipſos eſſe notitiam, vſurpare poterit illud Homeri:

Non ignoti inter ſe ſunt dij morte carentes,
Quanquam ſemoti diuerſa in ſede morentur.

Torqueri poterit in ſatrapas iſtos, qui tametſi belligerari videntur, tamen ipſi clanculum inter ſe colludunt.

## NOVITAS.

Calliſtrat.

## In folle offerre.

Pro eo quod eſt, inexploratè, inexplicatè, & cõfusè, ſicut qui ſyngraphas & pecuniam ſacculo incluſas offert.

## Aliud genus remi.

Plutarchus.

Ἄλλο γένος κώπης. Id eſt, Aliud genus remi. Dicebatur olim, vbi quiſpiam res nouas, & anteà non viſas induceret. Aut vbi quis verſis moribus priſtinis, nouum & inuſitatum vitæ genus inſtitueret.

## Grata nouitas.

Quando dices nuperrima quæque vulgo maximè placere, non intempeſtiuum erit illud Homeri ex Odyſſ. α.

Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι,
Ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται. Id eſt,
Cantio enim hæc hominũ longè eſt celeberrima vulgò
Et gratiſſima, quæ nuperrima venit in aures.

## Qui modus equitum.

Τίς τρόπος ἵππων; Id eſt, Qui modus equorum? Vbi quis nouam ac peregrinam induceret conſuetudinem. Veluti ſi quis Italus Gallicis veſtibus vteretur. Dictũ videtur de hoſpitibus nouo quadrigarum genere inuectis.

## NVGALIA.

## Κρουνοχυτρολήραιον.

Hominem ſtultè nugacem Græci vocabant κρουνοχυτρολήραιον, voce ridiculè compoſita à κρουνὸς, qua propriè dicitur aqua impetu ſcatens, & χύτρα olla, & ληρεῖν quod eſt nu-

Ayuntamiento de Madrid

gari. Ollas autem ſtupidos vocamus. Refertur à Suida, & videtur è comœdia quapiam ſumtum.

## Nugæ theatri.

Plautus nugas theatri appellat quotidiana conuitia, quæ in meretrices, lenones & paraſitos iaciebantur à comœdiarum actoribus. Quin etiam totum hoc quòd in comœdiis agitur, nugæ theatri dici poterunt. Veluti iuuenes amare, ſenes obiurgare, ſeruos heris imponere, lenas ſitire, &c.

## Cùm Nibas coccyſauerit.

Ὅταν Νίβας κοκκύσῃ. Simillimum illi, Ad Græcas calendas. Tradunt in Theſſalonica Macedoniæ ciuitate vicum eſſe, cui nomen Nibas, vbi Galli nunquam vocem edant.

## Ad Græcas calendas.

Pro nunquam, propterea quòd Græci non habent calendas more Latinorũ ſed νεμηνίας, id eſt, nouilunia. Atq; ad lunæ recurſus Græci ſoluebant vſuras. Quum aliquos nunquam ſoluturos ſignificare velis, ad Græcas calendas ſoluturos ais. *Auguſtin.*

## Quum mala pepererit.

Quoties ſignificamus aliquid nunquàm futurũ ἐπὰν ἡμίονοι τέκωσι, id eſt, quum mulæ pepererint, dicimus. De ſterilitate mularum ſcribit Plin. lib. 8. cap. 44. *Herodot.*

## Anno magno Platonis.

Simile eſt ſuperiori. Hunc enim exiſtimãt nunquã futurũ.

## Plenilunio fiet.

Τῇ πανσελήνῳ. Quaſi ſerò, aut nunquam futurum. Etenim cùm Datis & Artaphernes ductores regis Perſarũ, in Marathonem irrupiſſent, plenilunium obſeruant, vt tum in prœlium exirent, Ergò priùs quàm illi venirent, Athenienſes bellũ adgreſſi ſunt. Hiſtoriæ meminit Herodotus libro VI. Inde quaſi prouerbio de cunctatoribus, & quauis occaſione rem proferentibus, aptè dicitur: Ἐν τῇ πανσελήνῳ. *Diogen.*

## Per arma aliquid facere.

Poterit per iocum accõmodari, ad ea quæ nunquã euentura credamus, quemadmodum aiunt Ad Græcas calendas. Huc faciunt ſermones iſti Ciceronis prouerbiales: Poſt homines natos: Poſt hominum memoriam. *Plutarchus.*

Ayuntamiento de Madrid

## Heri & nudius tertius,

*Plato.* Χθὲς καὶ πρώην. Prouerbialis hyperbole tempus admodum nuper actum ſignificans.

NVSQVAM.

## Vbi cerui cornua abiiciunt.

Ὅπου αἱ ἔλαφοι τὰ κέρατα ἀποβάλλουσι. Cerui cornua depoſituri, ſecedunt in loca aſpera & inacceſſa. Quadrabit, vbi locum vehementer abditum, abſtruſumque ſignificabimus. Poſtremò, quòd innuemus nuſquàm inueniri, illic dicemus, vt cerui cornua abiiciunt.

## Nec apud homines, nec in mari.

Prouerbiali ſchemate dictum eſt à Pindaro Olymp. hymno 6. Ἀκίνδυνοι δ' ἀρεταὶ οὔτε παρ' ἀνδράσιν οὔτ' ἐν ναυσὶ κοίλαις τίμιαι. Id eſt, Virtutes autem periculi expertes, neque apud homines, neque in cauis manibus habentur in pretio, pro eo quod erat, nuſquam, quaſi dicas, neque terra neque mari. Ipſa autem ſententia conuenit cum illo Heſiodo decantatiſſimo:

Virtutem poſuere Dei ſudore parandam.
Nam magnam laudem parauit abſque periculo, &c.

## In Aphannis.

Εἰς ἀφάννας. Stephanus tradit, Aphannas locum quempiam fuiſſe Siciliæ, vehementer obſcurum & ignobilem, vnde & nomen adductum apparet. Hinc natum prouerbium, Aut in Aphannis, de incertis & quæ nuſquàm ſunt.

NVNTIVS LAETVS.

## Haud annuntias bellum.

Οὐ πόλεμον ἀγγέλλεις. Dici ſolitum, vbi quis rem oppido lætam annuntiat, quòd bellum res ſit omnium calamitoſiſſima. Iulianus, O aureorum nuntius verborum, ὦ χρυσᾶν ἀγγέλλας ἐπῶν.

## Prouoluitur ad miluios.

*Suidas.* Προκυλινδεῖται ἰκτῖνι. Id eſt, Adorat miluium. Initio veris prodeunt miluii, qua re læti tenues, quòd iam hieme ſint leuati, prouoluuntur, eoſque velut adorant. Accommodari poteſt in eos, qui noua ſpe geſtiunt.

## Quid tibi Apollo cecinit?

*Zenodotus.*

Ayuntamiento de Madrid

Τί σοι Ἀπόλλων κεκιθάρικεν. Id eſt, Quid tibi Apollo cecinit cithara? hoc eſt, quid tibi reſpondit? Conueniet, vbi quis à principe redeuntem percontabitur, quid reſponſi tulerit. Alluſum eſt autem ad Apollinis citharam, quam illi tribuunt poëtæ.

## Vulcanus tibi vaticinatus eſt.

*Suidas.*

Ἀφθᾶς σοι λελάληκεν. Suſpicor dictum, vbi quis crederet ſe rem habere certam, velut ex oraculo auditam.

## Siren amicum nuntiat, apis hoſpitem.

*Idem.*

Σειρὴν μὲν φίλον ἀγγέλλει, ξένον δ' μέλισσα. Id eſt, Hoſpitem apis verùm Siren prædicit amicum. Quoties complures eadem re bene ominantur, aut vbi ſuæ quiſque ſpei blandiens, ex quamlibet leuibus argumentis diuinat futurum quod optat. Nam Siren hoc in loco inſecti genus eſt, api non diſſimile.

# OBLIVIO.

## Obliuionis campus.

Λήθης πεδίον. Lethes campus, dicetur vel de vehementer obliuioſis, vel de rebus commentitiis ac friuolis, quæ nuſquam ſunt.

## Proprij nominis obliuiſci.

*Hieronymus.*

In hominem vehementer obliuioſum. Ouidius:
Nominis antè mei venient obliuia nobis.

## Malorum obliuio.

*Homerus.*

Qui deprecabitur omen aliquod parum fauſtum, aut cui iubebit obliterari memoriam malorum, vſurpabit illud Homeri ex Iliad. δ.

Τὰ δ' πάντα θεοὶ μεταμώνια θεῖεν. Id eſt.
Irrita Dii ſuperi ventis hæc omnia tradant.

## Ne malorum memineris.

*Val. Max.*

Νὴ μνησικακήσῃς. Id eſt, Ne malorum memoriam refrices. Ne præteritarum rerum mentio fiat.

## Ex libro gubernatores.

Ἐκ βιβλίου κυβερνῆται. Galenus de compoſitione pharmacorum III. Adſimilis iis, qui prouerbio dicuntur gubernatores è libro. De mutis magiſtris alibi dictum.

Ἀμνηστία.

*Plutarchus.*

Obliuio eſt omniũ quæ in cõuiuiis vel fiunt, vel dicũtur.

Ayuntamiento de Madrid

## Hac non egreditur verbum.

*Idem.* Ex Lycurgi inſtitutione, qui natu maximus erat, ſtabat ad oſtium, & ad conuiuium ingredientibus dicebat oſtenſis foribus: Διὰ τούτων ἔξω λόγος οὐκ ἐκπορεύεται, id eſt, Per haſce nullus ſermo progreditur foras. Horat. Ne fidos inter amicos Sit, qui dicta foras eliminet.

## Vino inſcribere mulieris iuſiurandum.

Τὸν γὰρ γυναικὸς ὅρκον εἰς οἶνον γράφω. Id eſt.
Inſcribo vino ſi qua iurat femina. Innuit irrita eſſe ſolere quæcunque in compotationibus effutiuntur.

## Odi memorem compotorem.

*Lucianus.* Μισῶ μνάμονα συμπόταν. In eos, qui, quæ inter amicos & inter pocula dicuntur liberiùs, foras eliminant.

## Viuorum oportet meminiſſe.

*Cicero.* In eos, qui plurimum de vita defunctis loquuntur, id quod vulgò putant ominoſum, mortuos in ore habere.

## Ventis tradere.

Pro eo quod eſt obliuiſci, atque ex animo eiicere. Horat.
Triſtitiam & metus Tradam proteruis in mare Creticũ
Portare ventis.

## Ollæ veſtigium in cinere turbato.

Χύτρας ἴχνος συγχεῖν ἐν τῇ τέφρᾳ. Plutarchus in Sympoſiacis interpretatur, nullum euidens iracundiæ veſtigium oportere relinqui, ſed ſimulatque deferbuerit, atque reſederit animi tumor, omnium præteritorum malorum memoriam penitus tolendam eſſe.

## Imis ceris eradere.

*Hieronymus.* Pro eo quod eſt, delere penitus, ſic vt nullum omninò memoriæ priſtinæ veſtigium extet. Sumtum ab his, qui in ceratis ſcriptitant tabulis.

## Bibere mandragoram.

*Iulianus.* Ineſt vis ſomnifica mandragoræ, adeo vt enecet etiam largiore potu. Vnde qui ceſſant in officio dormitantque, multam mandragoram bibiſſe dicuntur. Non diſſimile illi: Bibe elleborum.

# OBSCVRITAS.

## Delius natator.

Ayuntamiento de Madrid

Δήλιος κολυμβητής. Olim vulgò dicebatur admodum natandi peritus, quíque noſſet in ſumma natare aqua. Natum à Socrate, qui rogatus de Heracliti libro cuiuſmodi videretur, reſpondiſſe fertur hoc pacto: Quæ quidem intellexi, præclara: arbitror autem & ea, quæ non intellexi, quanquam natatore Delio opus, vt ne quis in eo præfocetur.

## Per nebulam.

Vide, Indiligentiæ.

## Numeris Platonicis obſcurius.

Id ideò dictum, quòd Plato numeris Pythagoricis, obſcurat ſuam philoſophiam, ac veluti nebulas offundit. Nam Pythagoras omnem ferè philoſophiæ rationem ad numeros traxit. *Cicero.*

## Dauus ſum, non Oedipus.

Oedipi ingenium ſcitè proponendis, ſimul & diſſoluendis ænigmatum ſcriptis nobilitatum eſt, propter diſſoluta Sphingis problemata, adeò vt in prouerbium abierit eius nominis appellatio. Similis eſt farinæ: Non ſum diuinus. *Terentius.*

## Canis podicem inſpicere.

Vide, Cæcutientia.

## Bœotica ænigmata.

Βοιώτια αἰνίγματα. Dicebantur obliquè atque obſcurè dicta, quæque perdifficile percipi poſſent. Sumtum à fabula Sphingis monſtri Thebani. Ea propoſuit Oedipo ænigma huiuſmodi: Quadrupes, bipes, ac rurſum tripes. Id Oedipus interpretatus eſt, hominem eſſe, qui puer manibus quoque pedum nititur vice, deinde confirmato gradu duobus pedibus ſe ſuſtinet, donec ætas decrepita baculum, ceu tertium pedem addat.

## Ne Apollo quidem intelligat.

Ταυτὶ δ᾽ ὅτ᾽ ἐστὶν οὐδ᾽ ἂν Ἀπόλλων μάθοι. Id eſt, Nec Apollo, quid ſibi hæc velint, intelligat, quod vehementer eſſet obſcurum & intellectu perdifficile.

## Carcini poëmata.

Dicebantur ea, quæ viderentur obſcurius & inſtar ænigmatis dicta. Carcinus poëta quiſpiam fuit. Is finxit Oreſtem ab Ilio coactum, vt matricidium confiteretur.

Ayuntamiento de Madrid

## Ad digituli crepitum.

Qui arrogantius, faſtuoſiúſque iubent quippiam, digituli crepitu ſignificare dicuntur. Diuus Hieronymus in epiſtola ad Ruſticum vſurpauit, in ſupercilioſum quendam & faſtidientem, qui dicturus, digituli crepitu ſilentium imperabat.

## Quum vterque concedit alteri.

Quum omiſſa contentione, vterque alteri concedit, vſurpabit illud Homeri Iliad. IIII.

Ἀλλ' ἤτοι γὰρ ταῦθ' ὑπείξομεν ἀλλήλοισιν.
Σοὶ μὲν ἐγὼ, σὺ δέ μοι. Id eſt.
Quin magis alteri in his rebus cedamus vterque.
Tu mihi, contrà ego deinde tibi.

## Lex & regio.

Νόμος καὶ χώρα. Id eſt, Mos ſiue lex & regio. Seruiendum & obſecundandum eſſe moribus regionis, in qua verſeris. Zenodotus adſcribit vnicuique genti, ſuas quaſdam leges eſſe, & inſtituta viuendi.

## Deum ſequere.

*Plutarchus.* Ἕπου θεῷ. Id eſt, Sequere Deum. Putant hunc eſſe ſenſum: Obtempera rationi. Quaſi cuique debeat oraculum eſſe, quidquid in pectore dictitauerit ratio. Ineſt enim ſuus cuique animus Deus.

## Non ſtatuar leæna in machæra.

*Ariſtoph.* Οὐ στήσομαι λέαινα ἐπὶ τυροκνήστιδος. Prouerbium meretricium, quum negat ſcortum ſui cuipiam facturum ſeſe. Nam in capulis militarium gladiorum elephantes ac leones imponi ſolent. At hi procumbentes inſcalpuntur, ſiue ne lædant manum vtentis gladio, ſiue ne defrigantur facilè, ſi in pedes erecti figerentur.

## Obedientia felicitatis mater.

Vide, Infortunii.

## Inſanire cum inſanientibus.

Τοῖς μαινομένοις συμμαίνεσθαι. Dicebatur, qui ſe moribus quorumlibet attemperabat.

# OBTRECTATIO, ET MALEDICENTIA.

## Mortui non mordent.

Οἱ τεθνη-

Ayuntamiento de Madrid

Οἱ τεθνηκότες οὐ δάκνουσιν. Id etiam hac tempeſtate vulgò dicitur. Natum arbitror ex apophthegmate Theodori Chij, qui, quum deliberaretur, vtrum Pompeius ab Ægypto repellendus eſſet, an admittendus, cenſuit receptum occidendum, addens hoc dictum, Mortuos non mordere.

## Mortuis non conuitiandum.

Victo non inſultandum, nec in mortuum vltrà congerenda conuitia, quanquam iure ſit occiſus. Huic ſuffragatur Homerus:

Οὐχ ὁσίη κταμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι. Id eſt.
Haud fas eſt ſuper occiſis iactare teipſum.

## Cum laruis luctari.

*Ariſtoph.*

Vide, Inanis opera.

## Iugulare mortuos.

Vide, Abſurda.

## Non impetam lingua.

Οὐκ ἐπιγλωττήσομαι. Id eſt, Non inceſſam lingua. Vnde ſemper à maledictis temperandum.

## Tuis te pingam coloribus.

*Hieronym.*

Id eſt, Talem te ſcribam, qualis es.

## Sphæram inter ſeſe reddere.

*Plutarchus.*

Meminit de luſus genere Iulius Pollux, libro De rerum vocabulis nono: Non diſſimilis eſt, quem hodie pilæ vocant. Quadrabit in eos, qui ſeſe viciſſim dicteriis inceſſunt. Confine illi: Cædimus, inque vicem præbemus crura ſagittis.

## Infixo aculeo fugere.

Βαλὼν φεύξεσθαι οἴει. Id eſt, iaculo omiſſo fugiturum te putas? Metaphora prouerbialis, vbi quis dicto conuitio, ceu maleficio quopiam peracto, ſtatim ſubducit ſeſe, ne vel tueri cogatur quod dixerit, aut ne mutuum recipiat. Tranſlatum ab apibus, aut veſpis, quæ infixo aculeo ſtatim aufugiunt.

## Vulgus ſuſpicax.

Suſpicioſum vulgus, & pleraque malam in partem interpretatur. Homerus Odyſſ. η.

Δύσζηλοι γάρ τ' εἰμὲν ἐπὶ χθονὶ φῦλ' ἀνθρώπων. Id eſt.
Quippe homines plerique ſumus malè ſuſpicioſi.



Ayuntamiento de Madrid

## Pellem caninam rodere.

Martialis ponit pro eo quod eſt, hominem maledicum & improbum conuitiis inſectari. Sic enim ſcribit in obtrectatorem quendam & oblatratorem:

Non deerunt tamen hac in vrbe forſan,
Vnus vel duo, treſue, quatuorue,
Pellem rodere qui velint caninam.

## Vitilitigatur.

Vitilitigatores Marcus Cato vocabat litium auidos, & alienorum operum calumniatores. Cato ex vitiis & litigatoribus eleganter compoſuit.

## Zoili.

Quære, Inuidia.

## Archilochum teris.

Ἀρχίλοχον πατεῖς. De maledico dicebatur. De Archilocho teſtatur Horat.

Archilochum proprio rabies armauit ïambo.

De quo plura paulò poſt.

## Archilochi patria.

Ἀρχιλόχου πατρίς. Diogenianus teſtatur hoc dici ſolere de mordacibus ac maledicis.

## Dente Theonino rodi.

Theonino dente rodi dicuntur, qui conuitiis lacerantur. Sumtum à Theone poëta quodam rabioſæ loquacitatis, petulantiſſimæque maledicentiæ. Horatius hoc vitium alibi ſuccum loliginis vocat, & ſalem nigrum, quòd cum morſu addat & famæ maculam.

## Carpet citiùs aliquis, quàm imitabitur.

Μωμήσεταί τις μᾶλλον ἢ μιμήσεται. Porrò res egregias multò procliuius eſt carpere quàm æmulari. Aptè dicetur de re quapiam artis abſolutæ, atque inimitabili.

## Genuino mordere.

Qui clanculum obtrectant, lacerántque quempiam, cum genuino mordere dicuntur. Perſius: Et genuinum fregit in illis. Dentes autem genuini ſunt omnium reconditiſſimi: ac propemodum operti gingiua. Serò emergunt homini.

## Etiam in Deorum cœtu.

Ayuntamiento de Madrid

Καὶ θεῶν ἀγορᾷ. Quidam interpretantur de maiorem in modum probis & æquis: quidam de vehementer maledicis. Addunt locum quendam eſſe in Eleuſine, vicinum Anactoro, vocatum θεῶν ἀγορὰν, in quem non ingrediebantur, niſi bene ominantes: vnde de quopiam præter modum maledico dicebant, οὗτος κἂν θεῶν ἀγορᾷ δυσφημήσει. Id eſt, Hic vel in Deorum cōcione, malè ominata loquetur.

## Dentata charta.

Dentata dicuntur mordacia. M. Tullius ad fratrem: Calamo & atramento temperato. Dentata enim charta res agetur. Rurſus edentula, quæ morſu careant.

## Hipponacteum præconium.

Pro infami nota dixit M. Tullius, de Tigellio quodam ita ſcribens: Eumque addictum iam tum puto eſſe Calui Licinij Hipponacteo præconio. Nam Hipponax poëta fuit ïambographus, amarulentus, ac notæ mordacitatis.

## Archilochia edicta.

Contumelioſa vocat ac virulēta. Archilochi poëtæ mordacitas vulgò celebratiſſima fuit. Is Lycamben ſocerum, à quo fuerat repudiatus, huiuſque filiam adeò virulentis verſibus inſectatus eſt, vt vterque ſe laqueo præfocauerit.

## Plauſtra conuitiis onuſta.

Lucianus: Καὶ ὅλας ἁμάξας βλασφημιῶν κατεσκέδασαν ἀλλήλων. Id eſt: Et ſolida plauſtra conuitiis onuſta, inter ſeſe effundebant. Loquitur de duobus philoſophis inter ſeſe contumelioſè altercantibus.

## Naues onuſtæ conuitiis.

Homerus Iliad. υ.

Ἔστι γὰρ ἀμφοτέροισιν ὀνείδεα μυθήσασθαι.
Πολλὰ μάλ', οὐδ' ἂν νηῦς ἑκατόζυγος ἄχθος ἄροιτο.
Probrorum ſupereſt ambobus copia ſumma,
Quorum onus haud portet centum ratis incita remis.

Affine illi: Quos tollere nec centum queant Ægyptij.

## Morſus aſpidis.

Δῆγμα ἀσπίδος. De malo immedicabili, aut de lingua vehementer virulenta. Nihil autem vetat, quo minus trahatur adagium ad hoſtem clancularium, & tanto peſtilentiorem, quod clanculum citráque dolorem inſundat *Nicander.*



Ayuntamiento de Madrid

venenum hæc ſerpens.

### Hyſtricis ſeta.

Θρὶξ ὑστριχος. Id eſt, Pilus hyſtricis: dici poterit dicte-rium acriter in quempiam tortum. Eſt autem hyſtrix de genere Erinaceorum, niſi quòd huius longiores ſunt aculei.

## OCCASIO.

### Anſam quærere.

Et conſimiles metaphoræ. Anſa eſt, qua quippiam prehenditur ac tenetur. Plautus: An non vides hunc anſam quærere (id eſt, captare occaſionem) reſcindendæ, irritandæque pactionis? Plat. Vt contentionis anſas multis præbuerint. Eodem pertinet præbere anſam, anſam arripere, anſam præterire, anſam negligere, in eaſdem anſas incidere, & ſi quæ ſunt alia.

### Capere crines.

Pro arripere occaſionem oblatam, & arreptam retinere.

### Eximere è manu manubrium.

Plautus dixit pro eo quod eſt, iam paranti facere quippiam, extorquere peragendi facultatem. Tranſlatum ab eo, cui iam vibrato gladio percuſſuro, repentè capulus excutitur è manibus.

### Feneſtram aperire, & ſimiles metaphoræ.

Pro eo quod eſt, occaſionem ac velut anſam adminiſtrare. Terent. in Heaut. Hui quantam feneſtram ad nequitiam pateſeceris. Verùm hoc non niſi in malam partem, illud etiam in bonam, Aperire ianuam. Item illa: Repagula aperire, ianuam aperire, præſtruere viam, præcludere vitam, iacere fundamenta.

### Gladium dediſti quo ſe occideret.

*Plautus.* Miniſtraſti materiam & adiumentum ad perniciem. Veluti ſi quis amanti adoleſcenti pecuniam det in manum. Dedit Æneas Didoni gladium quo ſe interfecit.

### Tollenda mali occaſio.

Qui ſuadebit, vt mali ſubmoueatur occaſio, citabit illud Homeri ex Odyſſ. π.

Αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος. Id eſt.

Quippe viros ferrum illicit ipſum.

Ita diuitiæ proliciunt ad luxum, conſuetudo puellarum ad amorem.

## Premenda occaſio.

Qui ſignificabit modis omnibus inſtandum eſſe, nec obmittendam à manibus ſemel oblatam occaſionem, accommodabit illud ex Odyſſ. δ.

Ὑμεῖς δ' ἀστεμφέως ἐχέμεν μᾶλλόν τε πιέζειν.

Vos premite, & vinclis magis arctè ſtringite captum.

Quod quidem detorquere licebit ad id, quum dicemus impetus animi hoc magis ac magis eſſe coërcendos rationis moderamine, quo magis efferueſcunt, & ad malum ſollicitant.

## Nunc tuum ferrum in igni eſt. *Seneca.*

Eius ferrum in igni eſſe dicebant, cuius negotium iam ageretur.

## Non ſemper erit æſtas. *Heſiodus.*

Οὐκ αἰεὶ θέρος ἐσσεῖται, ποιεῖσθε καλιάς. Id eſt, Æſtas non ſemper fuerit, componite nidos. Non ſemper virebit ætas, para, quò ſe recipiat ſenectus. Aut non ſemper erit proſpera fortuna, munias animum philoſophiæ decretis, quo fortunam aduerſam poſſis contemnere.

# OTIVM.

## Conchas legere.

Summi otij eſt conchas & vmbilicos legere in littoribus, qui luſus eſſe ſolet puerorum. Quanquam transferri poteſt ad eos, qui aliud agentes obiter etiam leuiora quædam animi gratia admiſcent. Craſſus orator apud Cicer. De Orat. 2. de Lælio & Scipione loquens: Non audeo, inquit, dicere de talibus viris, ſed tamen ita ſolet narrare Scæuola, conchas eos & vmbilicos ad Caietam & Lucrinum legere conſueuiſſe, & ad omnem animi remiſſionem, ludumque deſcendere. Vmbilicos, opinor, appellant vel conchas, vel calculos vmbilici formam imitantes, vel herbam quæ Veneris vmbilicus dicitur, auctore Dioſcoride.

## Liber non eſt, qui non aliquando nihil agit.

Qui in ſummo otio verſabantur ab omnibus feriati negotiis, ij nihil agere dicebantur. M. Tullius lib. De orat. 2. ſub perſona Craſſi ad Scæuolam, Quid igitur, inquam,



Ayuntamiento de Madrid

quando ages negotium publicum, quando amicorum, quando tuum? quando denique nihil ages? Tum illud addidi, Mihi enim liber eſſe non videtur, qui non aliquando nihil agit, hæc ille. Mox interpretatur quid declaret, nihil agere. In qua, inquit, permaneo Catule ſententia, meque quum huc veni, hoc ipſum nihil agere, & planè ceſſare, delectat. Nam ceſſare dicuntur non tantùm ii, qui deſiſtunt à negotio, ſed qui ſunt in otio. Expedit autem interdum nihil agere, vt cætera rectè agamus.

## OCCVLTA.

### Terra defoſſum habes.

*Plautus.* Γῇ χρύψας ἔχεις. In eum qui non impartit, neque præfert ſuas dotes. Sumtum ab auaris, theſaurum humo defodientibus.

### Occultæ muſices nullus reſpectus.

*Suetonius.* Cuius adagii ſenſus eſt: Quamuis egregias animi dotes, ſi non proferas, perinde eſſe quaſi non habeas. Perſius: Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter. Eccl. 20. Sapientiæ reconditæ, & theſauri abſtruſi, nullam eſſe vtilitatem. Ouid.

Tu licet & Thamiram ſuperes, atque Orphea cantu,
Non erit ignotæ gratia magna lyræ.

### Plutus ἄζηλος.

Sunt nonnulli mortales qui vel natiuo quodam ingenii vitio, vel data etiam opera, quæ ſciunt diſſimulant, & aliis grauantur impertire. His illud non nunquam euenire ſolet, vt pro indoctis negligantur. His adſcribendum, quod Græci τυφλὸν πλοῦτον appellant, id eſt, diuitias cæcas, reconditas opes & abſtruſas.

### Qui ſunt apud inferos terniones.

Τὰς ἐν ᾅδου τριακάδας. Hoc adagio ridebantur ii, qui res abditas & abſtruſas curioſa quadam diligentia veſtigarent. Aiunt terniones apud inferos honoratos eſſe, vt Hecate ſacros, &c.

### Niſi ſiqua vidit auis.

Πλὴν εἴ τις οἶδεν ὄρνις. De re vehementer occulta. Suidas hunc verſiculum citat ex Ariſtophane: Nemo me contuetur, niſi præteruolans auis.

Ayuntamiento de Madrid

## Attici Eleuſinia.

Α᾿ττικοὶ Ε᾿λευσίνια. Subaudiendũ καθ᾿ ἑαυτοὺς, id eſt, inter ſeſe. Vſurpatur ſi quando conueniunt inter ſeſe aliqui, ſecretò de re quapiam arcana tractantes. Ducta metaphora à myſteriis ſacrorum Eleuſiniorum, quæ in honorem Cereris agebantur apud Eleuſim, ſumma religione, myſticiſque ceremonijs, à quibus arcebantur prophani.

## In tenebris ſaltare.

Ε᾿ν τῷ σκότῳ ὀρχεῖσθαι. Eſt rem gerere clanculum, nullo teſte, nulloque indice. Tranſlatum ab iis, qui choros ducunt in tenebris. *Lucianus.*

## Monſtrum alere.

*Terentius.*

Monſtrum alitur, vbi quid occulti vitii latere ſignificamus. Inde ſumta metaphora, quòd monſtra ob pudorem clanculum aluntur & occultantur.

## Muris circumcurrentibus.

Τῶν τειχῶν περιτρεχόντων. Id eſt, Parietibus circumcurrentibus. Plutarchus indicat muliebre fuiſſe prouerbium quo ſecretum ſignificabant, muris videlicet teſtes & arbitros arcentibus. Licebit vti, quum aliquid monſtri alitur, & ob id captari ſecretum.

## Summis ingredi pedibus.

Dicitur qui clanculùm, aut cautim, ac pedetentim, quod aiunt, conatur aliquid. Græci iucundius efferunt aduerbio compoſito, ἀκροποδητὶ. Idem valent illa: Suſpenſo gradu, & ſuſpenſis pedibus. Traductum à geſtu eorum, qui ſic ingrediũtur, vt ſtrepitum pedum nemo ſentiat.

## In aurem dicere.

*Matth. 10.*

Εἰς οὖς λέγειν. Vel hodie vulgò dictitant, pro eo quod, eſt, clanculum ac ſecretò committere. In Euangelio: Et quæ in aurem audiſtis, prædicate ſupra tecta.

## Oſtium obdite prophani.

*Lucianus.*

Θύρας ἐπίθεσθε βέβηλοι. Id eſt, Fores occludite quique prophani. Sumta eſt alluſio ex Orpheo, cuius hoc citatur carmen:

Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστὶ, θύρας δ᾿ ἐπίθεσθε βέβηλοι. Id eſt,
Fas quibus eſt audire loquar, vos turba prophana
Obturate fores.



Ayuntamiento de Madrid

Iubet vt prophani oſtium auribus imponant, ne quid arcani ſermonis poſſit ingredi. Conueniet vti, ſi quando ſignificabimus nos de rebus arduis & arcanis loquuturos eſſe.

*Cicero.*

## In ſimpulo.

In ſimpulo olim fieri dicebant, quod vel clanculum, vel in re minuta, atque humili fieret. Eſt enim ſimpulum vas paruum minutim fundens, vnde veteres res minutas nulliusque pretij, ſimpularias appellabant. Allegoria ſumta à puerorum luſu, quo ſolent per fiſtulam anguſtam in ſimpulum inflantes quaſi fluctus quoſdam, & aquæ ſtrepitum excitare.

## In angulo.

Ἐν γωνίᾳ. Id eſt, In angulo fieri dicitur, quod fit in occulto. Diſſimile illi: Super tectum prædicare, pro eo quod eſt palàm & in publico prædicare.

*Homerus*

## Admoto capite.

Ἀγχὶ σχὼν κεφαλὴν, ἵνα μὴ πευθοίαθ' οἱ ἄλλοι. Id eſt.

Admoto capite, reliquíne audire valerent.

Admonet eo loco, ſi quis obiurgandus eſt amicus, vt id fiat primum in tempore, deinde comiter & amicè magis, quam aſperè, poſtremo clanculum ſemotis arbitris. Vnde optimum eſt illud, Admoto propiùs capite.

*Heſiodus.*

## Vrit abſque torre.

Verſum hunc ſeu prouerbialē ſubinde Plutarchus vſurpat

Εὕει ἄτερ δαλοῖο καὶ ὠμῷ γήραϊ δῶκεν.

Exurit ſine torre, grauique dat illa ſenectæ.

Nempe vxor improba, quæ moribus ſuis ſenium viro præmaturum, affert transfertur & ad animi vitia, quibus obnoxij torquentur & contabeſcunt.

### OCCVPATIO, OTIVM.

## Ne ad aures quidem ſcalpendas otium eſt.

Lucianus in bis accuſato: Οὐδ' ἴσον κνήσασθαι τὸ οὖς, φασὶ, σχολὴν ἄγων. id eſt, Ac ne tantiſper otioſus vt aurem, ſicut aiunt, ſcalpere vacet. Quum ne minimum quidem otij ſupereſſe ſignificabimus.

## Nullum otium ſeruis.

Οὐ σχολὴ δούλοις. Id eſt, Non eſt otium ſeruis. Sumtum à

ſeruorum conditione, quibus heri nullum concedunt otiũ. *Plutarchus.*

## Feſtum multas habens.

Ἑορτὴ πολλὰς ἔχουσα. Subaudiendum moleſtias, aut occupationes. Dictum in eos, qui magnas componerent ſarcinas, aliquò profecturi. Natum ab ijs, qui feſta ſolent adire.

## Vincula Tyrrhena.

Δεσμοὶ Τυῤῥηνοί. Dicebantur odioſa negotia quibus diſtringebatur aliquis. Traductum à vinculis, quibus Tyrrheni captiuos vinciebant grauibus & moleſtis.

## Quum licet fugere, ne quære litem.

Ἐξὸν φυγεῖν μὴ ζήτει δίκην. Ab Alcibiade natum. Is quum è Sicilia citaretur ab Athenienſibus vt criminibus reſponderet, abdidit ſe, negans litigandum eſſe, ſi quo modo liceret effugere.

ODIV. *Lucianus.*

## Odium agreſte.

Μῖσος ἀγροικόν. Atrox odium ſic appellabant veteres, propterea quòd ruſtici plerunque μισαίνθρωποι ſunt, & acerbius atque implacabilius oderunt. *Catullus.*

## Odium Vatinianum.

Pro capitali ac vehementer acerbo. Vatinius, in quem acerrimè M. Tullius inuectus eſt, in tantum odium populi Romani peruenerat, iam detectis illius flagitiis, vt in prouerbium ceſſerit, odium Vatinianum. *Cicero.*

## Odium nouercale.

Nouercis omnibus innatum eſt fatale quoddam & irreconciliabile odium in priuignos.

## Oderint, dum metuant.

Licebit adagium per iocum vſurpare, veluti ſi quis eruditione ſuperior de clancularijs hoſtibus, qui tamen ob metum hiſcere non audeant, dicat. Oderint, dum metuant.

## Odit cane peius & angue.

Horatius: Alter Mileti textam cane peius & angue Vitabit chlamydem. Plautus in Mercatore:

Nempe ruri vxor eſt tua, quam dudum dixeras
Te odiſſe æque atque angues.

Ayuntamiento de Madrid

## Empedoclis ſimultas.

Ε'μπεδοκλέυς ἔχθρα. Dicebatur pertinax & irreconciliabilis. Empedoclem enim aiunt iis fuiſſe moribus, vt aſſiduè ſimultatem cum aliquibus ſuſciperet.

Diogen. Α'σπονδος πόλεμος. Perpetuum bellum.

M. Tullius epiſt. ad Attic. lib. 9. Huius igitur belli ego particeps, & ſocius, adiutor eſſe cogor, quod & ἄσπονδον eſt cum ciuibus. ἄσπονδον vocat perpetuum, & atrox, & irreconciliabile. Cōueniet in ſimultatem ac diſſidium amarulentum, Suidas ait ἄσπονδυς ἔχθρυς dici eos qui in concordiam redigi non poſſunt: vſus eſt prouerbio D. Chryſoſt.

## Archidamicum bellum.

Α'ρχιδάμιος πόλεμος. De bello ſæuo crudelique dicebatur. Ab Archidamo Duce Lacedæmoniorum. Archidami ſæuitiam memorat & Pauſanias in Laconicis.

## Et Scellij filium abominor.

Ariſtoph. Hic eſt affectus humanus, vt ſi quis vel hominem, vel quamcunque rem vehementer oderit, non ſolùm à commemoratione, verùm etiam à cognotis vocib⁹ abhorreat. Id eleganter expreſſit Ariſtophanes in auibus. Ibi perſona quædam ſic loquitur:

Α'ριστοκρατείας δῆλος εἶ ζητῶν. Id eſt,
Ariſtocratiam palàm eſt te quærere. Altera reſpōdet,
Η'κιστα, καὶ τὸν Σκελλίου βδελύττομαι. Id eſt.
Minimè, ſed ipſum Scellii natum quoque abominor.

Scellii filius dictus eſt Ariſtocrates. Hoc nomen iure inuiſum eſt deteſtanti Ariſtocratiam, quò ea vox abominandæ rei memoriam renouet.

## Non magis quàm canem.

Plautus. Odium & contemtum vulgò declarant canis vocabulo. Horatius Odit cane peius. Et Plautus in Amphit. Valuiſtin' vſque? Exſpectatus aduenio? Soſt. haud vidi magis. Exſpectatum eum ſalutat haud quiſquam magis, quàm canem.

## Cui iſta arrident, meis ne gaudeant.

Ariſtoph. Quum ingens diſcrimen intereſſe ſignificabimus inter noſtras & aliorum rationes. Contrarium huic:

Qui Bauium non odit, amet tua carmina Mæui.

Ayuntamiento de Madrid

De iis, quæ eiuſdem ſunt farinæ, & ex æquo contẽnenda.

## Ne via quidem eadem cum illo vult ingredi.

*Plutarchus.*

Μηδὲ τὴν αὐτὴν ὁδὸν βαδίζειν. Ne via quidem eadem ingredi dicuntur, qui extremo diſſident odio, vt ne via quidem communi velint ambulare.

## Fratrum inter ſe iræ ſunt acerbiſſimæ.

Si quãdo ſimultas inciderit inter fratres, ea ſolet eſſe atrocior, quã vulgarium inimicorum. Euripides in Iphigenia.

Δεινὸν κασιγνήτοισι γίγνεσθαι λόγους,
Μάχας θ᾽, ὅταν ποτ᾽ ἐμπέσωσιν εἰς ἔριν.
Res dira verbis inuicem altercarier,
Dictiſque fratres dimicare mutuis,
Si quando lis inciderit, aut contẽtio.

## Ira omnium tardiſſimè ſeneſcit.

*Sophocles.*

Ὁ θυμὸς ἔσχατον γηράσκει. Id eſt ira poſtremùm ſeneſcit. Nam vulgò mortales iniuriæ tenaciſſimè meminiſſe ſolẽt, benefactorum quàm facillimè obliuiſci.

## Vt lupus ouem.

Ὡς λύκος ἄρνα φιλεῖ. Id eſt, Vt lupus ouem amat. Qui ſui commodi gratia ſimulat amorem.

## Si tu proreta.

Plautus in Rud. Si tu proreta iſti nauis es, ego gubernator ero. Quo licebit vti, quoties neuter alteri in negotio quopiam vult cedere.

## Principum fauor neceſſarius.

Vbi quis inuitis principibus conatur extricare ſeſe è malo quopiam, aut lite, à qua non poſſit explicari, niſi illorum adiutus fauore, conueniet illud Homeri, in Aiacem Oileum dictum:

Φῆ ῥ᾽ ἀέκητι θεῶν φυγέειν μέγα λαῖτμα θαλάσσης. Id eſt,
Iactabat ſeſe ſpatioſi ex æquoris altis
Emerſurum vndis, inuito numine diuûm.

### OMINANDI.

## Bene ſit.

Καλῶς ἔστω. Ominis vox, quum quis rem quampiã nouã & arduam auſpicaretur. Quod fauſtum felixque ſit.

## Cum muſis.

Μετὰ μουσῶν. Hoc eſt, Muſis bene fortunantibus. De

Ayuntamiento de Madrid

doctis,aut iis quæ doctè dicuntur.

## Adſint Dij beati.

*Zenodotus.* Σὺν δὲ θεοὶ μάκαρες. Id eſt, Felices adſint Superi. Sermo eſt benè ominantis in re quapiam aggrediunda.

## Mercurio dextro.

Heſychius indicat, veteres in iactu quodam ſolere ominis gratia præfari Mercurium. Per iocum vſurpari licebit, vbi quid aggredimur noui.

## In morbo conſumat.

*Seneca.* Poteſt ab amico dici, qui nolit deeſſe amico, quod impendat, ſi morbus inciderit. Poteſt & ab inimico, qui malo viro morbum optet.

## In tuum ipſius caput.

*Demoſth.* Quoties in auctorem mali, malum retorquetur aut incidit, Græci dicunt εἰς τὴν αὐτοῦ κεφαλήν.

# OMNIA.

## Ioca ſeriáque.

*Cicero.* Quoties omnia noſtra cum aliquo communicamus, cum eo ioca ſeriáque conferre dicimus.

## Nec animans nec inanime.

Prouerbiali figura dictũ eſt apud Platonẽ lib. De Leg. 8. Πάντων τῶν τε ἐμψύχων καὶ τῶν ἀψύχων. Id eſt, Omnium & animantium & inanimorum, quum nihil omnino ſignificamus excipiendum.

## Pueri ſeneſque.

Vide, Multi.

## Anguſtum & latum.

Ariſtophanes: Dexteritate ego mea exilẽ & amplum valeo populum reddere. Macereſcunt enim pueri malè paſti, rurſus benè paſti fiunt obeſi. Appoſitè torquebitur in eos: qui adoleſcentes rectè docẽt, aut ſecus: quiue populo dextrè concionantur, aut ſecus.

## Dulce & amarum.

Plautus in Pſeudolo, dixit Dulce & amarum, pro lætis ac triſtibus.

## Omnium quos Sol videt.

Sunt & illæ figuræ prouerbiales, Omnium quos terra ſu-

Ayuntamiento de Madrid

ſtinet, aut quos Sol vidit peſſimus, optimúſue.

ORIGINIS.

## E tardigradis aſinis equus prodiit.

Ἐκ βραδυσκελῶν ὄνων ἵππος ὤρουσεν. Id eſt, E tardigradis aſinis equus emerſit. Quum clarus euadit quiſpiam obſcuro genere natus, aut quoties ab indocto præceptore proficiſcitur diſcipulus eruditus. En tibi ex aſinis equum, id eſt, Ex infimis parentibus arrogantem & ferocem.

## Ex quercubus ac ſaxis nati.

E quercu, è ſaxis prognatus, quod quadrabit vel in hominem obſcuro genere, vel in eum qui ſit agreſti & effero ingenio, moribúſque immanibus. Inde illud: Et duro robore natos. Homerus in Odyſſ. τ.

Οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐσσι παλαιφάτου οὐδ᾽ ἀπὸ πέτρης.
Nam neque fatidica quercu ſatus es, neque ſaxo.

## Nunquam ex malo patre bonus filius.

Φεῦ φεῦ παλαιὸς αἶνος ὡς καλῶς ἔχει,
Οὐκ ἂν γένοιτο χρηστὸς ἐκ κακοῦ πατρός.
Heus, heus, vt illi dictitant rectè, probum
Patre ad improbo non poſſe naſci filium.

## E ſquilla non naſcitur roſa. *Theognis.*

Οὔτε γὰρ ἐκ σκίλλης ῥόδα φύεται. Id eſt, Non etenim ex ſquillis roſa naſcitur. Admonet adagium, è probis parentibus naſci liberos probos, ex improbis improbos. Horatius: Neque imbellem feroces Progenerant aquilæ columbam.

## Ex minimis initiis maxima. *Homerus.*

Maximæ ſimultates non nunquam ex leuiſſimis iniuriolis naſcuntur, non ſecus atque ex minutiſſima ſcintillula grauiſſimum incendium.

## Exiguum malum, ingens bonum. *Diogenian.*

Μικρὸν κακὸν μέγ᾽ ἀγαθόν. Id eſt, Puſillum malum, ingens bonum. Admonet adagium, ex paululo incommodi laboréq; exiguo, ſumma maximáque commoda colligi. Si quid feceris honeſtum cum labore, labor abit, honeſtum manet. Si quid feceris turpe cum voluptate, voluptas abit, turpitudo manet.

## Bonæ leges ex malis moribus procreantur. *Macrob.*

Ayuntamiento de Madrid

Nam ſicuti medicorum pharmacis nihil opus foret, niſi morbis laboraretur, ita legibus ferundis nihil opus eſſet, niſi perperam viueretur.

## Initium belli.

Α'ρχὴ πολέμου Id eſt, Origo belli. Vbi quis prior laceſſit iniuria ſeu conuitio. Vnde ἀπόλεμος lædere dicitur, qui nulla laceſſitus iniuria, ſimultatem exercet.

## Hinc belli initium.

Quum alicunde natam ſimultatem ac tumultum rerum exortum innuimus. Lucianus in Pſeudomante: Καὶ κατὰ τ̀ Θουκυδίδην, ἄρχεται ὁ πόλεμος ἐνθένδε, ἤδη, id eſt, Et iuxta Thucydidem, jam hinc belli initium.

## Piſcis primùm à capite fœtet.

Ι'χθὺς ἐκ τῆς κεφαλῆς ὄζειν ἄρχεται. Piſcis à capite primùm incipit putere. Dictum in malos Principes, quorum contagione reliquum vulgus inficitur.

## Ab impiis egreſſa eſt iniquitas.

1. Reg. 24. Significat ab improbis, ſemper mali quippiam exoriri; à bonis nihil malorum proficiſci.

Γνώμης γὰρ ἐσθλῆς ἔργα χρηστὰ γίγνεται.

Probis ab animis facta promanant proba.

## Mali corui malum ouum.

*Gellius.* Κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν. Id eſt, Mali corui malum ouum. Aptè vſurpabitur, quoties à malo præceptore diſcipulus malus proficiſcitur, ex improbo patre filius improbus, ex patria illaudata vir illaudatus, denique facinus ſceleratum ab homine ſceleſto.

## Auctor omnium & fons.

*Homerus.* Veluti ſi quis dicat ſuperbiam omnium malorum parentem, fidem omnium virtutum fontem, Homerum omnis poëſeos patrem.

## Ex tua officina.

Ex noſtra officina depromi dicuntur, quæ à nobis inuenta, noſtróque ingenio profecta ſunt. Hoc quo longiùs traducetur ad res animi, hoc fuerit lepidius, vt, Hoc conſilij quis non intelligat è tua prodiſſe officina. Totum hoc negotii tuæ fuit officinæ.

## Generoſioris arboris ſtatim planta cũ fructu eſt.

Ayuntamiento de Madrid

Egregia benéque nata ingenia ſtatim matureſcere, & ad frugem peruenire indicat. *Fabius.*

## Magnorum fluuiorum nauigabiles fontes.

Significat præpotentium quantulacunque plus pollere, quàm vniuerſas tenuium opes. *Idem.*

## Hinc illæ lacrymæ.

Dicetur de rei cauſſa aliquandiu diſſimulata, quæ verè tandem deprehendatur: *Terentius.*

# PARASITI.

## Muſcæ.

*Μῦιαι.* Olim dicebantur, qui delectabantur aliena menſa, quos Plautus muribus comparat, ſemper alienum edentibus cibum. Apud Athenæum lib. 6. paraſitus quiſpiam ſe muſcæ confert.

*Δειπνεῖν ἄκλητος μυῖα.* Id eſt, Quòd inuocatus cenitare amo, muſca ſum. Aduolat enim hoc inſectum ad cibum alienum.

## Myconiorum more.

*Μυκονίων δίκην.* Myconiorum more dicebantur ad conuiuium accedere, qui vltrò venirent, non vocati. Myconius vna Cycladum eſt: ipſa gens ob rerum inopiam cogebatur ſeſe conuiuiis ingerere.

## Quadra propria.

Nihil æquè ſapit, vt cibus proprius domi ſumtus. Catullus: De meo ligurire libido eſt, id eſt, guſtare cum voluptate. At Dij Homerici malunt inuitari ad nidores hoſtiarum, quàm viuere *οἰκόσιτοι.*

## Muris in morem.

Plautus in Capti. duo Quaſi mures ſemper edimus alienum cibum. In paraſitos dictum, quibus iucundum eſt aliena viuere quadra. Non conueniunt, nec in vna ſede morantur, libertas & cibus alienus, quod eleganter indicat apologus Æſopicus de more ſilueſtri & domeſtico. Quin & Græcis prouerbiali verbo *μυαστολεῖν* dicuntur, qui muris in morem cibi cauſſa obambulant oberrántque. Indicat hoc Heſychius.

## Αὐτολήκυθοι.

Dicebantur, qui non ex animo, ſed vétris cauſſa colerent *Athenæus.*

Ayuntamiento de Madrid

amicos,inde cõficta voce,quòd ſponte ad lecythum commearent, & inuocati præſto eſſent in conuiuiis. Eoſdem τραπεζέας,quoque vocatos fuiſſe teſtatur Plutarchus, & ab Eupolide τοὺς περὶ τήγανον, καὶ μετ᾽ ἄριστον φίλους, Id eſt, Circum ſartaginem & poſt prandium amicos dictos fuiſſe.

Ἀλλοτριοφάγοι.

Vocantur quibus dulce eſt aliena viuere quadra.

Κατὰ χειρῶν ὕδωρ.

Apud Athenæum refertur: Orta diſceptatione quænam aquarum eſſet optima, quum alij præferrent Lernæam, alij Pirenæam,alij aliam,Carneus iuxta Philoxenij ſententiam dixit: Τὸ κατὰ χειρῶν ὕδωρ· ἥδιστον, ſuauiſſimam aquam, quæ manibus infunditur, quòd ea declaret cœnam eſſe paratam.

## Feruet olla,viuit amicitia.

Ζεῖ χύτρα, ζῇ φιλία. In eos dicitur,quos patina,non beneuolentia conciliat.

## Pavpertas.

## Nec obolum habet,vnde reſtim emat.

In eos qui maxima rei familiaris inopia laborant. Lucianus in Timone:

Χθὲς μὲν οὐδὲ ὀβολὸν, ὥστε πρίασθαι βρόχον ἐσχηκότας.

Id eſt,Qui pridie ne obolum quidem habebant, quo laqueum emerent.Pauperrimus ſit oportet,qui tenuitatis tædio ſeſe laqueo præfocare velit.

## Nudior leberide.

Γυμνότερος λεβηρίδος.De vehementer tenuibus. Leberis enim ſerpẽtis exuuium ſignificat, quo nihil poteſt eſſe inanius.

## Iro, Codro pauperior.

Ouidius:Irus erit ſubitò qui modò Crœſus erat. De Codro,Iuuenal.Tota domus Codri rheda componitur vna.

## Nudior paxillo.

Γυμνότερος πατάλου.De extremæ paupertatis homine dicebatur hæc hyperbole. Nam paxillis corticem quoque detrahimus.

## Telenico pauperior.

Τελενίκου

Ayuntamiento de Madrid

Τελωνικὸν πένητες. Nam is notæ paupertatis fuit.

## Nudus tanquam ex matre.

Γυμνὸς ὡς ἐκ μητρὸς. Id eſt, Nudus ex matre. De vehementer paupere.

## Ne in pelle quidem. *Suidas.*

Οὐδ' ἐν δέρματι. De ſupra modum tenuibus, velut vſque adeò nudis, vt ne pelle quidem propria tegantur.

## Araneas eiicere.

Heſiodus: Ἐκ δ' ἀγγέων ἐλάσῃας ἀράχνια. Id eſt, Vaſis eiicias quas nectit aranea telas. Sic enim ſignificant inanitatem & inopiam. Lucianus: Carie & araneis differta.

## Cùm exoſſis ſuum rodit pedem.

Ὅτ' ἀνόστεος ὃν πόδα τένδει. Conſimili figura ſignificauit egeſtatem in eodem opere. Exoſſem vocat polypum, quòd oſſibus careat. Is creditus eſt non nullis ſua brachia rodere, quum deeſt cibus: eſt enim edaciſſimus.

## Macilenta manu pinguem pedem.

Manus enim gracileſcunt fame, pedes intumeſcunt frigore. Heſiodus:

Ne te deprendant inopem mala tempora brumæ.
Atque pedem premere incipiat, manus arida pinguem.

Venuſtius erit, ſi longiùs transferatur, ad viaticum parandum ſenectuti, aut ſimilia.

## Pedem vbi ponat, non habet.

In hominem inſignitè tenuem atque inopem.

## Cinclus. *Cicero.*

Κίγκλοι. Id eſt, Cincli. Ruſticano prouerbio dicebantur præter modum pauperes. Cinclus enim auis quædam eſt imbecillis atque inualida.

## Piſtillo nudior.

Ὑπέρου γυμνότερος. De vehementer tenui, miſeróque.

## Paupertas ſapientiam ſortita eſt.

Πενία δ' τὴν σοφίαν ἔλαχε. Zenodotus citat ex Euripide: Ignaua eſt opulētia, verùm inopia multarum artium repertrix eſt. Perſius: Magiſter artis ingeniíque largitor venter. Hominem experiri multa paupertas iubet.

## Pauper, ſed ingenioſus.



Ayuntamiento de Madrid

In hominem tenui cultu,ſed egregio tamẽ corpore,quadrabit illud Homeri ex Odyſſ.σ.

Οἵην ἐκ ῥακέων ὁ γέρων ἐπιγουνίδα φαίνει.

Quos profert ſenior pannis è vilibus armos.

Lucianus torquet ad ſenem ingenio facundiáque præcellentem.

## Multa docet fames.

Πολλῶν ὁ λιμὸς γίγνεται διδάσκαλος.Id eſt, Fames magiſtra eſt artium complurium.Ouidius:Ingenium mala ſæpe mouent. Perſius: Ingeniíque largitor Venter negatas artifex ſequi voces.

## Hecale pauperior.

Hecale paupertate nobilis eſt. Ouidius:

Cur nemo eſt Hecalen,nulla eſt quæ cœperit Irum?
Nempe quòd alter egens,altera pauper erat.

## Fames magiſtra.

Πολλῶν ὁ λιμὸς γίγνεται διδάσκαλος. Magiſtra multorum improba exiſtit fames.

## Ad incitas.

*Plautus.* Quos vrgeret extrema neceſſitas, his res dicebatur ad incitas rediiſſe.

## Centro & ſpatio circumſcripta.

Plutarchus:Quòd ſi facultates modicæ fuerint, & centro & ſpatio circumſcriptæ ad vſum. Sentit fortunas tam anguſtas,vt niſi certa dimenſione diſpenſentur, non ſint ad neceſſarios vſus ſuffecturæ.

## Nani.

Quadrabit in tenues & humilis fortunæ homunculos, ac quemadmodum ait Horatius,moduli bipedalis,qui potentes ſumtu conantur æquare.

## Tunicati.

Tenues & humiles in nullo cultu inſignes,tunicati dicũtur.Horatius:Vilia vendentem tunicato ſcruta popello.

## Canalicolæ.

Homines exili re tenuíque fortuna, dicti olim Canalicolæ,quòd circa canales fori conſiſterent.

## Ne tempeſtas quidem nocere poſſit.

*Cicero.* In homines inſigniter nudos & inopes. Qui enim poſſi-

dent aliquid rerum, aut habēt in agris, aut in mari, his tempeſtas nocere poteſt. Cui verò nulla tempeſtas nocere poteſt, is nec in agris poſſidet quidquam, vt agricolæ: nec in nauibus, vt negotiatores.

## Non habet cui indormiat.

Dicimus & hodie: Non habet lectum, aut non habet ſtramenta, quibus indormiat.

## Omnia præter animam.

Quum nihil non datum ſignificamus præter vitam, dicimus omnia tradita præter animam. Simili figura, Animam debere dicuntur, qui pluſquàm omnia debent.

## Zonam perdidit.

Prouerbium caſtrenſe in ἀχρημάτυς, id eſt, eos qui nihil habent nummorum. Porphyrion tractum dicit à militum conſuetudine, qui quidquid habent, in zona ſecum portant. *Acron in Horatium.*

## Animam debet.

Τὴν ψυχὴν ὀφείλει. De eo qui immodico ære alieno teneatur, vt plus quàm omnes facultates debeat, ac denique ſeipſum debeat. Terent. Quid ſi animam debet? Luat in corpore, id eſt, opera, qui non habet in ære. Lex erat antiquitus vt qui ſoluendo non eſſet, is nexus adduceretur creditori, luiturus corpore, id eſt opera quod ære non poſſet.

## Saguntina fames.

Eſt Saguntum Hiſpaniarum oppidum iuxta flumen Hiberū, ſocietate fœderéque coniunctū cū Romanis. Id longa Pœnorum obſidione faméque eò redactum eſt, vt ciues extructo in foco igni, quidquid erat pretioſarum rerum, in eum conijcerēt, ac poſtremo ſéque ſuóſque liberos eòdem præcipitarent, ne venirent in hoſtium manus. *Ariſtoph.*

## Fames Meliæa.

Λιμὸς μηλιαῖος. De fame extrema, déque rebus difficillimis. Eſt enim Melus oppidū Theſſaliæ, quod Nicias Athenienſium Dux obſedit expugnauítque non tam machinis bellicis, quàm fame. Meminit hiſtoriæ Thucydides.

## Famis campus.

Λίμυ πεδίον. In ciuitates dicitur ingenti fame preſſas. Eſt autem locus quiſpiam hoc nomine.



Ayuntamiento de Madrid

Λιμοδωριεῖς.

Heſychius addit ex auctoritate Didymi, eos qui iuxta Oetam accolebant ſic vocatos, quòd ob terræ ſterilitatem frequenter cum fame rem habebant. Quadrabit igitur in eos qui fame adacti aliquò demigrant.

## Aquam bibens nihil boni parias.

*Demetrius.* Ὕδωρ δὲ πίνων, χρηστὸν, οὐδὲν ἂν τέκοις. Id eſt, Aquam bibens, probum & vtile paries nihil. Languet poëtarum ingenium ni vino concaleſcat. Horat.

Nulla placere diu, neque viuere carmina poſſunt,
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus. Iuuenalis:
Satur eſt quum dicit Horatius, Ohe. Horatius:
Fecundi calices, quem non fecere diſertum? Item:
Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus. Et,
Ennius ipſe pater nunquam niſi potus ad arma
Proſiliit dicenda.

Ariſtoteles pſittacũ loquaciorẽ fieri putat, ſi vinũ biberit.

## Non eſt Dithyrambus, ſi bibat aquam.

Οὐκ ἔστι Διθύραμβος, ἂν ὕδωρ πίνῃ. Id eſt, Haud Dithyrambus eſt, aquam ſi potitet. Non adeſt hilaritas, quum deeſt vinum. Excitat enim vini calor inueniendi vim, quæ torpet nonnunquam in ieiunis, mouet phantaſias, addit impetus, ſubminiſtrat fiduciam. Dithyrambi canebãtur in honorem Bacchi.

## Quærendæ facultates, deinde virtus.

*Diogenian.* Δίζεσθαι βιοτὴν, ἀρετὴν δ᾽ ὅταν ᾖ βίος. Quærendus victus, virtus autem, vbi victus adfuerit. Horatius.

O ciues, ciues, quærenda pecunia primùm eſt.
Virtus poſt nummos.

## Pauſone mendicior.

Παύσωνος πτωχότερος. Pauſon pictor quiſpiam fuit inſigni tenuitate, quemadmodum apud Iuuenalem Codrus.

## Sterilior Agrippo.

*Zenodotus.* Ἀκαρπότερος Ἀγρίππου. Id eſt, Sterilior Agrippo. Laconum adagium eſt, de his qui ſunt extremæ paupertatis, neque quicquam facultatum poſſidẽt. Quadrat & in ignauos, nulliúſque induſtriæ homines.

## Trium dierum commeatum.

Ayuntamiento de Madrid

Trium dierum commeatus, cùm inſtare paupertas extrema ſignificatur. Tranſlatio ducta à militum commeatu. *Ariſtoph.*

## Qui eget, in turba verſetur.

Etiam hodiernis temporibus vulgò iactatur fabula, de cæco mendico, qui iubebat miniſtro, vt eò ſe duceret, vbi maxima eſſet hominum procella, addens ſententiam populari ioco celebrem, Ibi quæſtum eſſe, vbi ſit hominum frequentia. *Homerus.*

## Mendico ne parentes quidem amici ſunt.

Πτωχῷ φίλοι οὐδ' οἱ γονῆες. Diuitiæ conciliant amicos. Paupertas nec illos habet amicos, quos natura coniunxit.

## Omnem facultatem indutus eſt.

Ἅπασαν τὴν οὐσίαν ἠμφίασται. Id eſt, Vniuerſam ſubſtantiam indutus eſt. De paupere, qui præter veſtitum nihil præterea rerum poſſidet. Hodie vulgato ioco dicunt: Cùm ſubſilio, facultates omnes meæ commouentur. Notum illud Biantis Philoſophi dictum: Omnia mea mecum porto. Plautus:

Hoc quod induta ſum, ſummæ opes.

## Theagenis pecuniæ.

Θεαγένους χρήματα, τὰ τ' Αἰσχίνου. Id eſt, Theagenis pecuniæ, quemadmodum Æſchinis. Iocus prouerbialis in eos, qui pauperes quum eſſent, tamen diuites haberi volebant. Hoc morbo notatus eſt vterque, & Theagenes & Æſchines. Vnde cognomen his additum σέλλοις, à Sello quopiam ineptè ambitioſo. Finitimum ei: Phaniæ ianua. *Ariſtoph.*

## Cleomenes cubile ſuperat.

Ὁ Κλεομένης τῆς κοίτης ὑπερέχει. De eo, qui magis abundaret rebus ſuperuacaneis, quàm neceſſariis. Ductum apparet à quopiam, corpore quàm pro lectuli modo maiore.

## Certiſſima paupertas.

Columella: Nam vetus prouerbium eſt, paupertatem certiſſimam eſſe, quum alicuius indigeas, vti eo nõ poſſe, quia ignoretur vbi proiectum iaceat, quod deſideratur.

## Oſtiatim.

Eleganter, nec ſine prouerbij ſpecie, Cicero dixit, oſtiatim, pro ſingulatim, ſiue nominatim. Iucundius erit ſi trãsferatur ad res animi, vt ſi quis é ſingulis libris ac capitibus



Ayuntamiento de Madrid

auctorum petat teſtimonia aut probationes, dicitur oſtiatim repetere.

## PENSATIO BENEFICII, VEL OFFICII.

### Manus manum fricat.

*Plato.* Monet autem neminem fermè mortalium inueniri, qui velit in quempiam beneficium collocare, à quo non ſperet aliquid emolumenti viciſſim ad ſe rediturum, ſed officium inuitari officio. Idem adagium effertur & hoc pacto, χεὶρ χεῖρα νίπτει, id eſt, Manus manum lauat.

### Botrus oppoſitus botro, matureſcit.

*Suidas.* Βότρυς πρὸς βότρυν πεπαίνεται. Id eſt, Botrus iuxta botrum matureſcit. Quando dicemus talem quenque euadere, cum qualibus habet conſuetudinem. Habet autem hoc aſſiduitas, vt vicinis vitia faciat communia. Tranſlatum ab vuis, quæ mutuo oppoſitæ maturitatem inter ſe viciſſim & dant & accipiunt.

### Da mihi mutuum teſtimonium.

*Cicero.* Δάνεισόν μοι μαρτυρίαν. Hoc eſt, Da mihi tuum teſtimonium, recepturus itidem meum. In eos rectè iaciẽdum, qui ſe mutua talione laudant.

### Senes mutuum fricant.

Celebratur & Scipionis Aemiliani apophthegma, Iumenta quòd manibus careãt, alieno egere frictu. Quo ſignificatum eſt eos, qui res egregias gerere non poſſunt, egere præcone, quo famam ſibi comparent.

### Pro Delo Calauriam.

Ἀντὶ Δήλου τὴν Καλαυρείαν. Eſt in fabulis, Neptunum cum Latona permutationem feciſſe, vt illa Calauriam inſulam Neptuno concederet, poſſideret Delum, próque dato Tænaro reciperet Pythonem. Eſt autem Calauria exigua inſula, haud procul à Creta. Ea res in prouerbium abiit, quoties officium officio penſatur.

### Fricantem refrica.

*Diogenian.* Τὸν ξύοντα ἀντιξύειν. Id eſt, Scalpentem viciſsim ſcalpe. Par eſt, de merente bene, bene mereri, & officium officio penſare.

### Ferrum ferro acuitur.

*Prouerb. 7.*

Ayuntamiento de Madrid

Ferrum ferro acuitur, & homo exacuit faciē amici ſui.

## Eodem cubito.

*Lucianus.*

Αὐτῷ πήχει. Hoc eſt, Eadem regula, eadem menſura. At non inutile fuerit admonere, pleraſque metaphoras à menſuris ductas eſſe prouerbiales, vt Penſiculare rem, Penſitare pactum, Rependere beneficium, Remetiri gratiam, Librare negotium, Expendere cauſſam, Remunerare beneficium, Æquilibrium officii, Retaliare conuitium, atque id genus alia.

## Eadem menſura.

*Matth. 7.*

Chriſtus in Euangelio vtitur, quum ait futurum, vt qua menſura fuerimus aliis emenſi, eadem nobis alii remetiantur.

## Par pari referre.

Ἴσον ἴσῳ ἐπιφέρειν. Terent. in Eunucho parœmiam vſurpat, ſuperiori non admodum diſſimilem: Par pari referto. Qua monemur, vt tales ſimus in alios, quales in nos illos experimur. Idem in prologo Phorm. Quod ab ipſo allatum eſt, ſibi id eſſe relatum putet.

## Paria facere.

Paria facere, idem eſt quod penſare ex æquo.

## Hoſtimentum eſt opera pro pecunia.

Hoc adagium admonet nihil gratuitum eſſe debere, ſed officium beneficio penſandum. Hoſtimentum autem, auctore Feſto Pompeio, beneficii penſatio eſt, à priſco verbo hoſtire & redoſtire, quod eſt paria referre. Ab eodem hoſtem dici putat Nonius, quòd ex æqua cauſſa pugnam ſuſcipiat. Sic lena apud Plautum in Aſinaria adoleſcenti reſpondet ſua exprobranti beneficia: Hoſtimentum eſt opera pro pecunia, hoc eſt, neuter habet quod imputet alteri. Tu mulierem amabas, miſſa eſt: Ego pecuniam, dediſti.

## Pro bonis glomi.

*Suidas.*

Ἀντ' ἀγαθῶν ἀγαθίδες. Id eſt, Pro bonis glomi. Dici conſueuit vbi quis beneficium quod in alium contuliſſet, cumulatè cúmque fœnore reciperet. Agathides enim Græcis glomi dicuntur, verùm alluſionis decus in voce Græca eſt, quod in ſermone Latino reddi non poteſt.



Ayuntamiento de Madrid

## Vt ſementem feceris, ita & metes.

*Cicero.* Reportabis præmium tuis factis dignum. Perquam feſtiuum eſt, quod de Diogene refert Laërtius: Super cenam quidam illi obiiciebāt oſſa, velut cani, quòd Cynicus eſſet, eam contumeliam ſic ille penſauit: Acceſſit propiùs, & iuxta illos ſtans mingebat, viciſſim illis canem agens. Sed propiùs huc pertinet, quòd idem refert in Zenone, qui ſeruum in furto deprehenſum cædebat: Seruus interim clamabat, in fatis fuiſſe vt furaretur. At Zenon, illud etiam, vt cæderceris. Seruus quoniam audierat herum diſputantem de neceſſitate fatorum, eam prætexuit ſuo commiſſo. Sed ſcitè retorſit philoſophus.

## Benefactis penſare delicta.

*Idem.* Ἄλλοις ἐν ἐσθλοῖς τὸν δ' ἀπωθοῦνται ψόγον. Aliis bene actis hocce depellunt probrum.

# PERFICIENDI, SIVE ABSOLVENDI.

## Nodum ſoluere.

*Cicero.* Κάθαμμα λύειν. Dicebatur, qui negotium alioqui impeditum facilè conficeret.

## Tenedia bipennis.

Τενέδιος πέλεκυς. Id eſt, Tenedia ſecuris. Conueniet aut in eos, qui nimium ſeuerè iudicant ac puniunt, aut qui celeriter expediunt controuerſias & litium ambiguitates. Inde tranſlatum, quòd olim rex Tenedi ſecurim geſtans lites audire conſueuit: cauſſaque iudicata, protinus eum, qui feciſſet iniuriam, ſecuri percutere. Aut quòd Tenedius quidam rex legem tulit in adulteros, vt vtriuſque corpus ſecuri concideretur, eiuſque legis exemplum etiam in filium edidit.

## Colophonem addidit.

*Diogen.* Τὸν κολοφῶνα ἐπέθηκεν. Dici conſueuit, quum ſumma manus rei cupiam imponitur, aut quum accedit id, ſine quo negotium confici non poteſt. Strabo ſcribit Colophonios, olim cum naualibus copiis abundaſſe, tum equeſtribus vſque adeò præcelluiſſe, vt vbicunque gentium bellum gereretur, quod confici non poſſet, Colophoniorum equitum auxilio profligaretur.

Ayuntamiento de Madrid

## Colophonium faſtigium.

Plato.

Κολοφωνία ψῆφος. Quum Colophonii duodecim ciuitatibus imperarent, quarum vna Smyrna, in publicis conciliis ſi quando Smyrnenſium æquales fuiſſent calculi, para ea vincebat, cui ſubſcripſiſſent Colophonii illi, quorum opera vicerant in prælio. Itaque prouerbium quadrabit, quum ſignificabimus iudicium aut ſuffragium alicuius plurimum in re quapiam valere.

## Summum faſtigium imponere.

Pro eo, quod eſt, Rem omnibus ſuis partibus abſoluere, exempla reperies apud Ciceronem. Tranſlatum ab ædificatoribus, qui perfecto demum ædificio, faſtigium aliquod ſolent imponere.

## Circulum abſoluere.

Τὸν κύκλον ἀποτελεῖν. Eſt rem omnibus numeris, omnibuſque partibus perfectam reddere.

## Summam manum addere.

Seneca.

Mirum ni metaphora ab artificibus tranſlata, qui primum rude quoddam operis ſimulacrum effingunt, atque hanc primam appellant manum, deinde formant expreſſius, poſtremo ſumma cura expoliunt, atque hanc ſupremam ſeu ſummam manum vocant. Eadem figura dicimus, Nihil deeſſe præter extrêmam manum.

## Supremum fabulæ actum addere.

Pro eo quod eſt, Extremum finem imponere. M. Tullius ad Quintum fratrem: Illud te ad extremum & oro & hortor, vt tanquam poëtæ boni & actores induſtrii ſolent, ſic tu in extrema parte & in concluſione muneris ac negotii tui diligentiſſimus ſis.

## Ad vmbilicum ducere.

Horatius.

Pro eo, quod eſt, Librum finire atque abſoluere. Sunt enim vmbilici, ornamenta quædam oſſea, aut lignea, cornéaue, vmbilici noſtri formam imitantia, quæ voluminibus iam abſolutis addebantur, atque hinc prouerbialẽ figuram eſſe natam: Ad vmbilicum peruenit, id eſt, ad finem.

## Ad coronidem vſque.

Μέχει τȣ̃ κορωνίδος. Id eſt, Vſque ad coronidem. Quum extremum finem rei cuiuſpiam ſignificamus. A nauibus

tranſlatum, quibus aliquid roſtri ſpeciem gerens ſolet addi. Iucundius erit, quoties transfertur ad animum, veluti ſi quis ſtudiorum coronidem dicat, aut moneat, vt egregiis cœptis auream addat coronidem. Aut vitæ laudabiliter actæ iubeat auream imponi coronidem, hoc eſt, mortem piam.

## Seruatori tertium.

Τὸν τρίτον τῷ σωτῆρι. Id eſt, Tertium ſeruatori. Pindari interpres oſtendit antiquitus fuiſſe morem, vt in conuiuiis primus calix miſceretur Ioui Olympio, ſecundus heroibus, tertius Ioui ſeruatori. Addit autem hunc calicem σωτῆρος appellatum, quòd hucuſque potatio citra ebrietatem animíque noxam conſiſteret. Iuxta illud apud Apuleium Aſclepiadis dictum, exiſtimantis primum craterem pertinere ad ſitim, ſecundum ad voluptatem, tertium ad ebrietatem, quartum ad inſaniam.

## Domum quum facis, ne relinquas impolitam.

*Heſiodus.*

Senſus eſt: Vnicuique negotio, quod ſemel inſtituerimus, finem idoneum imponendum, vt nihil omnino deſideretur. Veluti ſi quis adhortetur aliquem ne litterarium ſtudium deſerat, ſed laudabiliter inſtitutis ſummam manum imponat, ne vulgo ludibrio ſit.

## Omnia octo.

*Iul. Pol.*

Ἄπαντα ὀκτώ. Cùm nihil deeſſe ſignificamus, aut cùm multa inter ſe ſimilia videntur parœmiam hinc natam exiſtimant. Steſichorus poëta in oppido Catana ſplendidè ſepultus fertur, monumento diligenti quadam ratione ex omnibus octonis conſtructo, octo columnis, octo gradibus, angulis octo. Delectatum apparet hoc prouerbio Heliogabalum imperatorem, cui morem hunc fuiſſe ſcribit Lampridius, vt ſemel ad cænam vocaret octo caluos, octo luſcos, octo podagroſos, octo ſurdos, octo nigros, octo prælongos, & octo præpingues & obeſos.

## Si meus ille ſtylus fuiſſet.

*Cicero.*

Pro eo quod eſt, Si hoc negotii meo arbitio, meóque artificio commiſſum fuiſſet. Tranſlata metaphora à fabularum auctoribus, quorum ſtylo & calamo fabula tota

Ayuntamiento de Madrid

conficitur. Porrò ſtylus eſt cuſpis illa graphiaria, qua ſcribimus in tabulis ceratis.

## Ad Herculis columnas.

Ἡράκλειαι στῆλαι. Sic enim vulgo dici ſolet τὰ πέρα Γαδείρων οὐ περατά, id eſt, Quæ vltra Gades, inacceſſa. Quo ſignificant vltra columnas Herculis non eſſe quò progrediare. Columnas has Hercules ibi fixiſſe dicitur, qui boues veſtigaret Geryonis, tanquam illic eſſet ſuprema orbis meta. *Strabo.*

## Ad Phaſim vſque nauigauit.

Εἰς Φᾶσιν, ἔνθα ναυσὶν ἔσχατος δρόμος. Id eſt, Ad Phaſim, vbi ſupremus curſus nauibus. Phaſis Euxini ſinus eſt extrema nauigationis meta. Aut vſque ad Britannos, quos auctores extra mundi terminos ponunt.

## Toto deuorato boue, in cauda defecit.

Πάντα ἐκτραγὼν τὸν βοῦν, εἰς τὴν οὐρὰν ἀπέκαμεν. Hoc eſt, Reliquo negotio peracto, in extremo fine delaſſatus eſt.

## Bellicum canere. Receptui canere.

Bellicum canere, pro eo quod eſt, animare atque exhortari. Receptui canere, pro finire. Signa canant, apud Martialem, id eſt, iam congrediamur. Et apud Plautum, Collatis ſignis depugnare, apud eundem Verſis gladiis depugnare. Quin hoc ipſum Collatis ſignis, haud dubiè prouerbii ſpeciem habet, quum ſignificamus ſeriam & exactam de re diſceptationem. Iuuenal.

Hæc tuba rixæ. Id eſt, hoc belli initium.

## Hic telam texuit, ille deduxit.

Hoc eſt, Alter orſus eſt, alter perfecit. *Iul. Pol.*

## Filum neuiſti, & acu opus eſt.

Ῥάμμα ἐπέκλωσας, προσδεῖ καὶ ῥαφίδος. Id eſt, Filum ductum eſt, opus eſt & acu. Quum ſignificamus non ſatis eſſe cœpiſſe, niſi pari induſtria perficias. Didiciſti artem, ſupereſt exercitatio. Didiciſti Grammaticam, reſtat dialectica. Didiciſti ſacras litteras, reſtat bona vita. *Hermipp.*

## Summum ſuere centonem.

Ad hanc formam pertinet, quod apud Nonium ait *Plutarchus.*

Ayuntamiento de Madrid

Lucillius: Sarcinatoris eſſe, ſummum ſuere cẽtonem optimè.

## Lunæ radijs, non matureſcit botrus.

Conueniet in eos, qui conantur quod ob defectum virium non queunt perficere.

## Nihil poteſt nec addi, nec adimi.

De perfectis operibus ita vulgò dici ſolitum:

## Quadratus homo.

*Ariſtotel.* Qui caret omni vitio, & quæ ſunt virtutis, contemplabitur: ac fortunæ caſus optimè feret, ac prorſus omni ex parte modulatè, is verè bonus eſt & quadrangulus.

## Rudem accipere. Rude donare.

*Horatius.* Rudem accipere, pro dimitti à munere, Rude donare, pro dimittere. Inde ducta metaphora, quòd antiquitus gladiatores, quibus permiſſum erat à gladiatorio munere ceſſare, rude donati dicebantur. Proinde quicũque à munere quouis in otium reſtituuntur, vel ob ætatem vel ob imbecillitatem, rudem accepiſſe dicentur.

## Finem vitæ ſpecta.

Solon Crœſo reſpondit, nemini competere nomen beati, niſi qui feliciter vitæ curſum peregiſſet. Quod referens Iuue. Quẽ vox, inquit, facunda Solonis Reſpicere extremæ iuſſit ſpatia vltima vitæ. Ouidius in Transformationibus ſic extulit:

Sed ſcilicet vltima ſemper
Expectanda dies homini eſt, diciq́ue beatus
Ante obitum nemo ſupremáque funera debet

Quin hodieque paſſim omnibus eſt in ore. Ab exitu rem ſpectandam eſſe.

## Haud perficiet.

Qui dicit negotium haud quaquam perfectum iri, verbis Homericis id dicat licebit,

Τελέει δ' ὁδὸν ὔποτε ταύτην. Id eſt,

Verùm hancce viam haud perfecerit vnquam.

## Capere prouinciam. Tradere prouinciam.

Tradere prouinciam, figura prouerbiali dicunt, qui negotium aliquod curandum committit. Capiunt, ſuſcipiunt

Ayuntamiento de Madrid

que prouinciam, qui rei curandæ onus in ſe recipiunt. Metaphora ſumta à conſuetudine Romanorum, apud quos qui magiſtratum gerebant, prouincias alias alij ſortiebantur. Terentius: O Geta, prouinciam ſuſcepiſti duram. Plaut. Abi directus in tuam prouinciam.

## Curſu lampada trado.

*Lucretius.*

Curſu lampada tradere, eſt partes tuas quaſi ſucceſſione in alium atque alium transferre. Eôdem pertinet illud Perſianũ: Qui prior es, cur me in decurſu lampada poſcis? Terẽt. Tradunt operas mutuas, & aliis alij viciſſim ſuppetias ferunt.

## Sarta tecta.

Pro conſummatis, probéque curatis, & in quibus nihil ſit omiſſum, ex ſolennibus verbis iureconſultorum abiit in prouerbium. Plaut. in Trin. Ne tibi ægritudinem pater parerem, parſi ſedulò: Sarta tua præcepta vſque habui mea modeſtia.

PERFIDIA.

*Plautus.*

## Verbis conceptis peierare.

Olim iuraturo ſolennibus verbis præibatur, quò iuſiurandum eſſet firmius. Interdum iurans tenebat aram, quò maior eſſet iuriſiurandi religio. Itaque ſanctiſſimum iuſiurandum ſignificantes dicebant, nec ſi aram tenens iuraueris, credam tibi.

## Θράττειν.

Θράττειν ſignificat decipere, & Thraciis dolis tractare. Sunt enim Θρᾶτται ancillæ Thraciæ.

## Superauit dolum Troianum.

Plautus in Pſeud. Superauit dolum Troianum, atque vicit Pſeudolus. Sentit autem de equo Troiano è trabibus contexto. Quemadmodum autem Græci per ſubornatũ Sinonem impoſuere Troianis, ita Pſeudolus per Harpagem impoſuit Lenoni.

## Græca fide.

Ἑλληνικῇ πίστει. Pro certa fide per ironiam. Auſonius: Mutuatur ad Græcam fidem. Euripides: Πιστὸν Ἑλλὰς οἶδεν οὐδέν, id eſt, Græca nequaquam nouit fidem.

## Punica fides.

Ayuntamiento de Madrid

Pœnorum perfidia in prouerbium abiit, quòd ea gens peculiariter periurii, vanitatisque notata ſit.

## Altera ſcabit, altera ferit.

Gregorius theologus: Ὥσπερ εἴτις ἑνὸς ἀνδρὸς τῇ μὲν τῇ χειρὶ καταψήχοι τὴν κεφαλὴν, τῇ δὲ παίοι τὴν παρειάν. Id eſt, Perinde quaſi quis eiuſdem viri altera manu ſcabat caput, altera malam feriat.

*Æſopus.*

## Ex eodem ore calidum & frigidum efflare.

Ἐκ τοῦ αὐτοῦ στόματος τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν ἐξάγειν. Bilingues & qui eundem modò laudāt, modo vituperant, ex eodem ore calidum ac frigidum ſpirare dicuntur. Huic confine eſt illud Iacobi Apoſtoli: Ex eodem ore emanat dulce & amarum.

## Magadari.

Μαγαδίζειν μαγαδεύειν, dicebantur olim, qui bilingues eſſent, eodem ore laudantes ac vituperantes, pudicè & obſcœnè loquentes, ductum à magadide, quod organum eſſe δίφωνον conſtat, ſimul emittens geminam vocē grauē & acutam, harmonia, quæ dicitur δὶς διὰ πασῶν.

*Plutarchus.*

## Altera manu fert aquam, altera ignem.

Τῇ μὲν ὕδωρ φορεῖ, τῇ δ᾽ ἑτέρῃ τὸ πῦρ, In eum torqueas licebit, qui quum coràm ſit blandus occultè noceat. Aut in bilinguem, & nunc laudantem, nunc vituperantem. Loquitur Plutarchus de muliere diuerſis & contrariis inſtructa.

*Plautus.*

## Altera manu fert lapidem, altera panem oſtentat.

Qui coram blandiuntur, clam obtrectantes, palam amicos agunt, clanculum nocent. Aut qui hic proſunt, illic lædunt, falſam beneficij ſpem oſtentant, vt nacti occaſionem, funditus perdant, ij dicuntur altera manu portare lapidem, altera panem oſtentare. Tranſlatum ab iis, qui canes oſtentato pane pelliciunt, deinde accedentibus ſaxum illidunt.

### PERPLEXVS.

*Diogen.*

## Ventus neque manere ſinit neque nauigare.

Ἄνεμος οὔτε μένειν ἐᾷ οὔτε πλεῖν, Vſus erit, vbi quis in

Ayuntamiento de Madrid

eas rerum anguſtias inciderit, vt nec relinquere negotium ſit integrum , nec abſoluendi ſit facultas. Metaphora ſumta à ventis. *Terentius.*

## Auribus lupum teneo.

Donatus Græcam parœmiam Græcis adſcribit verbis: Τῶν ὤτων ἔχω τὸν λύκον οὔτ' ἔχειν, οὔτ' ἀφεῖναι δύναμαι. Id eſt, Auribus lupum teneo : neque retinere, neque amittere poſſum. Aiunt lupum nõ poſſe teneri auribus. Dicuntur in eos, qui eiuſmodi negotio inuoluuntur, quod neque relinquere ſit integrum nec tolerari poſſit.

## Hæret in vado.

Ambroſius in Lucam: In abruptum, inquit, diſputationis venimus, hæremus in vado. Metaphora à nauigio ducta, quod vado illiſum fruſtra circumagitur. Tullius: Venit ad extremum, hæret in ſalebra. Sunt autem ſalebræ, fluminũ aut viarum obſtacula, à ſaltu dictæ.

## Gangamon.

Iulius Pollux lib. 10. citat Æſchylum, qui negotium inuolutum & explicatu difficile γαγγάμετα dixerit, quemadmodum dicimus naſſam. Docet item genus eſſe retis inuolutis flexibus ſinuoſum ac perplexum, quod à Græcis dicatur γαγγάμον, à γῶ quod eſt capio.

## In aqua hæret: vel, Aqua mihi hæret.

Qui fluctuat, neque in ſolido conſiſtit. Tranſlatum ab oratorum clepſydra, vt eum in aqua hærere dicamus, qui ſe diſtillata iam aqua, tamen è cauſſa non poteſt expedire. *Cicero.*

## Nunc meæ in arctum coguntur copiæ.

Terentius. In anguſtum oppidò nunc meæ coguntur copiæ. Metaphora ſumta ab exercitu, qui obſidetur ab hoſtibus, vt difficile ſit effugere.

## In puteo conſtrictus.

Ἐν φρέατι συνεχόμενος. Quadrabit in eos, qui in anguſtias eas redacti ſunt, vt extricare ſeſe nullo modo poſſint. Idẽ: In puteos cum cane pugnare, & Cantherium in foſſa. *Plato.*

## Perplexus.

Qui in maximis verſatur periculis, nec vllum affulget ſubſidium, vſurpabit illum Homeri ex Odyſſ. ξ. *Homerus*

Οὐδέ τις ἄλλη.

Ayuntamiento de Madrid

Φαίνετο γαιάων, ἀλλ' οὐρανὸς ἠδὲ θάλασσα. Id eſt,

Nec vlla apparuit vltrà
Tellus, ſed nobis cælum vndique, & vndique pontus.

## Perplexus, animique conſternati.

In eum, qui perículoſo negotio conſternatur animo, nec rationem inuenit, qua explicet ſeſe, quadrabit illud ex Homeri Iliad. θ.

Νέστορα δ' ἐκ χειρῶν φύγον ἡνία σιγαλόεντα. Id eſt,
Fugere è manibus mirandæ Neſtori habenæ.

## Ne Execeſtides quidem viam inuenerit.

Οὐδ' Ἐξηκεστίδης ἂν εὕροι τὴν εὐθεῖαν ὁδόν. Id eſt, Ne Execeſtides quidem rectam viam inuenerit. De negotio perplexo atque inexplicabili. Execeſtides quidã vulgò malè audiit, quòd immodicus eſſet in peregrinationibus, vt omnes vias quàm maximè cognitas haberet.

## Labyrinthus.

Λαβύρινθος. Labyrinthum olim vocabant orationem, aut rem quampiam vehementer impeditam & inextricabilẽ. Veluti ſi quis philoſophiæ ſtudium, Labyrinthum vocet. Sumtum à Labyrintho Dædali. Huic non diſſimilis erat mæander. Id erat picturæ genus ortum ab exemplo Labyrinthorum. Prudentius in carmine: Cultor Dei, O tortuoſe ſerpens, Qui mille per Mæandros.

Plautus.

## De gradu deiicere.

Pro eo quod eſt, animo conſternari, ac velut à ſtatu mentis dimoueri. In gradum reponere, quaſi in priſtinum locum reſtituere. Ad eandem formam pertinent, mouere loco, deturbare gradu, reſtituere in locum.

## De poſſeſſione deiicere.

Ex ſermone Iuriſconſultorum in vulgi ſermonem abiit pro eo quod eſt, famam cuipiam eripere, quam iam omnium conſenſu obtinuerit, aut adimere quippiam, quod ſuo quaſi iure tenere videatur. Nam ius ſemper fauet poſſidenti.

Plautus.

## Peribis, ſi non feceris.

Vbi quis in eum redactus eſt locum, vt nec aggredi rem poſſit citra magnum incommodum, neque tutò omittere. Si faxo, vapulabo.

Nec

Ayuntamiento de Madrid

## Nec currimus, nec remigamus.

Aptè torquebitur in illos, qui fruſtra conantes nihil proficiunt, videlicet aduerſante fortuna.

## Nec caput, nec pedes. *Cicero.*

Negotium ita perturbatum, vt neſcias quo pacto vel expedias vel amittas, veteres dicebant, Nec caput habere, nec pedes.

### PERSPICACITAS.

## Lynceo perſpicatior. *Plato.*

Sunt, qui tradunt Lynceum primum reperiſſe fodinas metallorum, æris, argenti, & auri. Et hinc vulgò natam fabulam, quòd ea quoque videret, quæ ſub terra forent. Ariſtophanes in Pluto: Βλέπειν τ' ἀποδείξω σ' ὀξύτερον τοῦ Λυγκέως. Id eſt, Faxo vt videas, vel Lynceo ipſo acutius. Cicero: Quis eſt tam Lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat, nuſquam incurrat?

## Serpentis oculus.

Ὄφεος ὄμμα. De his dici conſueuit, qui acribus & intentis intuerentur oculis. Ab animante ſumta metaphora. Horat.

Cur in amicorum vitiis tam cernis acutùm
Quàm aut aquila, aut ſerpens Epidaurius?

## Ἐν πλάτει.

Ἐν πλάτει dictum, accipiendum interpretantur Græci, quum paullulum vltra præſcriptum ſignificāt eſſe concedendum, præſertim in his quæ ſunt humanitatis. Veluti ſi quis pollicitus ſolutionem ad diem Auguſti decimū reddat poſtridie, Iulianus Pandectarum lib. 46. Titul. de ſolutio. & lib. cap. Ratum autem dominus habere debet, mox quum primum certior factus eſt, ſed hoc ἐν πλάτει & cum quodam ſpatio temporis accipi debet.

## Odorari.

Tranſlationes quæ ducuntur à corporis ſenſibus, omnes ferè prouerbiales ſunt. Velut, odorari pro reſciſcere. Olfacere, pro deprehendere. Subolere, pro ſuſpectum eſſe. Obolere, pro moleſtum eſſe, aut eſſe in ſuſpicione. Hinc pertinent & illa, Olet mendatium, Redolet Atticiſmum, Olet lucernam. Cicero ad Atticum: Hominem deguſtes.



Ayuntamiento de Madrid

Idem ad eundem:Et Latinus ille tuus Atticiſmus ex interuallo reguſtandus.Et palato ſatisfacere dicitur,quod animo placet. Deuorare tædium.Abſorbere moleſtiam. Affinia ſunt illa : Sapiunt arrogantiam . Reſipiunt iuuenile quiddam.Concoquere item,pro vincere moleſtiam. Nauſeare,cum tædio audire.Euomere, dicere quod dolor non ſinebat reticere . Et expuere miſeriam ex animo.Conſputare , pro laceſſere maledictis.Deſpuere,pro contemnere. Stomachari , pro indignari. Oculis ferre, pro vehementer amare , curæque habere . In oculis eſſe. Obuerſari oculis, id eſt,recordari,& in memoria , cogitationéque eſſe. Reſpicere, curam agere, & rationem habere. Proſpicere , in poſterum conſulere.Deſpicere , faſtidire,mirari.Conniuere,pro data opera diſſimulare.Cæcutire, hallucinari , pro falli iudicio.

*Plutarchus.*

PERSPICVITAS.

## Vel cæco appareat.

De re vehementer perſpicua.Euſebius aduerſus Hieroclē?
Ἀλλὰ γὰρ καὶ τυφλῷ,φασὶ,δῆλον.
Quin etiam vel cæco perſpicuum aiunt eſſe

*Plato.*

## Et puero perſpicuum eſt.

Καὶ παιδὶ δῆλον.De re ſupra modum perſpicua, confeſſaq́;

## Notum lippis ac tonſoribus.

Quæ iam in ora vulgi abierunt, omnibus tonſoribus ac lippis nota dicuntur , propterea quòd olim in tonſtrinarum conſeſſibus omnes rumores narrari conſueuerunt. Horatius:opinor Omnibus & lippis notum & tonſoribus eſſe.Nam lippi in tonſorum officinis deſident, expetentes remedium oculorum.

## Tanquam in ſpeculo . Tanquam in tabula.

Καθάπερ ἐν κατόπτρῳ καὶ ὥσπερ ἐν γραφῇ. De re vehementer euidente,perſpicuaque.Terent. Denique inſpicere tanquam in ſpeculum vitas omnium iubeo.

## Rudius ac planius.

Suidas admonet ſubeſſe prouerbium , quod hunc ad modum feratur, σαφέστερόν μοι καὶ ἀμαθέστερον φράσον, id eſt, Apertius mihi loquere,atque indoctius.Sumtum à quibuſdam ænigmatum inuolucris.

Ayuntamiento de Madrid

## Electro lucidior.

Η'λέκτρυ διαφεγγέστερος. Id eſt, Electro pellucentior. De re magnopere dilucida. *Lucretius.*

## Veluti è ſpeculo.

Ω'ς ἀπὸ σκοπιᾶς. Dum quis rem velut oculis ſubiectam, totam vndique contemplatur. *Plutarchus.*

## Archimedes non poſſet meliùs deſcribere.

*Cicero.*

Archimedes Syracuſanus geometra fuit celeberrimus, nuſquam non intentus figuris geometricis, adeò vt pingens ſit interfectus. Ex quo prouerbij ſpecie dixit Cic. pro Aul. Cluentio: Non Archimedes potuit melius deſcribere. Solent enim Geometræ mathematicas figuras in puluere depingere.

## Mens videt, mens audit.

Νῦς ὁρᾷ, καὶ νῦς ἀκύει. Id eſt, Mens videt, mens audit. Locus erit adagio, vbi iubemus quempiam attentum eſſe, quemadmodum dicimus: hîc eſto & iſtic ſum.

## Candidus ſermo.

Λευκὸς λόγος. Græcis dicitur oratio dilucida, perſpicuáque, à colore, qui inter cæteros plurimum habet lucis. Vnde λευκότερον εἰπεῖν dicuntur, qui clariùs efferunt quod ſentiunt, hoc eſt, σαφέστερον. Et λευκὴ φωνὴ, vox dicitur quæ facilè penetrat aures auditorum.

### PERTINACIA.

## Oſtrei in morem hæret.

Ω'σπερ λεπὰς προσέχεται. Id eſt, Oſtrei ſiue conchylij in morem adhæret. Ariſtophanes dixit in anum quæ ægrè à iuuene diuellebatur.

Ω'ς εὐτόνως ὦ Ζεῦ βασιλεῦ τὸ γραΐδιον
Ω'σπερ λεπὰς τῷ μειρακίῳ προσέχεται. Id eſt,
O Iupiter, quàm fortiter conchæ modo,
Iſthæc anicula adhæret adoleſcentulo.

Eſt concharum genus quod capillamentis quibuſdam inter ſe cohæret, quo tutius ſit aduerſus vndarum motus.

## Alios tragœdos prouocat.

*Lycurgus ſophiſta.*

Τὺς ἑτέρυς τραγῳδοὺς ἀγωνίζεται. Id eſt, Aduerſus reliquos tragœdos ſeſe parat. Didymus oſtendit dici ſolitum in



Ayuntamiento de Madrid

eos qui ſeſe componunt inſtruúntque aduerſus partem aduerſam. Tranſlatum videtur à certaminibus Baccho ſacris, in quibus tragœdorum feruebat concertatio. Huc referas licet paulò inferiùs adductum: Auriculam mordicus.

Cicero.

## Mordicus tenere.

Eſt ſumma pertinacia tueri, quòd Græci vocant ὀδάξ. In eundem ſenſum dixit Seneca: Vtraque manu.

Idem.

## Toto corpore. Omnibus vnguiculis.

A' feris ſumta metaphora, quæ dentibus, vnguibus, totòque corpore retinere ſolent, quod nolint extorqueri.

## Gladiatorio animo.

Terent. in Phorm. Hem gladiatorio animo ad me affectant viam. Quo ſignificatur ita tendi ad nocendum alteri, vt id cum proprio etiam periculo tentetur, animo pertinaci, paratóque vel perdere vel perire.

## Niſi crura fracta fuerint.

Marcus Tullius docet prouerbio fuiſſe iactatum in C. Plancum eum perire non poſſe, niſi crura ei fracta fuiſſent. Is incenderat curiam, ob quod facinus quum eſſet eiectus in exilium, tamen pòſt armatus auſus eſt redire in Vrbem.

Perſius.

PHILAVTIA.

## Non videmus manticæ, quod in tergo eſt.

Id eſt, Non videmus noſtra ipſorum vitia, quum aliena curioſis oculis perſpiciamus. Finxit Æſopus ſingulos mortales binas habere manticas, hoc eſt, peras. Alteram, ante pectus: alteram, à ſcapulis, tergóque propendentem. Sed in priorem, inquit, aliena vitia immittimus, in poſteriorem noſtra,

## Quod volumus ſanctum eſt.

D. Auguſtinus lib. Contra Creſconium Grammaticum IIII. Non iam, vt vetus prouerbium fertur, quod volumus ſanctum eſt, ſed etiam quando volumus, & quandiu volumus. Genus hoc hominum hodie regnat in mundo, qui pietatem non exigunt ad Chriſti regulam, ſed ad ſuos affectus. & quidquid vehementer amant, hoc videri volunt etiam ſanctum.

Ayuntamiento de Madrid

## Papæ mixus.

Βαβαὶ Μύξος. In glorioſos & iactabundos dici conſueuit. Nam βαβαὶ ſtuporis & admirationis ſignificationem habet. Myxus autem ſacerdos quiſpiam fuit Dianæ, glorioſus & magniloquus.

## Amicos tragœdos æmulatur. *Didymus.*

Τοὺς ἑταίρους τραγῳδοὺς ἀγωνίζεται. Sumtum ab hiſtrionibus tragœdiarum, qui quum ſint leuiſſimi nebulones, tamen vbi Deum aut Regem agunt in fabula, tum cultu, voce, geſtúque maieſtatem quandam imitantur. Dici ſolitum de his qui ſeſe accommodarent, & morum ſeueritatem ſumerent ad æmulationem aliorum.

## Tragicè loqui. *Plutarchus.*

Τραγικώτερον λαλεῖν. Eſt verbis vti magnificentioribus. Eſt enim tragicorum character ſublimis, amatque tragœdia ampullas & ſeſquipedalia verba.

## Turpis iactantia.

Non eſt generoſi animi iactare ſeſe de iis, quæ fortiter aut feliciter fecit. Super hoc ita Menelaus apud Homerũ Iliad. ρ.

Οὐ μὲν καλὸν ὑπέρβιον εὐχετάασθαι. Id eſt,
Haud ſanè pulchrum ſeſe iactare ſuperbè.

## Ne magna loquaris. *Diogen.*

Μὴ μεγάλα λέγε. Admonet temperandum eſſe à magniloquentia. Horatius:

Proiicit ampullas & ſeſquipedalia verba. Idem:
Et ſpirat tragicum ſatis & feliciter audet.

## Argenti fontes.

Ἀργύρου κρῆναι λαλοῦσι. Id eſt, Argenti fontes loquuntur. In eos qui ſtolidè quidem atque indoctè, ſed arrogãter tamen & confidẽter loquerentur, opibus videlicet ſuis freti. Mimus:

Fortuna quem nimium fouet, ſtultũ facit. Antiphanes:
Opes enim, ſicut medicus malus,
Vbi cœperint, reddunt videntes illico cæcos. Quadrabit in eos quoque, quorum oratio propter opum fiduciã plus ſatis libera atque audax videbitur. Nam quemadmodum paupertas timiditatem adfert, itidem opulentia παρ-



Ayuntamiento de Madrid

ῥησίαν, id eſt loquendi confidentiam adducere ſolet.

## Fœnum habet in cornu.

In homines feroces ac maledicos dicitur, Fœnum habet in conu. Horat. in Sermon. Fœnum habet in cornu, longè fuge. Inde tranſlatũ, vt Acroni placet, quòd antiquitus bubus cornupetis fœnum pro ſigno in cornu appenderetur, quo ſibi cauerent, qui fortè occurriſſent.

Diogen.

## Colophonia ferocia.

Κολοφώνια ὕβρις. In inſolentes, qui ferociter decipiunt & affligunt humilioris fortunæ homines. Aut in eos, quibus ſua ferocitas exitium attulit. Sumtum ab arrogantia, ſuperbiáque eius gentis.

## Oleum in auriculam ferre.

Eſt apud Martialem. Poëta taxare videtur hominem rigida, ſupináque aure:

Narratur quiddam bellè dixiſſe Marulle,

Qui referre oleum dixit in auricula. Neque negauerim poſſe referri ad aſſentatores, qui velut oleum in aurẽ inſtillant, dum iucunda loquuntur magis, quàm ſalutaria.

## Oleum vendere.

Huc pertinebit illud Euangelicum, de venditoribus olei.

## Fortuna reddit inſolentes.

In eum, qui poſteà quàm fortuna ſecundior affulſit, animos item effert & paulo confidentius gerit ſeſe, quadrabit illud Homeri:

Lætatus ventis pandebat vela ſecundis.

## Ab Eteobutadis ducit genus.

Ἐξ Ἐτεοβουταδῶν ἕλκει τὸ γένος. Dici ſolitum de iis, qui maioribus illuſtribus & antiqua nobilitate ſunt oriundi, videlicet à Buto quopiam qui ſacerdotes inſtituit Athenis. Et ab huius poſteris poſtea ſummi magiſtratus creabantur. Venuſtius erit, ſi per ironiam ſumatur in hominem obſcurum, aut nobilitatis & imaginis oſtentatorem.

## Ne intra veſtibulum quidem.

Οὐδ᾽ ἐντὸς ἰώγης. In tumidos, feroces & inſolentes dici ſolitum, qui procul omnes à ſe ſubmouent.

## Aut minus animi, aut plus potentiæ.

Ἢ φρονεῖν ἔλαττον, ἢ δύνασθαι δεῖ μεῖζον. Id eſt, Oportet aut

Ayuntamiento de Madrid

minus animoſum eſſe,aut plus poſſe. Conuenit in feroces, quorum arrogantiæ non ſuppetant vires. Aut qui non timent irritare,quem vincere non poſſint. Plutarchus : Aut adde viribus,aut detrahe animo.

## Mendax atraphaxis.

Ψευδῶν πλέα ἀτράφαξις. Id eſt, Referta mendaciis atraphaxis. De tumidis ac ventoſis. Atraphaxis holeris genus, quòd celeriter in altum ſurgit. Latinis Atriplex dicitur, betarum generi affinis. *Ariſtoph.*

## Suum cuique pulcrum.

Vide, Alia aliis placent.

## Suo quiſque ſtudio gaudet.

*Homerus.*

Qui dicet aliis ſtudiis alios teneri,& vnumquémque ſuo victitare quæſtu, proferet illud Homeri:

Οὐ γὰρ φαιήκεσσι μέλει βιὸς ἠδὲ φαρέτρη,
Ἀλλ' ἱστοὶ καὶ ἐρετμὰ νεῶν, καὶ νῆες ἐῖσαι. Id eſt,
Nam Phæacibus haud cordi iacula atque pharetra,
Sed remi,tabuliſque ratis compactilis æquis.
Horatius: Tractent fabrilia fabri.

## Feſtucam ex oculo alterius deiicere.

*Matth. 7.*

Matthæus : Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, trahem verò quæ in oculo tuo eſt, nõ intelligis? Horat.

Qui ne tuberibus propriis offendat amicum
Poſtulat, ignoſcat verrucis illius æquum eſt.

Tubera, maiora vitia dixit: verrucas minora, quæ alibi næuos appellauit. Hinc & illud: Verrucis offendi qui tubera habet.

## Suus cuique crepitus bene olet.

Nemo eſt cui ſua mala, non videantur vel optima.

## Ipſis placet.

Αὐτοῖς ἀρέσκει. Vbi rem parum nobis probari, aut cauſſam nihil ad nos pertinere ſignificamus. Terent. Mihi non fit veriſimile. Atqui ipſis commẽtum placet. Suis quiſque cõſiliis, ſuæque ſententiæ blanditur. Homerus : ἥνδανε θυμῷ, id eſt, Placuit animo. Item: Sic lubitum eſt animo meo. Virgilius: Diis aliter viſum. *Plato.*

## Pedere thus.

Βδεῖν λιβανωτόν. Accommodabitur in hos, quorum &



Ayuntamiento de Madrid

vita placent, aut ipſis, aut aliis impendiò amantibus. Ariſtophanes: Non enim thus pedo. Quadrabit & in aſſentatores.

## In armis acciſſat.

Ἐπὶ τοῖς ὅπλοις ἀκκίζεται. In eum, qui ſibi placet, ſeſeque quaſi contemplatur in armis ſuis. De Accone muliere, quæ ad ſpeculum ineptè ſibi blandiebatur.

## Philauti.

Φίλαυτοι. Qui ſibi vehementer placent. Vitium autem φιλαυτία dicitur. Quod appoſitè circumloquens Horatius, Cæcus [inquit] amor ſui.

## Quæ quis ipſe facit.

Ariſtotel. Rhetoricorum lib. 2. diſputans de affectibus, refert hoc dictum vulgò iactatum: ἃ γὰρ τις αὐτὸς ποιεῖ, ταῦτα λέγεται τοῖς πέλας μὴ νεμεσᾶν. Id eſt, Nam quæ quis ipſe facit, hæc dicitur vicinis non vertere vitio. Conueniet cum illo Terentiano: Homine imperito nil quidquam eſt iniuſtius, qui nihil niſi quod ipſe facit, rectum putat. Sunt enim qui damnant quidquid ipſi non poſſunt aſſequi.

## Et me mater, &c.

Theocritus Ecloga cui titulus νομεῖς:

Κἤμ' ἔφαθ' ἁ μάτηρ πολυδεύκεος ἦμεν ἀμείνω. Id eſt,
Me quoque Pollucem mea mater vincere dixit.

Cùm quis anteponitur, aut æquatur iis, cum quibus nullo modo conferendus eſt. Matres enim amore cæcutiunt in filios, & formoſiſſimos putãt, qui ſunt deformes: fortiſſimos, qui ignauiſſimi. Pollux pugil optimus fuiſſe creditur.

## Teipſum laudas.

*Plutarchus.* Σαυτὸν ἐπαινεῖς. Vbi quis ſeſe laudat, ſuíque tibicen agit.

## Teipſum inſpice.

Μὴ τὺ μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸ σὸν φῦλος σκόπει. Id eſt, Age, non meũ, verùm & tuum inſpicito genus. Stultum eſt in alterum dicere, quod in te poſſit retorqueri.

## Patriæ fumus igni alieno luculentior.

Lucianus: Καὶ ὁ τῆς πατρίδος αὐτοῦ καπνὸς λαμπρότερος ὀφθήσεται ἢ παρ' ἄλλοις πυρός. Id eſt, Patriæ fumus luculentior homini videtur, quàm ignis alibi. Homerus Odyſſeæ λ.

Ἱέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι,

Ayuntamiento de Madrid

Ἠ'ς γαίασι Id eſt,

Exoptans oculis ſurgentem cernere fumum
Natalis terræ.

## Multi te oderint,ſi teipſum laudas.

Πολλοί σε τοι μισῦσιν ἂν σαυτὸν φιλῇς. Id eſt,Multi oderint, ſi temetipſe diligas. Multis enim diſpliceat oportet, qui nimium ſibi placet.Nulli minus ſunt appoſiti ad mutuum amorem ac beneuolentiam, quàm qui ſeſe vehementer amant.

## Sine riuali diligere.

Qui ſtultè mirantur, quod nemo alius concupiſcat, veluti ſimia catulos ſuos, & miratur, ac amplectitur:& indocti poëtæ ſuas nugas ſoli diligunt.Tullius: O Dij quàm ineptus,quàm ſeſe amans ſine riuali! Horatius in arte poëtica: *Auſonius.*

Nullum vltra verbum,aut operam ſumebat inanem,
Quin ſine riuali,téque & tua ſolus amares.

POTENTES.

## In omnia potentes.

In eos,qui plurimum poſſunt vel nocere, vel prodeſſe, quadrabit illud Heſiodi:

Ἐν τοῖς γὰρ τέλος ἐςὶν ὁμῶς ἀγαθῶν τε κακῶν τε.

Eſt enim in his pariter ſita ſumma boníque malíque.Accommodare licebit vel in hominem, cuius ſumma ſit auctoritas, vel in rem quæ plurimum habeat momenti, velut in Principem,aut vehementer gratioſum, ſiue in pecuniam per iocum,vel in litteras ac virtutes ſerio.

## Nutu atque renutu.

Cui ſummam potentiam aſcribimus, eius nutu ac renutu cuncta geri dicimus, multum eſt verbo efficere quod velis,at plus eſt idem efficere nutu ac renutu.

## Preces armatæ.

M.Tullius πειθανάγκην appellat, ſuaſionem cum neceſſitate viique coniunctam,quales ſunt Principum preces. Ouidius:Precibúſque minas regaliter addit.

PRAELONGI.

## Coloſſi magnitudine.

Κολοσσαῖος τὸ μέγεθος. Id eſt, Coloſſæa magnitudine. In

Ayuntamiento de Madrid

homines prægrandi corporis mole. A ſtatuis ingentibus, quas Coloſſos appellant.

## Caliga Maximini.

*Iul.Pol.* In homines inſulſos,& immodicæ proceritatis. Natum à Maximino imperatore,octo pedes & ſemis longo.

## Clematis Ægyptia.

*Demetrius.* Κλημάτις Αἰγυπτία.In eos,qui corpore præter modum procero,atro colore eſſent,natum haud dubiè ab eius herbæ ſpecie. Dicitur autem quòd hanc maximè gignat Ægyptus,folio lauri,longo tenuique,&c.

## Amens longus.

*Sophocles.* Α῏νους δὲ μακρὸς Amens qui longus.Hoc eſt quod vulgò dictitant,prælongis mentem deeſſe,puſillis nimium adeſſe animorum.

## Nullus malus magnus piſcis.

*Athenæus.* Οὐδεὶς κακὸς μέγας ἰχθύς.In homines prægrandi quidem corpore, cæterùm ingenio nullo. Athenæus hinc ortum ſcripſit:Stratonicus citharædus cùm Porpin vidiſſet Rhodium ingenti corporis mole,verùm arte non perinde magnum, percontantibus quibuſdam quiſnam eſſet, hunc ad modum reſpõdit,οὐδείς,σαπρὸς,μέγας,ἰχθύς: ancipiti dicto ſignificans illum,nullu',i.nullius precij, malum & improbum:magnum corpore:denique piſcem,quia mutus eſſet, & malè canorus.Idem,Nullus magnus putris piſcis.

## Pinguis venter non gignit ſenſum tenuem.

*Hieronym.* Παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον.Id eſt,Subtile pectus vẽter obeſus nõ parit.Admonet adagium, luxu corporis hebeteſcere mentis aciem.

## Puſillus,quantus Molon.

Μικρὸς ἡλίκος Μόλων.Id eſt,Puſillus vt Molon. De vehementer breui ſtatura corporis homuncionibus. Suidas oſtendit duos fuiſſe Molones,nota,ſicuti coniicio,corporis breuitate,quorum alter hiſtrio fuerit,alter fur,honeſti ſcilicet quæſtus vterque.

### PRAETER SPEM BONVM AVT MALVM.

## Coturnix Herculem.

*Zenodotus.* Ὄρτυξ ἔσωσεν Ἡρακλῆν τὸν καρτερόν.Id eſt,Seruauit Her-

Ayuntamiento de Madrid

culem coturnix ſtrenuum. Adagionis originam ad huiuſmodi fabulam referunt: Coturnicem quandam Herculi in deliciis fuiſſe, cuius nidore cùm viua incenderetur, ille mortuus ſit in vitam reſtitutus. Dici ſolitum de his, qui in periculo ſeruati eſſent ab his, à quibus minimè ſperarant.

## Faciunt & ſphaceli immunitatem.

Καὶ σφάκελοι ποιοῦσι ἀτέλειαν. Id eſt, Faciũt & ſphaceli immunitatem. Athenis celebratum prouerbium de his, qui quouis prætextu quod volunt aſſequuntur. Natũ ab euentu. Sphacelus autem morbi genus eſt, quod ex immodica defatigatione ſolet accidere. Quidam putant eſſe tormina articulorum, quidam oſſium tabẽ. Heſychius indicat quẽlibet dolorem grauem ſphacelum dici.

## Omnia ſecunda, ſaltat ſenex.

Iocus prouerbialis, quo conueniet vti, quoties res priùs in periculum adducta præter exſpectationẽ feliciter exierit. Quum aliquando Romæ ludi Circenſes Apollini celebrarentur, & Hannibal nuntiatus eſſet circa portam Collinam ingruere, omnes raptis armis concurrunt. Reuerſi poſteà quum piaculum formidarent, inuenerũt ſaltantem in circo ſenem quendam, qui quum interrogatus, dixiſſet ſe non interrupiſſe ſaltationem, ductum eſt hoc prouerbium: Salua res, ſaltante ſene. Huic finitimum eſt, γλαῦξ ἵπτατο, id eſt, Noctua volauit.

## Homo homini Deus.

Ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον. Quod dici ſolet de eo, qui ſubitam atque inſperatam attulit ſalutem, aut qui magno quopiam beneficio iuuit. Antiquitas enim nihil aliud exiſtimabat eſſe Deum, quàm prodeſſe mortalibus.

## Deus ex improuiſo apparens.

Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς ἐπιφανείς. In eos dicitur, quibus in rebus perplexis præter ſpem exoritur aliquis, qui ſalutẽ adferat, negotiique difficultatem expediat. *Lucianus.*

## Mercuriale.

Ἑρμαῖον Græci vocabant lucrum præter exſpectationem oblatum, à primitiis quas olim in viis ponebant Mercurio, iis viatores veſcebantur. Alij malunt ductum ab aceruis lapidum, quos in itineribus ambiguis Mercurio

Ayuntamiento de Madrid

ſacros ponebant.

## Deorum manus.

Θεῶν χεῖρες. Olim per ironiam, vt opinor, dicebantur efficacia illa pharmaca, quæ plurimis ex rebus, & è longinquo petitis conficiuntur.

## Negotium ex otio.

*Suidas.* Πρᾶγμα τ' ἐξ ἀπραξίας. Ex otio negotium. Vbi res præter opinionem euenit, & inde tumultus oboritur, vnde tranquillitatem & otium ſperabamus.

## Euentus præter exſpectationem.

*Homerus.* Quoties res multo ſecus euenit, quàm vel fuerat inſtituta, vel probabilibus coniecturis euentura videbatur, congruet illud Homeri ex Iliad. ρ.

Ἀλλ' αἰεί τε Διὸς κρείσσων νόος αἰγιόχοιο. Id eſt.
Verùm præpollet magni Iouis vſque voluntas.

## Mopſo Niſa datur.

*Virgilius.* Quum præter omnium ſpem res præclara contigit cuipiam prorſus indigno, vt nihil iam non poſſe ſperari vel à quouis appareat, Mopſo Niſa datur, quid non ſperemus amantes? Nam Mopſum dicens, intelligit infimum abiectiſſimúmque paſtorem, Niſam puellam inſigni forma.

## Glaucus poto melle reſurrexit.

Γλαῦκος πιὼν μέλι ἀνέστη. Id eſt, Glaucus poto melle reuixit. Dici ſolitum, quoties aliquis vulgari rumore dictus mortuus, denuò prodit in publicum, & quaſi rediuiuus apparet iis, quibus perſuaſum fuerat, eum vita defunctum eſſe. Satis conſtat ab euentu natum, nempe Glaucum quempiam præter omnium expectationem, guſtato mellito pharmaco reualuiſſe.

## Inſperabilem vitam agis.

*Pindarus.* Ἀνέλπιστον βίον ζῇς. Id eſt, Inſperatam vitam agis. Sic enim loquuntur Attici, hoc eſt, vitam mirificam, & quam ne ſperare quidem auderet quiſquam.

## Lauares Peliam.

*Plutarchus.* Λούεις τὸν Πελίαν. Id eſt, Laues Peliam. Dictum apparet, vbi quis ſalutem pollicitus, adfert exitium: aut vbi quis prodeſſe conatur, ingens addidit malũ. Ductum à notiſſima Peliæ fabulæ, quem dum filiæ à Medea perſuaſæ ſtu-

Ayuntamiento de Madrid

dent ad iuuentam reuocare, lebeti feruenti impoſitum occiderunt.

## Subitum remedium periculi.

Quum indicabimus rem in extremum diſcrimen adductam, actumque fuiſſe, ni ſubita ſalus protinus affulſiſſet, conueniet illud Homeri ex Iliad. θ.

Εἰ μὴ ἄρ ὀξὺ νόησε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Ni illico ſenſiſſet genitor diuûmque hominûmque.

PROBRVM, GLORIA.

## Glorioſum & apud poſteros.

*Homerus.*

Quum facinus ſignificabimus, cuius famam & poſteritas celebratura videatur, quadrabit illud Homeri ex Ilia. χ.

Ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι.

Imò facinus inſigne peregit,

Ipſa etiam quod poſteritas exaudiat.

## Gloria futuri.

*Plutarchus.*

Τὸ δέ τοι κλέος ἐσσομένοιο. Admonet, famam laudemque rectè factorum contingere potiſſimùm apud poſteros. Ouidius:

Paſcitur in viuis liuor, poſt fata quieſcit.

## Non omninò temerè eſt, quod vulgò dictitant.

*Ariſtot.*

Non planè falſum videtur, quod plurimis eſt in ore, quodque populi conſenſus approbat. Ariſtides dicit, non vſquequaque irritum eſſe ſolere, quidquid rumore populi iactatum fuerit.

## Sutorium atramentum.

Tullius lib. Epiſt. 9. Iam pater eius accuſatus eſt à M. Antonio, ſutorio atramento abſolutus putatur. Sentit (opinor) hominem abſolutum fuiſſe iudicum corruptela, non citra infamiam. Eſt enim huiuſmodi ſutorium atramentum, vt neque magnopere atram imprimat notam, neque nullam tamen illinat maculam. Plinius ſimili figura dixit: Vitelliana cicatrice ſtigmoſum.

## Scarabeo nigrior.

Κανθάρου μελάντερος. In fœdos & vehementer atros ac fuſcos. Nã ſcarabeus animal inſigni, ſed fœdo nigrore eſt.

## Dedecus publicum.

Ayuntamiento de Madrid

*Homerus.* Res omnibus modis infamis ac pernitioſa, non inelegante: indicabitur his verſibus Homeri ex Iliad. γ.

Πατρί τε σῷ μέγα πῆμα, πόληΐ τε παντί τε δήμῳ,
Δυσμενέσιν μὲν χάρμα, κατηφείην δέ σοι αὐτῷ. Id eſt,
Noxa ingens vrbique tuæ, populóque, patríque,
Hoſti gaudia, ſed probrumque dolorque tibiipſi.

## Cythonymi probrum.

*Zenodotus.* Κυθωνύμου αἶσχος. Id eſt, Cythonymi dedecus. In hominem vehementer infamem, fœdíque nominis, cuiuſq; nomen iure ſupprimi debeat, vel ob malefacta, vel ob calamitates. Vnde & Græca vox à celando nomine dicta eſt. Et hodie dictitant vulgò, tegendam ollam, quoties innuũt fœdius eſſe facinus, quàm vt auctoris facienda ſit mentio.

## Cerite cera dignus.

Olim notari dignos, atque improbos & nequam homines, Cerite cera dignos prouerbio vocabant, nimirum cerítem ceram, inſignem ignominiam appellantes. Horatius:

Quid deceat, quid non obliti, Cerite cera
Digni, remigium vitioſum Ithacenſis Vlyſſis.

Acron & Porphyrion huiuſmodi tradunt originem adagij: Romani Ceritibus bello ſubactis, eam dixere conditionem, ne ſuffragij ius haberent, ne leges vllas aut ederent aut haberent.

## Hic bonorum virorum morbus eſt.

Αὕτη γε χρηστῶν ἐστιν ἀνδρῶν ἡ νόσος. Id eſt, At ille ſanè morbus eſt probi viri. Vti licebit, quum id probro datur, quod magis laudi duci oportebat. Aut in triſtia quædam & ſeuera vitia, quæ quum atrociora ſint, tamen minus obnoxia ſunt infamię, quòd his magnates ac probati laborẽt.

## Quem fortuna pinxerat.

*Apoſtolius.* Ὃν ἡ τύχη μέλαινα γράφει, τοῦτον οὐ πᾶς χρόνος δύναται λευκᾶναι. Quem fortuna nigrum ſcripſerit, hunc non vniuerſum æuum candidum reddere poteſt. Hoc eſt, Cui fortuna refragatur, huic quidquid tentauerit, infeliciter cedet. Alluſum eſt ad nigros & albos calculos ſuffragiorum.

*Zenodotus.*

## Cur non ſuſpendis te?

Τί οὐκ ἀπήγξω, ἵνα Θήβησιν ἥρως γένῃ; Id eſt, Quin te ſuſpendis, vt apud Thebanos heros fias? Apud illos ſummus

Ayuntamiento de Madrid

honos habebatur iis, qui ſibi mortem conſciuiſſent, præſertim pro ſalute patriæ. Dici poſſe videtur in eos, qui famæ ducti cupiditate, ſemet periculis grauibus obiiciunt.

## Adhortantis ad gloriam.

Quum hortabimur ad immortalem gloriam egregiis parandam factis, non inconcinnè adhibebimns Homericum illud carmen, quo Tullius aliquot locis vſus eſt.

Ἄλκιμος ἔσσ' ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ.

Strenuus eſto, quò te poſteritas quoque laudet.

## Fractis auribus.

Galenus Contra Thraſybulum: Ὧν ἐστὶ τὰ θαυμαστὰ ταυτὶ συγγράμματα, νῦν ὑπὸ τῶν τὰ ὦτα κατεαγότων περιφερόμενα. Id eſt, Quorum ſunt admirandi iſti libri, qui circumferuntur ab his qui fractas gerunt aures. De pugilibus, ni fallor, ſentit, qui poſtea facti medici ſcribunt libros, aut potiùs de libris imperitorum medicorum, qui leguntur à pugilibus, qui ſolent habere laceras aures more ſuum, oculos ſuggillatos, totam faciem tuberibus notatam, ex arte, quam exercent.

# PROCLIVITAS.

## Currentem incitare.

Τὸν τρέχοντα ὀτρύνειν. Eſt adhortari quempiam ad id, ad quod iam ſuapte ſponte tendit. Homerus: Quid me ſponte mea properantem maxime Atrida Extimulas?

## Benè plauſtrum perculit.

Ruſticorum prouerbium eſt: Benè plauſtrum perculit. In eos, qui quempiam impellunt, quò ſua ſpontè iam propendebat. Tranſlatum à plauſtris onuſtis. Plautus: Qui monet, quaſi adiuuat.

## A vicinis exemplum habent.

Qui faciunt quippiam aliorum exemplo prouocati. Vicinus enim vicino morbum ſuum affricat, & malorum commercio reddimur deteriores. Terentius: Quid iſthuc tam mirum eſt, de te ſi exemplum capit?

## In planiciem equum.

Ἐς πεδίον τὸν ἵππον. Quoties quis ad id prouocatur, in quo plurimum valet, quóque vel maximè gaudet. Equus in campo tanquam in ſua arena. Plato: Equites in planiciem prouocas, Socratem ad diſputandum.

Ayuntamiento de Madrid

## Muſtelæ ſeuum.

Diogen. Γάλῃ ϛέαρ. Id eſt, Muſtelæ pingue, ſubaudiendum das, aut committis. Quum ea dantur, quorum qui accipiunt, natura ſunt appetentiſſimi, gaudet enim hoc animal præcipuè ſeuo, veluti ſi quis laudaret laudis auidiſſimum, aut ad bibendum prouocaret natura biboſum.

## Calcar addere currenti.

Plinius. Ouid. Non opus admiſſo ſubdere calcar equo. Sunt autem fermè prouerbiales in totum illæ metaphoræ, Subdere calcar, Subdere ſtimulos, quemadmodum & illæ: Iniicere frenum, Compeſcere freno, Reuocare freno, &c.

## Vna ſcutica omnes impellit.

Suidas. Μία μάϛιξ πάντας ἐλαύνει. Id eſt, Vna ſcutica incitat omnes. De negotio dictum, quod facilè fieret, videlicet à promtis omnibus, ac ſuapte ſponte currentibus. Vel in hos, quos eadem cauſſa impellit, puta eadem ſpes lucri, ſtudium commune, idem amor aut ſtudium. Sumtum ab aurigis.

## Lydum in planiciem prouocas.

Λυδὸν εἰς πεδίον προκαλεῖς. Id eſt, Lydum in campum prouocas. In eum competit, qui laceſſit iam dudum ad id propenſum & promtum. Notati Lydi, quod ad bellum capeſſendum æquo propenſiores eſſent.

## Sphæra per præcipitium.

Ἡ σφαῖρα κατὰ πρανοῦς. Id eſt, Globus per decliue, ſubaudiendum, voluitur aut mittitur: perinde eſt quaſi dicas, currentem incitare. Nam ſphæra facilè per locum decliuem deuoluitur. Nec malè quadrabit in eos, qui vitæ genus aliquod nacti ſunt, ad quod videntur eſſe natura propenſi.

## Vno digitulo.

Vno digitulo, ſummam negotij facillitatem ſignificabant. Terentius: Qui mihi nunc vno digitulo fores apetis fortunatus: Næ tu iſta faxo calcibus ſæpe inſultabis fruſtrà.

## Suade lupis vt inſaniant.

Theocritus. Vbi quis animum inducit ad rem ſtultiſſimam, quam non aggrederetur niſi inſanus. Nam lupi inſaniunt vel ſua

ſponte

Ayuntamiento de Madrid

ſponte, veluti ſi quis tyrannum inſtiget ad crudelitatem.

## In numerato habere.

Qui in cauſſis agendis eſt ingenio præſentiſſimo, & quidquid aliis præſtaret diutina cogitatio, id illi prima ſtatim animi intentio daret. Sumtum ab his, qui res ſuas ad certiſſimum calculum redegerunt, hoc eſt, ad pecuniam numeratam.

## Titio ad ignem.

Δαλὸς ἐπὶ πῦρ. Vbi quis applicatur ad eas res, ad quas natura propenſus eſt: Vt ſi mulieroſus ad puellarum conuictum, ſanguinis auidus ad militiam. Non admodùm abludit ab illo: In matulam immeiere.

## Maturior moro.

Πεπαίτερος μόρου. Dici poteſt vel in hominem miri ingenio preditum, vel in mollem, vel in vehementer propenſum ad aliquid, velut in virginem nupturientem.

## Olla lenticulam attigit.

Χύτρα δ' φακέας ἥψατο. Id eſt, Sed olla lenticulam attigit. Conueniet in eos, qui vehementer propenſi ſunt ad aliquid, &c. Olla fictilis videtur amare lentem.

## Ignis ad torrem.

Πῦρ ἐπὶ δαλὸν ἐλθόν. Id eſt, Ignis ad torrem veniens. De negotio quod raptim faciléque conficitur, quaſi quum vltro ignis ad torrem tranſuolat, ob materiei ſiccitatem. *Diogenian.*

## Quàm facilè vulpes pyrum comeſt.

Plautus: Tam facilè vinces, quàm vulpes pyrum comeſt. De re factu procliui. Quod nihil negotij ſit vulpi dentatiſſimæ pyrum edere.

## Tam in proclui quàm imber.

Plautus: Tam hoc tibi in procliui quàm imber eſt, quando pluit. Nam procliue propriè dicitur, quod ex alto deorſum propendet. Arduum eſt autem onera ſubmoliri in altum.

## Tanquam de narthecio.

Pro eò quod eſt, Ex parato, & ad manum. Nam narthecium (opinor) vocat pyxidam, vnde pharmacopolæ depromunt medicamenta. *Cicero.*



Ayuntamiento de Madrid

### Mercator nauiga,& expone.

*Strabo.*

Quoties ſignificabimus rei cuiuſpiam eſſe tantam auiditatem, vt nulla copia ſufficiat:præſertim ſi quid mali ſit, quod expetitur.

### Vna pertica.

*Plinius.*

Pro eo quod eſt, eadem opera. Sumtum videtur ab his, qui metiuntur agros.Perticam poſuit pro decempeda.Seruius dixit perticam eſſe lineam, qua diuiduntur agri.

### Tarichus aſſus eſt ſimul atque viderit ignem.

*Athenæus.*

Τάριχος ὀπτὸς εὐθὺς ἂν ἴδῃ τὸ πῦρ.Id eſt,Tarichus aſſus vt ignem viderit. Eſt autem Tarichus piſcis ſalſus. Opinor idem eſſe cum illo, ἀφύα ἐς τὸ πῦρ. Referas huc citatum antè:Ignem gladio ne fodito.

## PROFICIENTIVM IN MELIVS.

*Plautus.*

### Ab aſinis ad boues.

Ex humiliori conditione ad ditiorum partes tranſire.

*Ariſtoph.*

### Diues factus,iam deſiit gaudere lentè.

Ἐπειδὴ πλουτῶν οὐκ ἔθ' ἥδεται φακῇ. Id eſt,Lenticula diuiti placere deſiit. Lens legumen pauperum ac tenuium cibus eſt.Quæ faſtiditur ſimulatque lautior fortuna contigit. Vnde prouerbium in eos, quibus ad vberiorem conditionem euectis, faſtidio ſunt ea, quæ prius inopes boni conſulebant.

### Satis quercus.

Ἄλις δρυός. Id eſt, Sat quercus. Vetus adagium in eos, qui relicto victu ſordido, ad elegantiorem lautioremque digrediuntur. Aut quoties priſtinum aliquod ſtudium aut inſtitutum relinquitur.

### Non enim ſpinæ.

Οὐ γὰρ ἄκανθαι. De conditione dicebatur in melius commutata. Sumta metaphora à noualibus , quæ repurgatis ſpinis, frugiferæ incipiunt eſſe.

*Zenodotus.*

### Effugi malum, inueni bonum.

Ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον. Id eſt, Euaſi mala , nactus ſum meliora. Dici ſolitum , ſi quando fortuna lautior cuipiam contigiſſet.

Ayuntamiento de Madrid

## Iuxta cubitum profecit.

Κατὰ πῆχυν ἐπιδίδου. De eo dicebatur, qui promotus eſſet ad meliora, ſiue cum quis ordine progreditur legitimo. Cubitus enim & modum ſignificat, vt intelligas nihil tranſiliendum.

## Meliores nanciſci aues.

Ἀμεινόνων οἰωνῶν τυχεῖν. Dicuntur, quibus poſt res aduerſas ſuccedunt proſperiora. Nam vt apud Latinos auis & ales interdum non animal, ſed omen ipſum & augurium ſignificat, itidem apud Græcos, οἰωνὸς & ὄρνις, cùm στρουθὸς non eodem accipiatur modo, quemadmodum indicat Euſtathius in 1. Odyſſeæ librum. Horatius: Mala Ducis: aui domum. Laborauit autem hac ſuperſtitione antiquitas, vt in magnis rebus aggrediundis, auium occurſus obſeruaret, neque defuerunt qui eam velut artem profiterentur. Atque hinc apud Romanos augurum collegium.

## Melius nobis eſt quàm heri.

Prouerbialẽ habere figurã videtur illud Ariſtophanis:
Ὦ Βλεψίδημ' ἄμεινον ἢ χθὲς πράττομεν. Id eſt.
O Blepſideme melius atque heri mihi eſt.
Item illud Theocriti: Melius cras forſan habebit. Quum ſignificamus fortunam in melius commutatam.

## Ego ex bono in bonum traductus ſum. Suidas.

Ἐγὼ μὲν ἐκ τοῦ καλοῦ εἰς καλὸν μετήνεγκα. Id eſt, Ego quidem è bono in bonum tranſii. De his qui bonum inſtitutum bono commutant.

## Fuit & Mandroni ficulna nauis.

Ἐγένετο καὶ Μάνδρωνι συκίνη ναῦς. In eos dici ſolitum, qui præter meritum ad felicitatem atque opes euecti, priſtinæ conditionis non meminerunt, ſed præſenti rerum ſucceſſu inſolentius abutuntur. A Mandrone, quodam ſumtum, qui indignus & immerens, ex nauiculario factus eſt imperator. Nauim autem ficulnam per contemtum dixit.

## Hodie nullus, cras maximus. Ariſtoph.

Ὁ νῦν μὲν οὐδείς, αὔριον δ' ὑπέρμεγας. Id eſt, Qui nullus hodie, cras erit vel maximus. De eo, cui repentè ingens



Ayuntamiento de Madrid

aliquis honos acceſſerit.

## I modo venare leporem, nunc Itym tenes.

*Plautus.* Id eſt, Hanc interim cenam qualemcunque certam habes, quære alteram ſi potes potiorem. Itys enim auis, quam à Phaſide Scythiæ flumine phaſianum vocant. Verùm opinor legendum Ictin. Nam id eſt animal de genere muſtelarum, quod in cuniculos immittitur, vt prædam illiciat. Latini Viuerram appellant.

# PROFVSIO.

## Calliæ defluunt pennæ.

Dictum in Calliam apud Græcos, qui per luxum ac libidinem patrimonium abligurierat. Solet autem hoc interdū auibus accidere, vel morbo, vel certis anni tēporibus.

## Opus ad opus.

Ε῎ργον ἐπ᾽ ἔργῳ. Hoc adagio nullum operæ finem ſignificamus.

## Gallorum incuſare ventrem.

Α᾽λεκτρυόνων μέμφεσθαι κοιλίαν. De edacibus, ac luxu multum abſumentibus facultatum. Huic enim animanti venter mirificè calidus, ita vt omnia ſtatim concoquat.

*Macrob.*

## Proteruiam fecit.

Proteruia id ſacrificii genus eſt, in quo ſi quid reliquum eſſet, id igni conſumeretur. Vnde celebratur illud Catonis feſtiuiter dictum in Albidium quendam, qui patrimonium vniuerſum luxu abſumſerat, vnis exceptis ædibus, quæ incendio conflagrarunt. Proteruiam, inquit, fecit, proptereà quòd ea quæ comeſſe non potuerit, quaſi combuſſiſſet.

## Relinque quippiam & Medis.

*Plutarchus.* Λεῖπέ τι καὶ Μήδοις. Id eſt, Reliquum facito aliquid & Medis. Prouerbialis iocus in eos, qui ex conuiuio nihil reliqui faciunt, aut qui facultates vniuerſas abliguriunt. Relinque quippiam & Medis, hoc eſt, comparce tu, quod diſſipent ii, qui tibi malè volunt. Hinc natum quòd Medi & Phocidem ipſam & extremos Bœotiæ terminos incurſarunt, omnia vexantes, miſcentéſque populationibus.

## E dolio hauris.

Ε᾽κ πίθου ἀντλεῖν. E dolio haurire dicebatur olim, qui abundaret rebus optatis. Admonet & Heſiodus, dimidiato

Ayuntamiento de Madrid

dolio parcendum eſſe, quòd ſera ſit infundo parſimonia. Diuitum eſt habere dolia, pauperes vappam bibunt è lagenis.

## Vna cum caniſtro.

Αὐτῷ χανῷ. Quadrabit in eos, qui rem intemperanter profundunt deuorantque & abliguriunt. Mos enim erat antiquis, vt teſtatur Didymus, vt cenæ caniſtris inferrentur. *Zenodotus.*

## Largitio non habet fundum.

Quo dicto ſignificabant, ſtulta liberalitate quantaſlibet opes exhauriri, vel effluere potius. Tranſlatum videtur à pertuſo dolio Danaidum apud inferos. *Cicero.*

## Ipſo horreo.

Quod prolixè & affatim datur, ipſo horreo dari dicitur, quemadmodum ipſo caniſtro, propterea quòd ex horreo plenius depromitur, quàm è chœnice.

## Plena manu.

Pro eo quod eſt, ampliter, copiosè, prolixè, minimèque malignè. Tranſlatum ab iis, qui non parcè, ſed plena manu largiuntur. Fit lepidius, quo magis ad animi res transfertur. *Seneca.*

## Cupidinum crumena porri folio vincta eſt.

Πρασου φύλλῳ τὸ τῶν ἐρώτων δέδεται βαλάντιον. Id eſt, Porri folio amorum vincta eſt crumena. Porri vis eſt calefacere, ciere vrinam, irritare Venerem. Suidas oſtendit dictum de iis, qui per amorem immoderatos faciunt ſumtus, luxuíque indulgent. *Plutarchus.*

## Feſto die ſi quid prodegeris.

Plautus: Feſto die ſi quid prodegeris, profecto egere liceat, niſi peperceris. Admonet autem, ne in ſumtibus ſolennibus ita profuſi ſimus, vt non ſuppetat quo feramus quotidianos. Accommodabitur non perperam in eos, qui iuuenes rem prodigunt, eſurituri ſenes.

## Bello parta.

Ἐκ πολεμίας. Id eſt, Ex hoſtium regione. Vbi quis immodicè inſumeret. Solemus enim celeriùs ac temerè profundere, ſi quid hoſtibus ſit ereptum.

## Glaucus alter.



Ayuntamiento de Madrid

Γλαῦκος ἄλλος ἱππόβρωτος. Id eſt, Glaucus alter ab equis deuoratus. Quadrabit in hominem alendis equis exhaurientem facultates ſuas. A fabula natum.

## Immolare boues.

Βουθυτεῖν. Tanquam prouerbialiter dicebantur, qui amplos magnificóſque ſumtus facerent. Diuitum enim eſt, vel Regum potius, boues immolare. Et βουθυσίαν pro magnifico apparatu vſurpant.

## Caricum ſepulcrum.

Καρικὸς τάφος. Id eſt, Caricum monumentum. De re magnifica ſumtuoſaque. Sumtum à Mauſoli ſepulcro, quod eſt apud Caras.

## Cui multum eſt piperis, etiam holeribus immiſcet.

Ὁ πολὺ ἔχων πέπερι, τίθησι κἀν λαχάνοις. Id eſt, Qui multum habet piperis, etiam holeribus admiſcet. Cui rei cuiuſpiam largior eſt copia, ea profuſius vtatur licebit. De puſillo parcius inſumendum. Vt cui multum ſuppetit facultatum, huic licet opiparè viuere. Martialis:

Vt ſapiant fatuæ fabrorum prandia betæ,
O quàm ſæpe petet vina piperque coquus.

## Non nauigamus ad Hippolaïtas.

*Herodotus.*

Οὐχ Ἱππολάιτας πρὸς ἀστοὺς πλῶμες. Id eſt, Non nauigamus ad eximios Hippolaïtas: vt ſit admonentis parcius vtendum eſſe rebus præſentibus. Neque enim nauigari ad eum locum, vnde rerũ eiuſmodi copia exuberat, vt quod temere prodegeris, facilè poſſis ſarcire.

## Drachmæ grando.

*Zenodotus.*

Δραχμὴ χαλαζῶσα. Id eſt, Drachma grandinans. De lucro, quod tanquam cælitus emiſſum obtigit. Nam olim theatrale præmium erat drachma, quæ veluti grandinis in morem in populum ſpargebatur.

# PROPRII COMMODI STVDIVM.

## Tunica pallio propior eſt.

*Plautus.*

Quo ſignificatum eſt, ex amicis non aliis atque aliis magis eſſe deuinctos, neque parem omnium habendã eſſe rationem. Pallium extrema veſtis eſt apud Græcos, quemad-

Ayuntamiento de Madrid

modum apud Romanos toga. Tunica toga tegebatur.

## Intus canere. Aſpendius citharœdus. *Tullius.*

Qui priuati commodi impendio ſtudioſi eſſent, ac ferè quidquid agerent, id omne ad domeſticam referrent vtilitatem, ii prouerbio, Intus canere, iidem apud Græcos Ἀσπένδιοι κιθαρισταὶ, id eſt, Aſpendij cithariſtæ dicebantur.

## Nequidquam ſapit, qui ſibi non ſapit.

Μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. Sapientem eum odi, qui ſibiipſi non ſapit.

## Ad ſuum quenque quæſtum æquum eſt eſſe callidum. *Plautus.*

Quiſque aduigilat ad id quod expetit.

## Decora teipſum.

Γέραιρε σαυτόν. Id eſt, Honeſta teipſum. Iocus prouerbialis in eum, qui ſe magnificentius gereret. Nam γεραίρειν venerari eſt, & honorem habere.

## Anguillam captare.

Ἐγχέλεις θηρᾶσθαι. Id eſt, Anguillas venari. Dicuntur, qui priuati commodi cauſſa cient tumultus. Inde ducta ſimilitudine, quod quum aqua ſtat inmota, nihil capiunt, qui captant anguillas. Quum vero ſurſum ac deorſum miſcēt, ita demum capiunt. Quadrabit in eos, quibus tranquillo Reipublicæ ſtatu nihil eſt emolumenti: proinde ſeditiones gaudent exoriri, quò ciuitatis publicum malum in ſuum priuatum vertant commodum.

## Vna lauabor. *Suidas.*

Παραλοῦμαι. Dici conſueuit, vt quis inſinuat ſe in ſocietatem alterius, aut vbi quis admittit aliquem in ſocietatem, vti qui pauperior eſt, ſumtum effugiat. Tanquam hoc commoditatis laturi ſint tenues, ſi cum diuitibus balneũ ingrediantur, vt ſpongijs ſuis parcant.

## Manum admouere.

Τὴν χεῖρα ἐπιβάλλειν. Id eſt, Manum apponere. Dicebantur, qui ſeſe inſinuarent in rei cuiuſpiam egregiæ communionem.

## Vndecumque lucrum capiunt.

In aduocatos, in calumniatores, in malos medicos, qui captant vndecunque, ſi quis incidit in caſſes, quem poſſint



Ayuntamiento de Madrid

expilare, congruet illud Homeri ex Odyſſ. δ.

Αἰεὶ γὰρ περὶ νῆσον ἀλώμενοι ἰχθυάασκον
Γναμπτοῖς ἀγκίστροισιν, ἔτειρε δὲ γαστέρα λιμός. Id eſt.
Semper enim quaqua patet inſula piſcibus hamo
Inſidiabantur, ventrem fames enecat atra.

*Ariſtotel.*

## Genu ſura propius.

Γόνυ κνήμης ἔγγιον. Hoc adagium ex euentu quodam eſt natum. Quum in prœlio quidam conſpiceret duos amicos pariter de vita periclitantes, fratrem & conſobrinum, neque poſſet vtrique ſimul ferre ſuppetias, omiſſo conſobrino fratrem defendit, atque hanc interim ſententiam pronunciauit.

## Omnes ſibi melius eſſe malunt, quàm alteri.

Terentius in Andria. Idem in eadem fabula: Heus proximus ſum egomet mihi, Nemo ſeipſo diligit quenquam magis. Adfine: Sibi quiſque amicus eſt.

## Simonidis cantilena.

*Plutarchus.*

Σιμωνίδου μέλη. De vafris ac ſubdolis dictum eſt. Hunc tradunt primum aſtutiam & quæſtum in artem induxiſſe: Erãt illi duo ſcrinia, alterum gratiarum, alterum præmiorum, quæ quum poſt tempus aliquantum aperuiſſet, gratiarum arculam ſemper offendebat inanem, præmiorum ſemper plenam. Hoc commento ſignificans ſe nolle gratis donare carmina.

## Mihi ipſi balneum miniſtrabo.

Ἐμαυτῷ βαλανεύσω. Id eſt, Ipſe mihi balneator ero. Vbi quis ſuis inſeruit commodis, aut vbi quis non expectato alieno officio, ipſe ſuum agit negotium, Ariſtophanis interpres admonet tranſlatum à balneis, in quibus ceſſante balneatore, ipſi qui lauant, aquam hauriunt atque infundunt.

## Sibi canere.

Ἑαυτῷ ψάλλειν. Id eſt, Sibiipſi canere. Dicitur, qui non ad alienum arbitrium facit quippiam, ſed animo obſequens ſuo.

## Aſtutior coccyce.

Μηχανικώτερος κόκκυκος. Id eſt, Coccyce aſtutior. Dice-

Ayuntamiento de Madrid

batur qui aſtu ſibi conſuleret. Sumtum ab auis ingenio, oua ſubiicientis in nidos alienos. De qua abundè Plinius & Ariſtoteles.

## Optat vicino vt habeat, magis autem ollæ.

*Zenodotus.*

Potiſſimum eſt habere domi quibus eſt opus. Proximũ vicinum habere diuitem, à quo poſſis petere.

## Veniat hoſpes, quiſquis profuturus eſt.

Ξένος ἐλθὼ ὅστις ὀνήσει. Id eſt, Veniat qui proderit hoſpes. Admonet adagium, eorum demum aduentum gratum eſſe, qui commodi quippiam adferunt. Ouidius:

Ipſe licet venias, muſis comitatus Homere
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

## Suam quiſque homo rem meminit.

*Plautus.*

Qui in alieno negotio dormitat, in ſuo vigilat.

## Mercator eſt.

Ἐμπορός ἐστὶ σκηπτόμενος. Id eſt, Mercatorem ſe adſimulat. Dicendum in eum, qui ob timiditatem cauſſas commentitias prætexit, ne cogatur ſubire diſcrimen.

*Zenodotus.*

## Ciuitates ludimus.

Πόλεις παίζομεν. Luſus genus eſt quoddam, in quo calculis ludebatur olim, quos antiquitus πόλεις, id eſt, vrbes, vocabant, Neoterici χώρας, hoc eſt, regiones appellare cœperunt. Mihi quadraturum videtur, quoties ſuum quiſque commodum quacunque ſectatur via, & æmulo competitorique modis omnibus tendit inſidias.

### PROXIMIS VTENDVM.

## Viam qui neſcit ad mare.

Plautus in Pœnulo: Viam qui neſcit, qua deueniat ad mare, eum oportet amnem quærere comitem ſibi. Id eſt, qui rem commodè conficere nequit, is quauis ratione cõficiat, neceſſe eſt. Qui rectè viuendi rationem ignorat, eos ſibi proponat, quorum vita laudata eſt.

## Vt poſſumus, quando vt volumus non licet.

*Terentius.*

Ζῶμεν γὰρ οὐχ᾽ ὡς θέλομεν, ἀλλ᾽ ὡς δυνάμεθα. Id eſt, Non vti libet, ſed vti licet, ſic viuimus. Quo monemur tempo-

Ayuntamiento de Madrid

*Terentius.* ri ac neceſſitati ſeruiendum eſſe.

### Quando id fieri non poteſt.

Oportet id quod adeſt, boni conſulere. Et Martialis: Quod ſis, eſſe velis.

### Bona eſt offa poſt panem.

Ἀγαθὴ καὶ μᾶζα μετ' ἄρτον. De iis dici ſolere ait Zenodotus, qui penuria meliorum amplectuntur deteriora. Nam maza quiddam eſt pane cocto deterius, conflatum ex lacte & farina. Quo licebit vti, quum indicabimus rem vſu, non opinione æſtimandam.

*Diogen.*

### Si non adſint carnes, taricho contentos eſſe oportet.

Ἂν μὴ παρῇ κρέα, στερκτέον τῷ ταρίχῳ. Id eſt, Probanda ſalſamenta egenti carnium. Sunt qui dicant τάριχον accipi pro piſce, ſed vili, putrique, qui idem ſit aphya. Fortaſſis hîc pro iure accipiendum tarichus. Senſus hic eſt, vbi non eſt copia meliorum, boni conſulere oportet, quæcunque contingunt.

*Cicero.*

### Aulædus ſit, qui citharœdus eſſe non poſſit.

Rectè dicetur in eos, qui malunt in multo inferiore ordine alicuius haberi momenti, quàm inter excellentes negligi. Quemadmodum Iulius Cæſar maluit in frigido oppidulo primus eſſe, quàm Romæ ſecundus. Nec malè quadrabit in eos, qui deſperatione meliorum ad humilia ſeſe conferunt.

*Suidas.*

### Si bouem non poſſis, aſinum agas.

Εἰ μὴ δύναιο βοῦν, ἔλαυνε ὄνον. Id eſt, Si nequeas bouem, aſinum agito, id eſt, ſi non potes vt vis, vtcunque potes, facito. Si fortuna ſpendidior non contingit, eam ſortem, quæ contingit, boni conſulas. Si quod optas non licet, id quod eſtproximum amplectere.

### Altera nauigatio.

*Plato.*

Δεύτερος πλοῦς. Id eſt, Secundarius curſus, vocabitur, cum vento deſtituti, remis nauem impellerent. Conuenit, vbi quoties quæ potiſſima fuerant, non contingunt, ad proxima confugitur auxilia.

### Præſentem fortunam boni conſule.

Τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν. Id eſt, Quod adeſt boni conſule. Καὶ δ

Ayuntamiento de Madrid

παρεὸν εὖ τίθεσθαι. Id eſt. Quod adeſt æqui bonique facere oportet. Admonet adagium ne nos maceremus alienarũ rerum cupiditate, ſed quæcunque contigit ſors, eam velut optimam amplectamur:

## Præſentem mulge, quid fugientem inſequeris?

*Theocrit.*

Τὴν παρεῦσαν ἄμελγε, τί τὸ φεύγοντα διώκεις: Id eſt, Præſentem mulgeto, quid inſequeris fugientem? Præſens lucrum non omittendum ſpe commodorum.

## Quod adeſt, boni conſule.

Oportet boni conſulere, quidquid à fortuna conceditur.

*Homerus.*

## Quæ dantur.

Τὰ μὲν διδόμενα. Id eſt, Quæ dantur. Admonet adagium, quod à fortuna datur, id boni conſulendum eſſe, & ferendum æquo animo, quod mutari non queat.

*Cicero.*

## Quod datur.

Nonius Marcel. citat hunc verſiculum è Cæcilij Plotio, Patiere quod dant, quando optata non danunt. Danunt, antiquè dictum eſt pro dant conuenit cum præcedente, τὰ μὲν διδόμενα.

## Extrema linea.

Quod in quaque re poſtremum eſt, extremam lineam appellabant. Ita Terentianus Phædria: Poſtremo extrema linea amare nonnihil eſt.

PRVDENTIA.

## A' fronte ſimul & occipitio oculatus.

Quum indicabimus admirabilem rerum omnium cognitionem, aut ſingularem prudentiam, quæ conſtat non præſentium modò ſcientia, ſed & memoria præteriorum, & futurorum perſpicientia, rectè verſum hunc vſurpabimus. Virgilius:

Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

## Alter Ianus.

Ἰάνος ἄλλος. Quadrabit vel in prouidum ac circumſpectum, vel in ancipitem & perfidum. Perſius: O Iane à tergo cui nulla ciconia pinſit. Sumtum à Iano bifronte.

## Sapiens diuinat.

Donatus in Hecyram indicat prouerbium eſſe diuina-

Ayuntamiento de Madrid

re ſapientem, quòd ex conie&turis prudenter collatis colligit verum, non ſolùm de præteritis, verùm etiam de futuris. Reliqua pete ex prouerbio: Qui bene coniicit.

*Plinius.*

## Mus non vni fidit antro.

Vulgatum illud eſt, Eum murem eſſe miſerum, cui non eſt niſi vnum ſpecu. Locus erit adagio, ſi quem admonebimus, vt ſibi plures amicos paret, aut vnà cum opibus ſtudeat philoſophiæ, vt ſi fortuna quod ſuum eſt eripiat, in litteris ſit præſidium.

## Non oportet hoſpitem ſemper hoſpitem eſſe.

Hoſpites dicuntur ignari eius loci in quo viuunt. Sed turpe eſt in eadem ciuitate viuere, & ſemper eſſe peregrinum. Sic turpe eſt in eadem diſciplina diu verſatum eſſe, & nihil ſcire.

## Aceto perfundere.

Prouerbij ſpeciẽ habet pro irridere, ſicut & illud Horatij.

--Ad idem quod ſale multo
Vrbem defricuit charta laudatur eadem.

*Ariſtotel.*

## Sapiens non eget.

Χρὴ δ' ὕποθ' ὅτις ἀρτίφρων πέφυκ' ἀνήρ. Id eſt, Haud vnquam eget, qui mente ſana eſt præditus. Siue quòd magnæ ſint opes, habere bonam mentem, ſiue quòd ſapienti facile eſt diteſcere, ſi velit.

## Tanquam de ſpecula.

Qui futura longè proſpiciunt priùs quàm eueniant, tanquam de ſpecula præuidiſſe, dicuntur.

*Cicero.*

## Qui bene coniiciet, vatem hunc perhibeto optimum.

Admonet adagium futurorum præſcientiam, non è ſortibus aut auguriis petendam eſſe, ſed à prudentia, ſiquidem qui prudentia ſit præditus, is ex præteritorum, præſentiũq; coniecturis facile proſpiciet, quid ſit euenturum.

## Homo Thales.

Ἄνθρωπος Θαλῆς. Ironia prouerbialis in ſtultum, qui ſapiens haberi ſtudeat. Fuit enim Thales vnus è ſeptem Græciæ ſapientibus.

## Acetum habet in pectore.

Plautus: Ecquid habet acetum in pectore? Pro eo, quod

Ayuntamiento de Madrid

eſt, Num ſapit?num quid habet aſtutiæ? Nam vt ſalſa, itidem & acida palatum iuuant, acuúntque & irritant ſtomachum.

## In holmo cubabo.

Ε᾿ν ὅλμῳ εὐνάσω. Dicebatur ab iis, qui ſe quippiam diuinationis cognitum ire minitabantur. Nam quidam dicunt tripodes Apollinis holmos appellatos fuiſſe. Tradit autem Ariſtophanes Grammaticus, eos, qui holmis indormiſſent, repentè diuinandi ſpiritum concipere. *Ariſtoph.*

## Perendinum ventum prædiſcere.

Τὸν τρίταιον ἄνεμον προγινώσκειν. Id eſt, Perendinum ventum præſcire, dicuntur, qui coniecturis, quod vulgò pòſt euenturum ſit, colligunt. Sumtum à nautis aut negotiatoribus.

## Amyris inſanit.

Α᾿μυρις μαίνεται. Prouerbialis allegoria, qua rectè vtemur, vbi quis inſaniæ prætextu rebus ſuis conſulit.

## Non pluet, &c.

Plutarchus refert hunc verſiculum prouerbio iactatum: *Zenodotus.*

Μηκέτι νυκτὸς ὕει ἢ κεν τέκῃ ἀγροτέρα σῦς. Id eſt,

Iam non nocte pluit, qua ſus fœtum edit agreſtis. Si quis ſignificare velit exacto vere, aut autumno ſerenitatem fore.

## Lesbius Prylis.

Ο᾿ Λέσβιος Πρύλις. Plutarchus tradit hoc prouerbium per ſimilitudinem ſumtum. Prylin enim fuiſſe Mercurij filium, ac diuinandi peritum indicat.

## Timidi mater non flet.

In bello, qui contemnunt hoſtem, nihílque metuendum ducunt, quoniam parum cauent, ferè pereunt, & matribus luctum adferunt cum orbitate. At meticuloſi non item. *Æmilius Probus.*

### PRVDENTIA SENILIS.

## Multorum feſtorum Iouis glandes comedit.

Πολλῶν πανηγύρεων Διὸς βαλάνων ἔφαγεν. De ſene, longóque plurimarum rerum vſu docto, quaſi dicas, Multas vixit Olympiadas.

## Annoſa vulpes haud capitur laqueo.

Γέρων ἀλώπηξ οὐχ ἁλίσκεται πάγῃ. Id eſt, Vulpes anus la-

Ayuntamiento de Madrid

queis capi haud vllis poteſt. Dicendum in eum, qui longa ætate, multáque rerum experientia callidior eſt, quàm vt arte, doliſque capi queat.

## Eum auſculta, cui quatuor ſunt aures.

*Zenodotus.* Ἄκουε τοῦ τὰ τέσσαρα ὦτα ἔχοντος. Natum ab Apolline, qui fingitur quatuor habere aures, & manus totidē. Atque ita monet prouerbium audiendos eſſe illos, qui diuturno complurium rerum vſu, præ cæteris ſapiunt, ita vt ferè faciunt ſenes.

## Anus ſubſultans multum excitat pulueris.

In eos dici ſolitum, qui ob rerum experientiam, multum negotiorum aggrederentur.

## Ætate prudentiores reddimur.

Si quando negabimus nobis eadem probari iam natu grandioribus, quæ quondam ob ætatis inſcitiam arriſerunt, ſed vſu rerum auctam prudentiam, congruet illud Homeri ex Odyſſ. ϐ.

Ἐγὼ δ' ἔτι νήπιος ἦα,
Νῦν δ' ὅτε δὴ μέγας εἰμὶ καὶ ἄλλων μῦθον ἀκούων
Πυνθάνομαι, καὶ δή μοι ἀέξεται ἔνδοθι θυμός. Id eſt,
Eram adhuc puer, aſt vbi iam ſum
Grandior, & reddit me aliorum oratio doctum,
Ipſéque grandeſcit mi animus.

## Sine cortice nabis.

*Horatius.* Qui iam per ætatem non egent cuſtode morum.

## Senum prudentia.

In ſenem plurimarum rerum vſu peritum, quíque multa meminerit ſuperioribus acta ſeculis, quadrauerit illud Homeri ex Odyſſ. β.

Παλαιά τε πολλά τε εἰδώς. Id eſt,
Qui antiquáque multáque norat.

## Seneſco ſemper multa addiſcens.

*Suidas.* Γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος. Id eſt, Diſcenti aſſiduè multa ſenecta venit. Significat autem vſu vitæ, multáque rerum experientia parari prudētiam. Terentius: Nunquam ita quiſquam bene ſubducta ratione ad vitam fuit, quin res, ætas, vſus ſemper aliquid apportet noui, aliquid moneat, vt illa, quæ credas ſcire, neſcias: & quę tibi putaris

Ayuntamiento de Madrid

prima in experiendo repudies. Senarius idem, Diſcipulus eſt prioris poſterior dies.

## Moderator negotij.

In eum qui ſcientia & auctoritate ſua negotium moderatur, hoc Homeri carmen Odyſſ. ε. conueniet.

Αὐτὰρ ὁ πηδαλίῳ ἰθύνετο τεχνηέντως. Id eſt,
Ille ratem clauo ſcitè, doctéque regebat.

# PRVDENTIA CONIVNCTA VIRIBVS.

## Conſiliis ſimul & facto valens.

In hominem conſilio pariter ac viribus excellentem cõueniet illud Homeri Odyſſ. ζ.

Οἷος ἐκεῖνος ἔην βουλευέμεν ἠδὲ μάχεσθαι! Id eſt,
Is eiuſmodi erat, ſeu pugna cõſilióue!

## Prudentia cum viribus coniuncta.

In eum, qui norit idem & aliis imperare quid ſit agendum, & ipſe perſequi quum eſt opus, iuxta Homerum:

Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής.
Et iuxta ductor bonus & certamine pollens.

Sunt enim, qui imperatorem agere norunt, ac militem præſtare non norũt.

## Imperator bonus, & idem robuſtus miles.

Alexãder huic carmini Homerico primam tribuit, quod extat Iliad. γ.

Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής. i.
Dux bonus, ac miles præpollens viribus idem.

# PVDICITIA.

## Hippolytum imitabor.

Ἱππόλυτον μιμήσομαι. Diogenianus in prouerbiorũ collectaneis ait dictitatum de iis, qui ſtatuiſſent purè, caſtéque viuere. Nota eſt fabula quemadmodũ is iuuenis odio feminei generis, Dianę ſtudiis ſeſe totum addixerit, deſpecto Veneris numine.

## Melanione caſtior.

Μελανίωνος σωφρονέστερος. Dicebatur, qui magnopere à mulierum congreſſibus abhorreret. Aiunt Melanionem quendam odio mulierum, in ſolitudinem demigraſſe. Ariſtoph.

Ayuntamiento de Madrid

## Pudor in oculis.

*Homerus.* Ἐν ὀφθαλμοῖς ἡ αἰδώς. Horum non pudet, quæ in propatulo ſunt. Aſpectus enim vel incutit, vel renouat etiam pudorem. Vnde fit, vt pueri quum pudeſcunt, oculos tegant. Hinc & Poëtæ Cupidinem, quòd ſit improbiſſimus, cæcum fingunt.

## Pudebat recuſare, & non audebant ſuſcipere.

Αἴδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι, δεῖσαν δ' ὑποδέχθαι. Id eſt,
Detrectare pudor, formido ſubire vetabat.

Quo vti licebit, quoties incidit eiuſmodi negotium, vt aliud ſuadeat honeſtas, aliud vtilitas & dedecoroſum ſit nō ſuſcipere prouinciam, rurſum periculoſum ſuſcipere.

## Pudor & metus.

Quum abſtinetur à re quapiam, quòd ea tum inhoneſta factu videtur, tum verò minimè tuta, locum habebit illud Homeri ex Iliad. ο.

Ἴσχε γὰρ αἰδὼς, καὶ δέος. Id eſt,
Nam pudor atque metus vetuit.

## Verecundia inutilis viro egenti.

Αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένῳ ἀνδρὶ παρεῖναι. Id eſt,
Verum homini pudor haudquaquam conducit egeno.

Admonet autem abiiciendum pudorem, quoties vrget neceſſitas.

## Apud menſam verecundari neminem decet.

*Plautus.* Prouerbium hoc ex tanta antiquitate per manus traditum eſt, hodiéque verſatur in ore omnium. Verecundari neminem apud menſam decet: Niſi quòd vulgus addit, nec in lecto.

## Tinctura Sardonica.

Βάμμα Σαρδονικόν. De colore præcellenti dicebatur, præcipuè purpuræ. Per iocum autem transfertur ad eum, qui pudefit, aut qui ob plagas ſanguine tingitur. Sardon inſula ingens oppoſita inſulæ, in qua variæ purpurarum tincturæ fiebant.

## Tinctura Cyzicena.

*Ariſtoph.* Βάμμα Κυζικηνόν. Decus non eluendum appellabatur apud Atticos. Dicebatúrque in eos, qui metu quippiam in-



Ayuntamiento de Madrid

decorè facerent. Nam Cyziceni duobus nominibus notati ſunt, timiditatis & mollicici.

### Vbi timor, ibi pudor. *Plato.*

Ἵνα δέος, ἔνθα καὶ αἰδώς. Cui ſimilis illa Terentiana: Omnes deteriores ſumus licentia:

### Aduerſus Solem ne meito.

Opinatur Eraſmus commendari verecundiam. Plin. *Pythagoras.* cauſam ſuperſtitioſam reddit lib. 28. cap. 6. Heſiodus nudatione deum offendi ait.

### Ne pudeat artem.

Ne pudeat artem proloqui quam factites. Multos non pudet turpi quæſtu viuere, quum pudeat nomen eius quæſtus profiteri.

## PVNIRI PRO ALIO.

### Tibicen vapulat.

Eubulus apud Athenæum lib. 9. ait fuiſſe morem, ſi quid peccaſſet coquus, tibicinem ſolere vapulare. Philyllius apud eũdem: Ὅπ' ἂν τύχῃ μάγειρος ἀδικήσας, τὸν αὐλητὴν λαβεῖν πληγάς. Id eſt, Quidquid coquus peccauerit, tibicen accipere ſolet plagas. Nullus homo læſo indemnis euaſit coquo.

### Canis peccatum.

Vide, Vltio malefacti.

## RAPACITAS, ET AVARITIA.

### A mortuo tributum exigere. *Ariſtotel.*

Ἀπὸ νεκροῦ φορολογεῖν. A mortuo tributum exigere dicebantur qui per fas nefásque diuitias vndequaque congerunt. Dici ſolitum in eos, qui turpiter vndecunque lucrum aucuparentur, à rebus minutis ac ſordidis, veluti Veſpaſianus è lotio: aut è turpibus, velut è lenocinio, quæſtúque corporis: aut quum à quibuſlibet extorquetur, ab amicis, à tenuibus, à mendicis: poſtremò, vel ab ipſis mortuis. Nota hic in fœneratores Chriſtianos.

### Vndecunque lucrum captant.

Aptè dicetur in aduocatos, in calumniatores, in malos *Homerus.* medicos, qui captant vndecunque, ſi quis incidat in caſſes, quem poſſint expilare.

### Fabarum arroſor. *Suidas.*



Ayuntamiento de Madrid

Κυαμοτρώξ: Dicebatur, qui in creandis magiſtratibus vendebat ſua ſuffragia, eóque quæſtus gratia ſeduló verſabatur in comitiis. Vnde fabis victitare dicebantur, quibus hinc erat quæſtus.

## Feles Tarteſſia.

Γαλῆ Ταρτησσία. Non ineptè dicetur de rapacibus. Huic confine eſt illud Luciani: ἁρπακτικώτεροι τ͂ γαλῶν, id eſt, Rapaciores felibus.

## Lacunam explere.

Pro ſarcire damnum. Cicero: Vide ne qua lacuna ſit in auro, hoc eſt, ne quid deſit.

## Nullam corporis partem habet otioſam, ne eam quidem qua vocem promit.

De quodam, cui omnia membra fuere venalia, etiam os & vox. Torquetur in hominem, non manibus tantùm, ſed toto corpore rapacem.

## Quod vtile, honeſtum: quod autem noxium, turpe.

*Plato.* Nihil eſt vtile, niſi quod honeſtum eſt.

## Exigit à ſtatuis farinas.

Αἰτεῖ γε καὶ τοὺς ἀνδριάντας ἄλφιτα. Id eſt, Sanè cibum & ſignis ab ipſis exigit. In eum dicendum qui nullius miſertus, vndecunque quod poteſt auellit, vel ab ipſis mortuorum ſtatuis. Competit in Principes expilatores plebis, qui nulla non ex re vectigal exprimunt. Aut in auaros ſacerdotes, apud quos ne ſepulcrum quidem gratis conceditur.

## Nec omnia, nec paſſim, nec ab omnibus.

*Vlpianus.* Nam inhumanum, à nemine accipere, ſed paſſim, viliſſimum eſt: & omnia, auariſſimum. Admonet in muneribus accipiendis non ſolum verecundiam adhibendam eſſe, verùm etiam delectum.

## Lucri bonus eſt odor ex re qualibet.

Faceta quidem, ſed tamen peſtilens illa vox Veſpaſiani, qui quum ex lotio vectigal faceret, homo turpiter auidus, ſupérque eo facto à filio admoneretur, quòd è re tam putida lucrũ faceret, paulò pòſt collectam pecuniã filij naribus admouit, rogauítque, ecquid illa puteret. Iuuenalis:

Lucri bonus eſt odor ex re Qualibet. Ennius:
Vnde habeas, curat nemo, ſed oportet habere.

Ayuntamiento de Madrid

## Mendici pera non impletur.

Πτωχοῦ πήρα οὐ πίμπλαται. Id eſt, Mendici pera non impletur. Senſus per ſe liquet, nempe inexplebilem eſſe mendicitatem. *Zenodot.*

## Mendicorum loculi ſemper inanes.

Πτωχῶν οὐλαὶ ἀεὶ κεναί. Id eſt, Mendicantium ſacculi ſemper inanes. De petacibus dictum & inſatiabilibus.

## Vnà cùm ipſis manipulis. *Suidas.*

Αὐταῖς ἀμάλλαις. Id eſt, Cum ipſis manipulis. Quum omnia funditus pereunt, hoc eſt, quum ne gluma quidem ſit reliqua. Prouerbium à ruſticis natum.

## Cum puluiſculo.

Quum omnia ſic tolluntur, vt ne puluis quidem ſit reliquus. Eodem pertinet Euangelicum illud, quo iubentur etiam puluerē excutere Apoſtoli, id eſt, ne minimum quidem ab eis auferre ſecum. Plaut. Conuertet hic iam me totum cum puluiſculo.

## Lucrum pudori præſtat.

Κέρδος αἰσχύνης ἄμεινον. Plautus in Pſeudolo: Nimio illud, quod pudet, facilius fertur, quàm illud quod piget. Idem: Pol pudere, quàm pigere, præſtat totidem litteris. Plutarchus: Τοῦ μὲν δικαίου τὴν δόκησιν ἄρνυσο, τὰ δ' ἔργα τοῦ πάντα δρῶντος εἶτα κερδανεῖς. Opinionem ſpernito iuſti, ac virum quiduis agentem ſequere, quum ſpes eſt lucri. Sophocles:

Τὸ κέρδος ἡδὺ, κἂν ἀπὸ ψευδῶν ἴῃ.

Dulce eſt lucrum, profectum & à mendaciis. Sententiæ bono viro indignæ.

## Charybdis, Barathrum.

Hominem maiorem in modum edacem, bibacem aut rapacem, helluonem, Charybdin aut Barathrum vocamus. Horatius de lurcone quodam: Ingluuies & tempeſtas, Barathrúmque macelli. *Horatius.*

## Megaricæ ſphinges.

Μεγαρικαὶ σφίγγες. Ita ſcorta quædam vulgus olim appellabat, eo quòd Megarenſium mores improbi, fictíque, & populari conuitio quondam notati fuerint, ſiue quòd apud eos nutrix ſphinx appelletur. *Diogen.*

## Boni paſtoris eſt tondere pecus, non deglubere. *Suetonius.*

Hodie vulgò celebratum durat,vbi quis eſt exactor durior atque inſtantior.Quid?Num & pellem vis? Quaſi cõueniat lana contentum eſſe.Tondent igitur qui ita ſpoliãt, vt ſortem relinquant,vnde res poſſit creſcere:Deglubunt, qui nihil reliqui faciunt. Nam lana detonſa renaſcitur. Cute detracta,nihil eſt quod deinde poſſis auferre.

## Canis circum inteſtina.

Κύων παρ' ἐντέροις.Id eſt, Canis iuxta inteſtina. Dicebatur,vbi quis eas res, quarum eſſet cupientiſſimus, propoſitas conſpiceret, quibus tamen frui non liceret. Canes enim oberrant circum inteſtina,deuoraturi,niſi fuſtem timerent.

## Rapina cotytiis.

*Plutarchus.*

Ἁρπαγὰ κοτυτίοις. Cotytia feſtum quoddã erat apud Siculos, in quibus ex more placentulæ quæpiam & arborum fœtus ramis alligabantur, eáque diripienda proponebantur. Dici ſolitum de bonis temerè profuſis direptíſque.

## Ne à chytropode cibum nondum ſacrificatum rapias.

*Heſiodus.*

Indicat Marcus Tullius irreligioſum fuiſſe, cibum è patella edere.Scribit enim ad hunc modum lib.De Finib.II. Atque reperiemus Aſotos primum ita non religioſos, vt edãt de patella.In genere poterit accommodari ad quemuis,qui negotium irreuerenter & illotis, vt aiunt, pedibus aggreditur. Huc pertinent & illa: A patella rapere,A veru rapere,A ſartigine.

## Lauerniones.

*Acron.*

Dicuntur homines furaces,quòd fures ſub tutela Lauernæ Deæ eſſent,in cuius loco obſcuro atque abdito, ſoliti ſunt furto ſublata,prædámque defodere.

## Bona Porſenæ.

*Liuius.*

Bona Porſenæ dicebantur,quæ velut ab hoſtibus erepta paruo væneunt.Non ineptè dicetur in res, quæ dono cuiuſpiam,aut fortunæ commoditate citra noſtram operam contingunt.

## Partitio,non præfocatio.

*Athenæus.*

Μοῖρα,οὐ πνίξ.Id eſt,Sortitio non præfocatio.Quo licebit

Ayuntamiento de Madrid

vti, ſi quando ſignificamus non eſſe locum violentiæ, ſed ex æquitate iuris oportere tractari negotium.

## Perſæpe ſacra haud ſacrificata deuorat.

Ἄθυτα δ᾽ ἱερὰ πολλάκις κατεσθίει. Id eſt, Perſæpè ſacra haud immolata deuorat. Senarius eſt Simonidis, in mulierem quandam malè moratam & auidam in conuiuiis. Cõcinnè dicetur in eos, qui ventris impulſu ſtatim ad deuorandas epulas irrumpunt, non exſpectatis ceremoniis, & elegantiolis illis, quibus ciuiles vtuntur. Ductum à victimis, quas fas non erat contingere, niſi myſteriis peractis.

## Vulturis vmbra.

Γυπὸς σκιά. Quadrare videtur in heredipetas, aut alioqui rapaces inhiantésque prædæ. Reſpondet illi, Si vultur es, cadauer exſpecta. *Diogen.*

## Voracior purpura.

Τὰ λιχνότερα τῶν πορφυρῶν. Id eſt, Edaciora purpuris. Idq́; dictum exiſtimat Athenæus à tincta purpura, quæ omnia quibus admota fuerit, velut ad ſeſe rapit, ſuóque colore res vicinas inficit, vel ab animante ipſo quod quidquid nactũ fuerit, retinet ac deuorat. Conueniet in edaces, aut in eos, qui omnia in ſuum compendium vertunt.

## Edax currus.

Ἀδηφάγον ἅρμα In glutones & voraces dicebatur, propterea quod currus multum abſumit vnguinis ſiue ceromatis, ſiue quòd ſumtuoſa res ſit, equos & currus alere. Venuſtius reddetur, ſi deflexeris ad animi vitia, vel cupiditates inexplebiles eſſe, quum naturæ vſus perpauca poſtulet. *Ariſtoph.*

## Laudant vt pueri pauonem.

Iuuenalis ſcripſit in auaros, qui carmina laudant dumtaxat, nihil autem largiuntur poëtæ.

--Didicit laudator auarus
Tantum admirari, tantum laudare diſertos,
Vt pueri Iunonis auem.

## Atticus moriens porrigit manum.

Ἀττικὸς ὀρέγει τὴν χεῖρα κἀποθνήσκων. Id eſt, Atticus porrigit manum etiam quum moritur. Huic adagio locum fecit Athenienſium in muneribus captandis & aucupandis lucris inſatiata cupiditas. *Diogen.*



Ayuntamiento de Madrid

## Pamphili furtum.

Παμφίλου νοσφισμός. Id eſt Pamphili ſublatio. Pamphilus hic veteris comœdiæ conuitiis notatus eſt, quòd ærarium expilaſſet. Conueniet in peculatores, qui è publico ſuffurantur.

## Non curat numerum lupus.

Virg. Hic tantum Boreæ curamus frigora, quantum
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.
Rectè dicetur in hominem impudenter furacem.

## Argiui fures.

Ἀργεῖοι φῶρες. De palàm improbis. Nam Argiui furacitatis infamia laborabant. Latini etiam eos Lauerniones appellabant, à Lauerna, quam fures Deam colebant, vt dictum iam ante.

## Vorare hamum.

Neque minus elegans illud in Curculione: Meus eſt, hamum vorat. De lenone, cui fraus intendebatur, epiſtolam, qua decipiendus erat, lecturiente.

## Polypi.

*Athenæus.* Olim dicebantur, vel ſtupidi, ſtolidique, vel rapaces, & vncis vnguibus homines. Siquidem ob eam cauſſam polypo ſtultitiam tribuunt, quòd ad manũ captantis vltro mouetur, nec aliter capitur, niſi quòd non cedat.

## Ἡμερόκοιτος.

Vulgari ioco fures dicti videntur ἡμερόκοιτοι, quod interdiu dormiant, noctu vigilent. Heſiodus:

Μήποτέ σ' ἡμερόκοιτος ἀνὴρ ἀπὸ χρήμαθ' ἕληται. Id eſt,
Ne ſolitus dormire die, tua tollere poſſit.

Aptè torquebitur in tollionem & furacem.

## Candidum linum lucri cauſſa ducis.

*Diogenian.* Λευχόλενον λίνον κερδαγαμεῖς. Id eſt, Candidulum linum ob lucrum ducis vxorem. In eum quadrat, qui dotis cauſſa ducit vel deformem, vel anum Porrò linum vocat vxorẽ, vel quòd apud veteres ſolæ mulieres lineis vterentur, vel quòd viro alligetur matrimonio, & libera eſſe deſinat. Nã Græci linon pro vinculo vſurpant.

## Nutricum more malè.

*Plutarchus.* Καὶ θ' ὥσπερ αἱ τίτθαι γε, σιτίζεις κακῶς. Id eſt, Paſcis pro-

Ayuntamiento de Madrid

fectò more nutricum malè. Conueniet in eos, qui de lucro paullulum aliquid impartiunt ſociis. Aut, qui facultates alienas adminiſtrant, vt maximam partem in ſuos conuertant vſus. Id quod hodie tutorum vulgus factitat.

## Pecuniarum cupiditas Spartam capiet, prætereà nihil. *Idem.*

Ἁ φιλοχρηματία Σπάρταν ἑλοῖ, ἄλλο δ' οὐδέν

Vna fames auri Spartam capiet, ſubigetque.

Præterеà nihil. De iis, qui ſola pecunia poſſunt expugnari, alioqui inuicti. Natum adagium ab oraculo, quo reſponſum eſt, tum demum vincendos eſſe Lacedæmonios, quum aurum & argentum in pretio cœperint habere.

## Inexplebile dolium.

Ἄπληστος πίθος. Plautus: In pertuſum ingerimus dolium, operam ludimus. Competet in homines præter modum profuſos. Congruit etiam in auaros, quorum cupiditatibus nihil eſt ſatis. Zenodotus etiam tartarum ipſum inexplebile dolium putat.

## Larus hians.

Λάρος κεχηνώς. Dicebatur, vbi quis auidius inhiaret prædæ. Eſt enim larus auida, voraxque.

## Labrax Mileſius.

Λάβραξ Μιλήσιος. In ſtolidum & auidum dicebatur. Labrax enim piſcis genus lato oris rictu, vnde eſcam totam vnà cum aëre faucibus corripit, atque ob id facile capitur, Lupus Latinè dicitur. Vnde apud Plautum lenoni Labracis nomen.

## Buthus obambulat. *Cratinus.*

Βοῦθος περιφοιτᾷ. Id eſt, Buthus oberrat. De leuibus ac ſtolidis dicebatur. A moribus Buthi cuiuſdam athletæ. Etiam videtur dici poſſe in edaces, hoc eſt, βουφάγους.

## Serpens niſi edat ſerpentem draco non fiet.

Ὄφις εἰ μὴ φάγῃ ὄφιν, δράκων οὐ γενήσεται. Potentes aliorum damnis creſcunt, & optimatum fortunæ in tantum non augerentur, niſi eſſent quos exugerent. Quemadmodum inter piſces & belluas, maiores viuũt laniatu minorũ.

## Prius quàm ſortiaris, communia deuoras.

Vide, Vis iniuſta.



Ayuntamiento de Madrid

## Nouit hæc Pylæa & Tyttygias.

*Zenodotus.* Οἶδέ τι Πυλαῖα ταῦτα καὶ Τυττυγίας. Hoc velut ænigmate veteres innuebant, opes malis artibus quæſitas. Tyttygias plagiarius quiſpiam fuit, qui ſeruos & res alienas, quas furto ſuſtulerat, in Pylæa, is eſt Arcadiæ locus, venditare conſueuit, atque hoc quæſtu diues euaſit. Faciunt item huc locutiones iſtæ prouerbiales:

Olitorem odi, qui radicitus herbas excidat.
Malum lucro coniunctum, non eſt malum.
Non ſacrificata rapere.
Communis tanquam Siſapo.

### RARITAS.

## Phœnice rarior.

Φοίνικος σπανιώτερος. De rebus, aut etiam hominibus, inuentu perquam raris. Natum adagium à fabula phœnicis auis: de qua Plinius libro 10. cap. 2.

## Vbi per harma fulgurarit.

Ὁπότε δι' ἅρματος ἀστράψῃ. De iis, qui nimis cunctanter ac ſerò, aut admodum rarò fiunt, aut cum nimis anxiè ac ſuperſtitioſè captatur rei gerendæ oportunitas. Strabo vnde natum ſit adagium indicat, ſcribens vicum quendam eſſe deſertum atque infrequentem apud Mycaleſum Bœotiæ, quem harma, id eſt, currum nominant. Vel hinc nata parœmia, vbi per harma fulgurat, videlicet Pythicis vatibus fulgor aliquod certum quod ex eo loco veniret, obſeruantibus, eóque viſu ſacra Delphos mittentibus.

## Lac gallinaceum.

*Ariſtoph.* Ὀρνίθων γάλα. Gallinarum lac. Dicitur in opulentos, & quibus quiduis rerum ſuppeditat. Aut de raris inuentu, atque ob id pretioſis.

## Rara auis.

Dicebatur res quæuis noua & inuentu perrara. Perſius: Si fortè quid aptius exit, Quando hæc rara auis eſt. Iuuenalis: Rara auis in terris, nigróque ſimillima cygno. Vnde illud Ariſtopha. Quæ eſt hæc auis? De hoſpite & ignoto.

## Alba auis.

*Iuuenalis.* Λευκὸς ὄρνις. Pro re noua atque inauſpicata. De albæ gallinæ filio dictum eſt alibi.

Ayuntamiento de Madrid

## Coruus albus.

De raris inuentu dixit Iuuenalis: Coruo quoque rarior albo.

## Noctuinum ouum.

Γλαυκεῖον ὠόν. Sunt qui negent noctuinum ouum inueniri. Prouerbium itaque quadrabit, vel in hominem nihili, nulliúſque frugis, vel in rem raram inuentu. *Perottus.*

### REFVGIVM.

## Abdera pulcra Teiorum colonia.

Strabo lib. Geographiæ 14. tradit Teios, quum Perſarum contumelias ferre non poſſent, vrbe relicta Abdera Thracum vrbem demigraſſe. Atque hinc illud vulgatum fuiſſe Ἄβδηρα καλὴ Τηΐων ἀποικία, id eſt, Abdera pulcra Teiûm colonia. Hoc ænigmate ſignificamus, non deeſſe quò confugiamus; ſi quis præter modum pergat eſſe moleſtus.

### REPELLENTIS.

## Aliam quercum excute.

Ἄλλην δρῦν βαλάνιζε. Id eſt, Aliam quercum excute. Hoc adagio ablegamus eos, qui ſine fine petunt aliquid, ad alium, vt nos illi omittant. Parœmiam hinc natam putant, quòd olim mortales glandibus victitabant, Cereris vſu nondum reperto.

## Tollat te qui non nouit.

Si cuius dolos iam non ignotos eſſe nobis ſignificabimus, neque poſthac poſſe ab illo falli, concinnè dicemus. Adfinis locutio prouerbialis: Quære hoſpitem. *Quinctil.*

### RIGOR.

## Summum ius ſumma iniuria.

Hoc eſt, Tum maximè diſceditur ab æquitate, quum maximè ſuperſtitiosè heretur legum litteris. Id enim ſummum ius appellant, quum de verbis iuris contenditur, neque ſpectatur quid ſenſerit is, qui ſcripſit. *Cicero.*

## Ad viuum reſecare.

M. Tullius lib. De amicitia, ad viuum reſecare dixit, pro eo quod eſt, rem exactius quàm ſat eſt, ac moroſius excutere. Mutuò ſumta metaphora à tonſoribus capillos aut vngues reſecantibus.

Ayuntamiento de Madrid

## Radit vſque ad cutem.

*Sophocles.* Ξυρεῖ ἐν χρῷ. Id eſt, Ad cutem vſque radit. De eo dicebatur, qui nimium exactè videretur agere cum aliquo.

## Ex ſyngrapha agere.

Ex ſyngrapha agere, obſignatis tabulis agere, pro eo quod eſt, rigidè parũque ciuiliter, ſed velut ex obligatione.

## Ad libellam debere.

*Cicero.* Qui pecuniam preſentem ac iuſti ponderis debet, ad libellam debere dicitur.

## Cenſoria virgula.

Triſtiſſimum eſt apud eruditos, Cenſoriam virgam appellare iudicandi auctoritatem, præſertim cum ſupercilio à magiſtratu Romano ſumtum.

## Obtorto collo trahi.

Dicuntur, qui volentes nolentes ad aliquid adiguntur. Pro eodem dicitur, Mento trahere.

# RISVS.

## Intra labia riſit.

Theocritus: Riſus verò labium intra hæſit. Simile eſt quod de riſu Sardonio dicitur.

## Riſus Ionicus.

Γέλως Ἰωνικός. In molles & voluptuarios dicitur. Nam Ionum mollities perinde vt Sybaritarum faſtus, in prouerbium abiit, quòd alteri Græcorum, alteri Barbarorum eſſent luxurioſiſſimi.

## Riſus Megaricus.

Γέλως Μεγαρικός. In eos dicendum, qui parum intempeſtiuè iocantur, quíque malunt aliquoties amicum quàm dictum perdere.

## Riſus Chius.

*Diogenian.* Γέλως Χῖος. De molli laſciuóque riſu. Quandoquidem & Chiorum mores taxauit vetus comœdia.

## Sardonius riſus.

Σαρδώνιος γέλως. De riſu ficto atque amarulento, aut inſano denique. Tractum à Sardoa herba, quæ ora hominum & rictus dolore contrahit, & quaſi ridentes interimit.

## Aiacis riſus.

Ayuntamiento de Madrid

Αἰάντειος γέλως. Id eſt, Aiacinus riſus. In eos, qui temere ac vecorditer rident. Adagium natum eſt ex hiſtoria Aiacis. Is adeo grauiter tuliſſe legitur, Vlyſſem ſibi prælatum in capeſcenda ſucceſſione armorum Achillis, vt præ dolore in inſaniam verſus ſit. Deinde poſteà quàm reſipuiſſet, partim pudore, partim metu ſibi mortem conſciuit. Nec intempeſtiuiter torquebitur in eos, quibus riſus oboritur nulla de cauſſa.

Ἀχρειόγελος.

Prouerbiali, nouéque compoſito verbo dicebatur nugator, quíque rebus ineptis oblectaretur.

## Riſus ſyncruſius.

Γέλως συγκρούσιος. Riſum effuſiorem, Græci συγκρούσιον vocant, quòd hominem quatiat, quem eundem quidam exiſtimant Sardonium eſſe.

## Stultior Melitide.

Μωρότερος Μελιτίδου. Melitides vnus è feliciſſimis illis fatuis, quos Homerus ſuo carmine nobilitauit. *Zenodotus.*

## Emori riſu.

Emori riſu, Defluere riſu, pro vehementer ridere. *Terentius.*

## RIXOSVS.

## Rhodij ſacrificium.

Ῥόδιοι τὴν θυσίαν. Id eſt, Rhodienſes ſacrificium. Vbi res iurgiis & verbis malè ominatis peragitur. Refertur à Diogeniano.

## Spirat Cæcias.

Ariſtophanes ad Cæciæ venti naturam alludens, dixit: Vt iſte ſpirat Cæcias & ſycophantias iam. Cæcias autem poſuit pro turbis ac litibus. Notatur enim ibi Cleon vt delator & criminator.

## Inſana laurus adeſt.

Plinius lib. 10. cap. 45. In eodem, inquit, tractu portus Amyci eſt, Bebryce rege interfecto clarus. Eius tumulus à ſupremo die lauro tegitur, quam inſanam vocant, quoniam ſi quid ex ea decerptum inferatur nauibus, iurgia fiant donec abiiciatur. Itaque quadrabit in hominem rixarum auctorem.

## Lindij ſacrum.

*Lactantius.*

Ayuntamiento de Madrid

Λίνδιοι τὴν θυσίαν. Id eſt, Lindij ſacrum,ſubaudi,faciunt. Dicebatur in eos, qui inauſpicato rem diuinam faciebant. Hercules olim agricolæ cuidam Lindio duos boues per vim eripuit, & mactatis illis conuiuium ſibi parauit.Senex autem Herculi comedenti,quum multa in eum maledicta congereret, voluptati pariter & riſui fuit,ita vt Herculem dixiſſe ferant, nullum vnquam conuiuium ſibi iucundius accidiſſe.Adagium ad multos vſus accommodari poterit, vel ad rixoſum conuiuium, vel ad rem quampiam malis ominibus inſtitutam.

## Litem mouebit, ſi vel aſinus canem momorderit.

Quadrabit in eos, qui de re quantumuis exigua litem ſuſcitant. Natum videtur ab euentu quopiam.

## Canina facundia.

*Hieronymus.*

Quod in adagionem ceſſit in quoſdam, qui tantum ad malè dicendum eloquentiæ ſtudium exercent. A' rixa canum & oblatratu ſumto epitheto.

## Litem incipere.

In eum, qui iam prouocatus aggreditur conuicicijs agere,congruet illud Homeri ex Iliad.x.

Εἵλετο δ' ἄλκιμον ἔγχος ἀκαχμένον ὀξέι χαλκῷ.

Haſtam corripuit robuſtam cuſpide acuta.

Cui diuerſum eſt illud,Haſtam abiecit.

## Ne allia comedas & fabas.

Ἵνα μὴ φάγῃς σκόροδα, μηδὲ κυάμους. Id eſt, Ne edas allia & fabas:pro eo quod eſt, ne bellis, neue in iudiciis adſis. Nam in bellum inferebantur allia commeatus militaris.In iudiciis fabas eſitabant, ne obdormiſcerent.

## Ptolemaica lis.

Πτολεμαῒς ἡ δίκη. Diogenianus indicat dici ſolitũ in litiũ auidos. Anus quæpiam fuit Ptolemais, quæ quoad vixit, lites agitabat.

*Plutarchus.*

## Vltra Hyperbolum.

Ὑπὲρ τὸν Ὑπέρβολον. Vincit Hyperbolum Hyperbolus quiſpiam erat mirum in modum appetens litium. Vnde conueniet in eos, qui ſimili laborant morbo.

## Tetigit lapidem à cane morſum.

Ayuntamiento de Madrid

Plinius lib.29.cap.5.De veneno rabidi canis agens:Mimus hoc miretur (inquit) qui cogitet lapidem à cane morſum vſque in prouerbium diſcordiæ veniſſe. Cuius è verbis coniicere licet, vulgò creditum fuiſſe, ſi quis lapidem à cane morſum contigiſſet, aut calcaſſet, eum iracundiorem euadere, & ad diſſidia propenſum.

## Syrbenæ chorus.

Συρβήνης χορός. De choreis incompoſitis ac tumultuoſis olim dicebatur. Nam σύρβη quidam vocem exiſtimant, qua ſubulci erga ſues vtantur, vnde & σύρβα pro tumultu abutũtur. Σύρβη item fiſtularis dicitur theca, vnde συρβηνεὺς dicitur tibicen, aut tumultuoſus. Ducta videtur metaphora à diſſono porcorum grunnitu. Tẽpeſtiuiter dicetur in homines inter ſe diſcordes & querulos, aut vbi offendet aures imperitorum cantorum ſymphonia diſcos. *Diogenian.*

## Eretrienſium Rho.

Ἐρετριέων ῥῶ. Vbi quis crebriùs & aſperius eam litteram ſonaret, quo nomine nunc malè audiunt apud Gallos Picardi. Eretrienſes adamarunt hanc litteram ρ, quam loco σ, ſupponebant: cùm contrà Athenienſes eam verterint in σ: vt θάρσειν pro θαρρεῖν. Quoniam ea littera dicitur impetus & vehementiæ ſignificationem habere. Videtur & in homines præcipites ac violentos congruere prouerbium.

### SALVBRITAS.

## Crotone ſalubrius.

Κρότωνος ὑγιέστερον. De re nequaquam noxia, ſed vndequaque ſalutifera. Zenodotus ab animante ſumtam parœmiam exiſtimat. Eſt enim Croton muſcæ genus.

## Cucurbita ſanior.

Κολοκύντης ὑγιέστερος. Id eſt, Cucurbita ſalubrior. Inde natum, vel quòd cucurbita non facilè læditur aëris vitio, propter cruſtum, quo tegitur, vel quòd ea variis remediis efficax eſſe perhibeatur. *Suidas.*

## Valere Pancraticè.

Plautus dixit pro eo quod eſt, firma eſſe valetudine. Nam in Pãcratiaſtis robur corporis potiſſimum ſpectabatur. Pro eo dixit, Valere athleticè, valere pugilicè, valere baſilicè.

Ayuntamiento de Madrid

## Sanior eſte piſce.

Nam ad eundem modum hodiéque vulgo loquuntur: Tam ſanus es quàm piſcis. Id inde ſumtum eſt, quòd creditum eſt, piſces non ſentire morbos.

## Tria ſaluberrima.

Apud Plutarchum videtur & hoc prouerbio fuiſſe iactatum. Sed præſtat ipſius verba tranſcribere: Ὅτι ἄριστα λέλεκται τροφῆς ἀκορεῖν, καὶ πόνων ἀοκνεῖν, καὶ σπέρματος φύσεως συντήρησιν, ὑγιεινότατα εἶναι. Vnde optimè dictum eſt, veſci citra ſaturitatem, non refugere laborem, naturæ ſemen conſeruare, eſſe ſaluberrima.

### SCVRRILITAS.

## A ſexaginta viris venio.

*Athenæus.*

Ἀπὸ τῶν ἑξήκοντα ἔρχομαι Athenienſes mirè delectabantur iis qui riſum dictis aut factis mouere norunt, adeo vt ad hoc in Diomedeo aut Heracleo ſexaginta conuenirent, qui in ciuitate nominabantur ſexaginta viri, quemadmodum nos dicimus triumuiros & decemuiros, magiſtratum ſignificantes, vt ſi quid ridiculè dictum eſſet, vulgò ita loquerentur, Sexaginta viri hoc dixerunt. Poterit per ironiam dici in dictum illepidum & agreſte, Dictum ſexaginta viris dignum. Aut in ſtultè dicacem, Hic nobis venit à ſexaginta viris.

## Equitandi peritus ne cantet.

Ἱπποσύνην εἰδὼς μὴ ᾄδῃ. Sumtum à poëta quopiam, In eum, qui profeſſus res ſerias verſatur in nugis.

### SECVNDAE EXPERIENTIAE.

## Poſterioribus melioribus.

*Gregor. Theolog.*

Inter Græcanicas parœmias refertur δευτέρων ἀμεινόνων, id eſt, Alteris melioribus. Quo ſignificabant ea, quæ prima experientia parum bene ſucceſſerant, ſecunda nonnunquam commodius euenire, & prioris conſilij erratum poſteriore conſilio corrigi.

## Danda venia lapſo.

Qui dicet aliquando dandã veniam, ſi quid erratum ſit per incuriam, neque enim hominis eſſe, vt ſemper exactam præſtet diligentiam, vſurpabit illud Homeri ex Odyſſ. τ.

Ἀλλ' οὐ γάρ πως ἔστιν ἀΰπνους ἔμμεναι αἰὲν
Ἀνθρώπους. Id eſt,

Ayuntamiento de Madrid

Haud quaquam fieri potis eſt, vt peruigil vſque
Mortalis duret.

## Deſtitutus ventis, remos adhibe. *Hermolaus Barbarus.*

Quum res non ſuccedit vt volumus, ad alia præſidia cõfugiendum eſt. Aut cum fortuna eſt aduerſa, tum magis adlaborandum.

### SECVRITATIS ET TVTAE REI.

## In tranquillo eſt.

Terentius: Qui te in ſcopulum è tranquillo auferat. Et quod alibi diximus, Ego in portu nauigo.

## In vado.

Terent. Omnis res in vado eſt. Vadum autem eſt aquæ fundus, in quo quiſquis conſtiterit, is iam effugit periculum, ne mergatur.

## Duabus ancoris fultus. *Ariſtides.*

Ἐπὶ δυοῖν ὁρμεῖ. Id eſt, Duabus nixus in portu ſedet, ſubaudiendum, ancoris. De firmis & immotis, & qui rem ſuã probè conſtabilierunt. Ductum à nauibus intra portum tutò manentibus.

## Tanquam ad aram.

Quum extremum refugium intelligi volumus. Inde ſumtum quod olim in extrema neceſſitate, ad aras Deorũ ſoleãt confugere, vnde nefas erat quenquam detrahere.

## Ad aſylum confugere. *Cicero.*

Cognatum eſt ſuperiori. Hæc fient venuſtiora, ſi ad animi res transferantur,

## Arx.

Hac metaphora tutiſſimum ac validiſſimum præſidiũ ſignificamus.

## Bonum eſt duabus niti ancoris. *Pindarus.*

Id eſt. Bonum eſt duplici præſidio niti, vt ſi alterum deſtituat, altero iuuemur.

## Extra fundum & vndam.

Verba ſunt Calipſus adhortantis Vlyſſem, vt neque nimium litori vicinus nauiget, fumum ſequutus, neque ſe profundo credat pelago, ſed in medio ſecet viam, quòd ibi periculum ſit à ſaxis & vadis, hic ab vndis.

## E terra ſpectare naufragium.

Ayuntamiento de Madrid

Pro eo quod eſt, In tuto ſpectare aliorum pericula. Simile illi: De mutis iudicare Achiuos.

*Agatius.*

## Mortuo leoni & lepores inſultant.

Sumtum ex Homero, vbi Hectorem ab Achille iam interfectum circumſiſtunt Græci mortuo inſultantes, nec quiſquam erat, qui extincto non aliquod vulnus infligeret.

## Ne ſi ad Iouis quidem aulam.

*Diogen.* Qui metuunt malum, ad aſylum confugiunt, verum à morte nullum eſt effugium. Sophocles: Vbi mortis vrget tempus, ad Iouis atria ſi fugeris, effugere non poſſis tamē. Prouerbij ſpecies eſt in illis verbis, Ne ad Iouis quidem atrium, quod pro tutiſſimo poſuit refugio.

## Primum apes abigendæ.

*Plato.* Dictum eſt cuiuſdam, qui ſenſit primum hoſtium copias aduentantes eſſe ſubmouendas, quo poſſint Aſia potiri.

## Pugno tenere.

Ἀπρὶξ ταῖν χεροῖν λαβέσθαι. Pugno ſtringere dicitur, quod ipſo contactu ſentitur.

## Teſtudo intra tegumen tuta eſt.

Docet hic Liuius, tutius eſſe domi manere, quàm ſuis fortunæ committere, & ad omnes ictus exponere.

## Sarta tecta.

Pro conſummatis, probéque curatis, & in quibus ſit nihil omiſſum. Ex ſolennibus verbis Iuriſconſultorum, Plautus in Trinumo: ne tibi ægritudinē pater parerē parſi ſedulò: ſarta tua præcepta vſque habui mea modeſtia.

## In portu nauigare.

*Terent.* Ἐν λιμένι πλεῖν. Id eſt, In portu nauigare. Qua ſignificamus nos iam à periculo abeſſe. Virgilius:

Nunc mihi parta quies, omniſque in limine portus.

## His Medus non inſidiabitur.

Τάδε Μῆδος οὐ φυλάξει. Id eſt, Hæc medus non obſeruabit.

Quum Xerxes exercitum ad Græciam traducere pararet, vt auctor eſt apud Zenodotum Dicæarchus, Græci deſperatis rebus facultates ſuas abſumſerunt, ne multum reliquum fieret quod hoſtis tolleret, ita dicentes: Hæc

Hedus

Ayuntamiento de Madrid

Medus non obſeruabit, eáque vox in adagiū abiit, vbi quis largiùs impenderet ſua, ne venirent in aliorum manuś.

## Otioſus eſto.

Si quem iubemus curare cuticulam, negotium alijs curæ futurum, accōmodabimus illud Homeri ex Odiſſ. β.

Μήτε τι ἄλλο.
Ἐν στήθεσσι κακὸν μελέτω ἔργον τε ἔπος τε,
Ἀλλὰ μάλ' ἐσθιέμεν καὶ πινέμεν ὡς τὸ πάρος περ. Id eſt,
Tute caueto.
Aut dicti aut facti cruciet tua pectora cura,
Quin tranquillus edaſque bibasque, ita vt antè ſolebas.

## Chœnici ne inſideas. *Pythago.*

Χοίνικι μὴ ἐπικαθίσαι. Interpretatur D. Hieronymus, de victu ne fueris ſolicitus in diem craſtinum. Eſt enim chœnix dimenſum & cibus diurnus. Plutarchus autem longè diuerſius: puta, Non indulgendum otio, ſed induſtria proſpiciendum victum, ne deſit in poſterum.

## Thymbra victitans.

Θυμβροφάγοι. Id eſt, Thymbra victitantes. Adagio dicebantur, vel qui tutius ac liberius vitam agerent, vel qui moribus eſſent parum blandis, vel qui hilariter citraque ſolicitudinem paruo contenti viuerent, quòd thymbra herbæ genus ſit.

## Rem factam habere.

Apud Martialem legitur, Rem factam habere, pro eo quod eſt, certam atque indubitatam. Siquidem promiſſa parum certa ſunt. *Ariſtoph.*

## Hermionis vice.

Ἀνθ' Ἑρμιόνος. Id eſt, Hermionis vice, puta fuero tibi, aut mea domus, aut ſimile quippiam. Valet autem perinde quaſi dicas, Loco aſyli tibi fuero, vel inſtar aræ. Eſt Hermione templum in Peloponneſo, ſacrum Cereri ac Proſerpinæ, ad quod qui confugerint, tuti ſunt propter loci religionem.

## In terra pauperem.

Ἐν γῇ πένεσθαι μᾶλλον πλουτοῦντα πλεῖν. Id eſt, Egere præſtat in ſolo, quàm diuitem ſulcare fluctus. Satius eſt paullulū habere tuto quàm multum cum periculo.

I

## Mœnia Semiramidis.

Τείχη Σεμιράμιδος. Id eſt, Muri Semiramidis: De muris inexpugnabilibus dicebatur egregiéque munitis, Ouid. Vbi dicitur altam Coctilibus muris cinxiſſe Semiramis vrbem.

## In tuo regno.

Quod cuiuſque priuatum eſt, regnum eius dicitur.

## In tuo loco & ſano eſt ſitum.

Apud Plautum, pro eo quod eſt, in tua poteſtate tuo arbitrio, tua tutela, tua manu. Cicero: In meis caſtris præſidiisque verſaris, id eſt, mecum facis, & pro me pugnant quæ dicis.

## Intra tuas præſepes.

Plautus in Caſſina: Scit, ſi id impetret, futurum quod amat, intra præſepes ſuas, pro eo quod eſt, certum ac paratum. Nam quod intra ſepta noſtra clauſum ſit, id tuto certòque poſſidemus.

## Aliud cura.

Quum negabis eſſe cauſſam, cur aliquis aut dubitet, aut ſolicitus ſit exemto ſcrupulo. Terentius: Atqui iam repperi, aliud cura.

## In diem viuere. Ex tempore viuere.

*Perſius.* Eſt præſentibus rebus contentum viuere, atque ex parato, minimè ſolicitum de futuris. Quæ vita Græcis dicitur καθημέριος βίος, & καθημερόβιοι, qui ad eum viuunt modum. Vnde & ex tempore dicere, id eſt, citra præmeditationem

## Canis tanquam Delum nauigans.

*Plato.* Ἄδεις, ὥσπερ εἰς Δῆλον πλέων. In ſupinum, otioſum, ſecurum, ac voluptuariam agentem vitam dicebatur. Nam Athenis facilis ac tuta in Delum nauigatio. Vnde fiebat, vt qui illuc ſoluerent, inter nauigandum ſecuri, nihilque periculi metuentes canerent.

## Porrectis pedibus dormire.

*Lucianus.* Ἀποτείναντα τὼ πόδε καθεύδειν. Vel ſublatis pedibus requieſco, & ſupinus per otium. Et ſupinitatem, negligentiam, incogitantiámque ſignificamus. Et conſerere manus, in Hebræorum prouerbijs in ignauum, &c.

Ayuntamiento de Madrid

## In dextram aurem.

*Plinius.*

Sic enim admonent medici, vt in primo ſomno, qui profundiſſimus eſſe conſueuit, in aurem dextram incumbamus. Quum experrecti redormire cupimus, in ſiniſtram.

## In vtramuis aurem dormire.

*Terentius.*

Eſt animo otioſo, ſecuro, vacuóque eſſe.

## Leporis vita.

Λαγῶυ βίον ζῆν: Id eſt, Leporis vitam viuere dicuntur, qui ſemper anxij trepidíque viuunt.

*Plutarchus.*

## In vtrumuis dormire oculum.

Plautus in Pſeud. De iſthac re in oculum vtrumuis conquieſco. Eſt animo otioſo eſſe, &c.

## Halcedonia ſunt apud forum.

Extat in Græcorum commentariis huiuſmodi prouerbium: Ἀλκυονίδας ἡμέρας ἄγεις, id eſt, Halcyonis agis dies. De tranquillam & otioſam agentibus vitam. Ab aue quadam marina ductum adagium.

## Vita molita.

Ἀληλεσμένος βίος. Siue victus, vt ita loquamur, farinatus. Suidas indicat adagium variè accipi. Quoſdam vſurpare de vita priſcorum, qui glandibus veſcebantur. Nonnullos de iis, qui in magna rerum, quas deſiderarent, affluentia vitam agerent.

*Horatius.*

## Equus me portat, alit rex.

Ἵππος μὲ φέρει, βασιλεύς με τρέφει. Hinc natum: Iuuenis quidam ſub rege Philippo ſtipendia faciebat. Is quum admoneretur vt miſſionem peteret, ſeſéque à militia abdicaret, negauit ſe facturum iſto adagio.

Horatius: Rectius hoc, &

Splendidius multò eſt, equus vt me portet, alat rex.

## Extra lutum pedem habes.

*Homerus.*

Ἐκ τοῦ πηλοῦ πόδας ἔχεις. In eos, qui moleſtis non inuoluuntur negotiis, vnde ſe nequeant explicare, ſed extra periculum conſtituti ſunt.

## Extra periculum ferox.

*Idem.*

In obtrectatorem clancularium, qui coram non auſit congredi. Homerus Iliad. ν.

Ἀνδρῶν δυσμενέων ἐχὰς ἱστάμενος πολεμίζειν.



Ayuntamiento de Madrid

*Diogen.* Pugnare gnarus, verum eminus & procul hoſte.

## Procul à pedibus equinis.

Ἐκ τῶν ποδῶν ἱππείων. Vulgo dicitur, quum ſignificant fugiendum eſſe periculum,

*Terentius.*

## Extra telorum iactum.

Ἔξω βελῶν Id eſt, Extra telorum iactum. Pro eo quod eſt, In tuto, citráque periculum.

## Porro à Ioue atque à fulmine.

Πόῤῥω Διός τε καὶ κεραυνοῦ. Id eſt, Procul à Ioue pariter atque a fulmine. Admonet non eſſe agendum cum præpotentibus, qui nutu poſſint perdere, ſi quando libeat, maximè cum regibus ac tyrannis.

## Poſt principia.

Sumtum à bellis, in quibus ſummum periculum iis: qui in prima ſtant acie. Terentius in Eunucho: Tu hoſce inſtrue, hîc ego ero poſt principia.

## Non vulgari ancora nititur.

Significans aliquem nouis, miniméque vulgaribus præſidiis niti.

*Ariſtotel.*

## Quid Achiuos à turre iudicatis?

Concinnè torquebitur ad eos, qui in tuto conſtituti, de iis iudicant, qui in periculo verſantur. Quemadmodum faciunt ij, qui in turri aut vallo ſedentes, otioſi ſpectãt prœliantes, iudicantque, ac in multis animi robur, aut cõſilium deſiderant, quod ipſi nequaquam præſtituri forent ſi in eodem diſcrimine verſarentur.

## Quaſi millus cani.

*Siſimius.* Nam millus eſt collare canum venaticorum coriaceum, confixum clauis ferreis eminentibus aduerſus impetum luporum. Ad hunc igitur modum, certum firmúmque præſidium ſignificabimus.

*Æmilius.*

## Timidi mater non flet.

*Probus.* Animoſi in bello contemnunt hoſtem, nihílque metuendum ducunt, itaque quoniam ſibi parum cauent, ferè pereunt, & matribus luctum adferunt cum orbitate. Contrà, qui nihil non metuit, neque quidquam omnino contemnit, is tutioribus vtens conſiliis, rarò venit in periculum.

*Scoliaſtes.*

## Legatus non cæditur, neque violatur.

Ayuntamiento de Madrid

Deflecti poterit ad bene monentem, ſiue recta conſulentem, ſiue concionantem liberè. Legatus eſt, qui refert mandata ſui principis, aut agit negotium publicum, non eſt fas illi vim admouere.

SEMPER.

## Quoad vixero.

Quod in vita perpetuum nobis futurum intelligi volemus, indicare licebit Virgilij carmine:

Dum memor ipſe mei dum ſpiritus hos reget artus.

SENIVM PRAEMATVRVM,

AVT MORS.

## Ergini cani.

Ἐργίνου πολιαί Id eſt Ergini canities. De canitie præpropera, id eſt, quæ ante diem legitimam accidit. Erginus filius fuit Clymenis, adoleſcens præter ætatis rationem iam canus. Feſtiuius fiet, ſi per ironiam dicetur in ſenes iam canos, qui tamen iuuenes etiamdum haberi velint.

## Mala ſenium accellerant.

Qui dicet ſenectam non eſſe annis metiendam, proptereà quod ij qui ſe multis laboribus diſcruciant ante diem conſeneſcunt, vſurpabit illud Homeri ex Odyſſ. τ.

Αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι. Id eſt,

Quippe repente homines curiſque maliſque ſeneſcũt.

## Præſtat canem irritare, quam anum.

Nulla ira atrocior muliebri, maximè quum ad ſexus vitium accedit ſenectus. Canis irritatus tantùm oblatrat. At aniculæ præter linguæ venenum, interdum inſtructæ ſunt malis artibus, veneficiis & incantamentis. Vnde & Menander: Plus eſt periculi anum laceſſere, quàm canem.

## Vno die conſeneſcere.

Theocritus: Verùm quos amor angit, in vna luce ſeneſcunt. Nulla verò res citius accellerat ſenium, quàm animi curæ, amor, odium, inuidentia, metus ac mœror.

## Præmatura mors.

In hunc qui præmatura morte diſceſſerit, ſuperſtitibus parentibus accommodabis illud Iliad. ρ. Οὐδὲ τοκεῦσι

Θρέπτρα φίλοις ἀπέδωκε, μινυνθάδιος δέ οἱ αἰών.

Aſt neque nutricandi gráta parentibus ille

Reddit officia, ſed ei breue contigit æuum.

SERA POENITENTIA.

Cicero.

## Serò ſapiunt Phryges.

Conueniet in eos quos ſtultè factorum ſerò pœnitet.

## Cumani ſerò ſapiunt.

Ὀψὲ αἰσθάνονται οἱ Κυμαῖοι. Id eſt, Serò ſentiunt Cumani. Id adagium refertur à Strabone Geograph. lib. 13. putátque eos vulgò malè audiſſe, tanquam ſtupidos atque inſulſos, ob hanc cauſſam, quod ducentis annis portus vectigalia exegerint, hoc nomine vt vrbem ædificarent, quæ dare tamen non deſierunt, quum iam vrbs eſſet extructa. nihil etiam vetat, quominus dicatur & in illos, qui non niſi malo ſuo docti parent rectè monentibus.

## Malo accepto ſtultus ſapit.

Paulò diuerſius extulit Heſiodus: Δίκη δ' ὑπὲρ ὕβριος ἴσχει
Εἰς τέλος ἐξελθοῦσα παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω.

Tandem ſua pœna nocentem
Conſequitur, paſſúsque ſapit tum denique ſtultus.

Huc referendum & Plautinum illud in Mercatore:

Sophocles.

Feliciter is ſapit, qui alieno periculo ſapit.

## Piſcator ictus ſapiet.

Ἁλιεὺς πληγεὶς νόον οἴσει. Id eſt, Piſcator percuſſus ſapiet. Idque ferunt ab huiuſmodi quodam euentu natum: Quũ piſcator quiſpiam piſcibus quos intra rete tenebat, manum admouiſſet, atque à ſcorpione piſce feriretur, Ictus inquit, ſapiam. Itaque ſuo malo doctus cauit in poſterum.

Homerus.

## Factum ſtultus agnoſcit.

Ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω. Id eſt, Rem peractam ſtultus intellexit. Item illud Demoſthenicum: Non emo tanti pœnitere. Vnde perquàm eleganter Fabius apud Titum Liuium euentum ſtultorum magiſtrum appellat. Nec euentus doceat hoc, inquiens, qui ſtultorum magiſter eſt, ſed ratio.

## Mus picem guſtans.

Theocritus.

Μῦς ἄρτι πίσσης γευόμενος. Siquidem mus imperitus, ſi quando in picem inciderit, aut perit, aut vix eluctatur, ac deinde periculi memor timet contingere. Non intempeſtiuè dicetur in eum, quem penitet experimenti.

Ayuntamiento de Madrid

## Poſt acerba prudentior.

Παθὼν τὰ δεινὰ φρονιμώτερος. Id eſt, Poſt mala prudẽtior.

## Sera in fundo parſimonia.

*Seneca.*

Admonet in tempore parcendum rebus neceſſariis. Perſius ſatyra 2.

--Donec deceptus & expes
Nequidquam fundo ſuſpiret nummus in imo.

## Poſt rem deuoratam ratio.

Quemadmodum de ſera ope dicitur, Poſt bellũ auxilia: ita de ſera parſimonia dicitur, Poſt abſumtã rẽ ſupputatio.

## Quod dedi, datum nollem.

Plautus: Inter nouam rem, inquit, verbum vſurpabo vetus: Quod dedi, non datum vellem. Significat ſe pœnitere, quòd puellæ fecerit copiam.

## Satius eſt recurrere, quàm malè currere.

Præſtat mutare conſilium in melius, quàm in malè inſtitutis pergere. Lucianus: Viſum eſt tandem iuxta vulgi ſermonem potius recurrere, atque currere perperam.

## Optimum aliena inſania frui.

Felix quem faciunt aliena pericula cautum. Admonet adagium, vt ex aliorum erratis ipſi cautiores efficiamur, & alienis periculis reddamur prudentiores. Plautus: feliciter ſapit qui alieno periculo ſapit. *Plinius.*

## Hedera poſt Anthiſteria.

Ἀκιοσὸς μετ' Ἀνθιςήρια. Quum ſerò quippiam adhibetur. Apparet in his ludis morem fuiſſe, coronari hedera. De Anthiſteriis, id eſt, floralibus feſtis diximus in prouerbio, Cares foras.

## Atqui non eſt apud aram conſultandum.

Conſultandum antequàm incipias: in ipſo negotio ſera conſultatio. Sumtum à ſacrificis, qui pro ritu ſacrorum omnia præparant, priuſquàm accedant ad aram.

### SERVM REMEDIVM, AVT TEMPESTIVVM.

## Satius eſt initiis mederi, quàm fini.

*Suidas.*

Perſius: Elleborum fruſtra, quũ iam cutis ægra tumebat,
Poſcentes videas: venienti occurrite morbo.



Ayuntamiento de Madrid

Ouidius: --Serò medicina paratur,
Quum mala per longas inualuère moras.

Pueros admonet à vitiis arcendos, dum adhuc tenera ac tractabilis ætas, ſarciendas protinus offenſas, ne in ſimultatem exoleſcant. Minima vitanda mala, ex quibus maiora ſolent pullulaſcere. Occaſiones euitandas, quæ mali quippiam parituræ videantur.

## Serò veniſti, ſed in colonum ito.

*Idem.* In eos, qui poſt tempus aduenirent, aut qui mercede quippiam facerent. Porro colonus eſt terra æditior, in ſpeciem tumuli ſeu collis.

## Poſt bellum auxilium.

*Idem.* Μετὰ τὸν πόλεμον ἡ συμμαχία. Id eſt, Poſt bellum ſuppetiæ. Quoties ſeriùs adhibetur remedium. Siquidem ægroto mortuo ſerò venit medicus. Et ædibus in cinerem redactis ſerò infunditur aqua.

## Senem erigere.

Γέροντα δ' ὀρθοῦν φλαῦρον ὃς νέος πέσοι. Erigere durum eſt, qui cadat iuuenis, ſenē. Haud facilè dediſcuntùr à ſenibus vitia, quæ pueri didicerint: & in omnē inhæſerint vitam.

## Serò veniſti.

*Plutarchus.* Ὀψ' ἦλθες. Competit in eos qui poſt tempus rem aliquam aggrediuntur, veluti ſi iam ætatis vitio frigidus vxorem paret ducere, aut grandior litteras addiſcere. Huc faciunt etiam locutiones iſtæ prouerbiales: Mortuis mederi, Aquam infundere cineri.

# SERVIRE TEMPORI.

## Seruire ſcenæ.

*Cicero.* Eſt rebus præſentibus ſeſe accommodare. Tranſlata ab hiſtrionibus fabularum, qui hoc vnum ſpectant, vt quouis modo populi oculis placeant.

## Vti foro.

*Terentius.* Eſt præſentem rerum ſtatum boni conſulere, & vtcunque ſeſe obtulerit fortuna, ita animum applicare. Seneca: Vtamur foro, & quod ſors feret, æquo feramus animo.

## Aut bibat, aut abeat.

Aut tempori, locóque nos accommodemus, aut hominū conſuetudine nos ſubducamus. Quidam ſic efferunt: ἢ πί-

Ayuntamiento de Madrid

θι, ἢ ἄπιθι, id eſt, Aut bibe, aut abi. Natum eſt à priſcis illis Græcorum ſympoſiis, hoc eſt, compotationibus.

## Gladiator in arena conſilium capit.

Admonet à re nata mutandum aliquando conſilium, & tempori, quod aiunt, ſeruiendum. Refertur à Seneca. Vetus prouerbium eſt, Gladiatorem in arena capere conſilium. Aliquid aduerſarij vultus, aliquid manus mota, aliquid ipſa inclinatio corporis intuentem monet.

## Polypi mentem obtine.

Πολύποδος νόον ἴσχε. Quo iubemur pro tempore, alios atque alios mores, alium atque alium vultum ſumere. Adagium natum eſt à piſcis huius ingenio. Nam perſequentibus piſcatoribus, petris affigit ſeſe, & cuicunque petræ adhæſerit, eius colorē corpore imitatur, videlicet ne queat deprehendi. *Plutarchus.*

## Spartam nactus es, hanc orna.

Η'ν ἔλαχες Σπάρτην, κόσμει. Id eſt, Spartam quam nactus es, orna, ſiue adminiſtra. Admonet adagium, vt quamcunque prouinciam erimus fortè nacti, ei nos accommodemus, próque huius dignitate nos geramus. *Cicero.*

## Omnium horarum homo.

Qui ſeriis pariter ac iocis eſſet accommodatus. Et apud Terentium: Paucorum hominum homo dicitur. *Quinctil.*

## Sub manu naſci.

Pro, ex tēpore. Seneca: Conſiliū ergo ſub manu naſcatur.

## Aut abi, aut exuere.

Apud Lacedæmonios hic fuit mos, vt in publicis certaminibus neminem cogerent ad congreſſum, ſed legem edicebant, ἢ ἀπιέναι ἢ ἀποδύεσθαι. Id eſt, Aut abire, aut exui. Si transferatur ad rem animi, velut ad diſputandum aut repugnandum carnī, prouerbij vim habet. *Plato.*

# SERVITVS.

## Argentum accepi, imperium vendidi.

Qui accipit beneficium, perdit libertatem. Demenetus pauper vxorem duxerat pulcrè dotatam, ſed in quam nihil haberet imperij. quare inquit: Argentum accepi, dote imperium vendidi. *Plautus.*

## Spartæ ſerui maximè ſerui.

Ayuntamiento de Madrid

Apud Lacedæmonios ingenuis non erat fas diſcere aut exercere vllum opificium, ſed hæc omnia per Helotas [id erat ſeruorum genus, quibus nefas erat vllam artem liberalem vel diſcere, vel exercere] agebant.

## Subiugus homo.

Ὑποζυγιώδης ἄνθρωπος. Qui non arbitratu ſuo, ſed alieno iuſſu facit quippiam. Traductum à iumentis iugalibus. Huc pertinent illæ metaphoræ: Mittere ſub iugum, Deiicere iugum, Excutere iugum, Subducere collum iugo. Ouidius:

Et tua læſuro ſubtrahe colla iugo.

## Leo chordula vinctus.

Lucianus: Leo filo vinctus, ſurſum ac deorſum circumferor, quum quis exiguo commodo captus, apud aulicos oſtentatur paſſim, quòd Princeps tantum alat virum.

## Samij litterati.

Apud Samios inuentæ ſunt vigintiquatuor litteræ, à Calliſtrato. Sic Andron in tripode: Idem Ionum litteras tradidit Athenienſibus. Probabile eſt igitur à repertis, tradiťiſque litteris iocum fuiſſe verſum ad ſtigmata. Nam Samij ſimul & accipiebant & tradebant infames notas.

## Cum ſarcinis enatare.

Seneca: Nemo cum ſarcinis enatat, id eſt, nemo ſeſe recipit in libertatem, niſi contemtis præmiis ſeruitutis. Non enim poteſt euadere occupationes, qui curarum auctoramentum non poteſt negligere.

### SIMILITVDINIS ET CONGRVENTIAE.

## De grege illo eſt.

*Terentius.* Id eſt, Eiuſdem factionis, aut contubernij. Tullius: At vellem te in tuum veterem gregem retuliſſes.

## Noſtræ farinæ.

Eiuſdem farinæ dicuntur, inter quos eſt indiſcreta ſimilitudo. Perſius in 5. Satyra: Noſtræ paulò antè farinæ Pelliculam veterem retines. Perinde quaſi dicat, noſtri gregis, noſtræ conditionis. Pertinet ad illam claſſem: Eadem cera & idem puluis, Eiuſdem notæ, &c.

## Non eras in hoc albo.

Ayuntamiento de Madrid

Hoc eſt,Non eras in hoc numero. Tranſlatum ab albata tabula, in qua quondam ſcribebantur nomina iudicum. *Plinius.*

## Non ſum ex iſtis heroibus.

Οὐκ εἰμὶ τούτων τῶν ἡρώων.Id eſt,Non ſum de numero iſtorum heroum.Id eſt,non ſum ex eorum numero, qui propenſiores ſunt ad lædendum,quàm bene merendum. *Zenodotus.*

## Patris eſt filius.

Τοῦ πατρὸς ἐστι τὸ παιδίον.Ita loquuntur, vbi quis mores imitatur patrios. Et in genere eius filium vocamus quemlibet,quem moribus expreſſerit.

## Aphyarum honos.

Ἀφυῶν τιμή.Quoties humilibus exiguus quiſpiam honos contingit.Nam Aphya piſciculus eſt vilis,cui coquendo nihil adhibetur,præter oleum quo frigitur.

## Terra amat imbrem.

Ἐρᾷ μὲν ὄμβρου γαῖα.Id eſt,Imbrem quidem tellus amat. Vbi quis deſiderat ea,quæ ſibi nouit eſſe accommoda,cõducibiliáque. *Ariſtotel.*

## Scopæ diſſolutæ. Scopas diſſoluere.

Homines nihili,nulliúſque prorſum conſilij,Cicero ſcopas diſſoluere dixit,pro eo,quod eſt rem prorſus inutilem efficere.Nam ſcopæ colligatæ & ſpeciem videntur habere qualẽcunque,&ad verrendũ pauimentũ ſunt accõmodatę, Porrò ſi diſſolueris,nihil inutilius,nihil inelegantius.

## Vno tenore.

Tenorem rei progreſſum vocant. Vnde, quæ ſui ſimilia ſunt,ſibíque veluti perpetua quadam ſuccedunt ſerie, horum eundem eſſe tenorem dicimus.Cicero:Vnus enim tenor eſt orationis,& idem ſtylus.

## Boni ad bonorum conuiuia vltro accedunt.

Αὐτόματοι δ᾽ ἀγαθοὶ ἀγαθῶν ἐπὶ δαῖτας ἴενται.Id eſt,Spõte bonis mos eſt conuiuia adire bonorum. Vbi vir bonus fiducia virtutis & amicitiæ, quæ generalis inter omnes, probos intercedit,ad ſui ſimilem accedit, non exſpectatis vulgaribus iſtis inuitatiunculis. Idem : Conuiua amico amicus vltrò etiam venit. *Plato.*

## Simile gaudet ſimili.

Ὅμοιοι ὁμοίῳ φίλον. Martialis: *Ariſtotel.*

Ayuntamiento de Madrid

Vxor peſſima, peſſimus maritus,
Miror non bene conuenire vobis. Iuuenalis:
Magna inter molles concordia.

*Idem.*

## Malus cum malo colliqueſcit voluptate.

Κακὸς κακῷ γὰρ συντέτηκεν ἡδονῇ. Id eſt, Etenim improbo vir eſt voluptati improbus. Malus malo iucundus ob vitiorum commercium & ſocietatem.

*Cicero.*

## Æqualis æqualem delectat.

Similitudo mater eſt beneuolentiæ, conſuetudinis & familiaritatis conciliatrix. Nam prima familiaritatis conciliatio proficiſcitur ab ætatis æqualitate. In hanc ſententiam extant aliquot veterum prouerbia, quorum eſt illud: ἧλιξ ἥλικα τέρπει, id eſt, Æqualis æqualem delectat.

*Plutarchus.*

## Æqualem tibi vxorem quære.

Τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα. Id eſt, æqualem tibi vxorem ducito. Adagium admonet, ne quis cupiditate aut ambitione allectus, ſe potentiorem ducat vxorem. Tuæ ſortis vxorem ducito. Poteſt & longius trahi, nimirum ad negotium ſuſcipiendum cui ſis conficiendo par & idoneus.

## Iugum idem trahere.

Non diſſimile eſt illi: In eadem eſſe naui, pro eo quod eſt, negotij vices pariter ſuſtinere. Tranſlatum à bubus arantibus.

*Theocritus.*

## Cicada cicadæ cara, formica formicæ.

Nota eſt formicarum politia, & cicadarum concentus.

*Cicero.*

## Ouum ouo ſimile.

De rebus indiſcretæ ſimilitudinis.

## Quàm apes apum ſimiles.

Cicero: Vt ſimilia ſunt & oua ouorum, & apes apum.

## Non tam aqua ſimilis aquæ.

## Non tam lac lacti ſimile.

Plautus vſurpat in Menæchmis: Nec aqua aquæ, nec lac lacti, crede mihi, vſquam ſimilius, quàm hic tui eſt, túque huius.

*Ariſtotel.*

## Furem fur cognoſcit, & lupum lupus.

Ἔγνω δὲ φῶρ τε φῶρα, καὶ λύκος λύκον. Id eſt, Fur furem cognouit, & lupus lupum. Amant enim vulgò ſe mutuò,

Ayuntamiento de Madrid

qui ſimilibus vitiis laborant.

Semper ſimilem ducit Deus ad ſimilem. *Idem.*

Duo inter ſe ſimiles plerunque bene conueniunt.

Semper graculus aſſidet graculo. *Diogenian.*

Α'εὶ κολοιὸς πρὸς κολοιὸν ἵζάνει. Id eſt, Aſſidet vſque graculus apud graculum. Porrò graculorum conuentus olim notos fuiſſe teſtatur M. Varro libro De re ruſtica.

Similior ficu.

Ο'μοιότερος σύκου. Per iocum dicebatur de vehementer inter ſe ſimilibus.

Aut ipſe fuiſti, aut tui ſimillimus.

Siquando per iocum indicabimus eundem aliquem fuiſſe, qui tamen ſe fuiſſe eat inficias.

Omnia ſimilia.

Eadem eſt conditio mortalium.

Crobyli iugum.

Κρωβύλου ζεῦγος. De ſocietate duorum pari improbitate dici conſueuit. Ductum à Crobylo lenone ſceleſtiſſimo. Is duo ſcorta domi alebat.

Eadem cera.

Ε'ν κηρίον. Id eſt, Idem fauus. Dicebantur, qui vno ore idem affirmarent. Ductum à fauorum cellullis inter ſe connexis.

Ficus poſt piſces.

Quadrabit, vbi dicemus aliis alia congruere. Quemadmodum poſt carnes caſeum, poſt piſces nuces iubent vulgo apponi.

Ouo prognatus eodem. *Horatius.*

Vultus, ingenium, mores, facta, ac prorſus omnia ſic huic cum hoc conueniunt, vt iures eodem prognatos ouo. Ariſtoteles oſtendit iuxta naturam fieri, vt ex eodem ouo duo pulli naſcantur.

Catulæ dominas imitantes.

Τὰς δεσποίνας αἱ κύνες μιμούμεναι. Id eſt, Dominas imitantes catellæ. Vbi ſerui dominorum ferociam repræſentant. Quoties ij, qui ſubſunt, eorum exprimunt mores, ſub quorum imperio degunt. Iuuenalis:

Ayuntamiento de Madrid

Maxima quæque domus ſeruis eſt plena ſuperbis.

## Similes habent labra lactucas.

*Hieronymus.* Vbi ſimilia ſimilibus contingunt, veluti præceptori parum docto diſcipulus indocilis, improbo populo magiſtratus improbus, vxori moroſæ maritus moroſus. Breuiter, quoties mala malis, digna dignis eueniunt. Natum adagium ab aſino carduos paſcente.

## Qualis hera, talis pediſſequa.

Qualis pater, talis filius.

## Aſpis à vipera.

*Tertullia.* Quum peſſimus à peſſimo ſumit mali quippiam.

## Aut piſcem olet, aut florem.

*Ambroſius.* Dictum in eum, qui bene oleret, quòd timallus piſcis ſit odore gratiſſimus, & æquè fragrans eiuſdem nominis flos. Ita idem pronunciatus eſt piſcis odor eſſe, qui floris. Quid ſpecie tua gratius? quid ſuauitate iucundius? quid odore fragrantius? Quod mella fragrant, hoc tu corpore tuo ſpiras.

## Sequitur perca ſepiam.

Comitem ducit ſepia percam. Dictum de improborum ſocietate.

## Dignum patella operculum.

Hieronymus ad Chromatium: Dignum patella operculum. In mea enim, inquit, patria ruſticitas vernacula. Deus venter eſt, & in diem viuitur: & ſanctior eſt ille, qui ditior eſt. Acceſſit huic patellæ, iuxta tritum populi ſermone prouerbium, dignum operculum. Significat autem Epiſcopum ad improbos populi mores accommodatum.

## In matellam immeiere.

Εἰς τὴν ἀμίδα ἐνουρεῖν. Quum ſordidè tractantur, aut ad munus aliquod parum honeſtum adhibentur ii, qui non indigni videantur, vtpote ipſi ſordidi atque inhoneſti, quaſique ad contumelias ferendas facti.

## Conto nauiga.

*Suidas.* Κοντῷ πλεῖν. Conto nauigare dicebantur, qui ſic rebus vterentur, quemadmodum vti conueniebat aut qui vitæ genus ſuo accommodatum ingenio ſequerentur. Itidem, non ad quamuis vitam quiuis idoneus eſt.

Ayuntamiento de Madrid

Ipſa holera olla legit. Catullus.

Quære, Malum accerſitum.

Surdaſter cum ſurdaſtro litigabat.

Iudex autem erat vtroque ſurdior, quum res agitur inter vndequaque ridiculos ac ſtultos. Extat in hanc ſententiam epigramma Græcum Nicharchi, quod Thomas Morus olim adoleſcens, ſcitè vertit.

Caſcus caſcam ducit.

Quoties ſimilis ſimilem delectat, vetulus vetulam, deformis deformem. Nam antiquitus caſcum dicebatur, quod nos vetus appellamus. Videtur eſſe iocus in anum vetulo nuptam. Huc pertinet: Vbi tu Caius, ego Caia. Varro.

Omnia idem puluis.

Πάντα μία κόνις. De indiſcreta ſimilitudine vtitur Lucianus. Alludens ad defunctorum cineres, inter quos nihil apparet diſcriminis.

Omnia ſub vnam Myconum.

Πάνθ᾽ ὑπὸ μίαν Μύκονον. Eſt autem Myconus ex Cycladibus vna, in qua fabulis proditum eſt poſitos eſſe gigantes poſtremos ab Hercule confectos. Vnde ductum illud prouerbium in eos, qui res natura diuerſas eodem titulo complectuntur. Itaque qui eodem libro Grammatica pariter & Theologica, item Dialectica & Iuriſconſultorum litteras tradat. Strabo.

Conuenerunt Attabas & Numenius.

Συνῆλθον Ἀτλαβάς τε καὶ Νυμήνιος. Id eſt, Coniunctus eſt ſuo Attabas Numenio. Dici ſolitum, quoties improbus aggregatur cum impropo. Diogenianus tradit hos inſigne par furum fuiſſe.

Eundem calceum omni pedi inducere.

Galenus loquitur de quibuſdam medicis imperitis, qui non habita ratione morborum, eadem remedia admouent omnibus. Non diſſimile illi: Scis ſimulare cupreſſum. Hieronymus: Nec ad inſtar imperiti medici, vno collyrio omnium oculos velle curare.

Nauſon Naucrati.

Νάυσων Ναυκράτῃ. Quoties aliqui ſimilia inuicem reſpondent. Veluti ſi quis herus ſalutatus, herum reſalutet.

Ayuntamiento de Madrid

Et nebulo compellatus, nebulonem viciſſim compellet. Nauſon enim & Naucrates, vtrumque à naue dicitur, perinde quaſi dicas, nauta nautæ.

## Noui Simonem, & Simon me.

*Zenodotus.* De iis dicebatur, qui pares eſſent. Zenodotus ſcribit duos fuiſſe ductores, notæ vtrumque improbitatis.

## Cretenſis Cretenſem.

Ὁ Κρὴς τὸν Κρῆτα. Subaudi quod erit commodum ſententiæ, prouocat, conatur circumuenire, aut tale quippiam. Sumtum è Cretenſium moribus, quos plurimis conuitiis inceſſiuit antiquitas.

## Cretenſis cum Ægineta.

Κρὴς πρὸς Αἰγινήτην. Subaudiendum, agit. Quadrabit in pariter improbos, qui mutuis inter ſe fallaciis agunt. Nam Æginetæ olim male audierunt: in quos etiam oraculum illud quidam editum putant, Neque tertii, neque quarti.

## Ver hiemem ſequitur.

Rerum vices ſignificat. Et triſtibus ſuccedunt lætiora.

## Cretiza cum Cretenſi.

*Plutarchus.* Πρὸς Κρῆτα Κρητίζειν. Id eſt, Aduerſum Cretenſem Cretiza, id eſt, aduerſus mendacem mendaciis vtere. Græci κρητίζειν pro mentiri dicunt.

## Chius ad Coum.

Χῖος πρὸς Κῶον. De comparatione vehementer inæquali dicebatur. Nam in ludo talorum, iactus qui Chius dicebatur, vnioni reſpondebat, Cous ſenioni. Fit autem interim alluſio ad gentes, quantum vtriuſque mores non caruerunt nota.

## Vulpinari cum vulpe.

Ἀλωπεκίζειν πρὸς ἑτέραν ἀλώπεκα. Id eſt, Cum vulpe vulpinare tu quoque inuicem. Cum aſtutis aſtutiis agito. Horatius:

Nunquam te fallant animi ſub vulpe latentes.

## Clauum clauo pellere.

Ἥλῳ τὸν ἧλον ἐκκρούειν. Et paxillum paxillo pepuliſti. Id eſt, Malum alio malo depuliſti.

## Cum Care Carizas.

Πρὸς

Ayuntamiento de Madrid

. Πρὸς Κᾶρα Καρίζεις. Id eſt, Cum Çare Carizas. Ruſticè agis cum ruſtico, barbarè loqueris cum barbaro, craſsè cum craſſo. Cares populi ſunt Phrygiæ, quorum mores prouerbiis aliquot locum fecêre. *Diogenian.*

## Mali thripes, mali ipes.

Κακὰ μὲν θρίπες κακὰ δ' ἶπες. Id eſt, Mala quidem thripes, mala rurſum ipes. De duplici malo dici ſolitum, vt non magni referat, vtrum elegeris. Thrips enim Græcis vermiculus eſt, qui lignis innaſcitur materiáſque vitiat. Ips item cornibus & vitibus infectus. *Idem.*

## Balbus balbum rectiùs intelligit.

Barbarus barbari orationem. Eſt quippe prouerbium, Balbum melius balbi verba cognoſcere. *Hieronym.*

## Bithus contra Bacchium.

Bithus & Bacchius, nobile par gladiatorum fuit, pares arte & pares audacia. Horatius: --Vti non

Compoſitus melius cum Bitho Bacchius.

## Eſernius cum Pacidiano.

Erant & hi gladiatores per omnia pares, longéque omnium nobiliſſimi: Nota hîc diuorum Theologorum diſputationem, Londini apud Britannos habitam. *Lucullus.*

## Non filius Achillis.

Οὐ παῖς Ἀχιλλέως, ἀλλ' Ἀχιλλεὺς αὐτὸς εἶ. Id eſt, Haud ſatus Achille, verùm Achilles ipſus es. E tragœdia quapiam aut comœdia ſumtum videtur. Terentius: Hem alterum hunc ad hoc natum dicas. *Plutarchus.*

## Ab vno digrammate.

Eſt autem digramma, pictura deſcriptióque Philoſophorum, qua rem exponunt oculis, vt perinde valeat, quaſi dicas, de eadem formula. *Idem.*

## Eodem in ludo docti.

Dicebantur ſimilibus vitiis laborantes, & improbitate pares. Terentius in Hecyra: In eodem omnes mihi videntur ludo doctæ ad malitiam.

## Eiuſdem muſæ æmulus.

Eiuſdem artis aut diſciplinæ ſtudioſus. Græci ὁμοτέχνους appellant eiuſdem artis opifices. *Gellius.*

## Iiſdem veſcentes cepis.

K

Ayuntamiento de Madrid

*Ariſtoph.* Ταυτὸν θύμον φαγόντες. Id eſt, Qui idem ederent thymum. Congruit in pauperes ac bonos viros inter ſeſe amicos. Thymon enim viliſſimum herbæ genus, quo tenues & agreſtes vtcunque vitam ſuſtinent. Quidam cepam agreſtem eſſe putant.

## Bonus cantor, bonus cupediarius.

*Archide.* Ἀγαθὸς ψάλτης, ἀγαθὸς ζωμοποιός. In vituperium Muſicæ artis dictum, quaſi eiuſdem hominis ſit aures delectare cantu, & palatum cupediis.

## Mars haud concutit ſua ipſius arma.

Ἄρης τὰ αὑτοῦ ὅπλα οὐ σαλεύει. Id eſt, Mars ſua ipſius arma non iactat. Commodè feruntur, quibus aſſueuimus, quæque nobis quadrant, etiam ſi ſint grauiſſima. Iactamus enim quod incommodè ferimus. Iuuenalis:

Nec iactare iugum vita didicêre magiſtra.

## Stultus ſtulta loquitur.

*Euripides.* Μωρὰ γὰρ μωρὸς λέγει. Id eſt, Nam ſtulta ſtulti oratio eſt. Talis hominibus fuit oratio, qualis & vita. Extat carmen Græcis celebratum.

Ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται.

Hominis figura oratione agnoſcitur. Democritus orationem vitæ ſimulacrum, quandamque velut vmbram eſſe dicebat. Nam nullo in ſpeculo melius, expreſſiuſque relucet figura corporis, quàm in oratione pectoris imago repræſentatur. Neque ſecius homines ex ſermone, quàm ærea vaſa tinnitu dignoſcuntur.

## Inanium inania conſilia.

Κενοὶ κενὰ βουλεύονται. Quum quis ſua ſpe fruſtratur.

## Malo nodo malus quærendus eſt cuneus.

Eo licebit vti, quoties malum ſimili malitia retundimus.

*Hieronym.* Sophocles: Πικρὰν χολὴν κλύζουσι φαρμάκῳ πικρῷ.

Remedio amaro bilem amaram diluunt.

## Mons cum monte non miſcetur.

Ὄρος ὄρει οὐ μίγνυται. Non conuenit inter pariter elatos.

## Mores hominum regioni reſpondent.

Et plantarum ſemina, & hominum mores ad regionis habitum reſpondent. Ex mollibus enim regionibus molles homines naſci ſolere.

Ayuntamiento de Madrid

Beſtia beſtiam nouit.

In ſimilitudinis & affinitatis prouerbia refert Ariſtoteles. Congruet vbi conuenit inter duos pariter improbos.

Idem Acij quod Titij.

Significat eodem iure futurum filium decimo menſe natum, quo eum, qui natus ſit vndecimo.

Aſinus aſino pulcerrimus.

Epicharmus: Cani pulcerrimus canis videtur, bos boui. Aſinus aſello pulcer eſt, & ſus ſui, Hoc eſt: Simile ſimili placet, Miles militi, Alcator aleatori, Potator potatori, Sophiſta ſophiſtæ.

Doribus Doricè loqui fas eſt.

Conueniet in homines natura loquaces, aut quum oratio reſpondet moribus & ingenio: velut quum Pœnus fraudulenter loquitur, aut leno lenone digna.

Nouum cribrum nouo paxillo pendeat. *Non. Marcellus.*

Quadrabit in eos, qui noui quippiam comminiſcũtur.

Purus putus.

Plautus purum putum dixit, pro prorſus ac verè purus.

Veſtigiis inhærere.

Qui imitatur exempla progenitorum, maiorum veſtigiis inhærere dicitur, Similiter qui degenerant à progenitorum aut præceptorum exemplis, ab illorum veſtigiis dicebantur recedere.

SIMVLATIO, DISSIMVLATIO.

Salem & fabam.

Ἅλα καὶ κύαμον. Subaudiendum, propoſuerunt. Diogenianus admonet dici ſolitũ de his, qui fingerent ſe ſcire quippiam, quod neſcirent. Atque hinc natum eſſe prouerbium, quod olim mos fuerit vt diuini ſalẽ & fabã proponerent.

Plures thriobolos, paucos eſt cernere vates. *Zenodotus.*

Πολλοὶ θριοβόλοι, παῦροι δέ τε μάντιες ἄνδρες. Id eſt, Plures triobolos, paucos eſt cernere vates. Philochorus auctor eſt olim tres nymphas Apollinis nutrices, Parnaſſum ĩcoluiſſe, quæ Thriæ dicerẽtur, vnde poſtea receptum ſit, vt calculi, ſorteſque diuinorum Thriæ vocarentur. Vnde thrioboli,



Ayuntamiento de Madrid

qui thrias in vrnam diuinam iaciunt.

## Multi thyrſigeri, pauci Bacchi.

Πολλοὶ τοι ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε Βάκχοι. Id eſt, Plures thirſigeros, paucos eſt cernere Bacchos. Quo ſignificatum eſt, compluribus mortalium adeſſe virtutis inſignia, aut etiam famam, qui tamen vera virtute vacent. Non omnes veri Theologi, qui pileum theologicum gerunt. Non omnes monachi, qui cucullo onerantur. Tranſlatum à ceremoniis Bacchanalium in quibus thyrſos, id eſt, haſtas quaſdam viteas quatiebant afflati furore.

## Multi, qui boues ſtimulent, pauci aratores.

Πολλοὶ βουκένται, παῦροι δέ τε γῆς ἀροτῆρες. Id eſt, Qui tauros ſtimulent multi, ſed rarus arator. Multi præ ſe ferunt, quod non ſunt.

## Non omnes, qui habent citharam, ſunt citharœdi.

*Varro.*

Huc adſcribendum videtur, quod lepidè ſcripſit Seneca, quendam perſonam malle, quàm faciem. Faciem vocat, vbi quis talis videtur qualis eſt: perſonam, quum præ ſe fert aliquis quod non eſt. Non is rex, cui contingit amplum imperium, ſed qui ſciat adminiſtrare.

## Aſinus apud Cumanos.

Ὄνος παρὰ Κυμαίοις. Competit in eos, qui quum ſint inepti, ridiculíque, tamen apud ignotos ipſa nouitate habentur in pretio. Aut in eos quibus honos aliquis præter meritum additus à fortuna, tumorem & inſolentiam, ita vt ferè fit, cõciliat. Demoſthenes: Τὸ γὰρ εὖ πράττειν παρὰ τὴν ἀξίαν, ἀφορμὴ τοῦ κακῶς φρονεῖν τοῖς ἀνοήτοις γίνεται. Felicitas enim & rerum ſucceſſus, qui contigerit immerenti, ſtultis veſaniæ cauſſam præbere ſolet. Narrauimus alibi fabulam de aſino fugitiuo, qui apud Cumanos ſe geſſit pro leone.

## Flere ad nouercæ tumulum.

Πρὸς τὸν μητρυιῆς τάφον δακρύειν. Ad nouercæ tumulum lacrymari, eſt ſimulare geſtu dolorem, quum re gaudeas. Quod idem de diuitis heredibus non inconcinnè dicetur, in quos extat Publianus ille Mimus, cum primis elegans: Heredis fletus ſub perſona riſus eſt.

## Megarenſium lacrymæ.

Ayuntamiento de Madrid

Μεγαρέων δάκρυα. Dicebantur vel ſictæ,nec ex vero dolore profectæ, vel vi adactæ. Diogenianus ad huiuſmodi refert hiſtoriam:Bacchius quidam Corinthius,Clytii Megarenſium regis filiam vxorem duxerat. Ea defuncta,Clytius compluteis virgines adoleſcentes Corinthum miſit, qui in funeralibus pompis puellam deplorarent, lacrymis vtique fictis.

## Acciſſare.

Ἀκκίζειν. Scribunt Acco mulierem fuiſſe quampiam notæ ſtultitiæ, quæ ſolita ſit ad ſpeculum cum imagine ſua, perinde atque cum alia muliere confabulari, vt hinc vulgo quæ ſtultius aut ineptius aliquid agerent, acciſſare dicerentur,& Accus nomine compellarentur. Apparet illud etiam moribus huius mulieris adfuiſſe, vt recuſaret, quæ tamen cupiebat, vnde & Acciſmus, ficta huiuſmodi recuſatio dicatur.

## Hæſitantia cantoris tuſſis.

Ἀπορία ψάλτου βήξ. Dictum videtur quoties non ſuppetit quod dicamus, idque velut aliud agentes diſſimulamus, velut apud Platonem Ariſtophanes, ne diceret in conuiuio, ſingultum fingit. Sumtum apparet à cantoribus.

## Tuſſis pro crepitu.

Βὴξ ἀντὶ πορδῆς. Dici ſolitum, quoties aliquis perplexus, aliud pro alio ſimulat. Veluti ſi quis in adulteræ domo deprehenſus, fingeret ſe quippiam mercatum veniſſe. Tranſlatum ab iis, qui crepitum clara tuſſi diſſimulant.

## Cretenſis mare.

Ὁ Κρὴς τὴν θάλασσαν. Subaudiendum, neſcit, aut metuit. In eos, qui neſcire fingerent, quod egregiè callerent. Etenim qui conſentaneum eſt, Cretenſes quum ſint inſulares, ignorare mare quo cinguntur vndequaque? *Strabo.*

## Conniuere.

*Cicero.*

Prouerbiali metaphora conniuere dicuntur, qui prudentes, culpam quam intelligunt, indulgentia tamen ac ſtudio diſſimulant. Eſt autem conniuere ſubinde claudere oculos, quemadmodum ii, qui non ferunt lumen Solis.

## Simia fucata.

Πίθηκος ἀνάπλεως ψιμμυθίου. Id eſt, Simia plena fuci. De



Ayuntamiento de Madrid

deformi anu,fucata tamen,& meretriciis culta lenociniis. Poteſt & ad rem accommodari, veluti ſi quis turpem cauſſam orationis phaleris adornet, vt honeſta videatur.

## Simia barbata,ſeu caudata.

Dici ſolitum de ridiculis.

## Sileni Alcibiadis.

Σειλωνοὶ Ἀλκιβιάδου. Quo licebit vti,vel de re,quæ quum in ſpeciem, & prima (quod aiunt) fronte vilis ac ridicula videatur, tamen interius ac propius contemplanti ſit admirabilis: vel de homine,qui habitu,vultúque longè minus præ ſe ferat,quàm in animo claudat. Aiunt enim Silenos imagunculas quaſpiam fuiſſe factiles, & ita factas, vt diduci & explicari poſſent,quæ clauſæ ridiculam ac monſtroſam tibicinis ſpeciem habebant.

## Eſurienti vulpi ſomnus obrepet.

*Diogenian.* Πεινώσαν ἀλώπεκα ὕπνος ἐπέρχεται. Vbi quis inopia cibi dormit. Pauperem autem vulpem appellat, quòd callida ſit inopia,& multarum repertrix artium.Neque perperam dicetur & in illos, qui diſſimulant,conniuentque ad quædam, vt per occaſionem aliquid commodi ferant. Siquidem vulpes vrgente fame ſomnum adſimulat, vt allectas aues capiat, deuorétque.

## Audiens non audit.

Sunt quidam, qui ſi quid parum placet, id ſcitè diſſimulant. Idem,Diſſimulans audiſſe.

## Illò reſpiciens,ſed hîc remitte bona.

*Ariſtoph.* Ἐκεῖ βλέπουσα δεῦρ᾽ ἀνίει τ᾽ ἀγαθά. Id eſt, Illud tuens, at huc remitte commoda. Conueniet,quum aliud præ nobis ferimus, aliud facimus: aut quum aliis adblandimur, in alios re beneficium conferimus.

## Patrocli occaſio.

Πατροκλέους πρόφασις. Diogenianus oſtendit dici ſolere de iis,qui quum ob metum non auſint proprias deplorare calamitates deflent eas ſub prætextu luctus alieni.Vel qui laudandis aliis,ſuas ipſorum laudes inſinuant.

## Melle litus gladius.

In perniciosam adulationem dici ſolitum. Hieronymus Auguſtini epiſtolam mellitum gladium appellat,propterea

quòd pariter & reprehenſionem haberet, quaſi gladium quo iugularet, & blandimenta, quibus reprehenſionis aſperitatem diſſimularet.

## Altera manu fert lapidem, altera panem oſtentat.

*Plautus.*

Torquebitur in eos qui coram blandiuntur, clam obtrectantes, palam amicos agunt, clanculum nocent: aut qui hîc proſunt, illic lædunt. Simile huic eſt, Altera manu ſcabit caput, altera malam ferit.

## Charadrium imitans.

*Gregorius. Theologus.*

Dici ſolitum de diſſimulante, ac rem vtilem occultãte. Suidas huic aui narrat vim ineſſe medicam, vt illius aſpectu facilè ſanentur qui laborant ictero, ſeu regio morbo: eam ob cauſam qui vendunt, occultant eam, ne licitator remedium ſentiat, priuſquam emerit.

## De reduuia queritur maiori obnoxius malo.

Vbi quis prauo pudore, leuiſſimis malis quærit remedium, diſſimulans maiora.

## Simia in purpura.

Πίθηκος ἐν πορφύρᾳ. Id eſt, Simia purpurata. Lepidè transfertur in eos qui barba pallióque ſimulant ſanctimoniam.

## Poſtico diſcedere.

*Galenus.*

Dicitur qui furtim abit, aliis inſciis ſeſe ſubducens. In hos congruet quos pudet παλινῳδεῖν, ſed diſſimulanter transferunt in alienam ſententiam.

## Barba tenus ſapientes.

Sic appellantur Philoſophi & Sophiſtæ, ἐκ πώγωνος σοφοί, id eſt, Barba tenus ſapientes. Quia præter barbam & pallium nihil haberent Philoſophi. Huc ſpectat illud Herodis Attici: Video barbam & pallium: Philoſophum non video. Recte torquebitur in hos qui vniuerſam vitæ ſanctimoniam non in animo, neque in moribus, ſed in cultu conſtituunt.

## Alia Leucon, alia aſinus illius portat.



Ayuntamiento de Madrid

Effertur aqud quoſdam ad hunc modum: Ἄλλα μὲν Λεύκων, ἄλλα δ' ὁ Λεύκωνος ὄνος φέρει, id eſt, Alia Leucon, alia Leuconis aſinus portat. In eos dicebatur, quorum oratio diſſentiret à factis, ſumtum à Leucone agricola quo minùs pecuniæ ſolueret, dixit vectigalium exactoribus, ſe hordeum portare, quum vtres melle plenos ferret. Aſinus in terram lapſus aliquando effudit onus. Tum demũ cognouerunt illi, mel in vtribus eſſe, non hordeum: dicentes, Alia Leucon, alia portat aſinus.

## Paries dealbatus.

Τεῖχος κεκονιαμένος. Aut incruſtatus. Paulus Apoſtolus in Actis Ananiã ſacerdotem fictum & fucatum, parietem dealbatum appellat. Chriſtus ſanctimoniæ ſimulatores ſepulcra dealbata vocat.

## Non omnibus dormio.

Non omnibus dormire dicuntur, qui non omnibus inſeruiunt, neque per omnia gerunt morem. Plutarchus fabulam ſuper hac re non illepidam narrat. Quum Galba quiſpiam conuiuio Mecænatem accepiſſet, ſentiretque iam è nutibus, hominem inflammatum in vxorem ſuam, ſenſim demiſit caput, perinde quaſi dormiret. At quum intereà famulus quiſpiam ad menſam accedens, vinum clã tolleret, ibi iam vigil & oculatus: Infelix, inquit, an neſciebas me ſoli Mecænati dormire?

## Lepus dormiens.

Λαγὼς καθεύδων. Quadrabit in eum qui quod non facit, id facere ſeſe adſimulat, aut quod facit, ſe facere diſſimulat: nam leporem patentibus genis dormire tradunt auctores.

## Mortuus iacet pedens.

Νεκρὸς κεῖται βδέων. Dici ſolitum, ſi quando pauper ſimularet opulentiam. Apud vnum Apoſtolium Byzantiũ reperi, & haud ſcio an ipſi vulgóque reliquendum.

## Crocodili lacrymæ.

Κροκοδείλου δάκρυα. De iis, qui ſeſe ſimulant grauiter angi incommodo cuiuſpiam, cui perniciem attulerint ipſi. Sunt qui ſcribant crocodilum conſpecto procul homine, lacrymas emittere, atque eum mox deuorare.

Ayuntamiento de Madrid

## Beneuolus trucidator.

Εὔνους σφάκτης, Id eſt, Beneuolus occiſor. Conuenit in hos, qui quum ſummam adferunt perniciem, tamen beneuolentiæ ſpeciem admiſcent. Confine eſt illud quod alibi recenſuimus: Intempeſtiua beneuolentia nihil à ſimultate differt.

## Extra quærere ſeſe.

Perſius Satyra prima: Examenque improbum in illa
Caſtiges trutina, nec te quæſiueris extrà,
Tuis te facultatibus metiaris, non populari opinione.
Et, Tecum habita, & noris quam ſit tibi curta ſupellex. *Lucianus.*

## Æſopicus graculus.

Αἰσώπειος κολοιός. Dicitur, qui aliena ſibi vſurpat, aliorumque bonis ſeſe venditat. Horatius: Moueat cornicula riſum. Furtiuis nudata coloribus.

## Aurum ſubæratum.

Ὑπόχαλκον χρυσίον. Dicitur homo nequaquam ſyncerus, ſed aliud præ ſe ferens, aliud intus occulens. Sumtum à numiſmatis adulteratis.

## Diu diſſimulatum aperientis.

In eum, qui quod diu diſſimulauit, tandem irritatus eloquitur, non inconcinnè detorquebitur illud Homeri.

Ἀλλ' ὅτε δὴ ῥ' ὄπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος ἵει,
Aſt vbi iam promit prægrandem è pectore vocem,

## Scytha acciſſans aſinum.

Ἀκκιζόμενος Σκύθης τὸν ὄνον. Id eſt, Acciſſans Scytha aſinum. Aduerſum eos qui verbis auerſantur, quod re cupiũt. Id ad huiuſmodi fabulam referunt: Quidã conſpecto aſini cadauere, Scythæ cuidam qui fortè aderat, dixit: En quod cenes. Ille primum aſpernatus atque abominatus, poſteà tamen apparauit, cenauitque.

# SOLITVDO.

## Ne muſca quidem.

Plautus in Truculen. Quas tu mulieres mihi narras? Vbi muſca nulla femina eſt in ædibus. Hac prouerbiali hyperbole maximam hominum ſolitudinem ſignificamus.

## Nullum animal, quod animal.

Ayuntamiento de Madrid

M. Tullius ad Atticum: Terentij veſtigium nullum agnoui. Martagenes certè periit. Fecit iter per poſſeſſionẽ, in qua animal reliquum nullum eſt.

## Scytharum ſolitudo.

Σκυθῶν ἐρημία. Pro ſummis calamitatibus, exitióque dictum eſt. Ductum autem inde, quòd Scythæ nullis certis ſedibus vtantur, ſed vagi ferantur in plauſtris. Eam ob cauſam regio feris abundat.

# SOLICITVDO.

## Tantali lapis.

Ταντάλειος λίθος. Tantali lapidem vocant, imminens capiti periculum. Sumtum à fabula Tantali, quem quidam fingũt apud inferos etiam hoc ſupplicij genus pati, vt ingẽs ſaxum ſic immineat capiti, vt iamiam caſurũ videatur.

## Mens eſt in tergoribus.

Ὁ νοῦς ἐστὶν ἐν τοῖς σκύτεσιν. Id eſt, Animus eſt in tergoribus. De ſolicitis dictitari ſolitum, quique malum aliquod imminens timere videntur.

*Heſychius.*

## Ναγκιασορεύειν.

Dicebãtur, qui ſtudio quippiam eleuarent. Alij putant ναγκιασορεῖς dici ſolitum ei, qui quum videretur confiteri, non confitebatur, perplexis verbis occultans mendacium: quòd fere ſolent hæretici in diſcrimen adducti. Vox compoſita videtur à ναί, quod eſt affirmantis, & κίσσα pica, ῥέω fluo: quòd inuoluta loquacitate vrgent, quod affirmare videntur, rurſus affirment quod negant. Meminit Heſychius.

## Σκυτοβλέπει.

Id eſt, vt verbum verbo reddam, Tergora tuetur. Confine proximo, quo ſignificabant quempiam præ ſe ferentem vultu, quòd mali quippiam inſtare ſuſpicaretur, idque coniecturis aliquibus colligeret, veluti ſi quis conſpectis boum tergoribus, bellum futurum colligeret, quod his integantur clypei.

*Ariſtoph.*

## Animus eſt in coriis.

Simillimum illi Terentiano: Animus eſt in patinis. Interpres admonet huius prouerbij, ἐπὶ σκύτη βλέπει, de his qui iam ad bellum ſpectant. Licebit vti, quũ ob ſolicitudinem erit aliquis ad id, quod agitur, in præſentia parum attẽtus.

Ayuntamiento de Madrid

## Similes videntur captiuis ex Pylo.

*Idem.*

Ε'οίκασι τοῖς ἐκ Πύλυ ληφθεῖσι τοῖς Λακωνικοῖς. Captiuis mihi ſimiles videntur è Pylo Laconicis. Dici ſolitum de iis qui vultu ſunt miſerando, nempè pallidi, ſqualidi, macilenti. Pylus ciuitas quæpiam Laconicæ, quam obſeſſam, Cleon expugnauit.

## Arctum annulum ne geſtato.

*Pythago.*

Μὴ φορεῖν στενὸν δακτύλιον. Hoc eſt, (interprete diuo Hieronymo) Ne vixeris anxiè. Siquidem quiſquis annulũ anguſtum geſtat, is ſibi quodammodo vincula iniicit.

## Cor ne edito.

*Idem.*

Μὴ ἐσθίειν τὴν καρδίαν. Hoc eſt, Ne curis tuum ipſius animum excrucies.

## In via ne ſeces ligna.

*Idem.*

Non eſſe diſcruciandam vitam curis, & anxiis cogitationibus quidam exponunt.

## Sale & aceto.

Parcum tenuéque prandium ſignificatur. Plaut. in Rudẽ. Sed hic Rex cũ aceto pranſurus eſt, ſine bono pulmento. Miſeris, opſoniorum loco ſal eſt cum aceto.

### SOMNOLENTIA.

## Endymionis ſomnum dormis.

*Ariſtotel.*

Ε'νδυμίωνος ὕπνον καθεύδεις. In eos quadrabit qui ſe immodico ſomno ſaginant, aut qui diuturno in otio verſantur: nec vllis ſe negotiis exercent, ſed mollem feriatámque agũt vitã. Natum à puero Endymione adprimè formoſo.

## Vltra Epimenidem dormis.

*Gellius.*

Υ'πὲρ τὸ Ε'πιμενίδην κεκοίμησαι. Id eſt, vltra Epimenidis ſomnum dormiſti. In eos dicetur, qui perpetuum agũt otium. Epimenides Cretenſis ambulando feſſus in ſpecum quendam ſubierat, illic obdormiuit, nec expergectus eſt à ſomno, ante exactos annos quadraginta ſeptem.

## Salem vehens dormis.

Α'λας ἄγων καθεύδεις. Id eſt, Salem portans dormis. Quadrabit in eum, qui in re periculoſa ſocorditer atque indulgenter agit, propterea quòd ſal in fluxu ſentinæ facile corrumpitur.

Ayuntamiento de Madrid

*Homerus.* Non decet Principem ſolidā dormire noctem.

*Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.*

Haud dignum Duce id eſt, noctem dormire per omnē. Admonet parœmia, vigilantiam ac ſolicitudinē maximè conuenire cum Principibus. Virgilius:

At pius Æneas per noctem plurima voluens.

## SORDES ET PARSIMONIA.

### Tribus minis inſumtis, duodecim imputat.

Quadrabit in eos, qui non niſi compendij ſui gratia colunt amicos, & pro quamuis exiguo officio multum beneficiorum exſpectant. Vulgò item aiunt: Pileum donat, vt pallium recipiat.

### Cumini ſector.

*Ariſtotel.* Impendiò parcus ac ſordidus, olim prouerbio κυμινοπρίστης. Id eſt, Cumini ſector dicebatur. Eſt autem cuminum per ſe exilis herba.

### Ficus diuidere.

Σῦκα μερίζειν. Vnde licebit & cognomen fingere συκοπρίστης. Martial. Quadringenta ſecat, qui dicit σῦκα μέριζε. Sordidum ac parcum ſignificans, etiamſi ditiſſimum.

### Nullus emtor difficilis bonum emit opſonium.

*Iul. Pol.* Οὐδεὶς δυσώνης χρηστὸν ὀψωνεῖ κρέας. Difficilis emtor haud bona emit opſonia. Qui nimium vili ſtudet emere, ſemper merces vitioſas emit. Conueniet in hos, qui paullulo labore conantur egregias aſſequi litteras.

### E Patroclis domo venit.

Ἐκ Πατροκλέους. Id eſt, E patroclis domo. In ſordidos. Sumtum à moribus Patroclis cuiuſdam Athenienſis, prædiuitis quidem, verum impendiò parci ſordidíque, quem vetus Comœdia talem ferme depingit, qualem Plautus Euclionem.

### Cochleæ vita.

*Plutarchus.* Κοχλίου βίος. De iis qui parcè paruóque viuunt, aut contracti à negotiis, lucéque forenſi ſemoti.

### Ex phelleo venire.

*Pythago.* Dicebantur, qui ex humili fortuna aſperáque vita ad dignitatem emerſiſſent. Nam Græcis Φελλεὺς dicitur locus aptus paſcendis capris, pumicoſus ac ſterilis.

Ayuntamiento de Madrid

## In ventrem inſilire.

Ε'ς τὴν γαστέρα ἐνάλλεσθαι. Id eſt, In ventrem irrumpere dicitur, qui curam omnem ad cibum ac potum confert.

## Cradophagus.

Ruſticum ac ſordidum veteres κραδοφάγον per iocum appellabant, quaſi κραδιοφάγον. Nam κράδια vocant arboris fici folia. Idem dicebantur βαλανοφάγοι, quaſi priſco more glandibus viuentes.

### Τρυγόβιοι.

Homines ſordidos ac parcos, olim popularis iocus τρυγοβίυς appellabat, quaſi fæce victitantes. Qui ſplendidiores ſunt, vbi ventum eſt ad fæcem, aperiunt aliud vas.

## Luto lutulentior.

Auaros, quæſtúſque ſupra modum auidos, impuros ac ſordidos dicimus. Id Plautus ὑπερβολικῶς exaggerat in Pœnulo: Sed lenone iſthoc Lyco illius domi non lutum eſt lutulentius.

## Pediculi Platonis.

Οἱ Πλάτωνος φθεῖρες. In prouerbium abierunt, vt, referente Laërtio Myronianus teſtatur, hinc coniectans hoc morbo periiſſe Platonẽ, quòd vulgò pediculi Platonis appellarentur. Græci φθειρίασιν appellant. Myronianus nullum indicat vſum prouerbij. Suſpicari tamen licet dictum in ſordidos, quòd Philoſophi nimium indulgeant nitoribus externis, dum circa mentis cultum toti ſunt occupati.

## Macilentior Leotrephide.

Λεπτότερον Λεωτρεφίδυ καὶ Ταυμαντίδυς. Id eſt, Gracilius Leotrephide, ac Taumantide. Leotrephides inſigni macilentia corporis Comicorum ſalibus locum dedit. Congruet in homines exiles, ac prætenues. Iucundius erit ſi transferatur ad inopiam ingenij, aut dictionem aridam, ieiunam, & exſanguem.

## Immunem venire.

Immunem Latini vocant, quem ἀσύμβολον Græci, nempe eum, qui nihil confert ad conuiuium. Terentius. *Gellius.*

Tene aſymbolum venire inunctum atque lautum è balneis.

## Lapſana viuere

*Plinius.* Lepidè dixeris eos, qui perparcè nimiúmque tenuiter viuunt. Eſt autem Lapſana olus ſilueſtre.

## Nihil de vitello.

*Cicero.* Νωτίδου οὐδέν μοι δέδως. Id eſt, Nihil mihi de vitello dediſti. Quadrat in eos, qui impartiant deteriora, meliora ſibi ſeruantes. Quidam ſomniarat ſe videre ouum ex lecti faſcia pendens illigatum, id ſomnium ad coniectorem retulit. Reſpõſum eſt theſaurum indicari: proinde foderet eo loco quo ſe ſomniarat ouum videre, vbi fodiſſet, reperit aurum argento circumtectum, miſitque paululum ex argento cõiectori, diſſimulans inuentum aurum. Coniector accipiẽs, nihílne, inquit, de vitello?

## Rore paſcitur.

Μὴ δρόσον σιτίζεται ὥσπερ ὁ τέττιξ. Roréne viuit more cicadæ? Cicadas rore ali, teſtis eſt Plinius. Venuſtius erit, ſi transferatur ad ingenium, ſiue ſtylum ieiunum & aridum, aut per ironiam, in hominem vehementer obeſo corpore.

## Victitant ſucco ſuo.

*Plautus.* In paraſitos, qui, ſi quando cena contingit lautior, ingurgitant ſeſe: rurſus vbi nulla arridet ſpes cenatica, coguntúrque οἰκόσιτοι viuere, fortiter ferunt inediam, & in conuiuij ſpem durant. Sumta metaphora à cochleis, quæ per æſtatem intra teſtam contractæ, vtcunque ſucco ſuo aluntur, donec acciderit pluuia.

## Philippide tenuius.

Athenæus oſtendit Philippidem comœdiarum ſcriptorem ſic tenui fuiſſe corpore, vt etiam πεφιλιππιδῶσθαι dixerit pro marcuiſſe. Accommodabitur non inuenuſtè ad orationem ieiunam, aut diſputationem otioſæ ſubtilitatis.

## Monophagi.

*Eudemus.* Μονοφάγοι dici poterunt ſordidi & inhoſpitales, qui neminem inuitant ad conuiuium.

## Patroclo ſordidior.

Πατροκλέους φειδωλότερος. Id eſt, Patroclo parcior. In diuitem quidem, ſed oppidò quàm ſordidum ac parcum. Hic enim nuſquam vſus eſt balneo parſimoniæ cauſſa.

## Nephalium ſacrum.

Νηφάλιος θυσία. Id eſt, Nephalium ſacrificium. De con-

Ayuntamiento de Madrid

uiuio abſtemio non ineptè dicetur, aut de conuiuio vehementer frugali ſobrióque.

## Caninum prandium.

Dicebatur abſtemium, & in quo nullum vinum biberetur, propterea quòd canes à vino abhorrent. *Gellius.*

## Cereri ſacrificant.

Quemadmodum Græci dicunt Ἑστίᾳ θύουσι, id eſt, Lari ſacrificant, ita Plautus propemodum indicat apud Latinos dici ſolere, Cereri ſacrificant, ſi quando in conuiuio vinũ deeſſet, propterea quòd in huius ſacris nefas eſſet inferre vinum.

## Bos Cyprius.

Κύπριος βοῦς. In brutum ac ſtolidum iaci ſolitum, propterea quòd Cyprij boues magis bruti ferantur, quippe qui ſtercore humano paſcantur.

## Cyprio boui merendam.

Feſtus Pompeius verſum hunc Sotadicum citat ex Ennio, Cyprio boui merendam. Oſtendítque conuenire, quoties conuiua ſordidus & inſipidus, ſordido atque inſipido accipitur conuiuio. Feſtiuius erit, ſi ad res animi deflectatur, vt ſi quis apud ſpurcos ſpurcè loquatur, apud indoctos indoctè.

## Tolle tolle mazam quàm ocyſſimè ſcarabeo.

*Ariſtoph.* Αἶρ᾽ αἶρε μᾶζαν ὡς τάχιστα κανθάρῳ. Id eſt, Mazam ſine mora pone pone cãtharo. Id vſurpare licebit, quoties ſordidus cibus immũdo cõuiuæ apponitur. Hinc enim vt naſcantur, ita & aluntur canthari, quos Latini ſcarabeos vocant.

## Pſyrice facta.

Pſyra inſula quæpiam eſt haud procul à Chio. Strabo Pſyra pronuntiat pluratiuè, & neutrali genere. Ea inſula quoniam eſſet & perpuſilla & ignobilis, in contemtus ac vilitatis prouerbium abiit, vt quæ ſordidè parúmque magnificè fierent, Pſyrice facta dicerentur. Stephanus: In Pſyra Bacchum ducentes. Idem: In Pſyra Spartam ducis.

## Paruo emtas carnes.

Τὸ ὤνιον χρέας οἱ κύνες ἐσθίουσι. Id eſt, Paruo emtas carnes canes edunt. Quidam putria emunt opſonia, ne pluſculum

Ayuntamiento de Madrid

inſumant nummorum. Ea quum nullus attingit, canibus edenda ſeruantur.

## Pſyra Bacchum.

Ψύρα τὸν Διόνυσον. Id eſt, Pſyra Bacchum ducentes. Dictitatum adagium, vbi vinum appoſitum in conuiuio nemo guſtat, aut de ſordido apparatu. Pſyra, puſilla quæpiam inſula eſt haud procul à Chio, in qua vinum non prouenit.

## Tenuiter diducis.

*Suidas.*

Λεπτὰ ξαίνεις. De iis, qui pauperum more tenuiter victitant.

## Sacrum ſine fumo.

*Lucianus.*

Ἄκαπνος θυσία. Id eſt, Sacrificium abſque fumo. De nimiū tenui conuiuio, & in quibus nihil cocti opſonij apponitur. Tranſlatum à pauperculorum ſacris, molas, thuſculum, lac aut corollas offerentium, quum dij nidorem illum expetāt, vnà cum fumo ſubuolantem.

## Nephalia ligna.

Νηφάλια ξύλα. Dici poſſe videtur in abſtemios, & ab omni voluptate procul alienos. Apud Athenienſes Nephalia ligna vocabantur, quæ neque vitrea eſſent, neque ficulnea, neque myrtea. Nephalia ſonat, quaſi dicas, ſobria.

## Carica victima.

Καρικὸν θῦμα. Id eſt, Caricum ſacrum. De macilenta hoſtia, miniméque eſculenta dicebatur. Hinc ductum, quòd Caribus populis mos fuerit canem immolare. Non inconcinnè torquebitur ad cibum appoſitum, inſipidum, & quē nemo velit attingere.

## Phaſelitarum ſacrificium.

*Zenodotus.*

Φασηλιτῶν θῦμα. Phaſelitarum ſacrificium, tanquam vile citráque ſanguinem. Sordidum ac tenuem ſumtum hoc adagio ſignificant. Tradunt enim apud Phaſelitas Pamphiliæ gentem, moris eſſe vt piſciculi ſalſi diis ſacrificarentur.

## In ſinu manum habere.

In ſinu manum habere dixit Theocritus, tenaces & ad largiendum pigros. Porro quod ait Scæuola, In ſinu meo habui, pro eo quod eſt, in poteſtate mea clam habui, diuerſum longè ab hoc eſt.

## Lari ſacrificant.

Ayuntamiento de Madrid

Ἐσϊᾶ θύουσι. In tenaces dicitur, qui de ſuis nemini quidquam impartiant, aut in conuiuas edaces, qui nihil appoſitis epulis mittunt amicis, neque quidquam faciunt reliquũ. Nam antiquitus religioſum erat, ex his quæ laribus immolabantur, aliquid foras efferre.

Ῥυποκόνδυλος.

Græci prouerbiali conuitio ſordidos & impendiò parcos ῥυποκονδύλους appellabant, ducto cognomine ab iis, quibus ſordes in vnguibus inſident. Nam ῥύπος propriè eas ſordes ſignificat, quæ in ſummis vnguibus manuum ac digitorum colliguntur.

## Canens vitæ palmum.

Ἄιδων τὴν σπιθαμὴν τοῦ βίου πρὸς ἄνηθον. Id eſt, Canens vitæ palmum ad anethum. De parco dictum qui tenui re leiculáque tranſigit vitam, atque interim exiſtimat ſe lautè viuere. Morem hunc quibuſdam eſſe videmus, vt quum nihil apponant in menſa quod edi poſſit, ne ieiunum omnino conuiuium appareat, varias narrant fabulas, aut cantillent, vt his modis ciborum obliuionem inducant conuiuis.

## Tantali pœnæ.

Ταντάλειοι τιμωρίαι. Tantali ſupplicia. De iis dicendum, quibus adſunt quidem bona, verùm his frui negatum eſt. A fabula Tantali ſumtum. Horatius: Tantalus à labris ſitiens fugientia captat Pocula. Idem: Magnas inter opes inops.

## Conuiua non conuiua.

In eum qui accumbit quidem in conuiuio, verùm ſpectator dumtaxat eorum quæ apponuntur, quadrabit illud Homeri:

Κεῖτ' ἄρ' ἄσιτος, ἄπαστος ἐδητύος, ἠδὲ ποτῆτος.

Incenatus & impaſtus, potúque cibóque Accubuit.

## Sacra nihil ſunt.

Τὰ θύματα οὐδὲν ἐστιν, πλὴν γένεια καὶ κέρατα. Id eſt, Sacra nihil ſunt præter malas & cornua. De macilentis. Trahetur non inconcinniter ad cibum minimè eſculentum. *Suidas.*

### SPES PERTINAX.

## Ægroto dum anima eſt, ſpes eſt.

Admonet, ne in afflictionibus quidem abiiciendam eſſe



Ayuntamiento de Madrid

*Cicero.* ſpem Philelphus hos verſus ex Theoc. Batto vertit.

Θάρσει τοι χρὴ φίλε Βάττε· τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον.
Ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες.
Χ' ὡ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει.
Fidere Batte decet, melius cras forſan habebis.
Sperandum eſt viuis, non eſt ſpes vlla ſepultis:
Nunc pluit, & claro nunc Iupiter æthere fulget.

## Spes alunt exſules.

*Euripides.* Αἱ ἐλπίδες βόσκουσι φυγάδας. Id eſt, Spes paſcunt exules. Vbi quis excuſſus à priſtina fortuna, ſemper id agit vt reſtituatur.

## Adhuc cælum voluitur.

Quoties ſignificabimus adhuc ſupereſſe ſpem, & nondũ tempus, quod meliori fortunæ ſolet occaſionem adducere, exactum eſſe, conueniet illud Theocriti.

Non eſt laſſatum voluendis menſibus anni cælum.

## Adhuc aliquis Deus nos reſpicit.

Quũ in rebus vehementer afflictis negabimus nos prorſus abiecisse animum, verùm eſſe ſpei nonnihil, conueniet illud Homeri:

Ἀλλ' ἔτι πς καὶ ἐμοῖο θεῶν ὑπερέχεται χεῖρα.
Numen adhuc aliquod dextram mi obtendit amicum.

## Spes ſeruat afflictos.

*Ouidius.* Spes bona dat vires, animum quoque ſpes bona firmat.
Viuere ſpe vidi, qui moriturus erat. Pindarus:
Ἐλπὶς γηροτρόφος. i. Spes altrix ſenectæ.

## In herbis.

*Cicero.* In herbis eſſe dicuntur, quæ nondum maturuerunt, ſed ſpem modò bonam de ſe præbent.

## Spes tenuis.

Spem infirmam incertámque Poëtæ tenuem vocant. Ariſtophan. Spes iſta tenuis quæpiam eſt qua nitimur. Euripides: Spes frigida quidem. Vnde M. Tullius dixit: Sperat hinc afflare auram aliquam, id eſt, oſtendit ſpem.

## Ab ipſa meſſe.

Seneca: Ab ipſa meſſe diſcedam? Agit de his, qui vel commodis, vel ſpe commodorum detinẽtur, quo minus ſemet explicent à negotiis, quaſi deſerturi agrũ quũ inſtat meſſis.

Ayuntamiento de Madrid

## Occiſionis ala.

Φόνυ πτερὸν. Id eſt, Interfectionis ala. De ſubito interitu dici ſolitum. Sumta metaphora ab alatis iaculis quę repente mortem adferunt.

## Eadem tibi & Pythia in Delia.

Quoties ſupremum aliquod opus ſignificamus. Perinde quaſi dicas, hæc ſumma omnium, quæ geſturus es in vita. Natum aiunt ab oraculo quodam reddito Polycrati Samiorum tyranno. Nam is poſteaquàm Rheneam inſulam cœpiſſet, eámque conſecraſſet Apollini, conſtitutis apud Delum ludis pulcerrimis, Delphos miſit conſulturos, vtrū oporteret eos ludos Delios an Pythios appellare. Reſpondit oraculum ταῦτά σοι καὶ πύθια καὶ δήλια. Futurum innuēs, vt is propediem excederet è vita. *Menander.*

## Muris interitus.

Κατὰ μυὸς ὄλεθρον. Id eſt, Iuxta muris interitum. Aelianus tradit murem minimè viuacem eſſe, ſed ſua ſponte defluentibus inteſtinis ocyus emori, atque hinc natum prouerbium. Quadrare videtur in homines imbecilla valetudine, aut in μικροβίυς, id eſt, breuis æui, quos μινυνθαδίυς appellat Homerus:

### SVBITI INTERVENTVS.

## Mercurius ſuperuenit.

Ὁ Ἑρμῆς ἐπεισελήλυθεν. Ita loqui conſueuerunt, ſi quando ſilentium oriretur in conciliabulo multorum, ſignificantes non eſſe fas loqui Mercurio præſente, vt qui ſit auctor ſermonis.

## Lupus eſt in fabula.

Solitum eſt dici, quoties is de quo confabulatio eſt, de improuiſo interuenit. Feſtiuius vſus eſt Plaut. in Stich. Atq; eccum, inquit, tibi lupus in ſermone præſens eſuriēs adeſt. Loquitur enim de paraſito Celaſiano, qui fratribus de ipſo confabulantibus de repente interuenit. *Terentius.*

## Etiam ſi lupi meminiſſes.

Εἰ καὶ λύκυ ἐμνήσθης. Id eſt, Etiam ſi lupi mentionem feciſſes, ſubaudiendum, interueniſſet. Quoties præter exſpectationem interuenit is, de quo fuerat mentio.



Ayuntamiento de Madrid

## Hipparchi murus.

Ἱππάρχου τεῖχος. Dicebatur res quæpiam, quæ magnis conſtaret impenſis. Hinc natum, quòd Hipparchus Piſiſtrati filius, Academiam muro ſepſit, atque huius rei nomine magnam pecuniæ vim ab Athenienſibus exegit. Auctor Suidas.

## Edax triremis.

*Lyſias.* Ἀδηφάγοι τριήρεις. Id eſt, Edaces triremes. Dicuntur quòd magnis conſtent impendiis. Lepidiùs transferetur ad hominem prodigum immodicíque impendij.

## In beato omnia beata.

A diuitibus omnia magnificè fiunt, à tenuibus frugaliter. Vſus erit, ſi dicas ab homine docto omnia doctè fieri, à pio piè, à rege regaliter.

## Saliares dapes.

Pro pontificales dixit Horatius, ponens ſpeciē pro genere. Opiparū autem conuiuiū ac magnificū Saliare dicitur:

### SVRDITAS.

## Surdior Toronæo portu.

*Zenodotus.* Κωφότερος Τορωναίου λιμένος. Aiunt portum eſſe quendam Toronæ Thraciæ ciuitatis, qui longis & anguſtis duobus excurſibus porrigitur in mare, ita vt in ipſo portus ſeceſſu nullus fluctuum fragor audiatur. Vnde prouerbium in eos, qui non audiunt.

## Surdior turdo.

Κωφότερος κίχλης. Adſcribitur ſurditas huic aui peculiaris quum ſit loquaciſſima. Vnde concinnè dicetur in eos, qui perpetuò blaterantes ipſi, non auſcultant, quid viciſſim aliis dicatur.

### TACITVRNITAS LAVDATA.

## Silentij tutum præmium.

*Ariſtotel.* Σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας. Tutum ſilentij præmium. Horatius: Eſt & fideli tuta ſilentio merces. Silendo nemo peccat, loquendo perſæpe. Nam nulli tacuiſſe nocet, nocet eſſe loquutum. Valerius Maximus hanc ſententiam tribuit Xenocrati: Quia dixiſſe me, inquit, aliquando pœnituit, tacuiſſe nunquam.

Ayuntamiento de Madrid

## Mulierem ornat ſilentium. *Sophocles.*

Γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει. Id eſt, Decus addit vſque feminis ſilentium. Mulier animal naturà loquax, nulla de re magis cohoneſtatur, quàm ſilentio, maximè apud viros, quum de rebus ſeriis agitur.

## Alia committenda, alia cælanda.

Nec temerè quiduis apud quemuis effutiendum, at nec familiaribus arcana omnia proferenda ſunt. Ad hanc ſententiam quadrat illud Homeri ex Odyſſ.α.

Ἀλλὰ τὸ μὲν φάσθαι, τὸ δ' γ' ἂν κεκρυμμένον εἶναι. Id eſt,
Dicendum eſt aliud, contra eſt aliud reticendum.

## Quod ſcis, neſcis.

Terent. in Eunucho: Tu pol ſi ſapis, quod ſcis, neſcis. Idē in ſeipſum excruciante: Neſcias quod ſcis, ſi ſapis. Sumtū à Dialecticorum ludis, in quibus huiuſmodi quidam ſcirpi proponi ſolent: Facio, & non facio: Sum amicus, & non ſum amicus. Itaque prouerbio certam in tacendo fidem ſignificamus, dum quis quod ſcit, perinde continet ac diſſimulat, quaſi neſciat.

## Qui obticeſcit.

In eum, qui metu attonitus, aut ſtupefactus admiratione tacet, quadrabit illud Homeri: Δὴν δέ μιν ἀμφασίη ἐπέων λάβε.

Illum corripuit ſtupor, atque infantia linguæ.

## In ſinu gaudere.

Eſt tacitam apud ſe voluptatem ſentire. Tibullus:
Qui ſapit in tacito gaudeat ille ſinu. Homerus:
Ἐν θυμῷ γρηῦ χαῖρε, καὶ ἴσχεο.
In tacito longæua ſinu preme gaudia nutrix.

## Qui continet arcanum.

In eum, qui cælat arcanum, neque cuiquam effutit, quadrabit illud Homeri ex Odyſſ.φ.

Τῇ δ' ἄπτερος ἔπλετο μῦθος. Id eſt,
Huic pennis dicta carebant. Hoc eſt, haud lōgius auolabant.

## Muti citius loquentur.

Plautus in Perſa: Muti prius loquentur quàm ego. Ne hoc, inquit, cuiquam homini dicerem, edictum eſt mihi



Ayuntamiento de Madrid

Magnopere, nec cuiquam homini crederem. Omnes muti vt prius loquerentur hoc, quàm ego.

## Areopagita taciturnior.

Dicebatur, qui commiſſum arcanum optimè contineret. Athenis in Areopago cauſæ capitales audiebantur, ídque noctu, magna attentione. Et fortaſſe nefas erat illis, quæ ibi fuiſſent acta, apud vulgus effutire.

## Manum ad os apponere.

Hoc geſtu ſignificamus nos ſcire quippiam quod tamē nolumus effari. Cælius Ciceroni lib. 8. At Domitius cum manum ad os appoſuit, te ad IX. Calend. Iunij, ſubroſtrarij, quod illorum capiti ſit, diſſiparant periſſe.

## TACITVRNITAS ILLAVDATA.

*Diogenian.*

## Bacchæ more.

Βάκχης τρόπον. De tetricis ac taciturnis dictitari ſolitum, quòd eſſent huiuſmodi Mænades illæ, Bacchico afflatæ furore. At Iuuenalis retulit ad vitam intemperantem.

Qui Curios ſimulant, & Bacchanalia viuunt.

## Magis mutus quàm piſcis.

Ἀφωνότερος τῶν ἰχθύων. Id eſt, Magis mutus ipſis piſcibus. De vehementer infantibus, atque infacundis. Conueniet in hominē immodicæ taciturnitatis. Piſces enim nullam edunt vocem.

## Rana Seriphia.

*Plinius.* Βάτραχος ἐκ Σερίφου. In homines mutos, & canendi dicendíque prorſus imperitos dicebatur. Inde natum, quòd Seriphiæ ranæ in Scyrum deportatæ, non edebant vocem.

## Caput ſine lingua.

*Gellius.* Competit in eos, qui in conſultationibus aut diſceptationibus ipſi quidem nihil habent quod dicant, verū aliorum ſententiis annuunt. Nam pedarij ſenatores dicebantur ij, qui in ſenatu quidem ſedebant, verùm ſententiam non rogabantur, ſed in aliorum ſententias pedibus diſcedebant. A Lucilio dicti ſunt Agipedes.

## Muta perſona.

*Martial.* Κωφὸν πρόσωπον. Quadrabit in eos, qui in conſeſſu deliberantium, aut diſputantium, aut etiam in conuiuiis cæteris loquentibus ſoli tacent. Traductum apparet à lege comœ-

Ayuntamiento de Madrid

diarum, in quibus non temerè plures tribus perſonis ſolent induci in eadem ſcena. Quòd ſi quando quarta acceſſerit, aut muta prorſus eſt, aut perpauca loquitur. Mutas nuptias dixit Pindarus, pro clanculariis.

## Muti magiſtri.

Mutos magiſtros Gellius libros vocat, qui loquuntur quidem nobis. Nec illepidè profectò litteræ, muti vocantur præceptores. Denique Tullius legem appellat mutum magiſtratũ, magiſtratum legẽ loquentẽ, & Plutarchus poëſim appellat picturã loquentem, & picturam mutã poëſim.

## Mutus magis quàm ſcapha.

Ἀστομώτερος σκάφης. Id eſt, Magis elinguis, quàm ſcapha. De iis dici conſueuit, qui propter humilitatem conditionis apud præſtantiores non audent hiſcere. Natum hinc aiunt, quòd olim inquilini & hoſpites alienæ Reipublicæ ludis popularibus incedebant nauim geſtãtes. Nam vti non conuenit in aliena ciuitate curioſum eſſe, ita nec tutum eſt liberioris eſſe linguæ. *Suidas.*

## Mutus Hipparchion.

Ἄφωνος Ἱππαρχίων. Vbi quis repentè obmuteſcit: quum maximè vox illius exſpectatur, id quod non rarò conſueuit quibuſdam in cœtu dicturis euenire, vt ſubito velut attonitis vox faucibus hæreat. Narrant olim apud Græcos, duos præcipuos fuiſſe citharœdos, Hipparchionem & Ruſinum, qui cum in ſolennibus ludis, qui decimo quoque anno apud Iuliopolitas agebantur, eſſent inter ſe decertaturi, contigit vt Hipparchion theatri ſtrepitu turbatus obticuerit, eáque res in vulgi iocum abiit. *Zenodotus.*

## Ne gry quidem.

Μηδὲ γρῦ φθέγγεται. Id eſt, Ne gry quidem loquitur. Pro eo quod eſt, Ne tantulum quidem. Nam gry, minimum quiddam ſignificat, aut ſordes vnguium, aut vocem ſuillã, quam edere ſolent ii, qui grauantur ſermone reſpondere. *Ariſtoph.*

## Acanthia cicada.

Ἀκάνθιος τέττιξ. In indoctos atque infantes, aut Muſices ignaros torqueri prouerbio ſolitum. Auctor eſt Stephanus Byzantius, iuxta oppidum Ætoliæ Acanthum, cicadas alibi vocales mutas eſſe. *Simonid.*



Ayuntamiento de Madrid

## Reddidit Harpocratem.

Catullus dixit pro eo, quod eſt, Impoſuit ſilentium. Harpocrates Deus ita apud veteres fingebatur, vt digito admoto ori, ſilentium indiceret, qualis & apud Romanos Dea Angerona.

## Statua taciturnior.

In hominem vehementer infantem ac tacitum. Horatius: Statua taciturnius exit. Itidem Iuuenalis diuitem quẽpiam, ſed infantem & indoctum, Mercurii ſtatuæ ſimilem facit: Truncóque ſimillimus Hermæ.

## Taciturnior Pythagoreis.

De vehementer taciturnis. Sumtum à Pythagoræ ſchola, in qua quinquenne ſilentium indicebatur auditoribus.

## Amyclas perdidit ſilentium.

Τὰς Ἀμύκλας ἀπώλεσεν ἡ σιγή. Seruius interpres enarrat hunc in modum Æneidos 10. Quum apud Amycleos ſubinde nuntiaretur hoſtium aduentus, idque falsò, lata lege cautum eſt, nequis vnquam hoſtis nuntiaret aduentum. Atqui pòſt euenit, vt verè iam aduenirent hoſtes. Quod quum nemo nuntiaret, propter legis interdictum, ciuitas de improuiſo capta eſt. Qui caſus populari ioco dedit occaſionem, vt dicerent Amyclas ſilentio periiſſe, ſi cui ſua taciturnitas fuiſſet incommodo.

## Doryphorematis ritu.

Græci δορυφόρημα vocant ſatellitium illud ex barbarorum fæce conductum, quod olim tyranni ad cuſtodiã corporis adhibebant. In tragœdiis ſic addebatur Regum perſonis δορυφόρημα vt aſtarent modo, nihil etiã loquerentur.

# TAEDIVM EX ITERATIONE.

## Longum prooemium audiendi cupido.

Prouerbii ſpeciem habet, quod eſt apud Platonem lib. De Repub. 4. Μακρὸν τὸ προοίμιον τῷ ἐπιθυμοῦντι ἀκοῦσαι. Id eſt, Longum prooemium audiendi cupido. Qui rem ipſam cupit cognoſcere, huic longum eſt omne prooemium. Vnde illud Terentii: Vah, etiam prooemium mihi occeptat. Et Athenis preco, qui dicendi poteſtatem faciebat, rhetoribus præfabatur, ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν, Id eſt; Sine prooemiis & affectibus: quòd hæc extra cauſſam ſint.

Ayuntamiento de Madrid

## Terram video.

Qui moleſti, prolixíque ſermonis finem adeſſe ſignificabat, dicere ſolet γῆν ὁρῶ, id eſt, terram video. Sumtum à nauigantibus. Q. Curtius lib. 4. Haud ſecus quàm profundum æquor ingreſſi terram oculis requirunt. Cicero in Catone ſeniore: Quaſi terram videam: ſentiens inſtare finem vitæ. Diogenes quum prolixum volumen recitans tandem eò perueniſſet, vt libri finem videret, Bene habet, inquit, amici, γῆν ὁρῶ, id eſt, terram video.

## Iterum atque iterum apud Pythum via.

Αὖτις ἂν Πύθωδ' ὁδός. Id eſt, Iterum atque iterum Pythum verſus via. Dictum de iis, qui moleſti ſunt, eadem de re iterum atque iterum percunctando. Quemadmodum ſolent ignari viæ, quemcunque obuium habuerint, de via rogare. Porro Pythus ciuitas Apollini ſacra, quæ viſebatur à pleriſque. *Diogen.*

## Iterum tranquillitatem video.

Αὖθις ἂν γαλήν' ὁρῶ. Id eſt, Rurſum denuo tranquillitatem aſpicio. Quo ſignificamus nos è malis emergere, fortuna in melius commutata.

## Lens Deus.

Apud Athenæum lib. 4. refertur hic trimeter, vt apparet prouerbialis: φακός σε δαίμων, χἡ φακὴ τύχη λάβοι. Te Lens Deus corripiat, & fortuna lens. Φακὸς dicitur lens cruda, φακὴ cocta, vt indicat Etymologus. Conueniet, quoties eadem ad faſtidium iterantur. Dæmon autem Græcis fortunam ſonat, & idem ſonat τύχη: nec intereſt, niſi quòd dæmon eſt mas, τύχη femina.

## Iouis Corinthus.

Ὁ Διὸς Κόρινθος. Id eſt, Iouis filius Corinthus, In eos dici ſolitum, qui ſemper eadem aut dicunt, aut faciunt. Olim ad Megarenſes miſſus eſt legatus Corinthiorum nomine, qui apud plebem Megarenſem quũ alia multa ferociter dicit, tũ illud indignabundus ac vociferans intonuit: Non feret Iouis filius Corinthus. Id vbi ſæpius iteraret, concitatus populus ſucclamare cœpit, Feri, feri Iouis Corinthum, ſimulque legatum expulerunt. Erat autem Corinthus hic Corinthiorum rex, Ioue prognatus, &c.

Ayuntamiento de Madrid

## Crambe bis poſita mors.

Δὶς κράμβη θάνατος. Id eſt, Crambe bis mors eſt. Suidas ſcribit Cramben antiquitus in conuitiis adhiberi ſolere, verùm recoctã adeò nauſeam adferre, vt Græcis in faſtidij prouerbiũ abierit. Quoties enim rem iterum atque iterum repetitam non ſine moleſtia ſignificabant, dicebant: Bis crambe mors, hoc eſt, crambe recocta.

*Cicero.*

## Eandem tundere incudem.

Eſt indefatigabili aſſiduitate in operis alicuius ſtudio perſeuerare. Metaphora ducta à fabris.

## Cantilenam eandem canis.

Τὸ αὐτὸ ᾄδεις ᾆσμα. De eo, qui moleſtus eſt, ſæpius eadem inculcans. Nihil enim odioſius, quàm quod ſemper idem eſt.

## Eadem per eadem.

*Diogenian.*

Αὐτὰ δι' αὐτῶν. De his qui ſemper eadem inculcant, aut eadem aſſiduè faciunt.

## Hyperi vertigo.

*Zenodotus.*

Ὑπέρου περιτροπή. Id eſt, Piſtilli circumuolutio. Vbi quis ſemper idem agit, neque quidquam tamen explicat.

## Date mihi peluim.

*Suidas.*

Δότε μοι λεκάνην. Id eſt, Porrigite mihi peluim. Vbi quid vehementer moleſtum eſſet, ita vt ferri iam diutius non poſſet, peluim ſibi porrigi iubebant, quaſi præ bile, nauſeáque & faſtidio rerum vomituri. Veluti ſi quis orationem ſupra modum indoctam non ferens, aut ſophiſticis næniis offenſus, dicat, Date mihi peluim.

*Diogenian.*

## Parni ſchaphula.

Τὸ Πάρνου σκαφίδιον. Conuenit in eos, qui ob res minutulas multum litium & querelarum mouent. Sumtum à Parno quopiam, qui ob nauiculam ereptam, populo moleſtiſſimus fuiſſe legitur.

## Sardi venales.

Σαρδιανοὶ ὤνιοι. De negotio infinitæ prolixitatis, atque inexplicabili. Idque hinc ortum eſſe tradunt, quòd Tiberius Sempronius Gracchus cum altero conſulatu Sardiniam domuiſſet, tantum ex ea captiuorum adduxit, vt longa venditione res in prouerbium abierit.

Ayuntamiento de Madrid

Callicyriis plures.

Καλλικυρίων πλέους. De maxima quidem illa, ſed ſordida hominum turba dicebatur. Callicyrij dicebantur exulum ſerui, qui Syracuſis agricolationem exercebant. Erãt autem eodem loco Callicyrij apud Syracuſanos, quo apud Lacedæmonios captiui, apud Theſſalos Peneſtæ, qui vocantur apud Cretenſes Elarotæ, apud Ægyptios Hebræi. Nam & hi ſerui plures erant dominis, quamobrem etiam expulerunt illos. *Timaeus.*

Non miſſura cutem, niſi plena cruoris, hirudo. *Horatius.*

In homines nimium ſedulos, & quibuſuis in rebus immodicos. Nemo neſcit hirudinem vbi ſemel hæſerit corpori, nulla ratione poſſe reuelli, donec ſuctu ſanguinis expleta decidat.

Linum lino nectis.

Λίνον λίνῳ συνάπτεις. Id eſt, Linum lino nectis. Huius adagii duplicem apud Græcos interpretes ſenſum inuenio. Quorum alter eſt, infirmis infirma copulas, friuola friuolis. Alter, Eadem non iiſdem rationibus facis, aut dicis. *Ariſtotel.*

Ad reſtim funiculum.

Ἐπὶ σπεῖρα σχοινίον. Subaudiendum, addis, aut reddis. Vbi quis iiſdem rebus abundat, aut ſimilia ſimilibus penſat.

Rhodiorum oraculum.

Ῥοδίων χρησμός. Id eſt, Rhodienſium oraculum. Vbi quis de re minuta nimium crebro, nimiúmque diligenter ſciſcitatur. Etenim Rhodienſes Lyndiæ Mineruæ ſacrificantes, dies aliquot apud aram deæ conuiuia prorogabant, atque inibi perpetuò manebant. Quumque illis mos non eſſet, matulam in ſacrificium inferre, ac ſuper hac re deum conſuluiſſent, atque vt inferrent, reſpondiſſet, illi rurſus ambigere cœperunt, vtrum æream an teſtaceam inferre deberent: ac denuò ſuper hoc adeuntibus oraculum, indignatus Deus, neutram reſpondit. *Diogen.*

TARDITATIS ET CVNCTATIONIS.

Nemo nos inſequitur.

Hoc prooemiæ etiam hodie tritum manet, quum ſignifi-

Ayuntamiento de Madrid

cant liberum eſſe, diutius in re quapiam morari. Nemo nos, inquiunt, impellit.

Cicero.

## Romanus ſedendo vincit.

In eos, qui tranquilli atque otioſi, tamen quæ volunt efficiunt: aut qui non viribus, ſed arte rem gerunt. Ex hiſtoria Fabij cunctatoris natum arbitror, qui Hannibalem iuueniliter exſultantem ſua patientia fregit. De quo extat verſus ille Ennij:

Vnus, qui nobis cunctando reſtituit rem.

## Feſtina lentè.

Σπεῦδε βραδέως. Sophocles: Φρονεῖν γὰρ οἱ ταχεῖς, οὐκ ἀσφαλεῖς. Periculoſa eſt præpropera prudentia. Addendum eſt illud Platonis: Qui plus ſatis feſtinat initio, ſerius ad finem peruenit. Quinctilia. Præcox illud ingeniorum genus non temere peruenit ad frugem. His occinendum illud Catonis: Sat cito, ſi ſat bene. Quadrabit & in illos, qui præproperè famam affectant, malûntque paratam ac magnam, quam ſolidam ac perpetuam. Solent enim præcocia ſubito flaccęſcere.

Terentius.

## Pedetentim.

Κατὰ πόδας βάσιν. Græcis prouerbio dicitur, quod Latini reddiderunt, pedetentim. Vbi quis non præcipitanter atquę inconſideratè, ſed ſenſim atque cunctanter aggreditur negotium, atque arte rem gerit magis, quàm impetu.

## Manu ſerendum non thylaco.

Τῇ χειρὶ δεῖ σπείρειν, ἀλλὰ μὴ ὅλῳ τῷ θυλάκῳ. Manu ſementem facere oportet, non autem tota corbe. Modus in omni re ſeruandus. Ductum ab agricolis.

## Placidè bos.

Ἀτρέμας βοῦς. Id eſt, Lentè bos, ſubaudiendum, incedit, aut ſimile quippiam. Cōgruet in illos, qui placidè & paullatim rem conficiunt. Equorum laus eſt velocitas. Boues non valēt celeritate, ſed viribus & aſſiduitate pollent, non impetu: &, bos laſſus fortius figit pedem.

## Caudæ equinæ pilos paullatim vellere.

Dicitur, qui quod viribus atque impetu fieri nequit, id tempore atque aſſiduitate conficit. Horatius in epiſtolis

Ayuntamiento de Madrid

Vtor permiſſo, caudæque pilos vt equinæ Paullatī vello:

## Tacito pede.

*Ouidius.*

Ἡσύχῳ ποδί. Seu Lento pede. Quum cautim ac pedetentim ad rem accedimus. Apud Latinos aliquantò ſecius vſurpatur, tacito pede, pro furtim ac clanculum, vt apud Ouidium:

Tacitiſque ſeneſcimus annis.

## Non ſtatim decernendum.

*Homerus.*

Qui ſignificabit interponendam moram, priùs quam decernatur, & rem in poſterum diem reiiciēdam, accommodabit illud Homeri:

Ἀλλ' ἠῶθι φανομένηφι … Φρασόμεθα.
Aurora vbi craſtina ſurget … Conſultabimus.

## Celerius elephanti pariunt.

Cunctationem immodicam, & quorundam nimis lenta molimina, his verbis licebit ſignificare. Porrò de elephantorum partu Plautus in Stich. Audiui ſæpe hoc vulgò dicier, ſolere elephantem grauidam perpetuo decem eſſe annos.

## Bunas iudex eſt.

*Zenodotus.*

Βύνας δικάζει. Id eſt, Bunas iudicat. Vbi lis in longum profertur, nec vnquam explicatur. Parœmia nata à Buna quodam Athenienſi. Quum eſſet controuerſia inter Calydonios & Eleos, vtrique rem ad arbitrium Bunæ detulerunt. Conuenerant enim, vt à manibus temperaretur, donec ille de negotio pronunciaſſet. Quod vbi ſenſiſſet Bunas, nunquam de lite voluit pronunciare.

## Aceſſæi luna.

*Diogenian.*

Ἀκεσσαίου σελήνη. Dictum in comperendinatores, qui nouam ſubinde cauſſam comminiſcuntur, quò negotium proferant. A nautæ cuiuſdam moribus ortum, cui Aceſſæo fuerit nomen. Is quum eſſet ignauus, ita prorogare conſueuit nauigationem, vt diceret ſe lunam magis opportunam expectare.

## Laconicæ lunæ.

Λακωνικὰς σελήνας Id eſt, Laconicas lunas, ſubaudiendū, cauſſaris. De promiſſis aut pactis incertis atque infirmis dicebatur. Nam, vt aiunt, Lacones, ſi quando pactum

Ayuntamiento de Madrid

auxilium poſcerentur, lunas cauſſabantur, atque hoc pretextu ſuffugiebant, quod, vt teſtatur Lucianus, legem tuliſſet Lycurgus, ne prœlium inirent, niſi plenilunio.

## Machinas poſt bellum adferre.

Τὰς μηχανὰς μετὰ τὸν πόλεμον κομίζειν. Dicebantur, qui peracto negotio, ſerò dhiberent apparatum.

## Serò veniſti, ſed in colonum ito.

Aduerſus eos, qui poſt tempus aduenirent aut qui mercede aliquid facerent. Porro Colonus eſt terra editior, in ſpeciem tumuli ſeu collis.

## Quiſquis tardè venit ad cenam.

Theocritus: Quiſquis vocatus tardus ad cenam venit,
Aut claudus eſt, aut non dat ille ſymbola. Idem:
An quoquam ad cenam properas conuiua vocatus?
Et addit, eos qui vocati ſunt celerius ire: qui non vocati tardius.

## Coruus aquat.

Κόραξ ὑδρεύει. Dici ſolitum, vbi quis non citra negotium, citráque ingenium conſequeretur ea, quæ cuperet. Aut vbi quis rem nouis artibus tentaret efficere. Ductum ab Apologo, de coruo, congeſtis lapillis aquam ex imo fundo in ſummam vaſis oram euocante.

## Profectus ad Apaturia, rediit Maio.

Dici ſolitum in eos, qui licentius immorarentur negotio cuipiam. Athenis feſtum erat quod Apaturia vocabant id triduo peragebatur. Meminit Suidas copioſius de hoc feſto:

## Poſt feſtum veniſti.

*Diogenian.*

Κατόπιν τῆς ἑορτῆς ἥκεις. Dicitur in eos, qui negotio cuipiam egregio non interfuerũt. Legitur & hoc pacto: Poſt Panathenæa. Item Poſt Pythia veniſti.

## Callipedes.

Καλλιππίδης. Olim prouerbio dicebatur, qui in moliendis negotij, quum multa ſe facturum minaretur, nihil tamen conficeret, aut quemadmodum ait Terentius, qui ſedulò mouens ſeſe, nihil promoueret. Callipedes hiſtrio fuit.

## Diu delibera.

Ayuntamiento de Madrid

Ἀτρεμὶ βουλεύειν. Non ſtatim aggrediendum negotium. Lentè conſultandum: at vbi ſtatueris, maturè quod opus facto faciundum eſt.

## Annus eſt.

Seculum eſt, atque id genus alia. Terentius: Et noſti mores mulierum, Dum comuntur, dum moliuntur, annus eſt. Et Seculum eſt, quod nihil abs te redditur litterarum. Item Iam dudum ætatem, pro admodum dudum. Et tempus perlongum huiuſmodi figuris ſignificamus.

## Sic eſt ad pugnæ partes, re peracta, veniendum.

Iocus erat prouerbialis, vbi quis negotio peracto, tum demum adueniret.

## Ad aras.

Ἐπὶ βωμοῖς. Equidem opinor perinde valere, quaſi dicas, In ipſo negotio iuxta prouerbium, quo vetamur ad aras conſultare.

## Amæa Azeſiam reperit.

Ἀμαία τὴν Ἀζησίαν μετῆλθεν. Id eſt, Amæa ad Azeſiam acceſſit. Dici conſueuit de re diu multúmque quæſita, deſiderattáque. Cererem appellari Amæàm, Proſerpinam, Azeſiam, Didymus auctor eſt. Nota fabula de Proſerpina à Plutone abducta ad cãpos Elyſios, & Cerere toto orbe quærente filiam:

## Ζοφοροδόρπιδες, & ſimilia.

Plutarchus in Sympoſiacis oſtendit, olim cognomina quædam prouerbiali ioco iactata fuiſſe in eos, qui ſerius ad conuiuiũ accederent. Dictos enim tum χολυσοδίπνους, tum ζοφοροδόρπιδας, tum τρεχεδείπνους &c. Battus quidam ſcurra conſueuit eos, qui tardius venirent ad conuiuium, ἐπιθυμοδείπνους, appellare, quaſi dicas conuiuiorum appetentes, propterea quòd cum eſſent occupati negotiis, ob cenarum tamen cupiditatem non excuſarent iis, à quibus rogarentur, &c.

## Μελλονικιᾶν.

More Niciæ cunctari. Nicias traducebatur quod cunctator eſſet in re militari. Hinc μελλονικιᾶν ex μέλλειν, quod eſt cunctari, & Νικίας qui fuit Dux Athenienſibus.

Ayuntamiento de Madrid

## Hercules hoſpitatur.

Ἡρακλῆς ξενίζεται. Hercules accipitur. Dictitatum, vbi quis diutius in conuiuio commorari videretur: Propterea quòd qui recepiſſent Herculem hoſpitio, conuiuióque, his multum temporis erat operiendum, donec ille ſatur eſſet.

## Expecta bos aliquando herbam.

Μένε βοῦς ποτὲ βοτάνην. Id eſt, Exſpecta bos olim herbam. Dicendum, vbi quid ſerò contingit. Laborat enim bos in agricolando, ſed aliquando guſtaturus herbam enatam. Finitimum illi. Et adhuc tua meſſis in herba eſt.

## Expecta anus.

Μένε γραῦ ἐμὸν τὸν παῖδα φιλήσοντα. Exſpecta anus meum filium, te ſuauiaturum. Nam priuſquam adoleſcat puer, illa deceſſerit. Confine ſuperiori, quũ ſera ſpes oſtenditur.

## Inter cæſa & porrecta.

Cicero.

Videtur ſignificare cunctationem & ancipitem hæſitantiam ac velut interuallũ illud, inter omittendum quod cœptum eſt, & incipiendum quod nouari oportet. Sumtum eſt autem à priſco auſpiciorum ritu.

## Hyperberetæa.

Ὑπερβερεταῖα. Dicebantur olim admodum ſerotina, quæque vix tandem aduenirent. Apud Macedones extremus anni menſis ὑπερβερεταῖος appellabatur.

## Quæ ſerò contingunt, ſed magnifica.

Quoties intelligi volemus famam aut præmium aliquod ſerius quidem contingere, verum hoc præſtantius ac durabilius, quo diutius dilatum, aut tarditatem ſtabilitate, perpetuitatéque compenſet.

Homerus:

Ὄψιμον, ὀψιτέλεστον, ὅου κλέος οὔποτ' ὀλεῖται.

Tarda & ſera nimis, ſed fama & laude perenni.

## Myſorum vltimus nauigat.

Ἔσχατος Μυσῶν πλεῖν. Id eſt, Myſorum poſtremus nauigare. Prouerbiali ioco dicebatur, qui fruſtra laboraret: Vel vbi dura quæpiam importarentur, factúque difficilia.

## Interuallo perit fames, & optimè perditur.

Διὰ μέσου καὶ λιμὸς ἔρρει καὶ κάλλισ' ἀπόλλυται. Id eſt, Intercapedine

dine optimè perit fames. Mora multis rebus adfert remedium.

### Summis ingredi pedibus.

*Lucianus.*

Qui clancùlum,aut cautim,aut pedetentim,vt aiunt,conantur aliquid,ſummis pedibus ingredi dicuntur.

### Pulmo prius veniſſet.

Plautus in [redacted]no enim,quod perhibent, prius veniſſet, qu[redacted]ti mihi . Dictum eſt olim in lentos ac ceſſatores . Opinor quòd pulmo quum perpetuo moueat,nunquam tamen ſe promouet.

## TEMERITAS.

### Oportet remum ducere,qui didicit.

*Plutarchus.*

Δεῖ κώπην ἐλαύνειν μαθόντα.Id eſt, Oportet remũ impellere eum,qui didicerit.Vnũquéque decet eam artem exercere,quam antea doctus ſit.Horatius in arte poëtica.

Ludere qui neſcit,campeſtribus abſtinet armis:
Indoctusque pilæ,diſciue trochíue quieſcit . Item: *Idem.*
Qui luſus non nouit legem,abſtineat.

### Exitij nulla ratio.

Ὀλέθρου οὐδεὶς λόγος.Hoc ſentimus, quum imminet nobis fatale exitium, Deum adimere conſilium ac rationem. Huic affine eſt illud Quinctiliani: Scelera non habere cõſilium.

### Ne præceps fueris ad iurandum.

Habebit prouerbij ſpeciem, ſi quis hominem poſt acceptum malum admoneat . Sumtum à iure ſcripto, D. de iureiurando,l.13.

### Quam quiſque nouit artem, in hac ſe exerceat.

Horatius.

*Cicero.*

Nauem agere ignarus nauis timet , abrotanum ægro
Non audet,niſi qui didicit,dare quod medicorum eſt.
Promittunt medici,doctique poëmata paſſim.

### Cenare me doce.

*Ariſtoph.*

Δειπνεῖν με δίδασκε.Tempeſtiuiter vſurpabitur,ſi quando docere,præire,aut etiam refellere conatur aliquem imperitus negotij, de quo diſceptatur.

### Non ſuſcipiendum negotium temere.

In præpotentem , & cum quo non ſit ſuſcipienda ſi-



Ayuntamiento de Madrid

multas,aut lis,niſi magno aliquo præſidio fulciaris, quadrabit illud Homeri:

Οὐκ ἄν τις μὶν ἐρυχάνοι ἀντιβολήσας Νόσφι θεῶν.

*Diogenian.* Huic certaturus non iuerit obuius vllus Abſque deis.

## Illotis manibus.

Ἀνίπτοις χερσὶν. Pro eo quod eſt, Irreuerēter atque imparatè.

*Lucianus.*

## Illotis pedibus ingredi.

Ἀνίπτοις ποσὶν ἀναβαίνειν. Id eſt, Illotis pedibus ingredi, eſt confidenter atque imperitè rem egregiam aggredi, tanquam prophanè & irreuerenter.

*Non. Marcellus.*

## Andabata.

Vox ipſa ἀνταβάτης indicat fuiſſe quoſdam, qui ſic hoſtē aduerſum inuaſerint, quemadmodum leo pro catulis dimicans, clauſis oculis inſiliit in venantium agmen. Conueniet in eos, qui temere nullóque iudicio inſectantur quippiam, aut repugnant alicui.

*Plautus.*

## Ædilitatem gerit ſine populi ſuffragio.

Vbi quis imperioſior eſt in alieno negotio, aut in ædibus alienis.

*Thucidi.*

## Inſcitia confidentiam parit.

Prudentia verò cunctationem. Hierony. ad Euagrium ita refert: Imperitia confidētiam, eruditio timorem creat. Plinius: Recta ingenia debilitat verecundia, peruerſa confirmat audacia. Quinctil. Fortius dicunt, qui minus habent artis, quùm interim cordatus orator ac periculum intelligens, initio trepidet. Et qui minus ſapiunt, minus habent pudoris. Et qui nondum didicere quid ſit ſcire, nullius rei ſibi non arrogant ſcientiam.

*Tertullia.*

## De cœlo ad ſynagogam.

Suſpicor dici ſolitum, vbi quis demittit ſeſe à ſumma tranquillitate in ſummos tumultus, aut vbi quis ſtatim aggreditur negotium.

## Ne incalceatus in montes.

Theocritus ἐν νομεῦσι.

Εἰς ὄρος ὄκχ' ἕρπῃς, μὴ ἀνάλιπος ἔρχεο Βάττε.
Ἐν γὰρ ὄρει ῥάμνοι τε καὶ ἀσπάλαθοι κομόωντι.
Batte, caue pedibus nudis perrepere montem.
Quippe rubis tribuliſque viret mons vndique denſus.

Qui ſuſcipit aliquod vitæ genus, armet ſeſe aduerſus occurſura incommoda, ne pœniteat ſuſcepti.

TENACITAS.

## Auarus niſi quum moritur, nihil rectè facit.

Etenim qui ſeſe pecuniæ ſtudio addixit, nulli commodus eſt dum viuit, Sola mors voluptatem & emolumentũ adfert heredi.

## Itidem & Acheronti.

Apud Plautum in Trinummo, amanti repoſcenti quæ dederat, reſpondet ſcortum: Nam itidem vt Acheronti hic ratio accepti ſcribitur. Intro receptum, quando acceptum eſt, non poteſt ferri foras. Sentit nihilò magis ad amantem redire quod in meretricis domum eſt datum, quàm redeunt ab inferis mortui.

TEMPERANTIA.

## Zenone moderatior.

*Laërtius.*

Ζήνωνος ἐγκρατέστερος. Id eſt, Zenone temperatior. Teſtatur & Laërtius in Zenonis vita, philoſophum hunc tum in victu, tum in voluptatibus Venereis vſque adeo patientem ac parcum fuiſſe, vt crudis dumtaxat veſceretur, ac pallio prætenui tegeretur.

## Philoſophari.

*Iſocrates.*

Qui ſententias ſerias dicunt, Græcis dicuntur φιλοσοφεῖν. Hinc tranſlatum eſt ad cuiuſcunque rei vehemens ac ſerium ſtudium. Philoſophari pro temperare affectibus, & aduerſus res acerbas infracto eſſe animo.

TEMPESTIVA.

*Diogenian.*

## Nunc leguminum meſſis.

Νῦν ὀσπρίων ἄμητος. Nunc leguminum meſſis, id eſt, nunc tempeſtiuum hoc, aut illud agere: velut ſi quis admoneat iuuenẽ, nunc adeſſe tẽpus parãdæ gloriæ, parãdæ eruditioni, parandis opibus idoneum. Sumtum à ruſticis.

## Hernioſi in campum.

*Ariſtoph.*

Κόκκυ, ψωλοὶ πεδίονδε. Id eſt, Coccy, hernioſi in campũ. Ariſtophanes in auibus refert prouerbij loco: Τοῦτ' ἄρ' ἐκεῖν' ἦν τοὔπος ἀληθῶς, κόκκυ, ψωλοὶ πεδίονδε. Quorum verborum ſenſus eſt: Hoc eſt vere quod prouerbio dicitur,



Ayuntamiento de Madrid

Coccy, hernioſi in campum, ſubaudi, venite: quòd hæc auis canit paullo ante meſſem; velut agricolas prouocans ad laborem metendi. Vnde Heſiodus ἦμος κόκκυξ κοκκύζει. Quod autem φαλοὶ dixit pro agricolis, obiter taxauit Ægyptios, apud quos plerique ſunt execti, qui omnes ad vocem cuculi coguntur eſſe in agris, &c. Ariſtophanis interpres admonet eſſe prouerbium κόκκυ, &c. quum ſegnes ipſum tempus prouocat ad induſtriam.

Suidas.

## Bæta tum hieme, tum æſtate bona.

Βαίτη κἀν θέρει, καὶ ἐν χειμῶνι ἀγαθόν. Id eſt, Bæta tum in æſtate, tum hieme bona. Suidas adſcribit bætam veſtis pelliceæ genus, quod ad vtrumque tempus videatur oppoſitum. Nam hieme depellit ventos, æſtate ſolem. Conuenit igitur de re ad multa vſui futura, veluti de literis, quæ iuuenes iuxta ac ſenes ornant, aut philoſophia, quæ rebus in proſperis arcet ab inſolentia, in aduerſis præſtat ne frangamur animo.

## Quum ceſſat Boreas.

Quo ſignificabant tempus oportunum proſperæ nauigationi, propterea quòd Auſter minus vehemens oritur, deſinit autem perquam vehemens. Congruit cum illo, Quum pluit, molendum.

## Noſce tempus.

Γνῶθι καιρόν. Id eſt, Noueris tempus. Heſiodus.

Μέτρα φυλάσσεσθαι, καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος.
Obſeruato modum, nam rebus in omnibus illud
Optimum erit, ſi quis tempus ſpectauerit aptum.

Quin Iſocrates ad Demonicum ſcribit, iniucundum in omni re eſſe, quidquid intempeſtiuum ſit. Adeò cunctis in negotiis plurimum habet momenti temporis & oportunitatis obſeruatio.

## Aliam ætatem alia decent.

Qui iam aliam ætatē ſignificabit, nec idem decere canū, quod iuuenē aliquando decuit, vſurpabit illud Homeri:

Ἀλλ' ὅτε δὴ πολιόντε κάρη πολιόντε γένειον.
Verum vbi iam, canumque caput, incanaque menta.

## Capra ad feſtum.

Ἄιξ εἰς τὴν ἑορτήν. Dici ſolitum, vbi quis in tempore ad

Ayuntamiento de Madrid

negotium aliquod accederet.

## Munus exiguum, ſed oportunum.

Quum munus indicabimus pretio quidem perpuſillum, ſed tamen accipienti pro tempore gratiſſimum, citabimus illud Homeri:

Δόσις δ' ὀλίγη τε, φίλη τε. Id eſt,
Exiguum munus, gratum tamen.

## Audi Chelidonem.

Πύθου χελιδόνος. Id eſt, Audi Chelidonem, id eſt, in tempore curato tua negotia. Quidam à theologo quodam ortum autumant, cui nomen Chelidoni. Non nulli malunt ad auem hirundinem referri, quod ſtridula ſit auis ac lugubris, ſiue quod veris prænuntiet aduentum.

## Oleum & ſalem oportet emere. *Ariſtotel.*

Τοὔλαιον καὶ τὸ ἅλα δεῖ ὠνεῖσθαι. Significat opus eſſe non nunquã remediis contrariis, nũc acrimonia, nunc lenitudine.

## Iouis tergus.

Διὸς κῴδιον. De re ſordida quidem, ſed tamen in vſum aliquem ſeruata. Nam olim victimæ pellem ſeruabant in pompis Eluſinis circumferendam, vel ſubſternendam pedibus eorum, qui piaculo quopiam tenebantur ad expia-- *Plautus.*

## Nihil homini amico eſt oportuno amicius.

tionem.

Gratiſſimum eſt officium, quod præſtatur in tempore. E diuerſo, Nihil differt ab inimicitia intempeſtiua beneuolentia. *Politian.*

## Domi Mileſia.

Οἴκοι τὰ Μιλήσια. In eos dici ſolitum, qui ibi domeſticum luxum celebrant, vbi minimè probatur. Nam domi liberum eſt vnicuique ſuo more viuere. Suidas hanc refert fabulam: Ariſtagoras quidam Mileſius Lacedemonem profectus, poſtulabat vt Ionibus à Perſis bello vexatis ſuppetias ferrent. Is autem quum in concionem prodiſſet, inſolita apud Lacedæmonios veſtitus munditie, aliiſque deliciis Ionicis affluens, quidam ex Ephoris cum hoc dicto ſubmonuit, Domi Mileſia.

## Phallus Deo.



Ayuntamiento de Madrid

*Plutarchus.* Ὁ φαλλὸς τῷ θεῷ. Dici ſolitum, vbi parum quidem honeſta, ſed tamen apta tribuuntur, quaſi dicas: In matellam immeiere. Phallus erat effigies obſcœni membri virilis. Cur autem id in myſterijs ferebatur cauſſam reddit Plutarchus.

*Auſonius.*

## Sacra hæc non aliter conſtant.

Hoc adagio licebit vti, ſi quando fatebimur culpam, ſed quæ rei iocóue conuenit: veluti ſi quis in balneis agat impudentius, aut ruſticius in naui, aut in compotationibus ebriorum imtemperantius, aut inter mulierculas ineptius.

# TIMIDITAS.

*Plato.*

## Vmbram ſuam metuere.

Τὴν αὑτοῦ σκιὰν φοβεῖσθαι. Id eſt, Suam ipſius vmbram metuere. Dicuntur, qui pueriliter trepidant vbi nihil omnino ſit periculi.

## Timidior es proſpiciente.

Δειλότερος εἶ τοῦ παρακύπτοντος. Id eſt, Formidoloſior es eo, qui proſpectat. Dicitur in hominem ſupra modum pauidum.

*Suidas.*

## Timidior Piſandro.

Δειλότερος Πεισάνδρου. Dicebatur olim & hoc in immodicè formidoloſos. Aiunt autem Piſandrum fuiſſe quempiam prodigioſa timiditate.

## Epeo timidior.

Ἐπειοῦ δειλότερος. De magnopere pauido dicebatur. Ab Epeo quopiam ductum, notæ timiditatis homine.

*Zenodotus.*

## Timidus Plutus.

Δειλὸς ὁ Πλοῦτος. Ariſtophanes vulgo iactatam inducit opulentiæ timiditatem, quum ait:

Ἀλλὰ καὶ λέγουσι πάντες ὡς
Δειλότατόν ἐστιν ὁ Πλοῦτος.
Quin id omnes dictitant.
Timidiſſimum quiddam eſſe diuitias. Iuuenalis:
Pauca licet, portes argenti vaſcula puri,
Nocte iter ingreſſus gladium, contúmque timebis.
Et motæ ad lunam trepidabis arundinis vmbram.
Cantabit vacuus coram latrone viator. In ſumma:

In omni negotio formidoloſior eſt diues quàm pauper.

Ayuntamiento de Madrid

## Timidi nunquam ſtatuerunt trophæum. *Euripides.*

Α᾽λλ᾽ οἱ γὰρ ἀθυμοῦντες ἄνδρες, οὔποτε
Τρόπαιον ἔστησαντο. Id eſt,
At enim trophæum nobile haud vnquam viri
Statuere pauidi.

Aptè dicetur in eos, qui per animi ſocordiam, inertiámque nihil egregium, nihil arduum audent aggredi: aut qui periculi metu, à magnis abſtinent negotiis, quum inſignis gloria non niſi magnis periculis contingat.

## Abiecit haſtam. Ρ᾽ίψασπις.

Qui cauſæ ſuæ diffiſus, abiicit animum ac deſinit cõtra conari. Ariſtophanes in Veſpis: ἀπέβαλε τὴν ἀσπίδα. Id eſt, Abiecit clypeum. Declarat & Iſocrates in oratione de pace, infames olim habitos, qui vel ordinem deſeruiſſent, & clypeum abieciſſent.

## Vel muſcas metuit præteruolitantes.

Ariſtoteles 7. De repub. libro: Α᾽λλὰ δεδιότα μὲν τὰς παραπετομένας μυίας. Id eſt, Qui muſcas, inquiens, etiam præteruolantes metuat, id eſt, quamuis friuola de cauſſa. Idem ſimilem quandam commemorat in Moralium 7. loquens de iis qui vſque adeo ſunt timidi, vt etiam ſi ſorex obſtrepat, protinus expaueſcant.

## Rheginis timidior.

Ρ᾽ηγίνων δειλότερος. Id eſt, Rheginis formidoloſior. Xenarchus apud Zenodotum, Sophronis, qui de menſibus ſcripſit, filius, in gratiam Dionyſij tyranni taxauit Rheginenſes, vt ignauos in rebus bellicis, animíque pauidi. *Zenodotus.*

## Ante tubam trepidas.

Id eſt, Animo conſternaris, prius quàm appareat periculum.

## Ignaui vertitur color.

Τοῦ κακοῦ τρέπεται χρώς. Nam id accidit in metu, vt vultus exalbeſcat, maximè timidis, videlicet ſanguine ad vitalia refugiente. *Plutarchus.*

## In pulicis morſu Deum inuocat.

Ε᾽ν ψύλλας δήγματι θεὸν ἐπικαλεῖται. Id eſt, In pulicis morſu Deum inuocat. In eos dictum, qui quantumlibet leui de re grauiter perturbantur, perinde vt in maxima.



Ayuntamiento de Madrid

## Mulier imperator, & mulier miles.

Γυνὴ ϛρατηγεῖ, καὶ γυνὴ ϛρατεύεται. Id eſt, Mulier & agmen ducit, atque ducitur. Quoties totum negotium ignauis commiſſum eſt. Natura non dedit imperare feminis.

## Ceruinus vir.

Ἐλάφειος ἀνήρ. Olim dicebatur formidoloſus, & fugæ fidens magis quàm viribus. Ceruus in venatu pedibus ſibi quærit ſalutem.

## Gallus inſilit.

Ἀλεκτρυὼν ἐπιπηδῇ. Vbi quis ſemel victus, redintegrat certamen. A gallorum certaminibus ſumtum.

## Vir fugiens & denuo pugnabit.

Ἀνὴρ ὁ φεύγων, καὶ πάλιν μαχήσεται. Id eſt, Qui fugerit, rurſus ille præliabitur. Senarius prouerbialis, quo monemur non protinus abiicere animum, ſi quid parum fœliciter ſucceſſerit.

## Leonis veſtigia quæris.

Τοῦ λέοντος ἴχνη ζητεῖς. Dicterium in eum, qui verbis ferox eſſet, re timidus.

*Euſtathius.*

## Initio confidens, in facto timidus.

Audax ante negotium plerumque ignauus. Videmus hoc vſu venire vulgò, vt qui ſunt audaciſſimi & magniloquentiſſimi, priùs quàm appareat periculum, vbi res virum poſtulat, ibi ſint animi nullius.

## Lingua bellare.

*Ariſtoph.* Γλώττῃ πολεμίζειν. Dicuntur, qui magnificè conuiciantur ac minantur hoſti, ſed quum tutum eſt.

## Quum adſit vrſus, veſtigia quæris.

Ἄρκτου παρούσης τὰ ἴχνη ζητεῖς. Id eſt, Vrſi præſentis veſtigia quæris. De iis dicitur, qui timiditate præſens negotium declinant, atque ad alias nugas dilabuntur. Tranſlatum à formidoloſis venatoribus, qui ſe diſſimulãt ſenſiſſe vrſum, & veſtigia perſequi fingunt, quo abſint à periculo.

## Quum adſit via, ſemitam quæris.

Conueniet in tergiuerſatores, qui quò præſens negotiũ ſuffugiant, diuerticula captant.

## In formidoloſum.

In hominem vehementer pauidum, animóque conſter-

Ayuntamiento de Madrid

natum, quadrabunt hi verſus Homeri: Οὐδέ μοι ἦτορ

Ἔμπεδον, ἀλλ' ἀλαλύκτημαι, κραδίη δέ μοι ἔξω
Στηθέων ἐκθρώσκει, τρομέει δ' ὑπὸ φαίδιμα γυῖα.
Nec mihi mens conſtat, ſed mota vacillat, & extra
Pectus, cor ſalit, & trepidant quoque corporis artus.

## In fugitiuum.

Vbi quis impotenti animi cupiditate ad rem quampiam inſtigatur, præcipuè parum honeſtã: vel magis ſi quis turpiter fugiat, in hunc quadrabit, ſi dixeris:

Τοῦτον ἡ κυνάμυια ἄγει. Id eſt, Hunc cynamya rapit. Cynamya eſt muſca canina.

## Ne my quidem facere audet.

Qui metu non auderent hiſcere, ij quondam negabantur my facere audere. Varro putat muſſare verbum deductum à my litteræ vocabulo, quaſi μύζειν, propterea quòd muti non amplius ſonare queant, quàm my. Eſt enim ea littera maximè omniũ muta, præſertim in fine os contrahẽs.

## Γρύζειν.

Prouerbio dicunt hiſcere, ſeu mutire. Sunt qui putant γρύζειν eſſe vocem ſuillam edere.

## Corinthiis non indignatur Ilium.

Κορινθίοις δ' οὐ μέμφεται τὸ Ἴλιον. Incuſat haudquaquam Ilium Corinthios. Hoc carmine exprobramus ignauiam alicui, qui ita ſe geſſerit, vt hoſtes nihil habeant, quòd illi magnopere indignentur. *Simonid.*

## Verbis pugnans, non re.

Facilè eſt conuiciis altercari, verum re vincere difficile. Ad eam ſententiam quadrabit illud Homeri:

Siquidem noui probè & ipſe
Et petere probris, inimicáque dicere dicta.

## Λευκιπατίας.

Olim appellabatur formidoloſus. Videtur autem compoſita vox ἀπὸ τοῦ λευκοῦ καὶ ἧπαρ, quòd palleant plerumque quibus hepar eſt vitiatum, id quod apparet in animantibus. Pallor autem formidoloſis conuenit.

## In pedes retrocedit.

Ἐπὶ πόδα ἀναχωρεῖ. Id eſt, In pedem retrocedit. De eo, qui metu dat locum potentiori, & reuocat ſe in tutum. Ab

Ayuntamiento de Madrid

athletis ſumtum videtur.

*Ariſtotel.*

## Myſorum præda.

Μυσῶν λεία. In eos olim dicebatur, qui impunè à quibuſlibet læduntur ac diripiuntur. Ortum à Myſis, quos aiunt quondam finitimorum incurſationibus malè vexatos fuiſſe, quo tempore Telephus res peregrè agebat.

## Animus in pedes decidit.

*Homerus.*

Qui vehementer conſternantur, atque expaueſcunt, iis animus in pedes decidere dicitur. Quin hodie vulgo, Totus animus mihi erat in genibus.

Τάρβησαν, πᾶσιν δ᾽ ὑπαὶ ποσὶ κάππεσε θυμός.
Pauor ingruit ingens,
Omnibus inque pedes animus mox decidit imos.

## Trepidat in morem galli cuiuſpiam.

*Ariſtoph.*

Πτήσσει ὥς τις ἀλέκτωρ. Id eſt, Trepidat tanquam gallus gallinaceus. In malè affectum & commotum.

## Quem mater amictum dedit obſeruare.

*Quinctil.*

Pro eo quoſt eſt, pueriliter ex alieno præſcripto viuere.

## Nulla candidorum virorum vtilitas.

In molles & effeminatos dictum, ac veluti voluptatibus natos. Contra, qui nigra ſunt cute & hiſpidi, hi magis ad magiſtratum allegandi.

## Teuthidum more.

*Plutarchus.*

Quidam Theutidas putāt eſſe, quas nos vocamus ſepias. Sepia autem de genere mollium eſt, & arbitror huic generi cor non ineſſe.

## Scrupulum iniicere.

*Terentius.*

Solicitudinem iniicere animo cuiuſpiam. Et, Scrupulum eximere, eſt ſolicitudinem tollere.

## Non incedit per ignem.

*Theocritus.*

Quo ſignificabant aliquem plus ſatis feſtinare. Qui verſatur in re periculoſa, dicitur & ipſe per ignem incidere.

## Domi leones.

De iis dicitur qui in ſuos ſæui, non itidem audent aduerſus munitos.

# TOLERANTIA.

## Chalcenterus.

Χαλκέντερος. Olim dicebatur inſigniter patiens labo-

Ayuntamiento de Madrid

rum, atque indefatigabilis, velut habens ærea inteſtina, qualem fabulæ narrant fuiſſe Talo cuſtodem inſulæ Cretę. Hoc cognomen inditum eſt Didymo Grammatico, ob incredibilem numerum librorum quos ſcripſit. Eadem de cauſſa Origenes dictꝰ eſt Adamātinꝰ, id eſt, indefatigabilis.

### Socratis callus.

Socrates corporis erat patientiſſimi, quod ad omnē laborē occalluerat, ambulabat nudis pedibus, dormiebat humi.

## TORVITAS.

### Origanum tueri.

Ὀρίγανον βλέπειν. Dicebantur, qui robur & maſculum animum præferebant. Suidas refert hoc carmen ex Ariſtophane: Præbebo me ipſum animo virilem, ac tuentem origanum. Sumtum ab acrimonia herbæ, vt reſpondeat illis alibi dictis? Tueri, ſinapi aut naſturtium. *Ariſtoph.*

### Titanicus aſpectus.

Τιτανῶδες βλέπειν. Id eſt, Titanicū tueri. Hoc eſt, vultu titanico obtueri. Titanicum autem toruum vocant ac tetricū.

### Areopagita.

De triſti ſeueróque dicebatur, aut etiam de iudice vehementer incorrupto. Quales fuere apud Athenas Areopagitæ.

### Mortem tueri.

De toruo aſpectu.

Γοργὸν βλέπειν.

Eſt aliquoties apud Lucianum, pro acribus oculis intueri. Nota eſt fabula Gorgonæ quæ ſe intuentes in ſaxa conuerteret.

## TOTVM VT NIHIL RELIQVI.

### Omnia chnaumata.

Πάντα χναύματα. Dicebant olim, quoties omne negotiū ſignificabant: χναύματα enim Græci placentarum, atque id genus ciborum fragmina vocant. Latini quoque reliquias belli, & reliquias Danaûm dicunt ſimili figura. *Zenodotus.*

### Cum puluiſculo.

Quoties omnia ſic tolluntur, vt nihil fiat reliqui, ne puluis quidem. Metaphora mutuo ſumta ab iis qui frumentū ab area cōuertunt, nō ſine puluere. Plautus in Ruden. Con-

Ayuntamiento de Madrid

uertet hic iam me totum cum puluiſculo. Eodem pertinet Euangelicum illud, quò iubētur etiam puluerem excutere Apoſtoli, id eſt, ne minimum quidem ab eis auferre ſecum.

*Suidas.*

## Vna cum ipſis manipulis.

Αὐτοῖς ἀμάλλαις. Cum ipſis manipulis. Quum omnia funditus pereunt, hoc eſt, quum ne gluma quidem ſit reliquum.

*Plutarchus.*

## Vna cum templis & aris.

Inuocantes Deos, addebant hæc verba ceu ſolennia, ἅμα σὺν ναοῖς καὶ βωμοῖς, id eſt, Vna cum phanis & aris. Prouerbio dici ſolitum, quum nihil omnino prætermiſſum volebant ſignificare.

*Vlpianus.*

## Ruta cæſa.

Verba ſunt peculiaria Iureconſullis. Abundè patet ex Pandectarum lib. 19. Lege 18. Si ruta, inquit Vlpianus, cæſa excipiantur in venditione, ea placuit eſſe ruta, quæ eruta ſunt, vt arena & ſimilia: cæſa ea eſſe, vt arbores cæſas, & carbones, & his ſimilia. Ergo quum ſignificabimus inclementius tolli omnia, neque quidquam fieri reliqui venuſtè dicemus, Ne rutis quidem ac cæſis receptis, vt Iureconſultorum more loquar.

## Cum ramento

Cum ramento reddidiſſe dicitur, qui totum reddidit nulla ex parte decurtatum. Sumtum apparet à fabris ærariis qui ſibi ſeruant, quod lima deraſerint.

## Et prædam & præmium.

Quoties ſignificamus omnino quippiam auferendum, ſiue iure ſiue iniuria, dicemus & præmium & prædam auferendam. Præmium datur pro meritis: Præda per vim aut arte abducitur.

## Principium, medium & finis.

Plato refert hoc quaſi vulgo decantatum, Deum vniuerſitatem rerum omnium complecti, hoc eſt, principium, medium & finem. Ab illo enim omnium quæ ſunt, initium, incrementum & ſumma.

# TVMVLTVS.

*Feſt. Pomp.*

## Tyria maria.

Tyria maria, prouerbio dicebatur, de re magnopere tu-

Ayuntamiento de Madrid

multuoſa,periculiſque plena.Feſtus Pompeius inde natum adagium indicat : Pœni Tyro oriundi,adeo potentes maris fuerunt,vt per hos omnibus mortalibus nauigatio eſſet periculoſa. Citatque Afranium, qui ſcripſit de quopiam, quòd Tyria maria concitet,hoc eſt,ingentes turbas.

VANITAS.

## Quæ apud inferos.

Τὰ ἐν ἅδου. Id eſt, Ea quæ apud inferos. Citat Suidæ interpres Ariſtarchum auctorem, idque inde natum putat, quòd Cratinus finxerit quendam apud inferos funem torquentem, aſinum autem arrodentem ea quæ ille iam torſiſſet : atque ita inaniter laborare, qui torquebat. Vnde quum inania ſomniſque ſimilia ſignificamus, aptè dicemus adagium, &c. *Ariſtarch.*

## Deinde expergiſcebar.

Εἶτα ἐξηγρόμην. Id eſt, Deinde expergiſcebar. Hoc dicto ſignificabant vana fuiſſe quæ dicerentur. Hic iocus prouerbialis etiam hodiernis temporibus familiaris eſt vulgo,quoties quæ memorantur,vana ſomniiſque ſimillima videntur. *Ariſtoph.*

## Cilix haud facilè verum dicit.

Κίλιξ οὐ ῥαδίως ἀληθεύει. Cilix haud facilè verum dicit. Dionyſius in epiſtola ad Rufum ſcholaſticum:Vetus verbum eſt, Cilices haud facilè verum dicere. Quadrabit in hominem auidum lucri,& ob id ſæpenumerò dicentē non quæ vera ſint, ſed quæ vtilia. Natum adagium à moribus eius gentis,quo nomine nunc vulgo notant Vltraiectinos.

## Cretiza cum Cretenſi.

Aduerſus mendacem mendaciis vtere. Paulus:
Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργοί.
Cretenſes ſemper mēdaces,malæ beſtiæ,ventres pigri.

## Mentiuntur multa cantores.

Πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί.In eos quadrabit, qui ad gratiam loquuntur, & auribus blandiuntur. Inde ductum, quòd cantores hoc modo ſpectantes vt delectent ac placeant, pleraque canunt in laudem auditorum falſa. Nihil enim veritate grauius,nihil aſſentatione ſuauius. *Ariſtotel.*

## Fumos vendere.

*Martialis.*

Ayuntamiento de Madrid

Pro eo quod eſt, Principum beneuolentiam, ſimulatæ commendationis officio per occaſionem familiaritatis pretio vendere. Nam fumus initio quidem magnum quiddam eſſe videtur, verum euaneſcit illico. Martialis carmen hoc eſt.

Vendere nec vanos circum palatia fumos,
Plaudere nec Cano, plaudere nec Glaphyro.

## Somnium.

Terentius.

Rem futilem, inanem & nihili, ſomnium prouerbio dicimus. Terentius in Adelph. De argento ſomnium. Lucianus: Omnia illa ſubuentanea ſomnia, ſicut aiunt, & verborum vmbræ. Plautus: Hic vigilans ſomniat.

## Ne ſi bos quidem vocem edat.

Hinc dictum eſt, quod in annalibus frequenter commemoratur bos humanam vocem reddidiſſe. Memini legere, ni fallor, apud Platonem non diſſimili figura dictum, etiam ſi quercus eloqueretur. Nam olim è quercubus Dodonæis reddebantur oracula.

## Hiberæ næniæ.

Hiberas næuias D. Hieronymus nugas appellat, in præfatione, quam præpoſuit Moſi pentateucho: Quod multi ignorantes, inquit, apocryphorum deliramenta ſectantur, & Hiberas nænias libris authenticis præferunt.

## Epiphyllides.

Ἐπιφυλλίδες ταῦτ᾽ ἐστὶ καὶ στωμύλματα. Id eſt, Epiphyllides ſunt hæc & ampullæ meræ. Eum ſenarium Ariſtophanicum aiunt cõuenire in blandiloquos, & phaleris verborũ inſtructos magis, quàm egregiis factis. Calliſtratus omnes minutulos racemulos epiphyllidas appellari ſcribit, quòd ſub pampinis lateant. Nam hinc nomen, quòd foliis adhæreant. Eſt autem id luxuriantis arboris argumentum.

## Tantali horti.

Ταντάλου κῆποι. Id eſt, Tantali horti. De bonis, quibus, tamen frui non liceat, aut de iis quæ videantur aliquid eſſe, quum nihil ſint. Nota eſt fabula de Tantalo, apud inferos ad aquam ſtãte, déque pomis in caput imminentibus, quũ ſitiens interim atque eſuriens, neutra poſſit contingere.

## Apologus Alcinoi.

Ayuntamiento de Madrid

Ἀπόλογος Ἀλκινόυ. Id eſt, Apologus Alcinoi. De longis & anilibus fabulamentis. Refertur à Diogeniano.

Anicularum deliramenta.

Γραῶν ὕθλος. Id eſt, Anicularum deliramenta. De nugis inanibus, cuiuſmodi ſolent effutire vetulæ. *Plato.*

Aſini mortes.

Ὄνου θανάτους. Subaudiendum, narrat. Dicebatur in eos, qui narrarent abſurda, ridiculáque dictu, cuiuſmodi fuerit, ſi quis longa narratione, perſequatur aſini pericula. *Suidas.*

Subuentanea parit.

Ὑπηνέμια τίκτει. De vanis ac friuolis inuentis. Tranſlatum ab auibus, quæ Veneris imaginatione cócipiunt oua, ſed inania, hoc eſt, vnde non gignantur fetus. Hos conceptus potiſſimum accidere in his auibus, cuiuſmodi ſunt perdix, gallina, demonſtrat Ariſtoteles.

Cypariſſi fructus.

Κυπαρίττου καρποί. De verbis dictu magnificis, cæterum inutilibus. Prouerbium fluxit à natura arboris, quam Plinius lib. 10. ſcribit natu moroſam eſſe, fructu ſuperuacaneam, baccis toruam, foliis amaram, odore violentam, ac ne vmbra quidem gratioſam.

Cæcum inſomnium.

Τυφλὸν ὄνειρον. De re friuola vanáque. Quædam enim inſomnia portendunt aliquid, quædam inania ſunt.

Calidum mendacium.

Calidum facinus, θερμὸν ἔργον, pro audaci dicitur. Simili figura calidum mendacium, pro audaci dicitur & impudenti. Plautus in Moſtellaria: Calidum hercle audiui eſſe optimum mendacium.

Pſydracia.

Scholiaſtes Theocriti narrat, apud Siculos, qui ſupra nares haberent puſtulas, quas illi vocant ψυδράκια, ſiue ἴονθους, pro mendacibus haberi ſolitos vulgo. Quin & hodie vulgo dicunt, Naſus tuus arguit mihi te mentiri.

Doſones.

Plutarchus in vita Pauli Æmilij, tradit Antigonum regem, Demetrii nepotem, eò quod benignè promitteret omnibus, nec præſtaret promiſſa, populari ioco dictum

Ayuntamiento de Madrid

fuiſſe Doſonem, quaſi Latinè dicas dabonē, quod ille quid uis petentibus reſpōdere ſoleat, δώσω, id eſt, dabo. Ouidius:

Promittas facito, quid enim promittere lædit?
Promiſſis diues quilibet eſſe poteſt.

VENEFICIA.

## Manci pera.

Narrant locum fuiſſe vicinum Hymetto, cui nomen fuerit κυλλοῦ πήρα, id eſt, Claudi mantica: in eo fuiſſe templum, ſimúlque fontem, vnde feminæ ſteriles bibebant, & fiebāt fecundæ. Conueniet in eos, qui bulbis, aliiſuę medicamentis irritant libidinem. Quidam elleboro ſuccurrunt ingenio, & quibuſdam medicaminibus memoriæ.

VICES OFFICII.

## Ε᾿γκεῶτις ἡμέρα.

Plutarchus tradit hoc dici ſolitum de his, qui conniuium agunt, aut exhibent: idque inde manaſſe, quod olim apud Ceos mos fuerit: vt qui magiſtratum inirent, epulum exhiberent populo. Quòd ſi quando plures fuiſſent magiſtratus, dies inter ſe diſtribuebant. Itaque quum ſibi occurrerent, rogabant: τίς ἡμέρα, id eſt, Quis dies? Ea vox in vulgi iocum ceſſit.

## Ordinem deſerere.

Λιπεῖν τὴν τάξιν. Ordinem deſerere dicitur, qui deeſt officio ſuo in re quapiam peragenda. Ducta allegoria ab his, qui ſtant in acie.

## Penſum perſoluere.

*Plautus.* Et tuas implere partes, debitóque perfungi officio. Trāſlatum à lanificio muliebri, in quo ſingulis certum lanæ pondus, in opus diſtribuebatur. Varro: Nos noſtrum penſum abſoluimus.

## Contribulis factus ſerua ordinem.

Poſteà quàm aſcitus es in ordinem aliquem, fungere tuo officio, quemadmodum & cæteri faciunt.

VICTORIA VTRIVSQVE TRISTIS.

## Flet victor, victus interiit.

Quoties vtraque pars magno ſuo malo diſcedit, ita vt plerumque ſolet in bellis accidere, item in litibus forenſibus,

Ayuntamiento de Madrid

ſibus, in contentionibus.

## Teſta colliſa teſtæ.

Quum duo conflictantur vtriuſque malo. Ariſtophanes:

Καὶ πίθος πληγεὶς ὑπ' ὀργῆς ἀντελάκτισεν πίθῳ.

Id eſt, Ac recalcitrans per iram teſta teſtam vulnerat. Talis eſt fere conflictatio regum inter ſe belligerantium, qualis ollæ cum olla colliſio. Nonnunquam perit vterque.

## Victoria non incruenta.

Facit hoc tum corruptela iudicum, tum patronorum rapacitas, vt ferè litigantium vtræque partes plectantur, adeo vt non raro pœniteat etiam eum, qui vicit litem. In hos igitur conueniet illud Homeri ex Iliad. ρ.

Οὐδ' οἱ ἀναιμωτί γ' ἐμάχοντο.

Nec hi ſine ſanguine pugnam Miſcebant.

# VINCERE ET VINCI.

## Palmam ferre.

Palmam ferre, & palmam tribuere, & palmam præripere, prouerbiali ſchemate dicta ſunt. Neque enim palma per ſe victoriam ſignificat, ſed arborem ἐμπεδόφυλλον, id eſt, perpetuo virentem frondibus, quam Græci φοίνικα vocant. Sunt qui putent hanc arborem initio Phœbo ſacram fuiſſe ante laurum, & antiquiſſimum victoris inſigne fuiſſe palmam, non aliam quampiam arborem.

## Solus currens vicit.

Μόνος θέων ἐκράτει. De iis qui vincunt, nemine contra certante. Tranſlatum à ſtadiis. Nihil autem eſt negotii vincere, ſi nemo tecum certet.

## Extremum occupet ſcabies.

Olim pueri certantes clamare ſolebant, Occupet extremum ſcabies: adhortantes hac voce ſingulos ad curſum, ac malè precantes ei, qui fuerit omnium poſtremus. Horatius:

Occupet extremum ſcabies, mihi turpe relinqui eſt.

## Inuulnerabilis es, vt Cæneus.

Ἄτρωτος ὑπάρχεις ὡς Καινεύς. De his qui lædi non poſſunt. Eſt in poëtarum fabulis, Cæneum munere Neptuni nullo telo violari potuiſſe.



Ayuntamiento de Madrid

Αὐτόθει κατάβαλε

Id eſt: Hoc ipſo depone loco. Ariſtides in Pericle: Iam de loquacibus ô Plato, ignauis, ac timidis protinus depone, ne forte aliquis Deus alius Troianos erigat. Vſus erit, quoties ſtatim & abſque mora iubemus aliquid exhiberi, veluti probationem eius quod dixerit aliquis, vel promiſſum, vel ſpecimen artis, in qua glorietur ſeſe pollere. Vſurpatur & apud Platonem.

## Dare manus.

Eſt ſe victum agnoſcere. Marcus Tullius: Ad extremum det manus, vincique ſe patiatur.

## Herbam dare.

Eſt victorem agnoſcere, ac ſe victum fateri. Inde ſumtum quod (vt auctor eſt Feſtus Pompeius) id erat paſtoralis vitæ indicium, propterea quòd antiquitus curſu, aut alio quopiam certamine ſuperati, herbam ex eodem ſtatim loco decerptam aduerſario porrigebant victoriæ agnitæ ſymbolum.

## Arena cedere.

Pro deſiſtere à certamine, & victoriam vltro concedere. Tranſlatum à pugna gladiatoria. Sic & Horatius:

Iam Scythæ laſſo meditantur arcu Cedere campis.

*Cicero.*

## Haſtam abiicere.

Eſt cauſſæ diffidere, & contentionem relinquere. Tranſlatum à militia.

## Mea eſt pila.

Id eſt, Vici, & voti ſum compos, aut res mihi in manu eſt. Conſimili figura dixit Plautus in Caſina: Sed ſi hera nunc vult facere officium ſuum, noſtra omnis lis eſt, id eſt, vicimus.

## Quid niſi victis dolor?

Vſurpandum, vbi palam fit in contumeliam quippiam. Huc alluſiſſe videtur Plautinus Pullio: Væ victis quum victus vel iniquis conditionibus parere cogitur.

*Plutarchus.*

## Victi non audent hiſcere.

Νικώμενοι ἄνδρες τῇ ἀχευξίᾳ δέδενται. Id eſt, Qui vincuntur, ſilentio victi ſunt. Conuenit cum ſuperiori.

Ayuntamiento de Madrid

## Tolle digitum.

Αἶρε δάκτυλον. Victum te fatere. Nam hoc ſigno qui in conflictu ſuccubuiſſet, τὴν ἧτταν agnoſcebat. Perſius:

Nil tibi conceſſit ratio? digitum exere, peccas.

Hieronymus: En tollo manum, cedo, viciſti.

VINCVLVM INSOLVBILE.

## Vulcanium vinculum. *Suidas.*

Ἡφαίστειος δεσμός. Vbi quis nodis inextricabilibus eſſet illigatus, Vulcaniis vinculis teneri dicebatur, ſumta denominatione ab adamantinis illis vinculis, quibus apud Homerum Vulcanus Venerem & Martem irretiuit, vt quo magis ſe conarentur explicare, hoc magis inuoluerentur. Herculanus nodus, pro vinculo arctiſſimo atque indiſſolubili.

## Herculanus nodus.

Ἡράκλειον ἅμμα. Id eſt, Herculeus nodus, pro vinculo arctiſſimo atque indiſſolubili legitur apud eruditos. Seneca ad Lucillium: Vnus tibi nodus, ſed Herculeus, reſtat. Sic enim vocat Syllogiſmum, qui vix diſſolui poſſet. Quod in eos quadrabit, qui ſunt arctiſſima conſuetudine copulati, &c.

VIS INIVSTA.

## Leonis catulum ne alas.

Λέοντος σκύμνον μὴ τρέφε. Admonet adagium non eſſe fouendam potentiam, quæ leges poſſit opprimere: quòd ſi forte talis quiſpiam extiterit, non eſſe è Republica decertare cum illo, quem nequeas niſi magno Reipublicæ malo deuincere. Tyrannus aut ferendus eſt, aut non recipiẽdus.

## Lex in manibus.

Ἐν χερῶν νόμῳ. Id eſt, Lege manuum. Dicitur, quum res vi geritur, non ex præſcripto legum.

## Leonina ſocietas.

Eſt, quum omne commodum ad vnum aliquem redit, reliquis vi fraudatis. Natum apparet ex Æſopi Græci Apologo, de leone, aſino & vulpe.

## Atticus aduena. *Ariſtotel.*

Ἀττικὸς πάροικος. In violentos & feroces vicinos dicebatur. Durys apud Zenodotum ait, ex Atticorum moribus



Ayuntamiento de Madrid

natum, quod olim finitimos è ſedibus ſuis exigere conſueuerint. Perinde propriè quadrabit in eos, qui ita nuper in munus aliquod aſciti ſunt, vt ſuperiores eiiciant.

## Ferro diuidere.

In eos qui vi rem gerunt, & quibus ferro geritur res, & quibus leges inter arma ſilent. Huic ſimile eſt: Ius in manu reponere.

## Ad ſaga ire.

Pro eo quoſt eſt, apparare bellum, & ad arma procurrere. Sagum tunicula erat militaris.

## Capillis trahere.

*Heſychius.* Τῶν τριχῶν ἕλκειν. Dicuntur, qui vi perpellunt. Quod & hodie dicitur, Auribus trahere.

## Cyclopum more.

Ariſtoteles Cyclopicam vitam appellat, vbi nullis publicis legibus viuitur.

## Oculum excludere.

*Plautus.* Hac figura vulgus adimit omnem ſpem petenti, vt dicat: Si hoc impetraris, oculum mihi excludito, aut dentem extundito.

## Centauricè.

*Ariſtoph.* Κενταυρικῶς. Centauricè fieri dicebatur, quod immaniter, ferociter, inciuiliterue fieret, ſumta voce à Centaurorum moribus. Ariſtophanes:

Τίς τὴν θύραν ἐπάταξεν ὡς Κενταυρικῶς,
Quis oſtium pulſauit ita Centauricè?

## Mars rex.

*Suidas.* Ἄρης τύραννος. In Principem, qui vi, non legibus Rempub. tractat.

## Rus ciuitas.

*Diogenian.* Ἀγρὸς ἡ πόλις. Vbi quis in vrbe neglectis legibus, vi, próque ſua libidine rem gerit. In ciuitatibus enim legibus ex æquo viuitur, in agris licentius agitur.

## Hoſpes indigenam.

Ἔπηλυς τὸν ἔνοικον. Id eſt, Aduena inquilinum, ſubaudiendum, ἐξέβαλεν, id eſt, eiecit. Vſus fuerit, quum alienæ profeſſionis quiſpiam alium in propria vincit arte.

Ayuntamiento de Madrid

Ἀγεωμέτρητος ὐδεὶς εἰσίτω.

Admonet iniquum non admittendum. Vnde Lycurgus arithmeticen ceu popularem ac turbulentam eiecit è Lacedæmone, geometriam induxit, tanquam modeſtæ oligarchiæ & legitimo regno conuenientem.

Prius quàm ſortiaris, communia deuoras.

Πρὶν λαχεῖν τὰ κοινὰ καταδίεις. Id eſt, Prius quàm ſortitio facta ſit, communia deuoras. In eum competit, qui non exſpectata partitione rem inuadit. *Ariſtoph.*

Non mouenda moues.

Ἀκίνητα κινᾶς. Quadrabit aut in eos, qui moliuntur ἀδύνατον aliquid, aut qui res ſacras violant, aut qui pacta mutant, ſiue qui conuiciis inceſſunt eos, quibus ob auctoritatem debetur reuerentia.

In antrum haud legitimum ſtimulum impingis.

Εἰς τρυμαλιὴν ὐχ' ὁσίην τὸ κέντρον ὠθεῖς. Id eſt, In foramen haud licitum ſtimulum trudis. Dicterium Sotadis in Philadelphum, qui ſororem Arſinoën exemplo Iouis vxorem duxerat, quo quidem dicto offenſus ille, capitis ſupplicium ſumſit. *Plutarchus.*

Abſtinenda vis à regibus.

Qui dicet haud temere manum immittendam in reges potentes, aut viros Deo dicatos, adducet illud Homeri:

Δεινὸν δὲ γένος βασιλήιον ἐςὶ Κτείνειν. Id eſt,
Res dura ac plena pericli eſt, Regale occidiſſe genus.

Ceſcon habitas.

Κέσκον οἰκεῖς. In ſtupidum & bardum dicebatur. Ceſcos Pamphyliæ ciuitas, cuius ciues ob vecordiam ſtultitiámque vulgo malè audiebant. Iuxta Ceſcum vrbem fluuius erat, cui nomen Ἄνυς, id eſt, amens. *Zenodotus.*

Cyclopica vita.

Βίος Κυκλώπειος. Pro vita vehementer effera ac barbara, quæ neque legibus, neque diſciplina ciuili conſtet, neque religione Deorum gubernetur. *Strabo.*

Cyrnia terra.

Κυρνία γῆ. Id eſt, Cyrnia tellus. Dicebatur regio latrociniis infamis, cuiuſmodi ferunt olim fuiſſe Cyrnum. Eſt



Ayuntamiento de Madrid

autem Cyrnus inſula quædam ob latrocinia nauigantibus inacceſſa. Prouerbium non ineptè detorquebitur in hominem alieni rapacem ac violentum.

*Suidas.*

## Martis campus.

Α῎ρεως πεδίον. In eos torquebatur, qui militari confidentia præditi viderentur, quíque rem vi, non iudicio gererent.

*Lucianus.*

## In caput præcipitari.

Ε᾽πὶ κεφαλὴν ὠθεῖσθαι. Id eſt, In caput impelli. Hoc eſt præcipitem dari. Dicebant eum, qui per ſummam contumeliam expelleretur, vel qui funditus perderetur.

## VITA HOMINIS MISERA ET BREVIS.

*Cicero.*

## Homo bulla.

Πομφόλυξ ὁ ἄνθρωπος. Prouerbium hóc admonet, humana vita nihil eſſe fragilius, nihil fugacius, nihil inanius. Eſt enim bulla tumor ille inanis qui viſitur in aquis, momento temporis enaſcens ſimul & euaneſcens.

*Diogen.*

## Spithama vitæ.

Σπιθαμὴ τοῦ βίου. Hoc eſt modus vitæ perpuſillus. Prouerbialis eſt figura, mutuo ſumta à rerum menſoribus apud quos ſpithama ſeu palmus, digitos duodecim continet, quantum ferme longiſſimo digitorum porrectu complecti licet. Quin hodie quoque puſillum homunculum, palmum hominis appellant idiotæ noſtrates.

## Punctum temporis.

Στιγμὴ χρόνου. Simili figura dixit Terentius: Tum temporis ad hoc punctum mihi eſt, id eſt, ſpatium breuiſſimum. Apud Mathematicos enim punctum indiuiſibilis quædam pars eſt lineæ. Plutarchus de puerorum inſtitutione, στιγμὴ χρόνου πᾶς ἐστὶν ὁ βίος. Temporis punctum eſt omnis vita.

## Salillum animæ.

Philto Plautinus hominem vocat Salillum animæ, ſentiens hominis breuiſſimam eſſe vitam, videlicet quantulum ſalis cuique in conuiuio apponitur.

## Vt herba ſolſtitialis.

Plautus in Pſeud. Quaſi ſolſtitialis herba paulisper fui,

Ayuntamiento de Madrid

repente exortus ſum, repentinò occidi. De herba ephemero intellige, ſic dicta, quod vltra diem non viuat. Id quod Ariſtoteles de animante eiuſdem nominis prædicat. *Cicero.*

## Optimum non naſci.

Plinius Secundus in præfatione 7. lib. Itaque multi extitere, qui non naſci optimum cenſerent, aut quàm ocyſſimè aboleri. Senſerunt veteres vitam humanam per ſe miſeram & calamitoſam eſſe. Proinde Homerus δειλοὺς βροτοὺς, id eſt, miſeros mortales appellat.

## Dimidio vitæ nihil differunt felices ab infelicibus.

Plutarchus. Quum exiguum tempus vitæ datum ſit hominibus, ſomnus velut fenerator dimidium eius aufert. Præterea felicitas, iuxta philoſophos, ſita eſt in actu rationis per habitum virtutis: ſomnus autem eſt quies animi, bonis pariter ac malis communis.

## Fictilis homo.

Κεράμιος ἄνθρωπος. Id eſt, Mollis, imbecillis, fragilis Ductum à vaſis teſtaceis, quæ facilè comminuuntur.

## Stupa ſeniculus.

Στυππεῖον γερόντιον. De viribus effœto ſene. Sumtum à ligno quod iam exaruit, exuccumque redditum eſt, & marcidum in ſtipulæ morem.

## Vita mortalium breuis.

Qui monebit dandam operam, vt apud poſteros honeſtæ vitæ memoriã relinquamus, quæ perpetuo viuat, nam hanc vitam anguſtis circumſcriptam eſſe terminis, accommodabit illud: *Homerus.*

Ἄνθρωποι δ' μινυνθάδιοι τελέθουσι.

Aſt hominis breuibus ſpatiis conſtringitur æuum.

## Vita hominis peregrinatio.

Παρεπιδημία τίς ἐστιν ὁ βίος. Id eſt, Peregrinatio quædam eſt vita. Socrates in Axiocho Platonis adfert hanc ſententiam vt vulgo apud omnes decantatam. Hæc ſententia frequenter occurrit in ſacris voluminibus, vitam hanc eſſe exſilium, eſſe incolatum & peregrinationem, &c.

## Ephemeri vita.

Ἐφημέρου ζωή. De iis, qui ſtatim emoriuntur aut pereũt.



Ayuntamiento de Madrid

Ab animantibus quæ ſic appellantur, quòd vltrà diem non viuant.

VLTIO MALEFACTI.

## Canis vindictam.

Κυνὸς δίκην. In eos, qui præter exſpectationem pœnas dant iis, quos aliquando læſerunt. Natum ab Euripide canibus diſcerpto, quos ab æmulo quopiam immiſſos fuiſſe, confirmat Aulus Gellius. Canis vindictam, ſubaudiēdum, paſſus eſt, aut aliud commodius.

## Ornatus ex tuis virtutibus.

Terentius in Adelphis ironicè loquitur: Si regnum poſſiderem, ornatus eſſes ex tuis virtutibus. Id eſt, haberes præmia tuis factis digna.

## Reperit Deus nocentem.

Εὗρε θεὸς τὸν αἴτιον. Quum vltio contingit improbis, quaſi diuinitus immiſſa.

## Sero Iupiter diphtheram inſpexit.

Ὁ Ζεὺς κατεῖδε χρόνιος εἰς τὰς διφθέρας. Id eſt, Inſpexit, & ſi ſero, pellem Iupiter. Senarius prouerbialis in eos, qui ſero quidem, ſed aliquando tamen pro malefactis dant pœnas. Antiquitas enim credidit Iouem omnia in ſua diphthera, hoc eſt, pelle caprina ſcribere, ac multa quidem pro tempore diſſimulare, verùm aliquando de improbis pœnas ſumere.

*Sophocles.*

## Semper virgines furiæ.

Ἀεὶ παρθένοι ἐριννῦς. Prouerbium obſcurius deterret à peccando. Erynnes enim malefactorum vltrices corrumpi non queunt, quo minus pœnas ſumant de iis, qui commeruerunt, atque hac gratia dictæ virgines,

## Mali bibunt improbitatis fecem.

Dici ſolitum, vbi pœna maleficis digna meritis contigiſſet. Quemadmodum voluptatem ex malefactis perceptam, dolor ſupplicij conſequitur.

## Sus acina dependens.

Ἀποτίσεις χοῖρε γίγαρτα. Id eſt, Acinos ſus improba pendes. Lues quod admiſiſti, reddes quod abſtuliſti, non ſine fœnore, quadrabit vbi puſillum commodi, magno dependitur malo. Natum apparet à ruſtico quopiam, qui ver-

Ayuntamiento de Madrid

bis hiſce comminatus ſit ſui paſcenti racemos.

## Placiadæ.

Πλακιάδαι καὶ ςέλαιον. Id eſt, Placiadæ, etiam Stelæum. Plutarchus oſtendit dici conſueuiſſe de deprehenſis adulteris, & contumelioſis, ſicut merentur, tractatis. Vicus eſt quidam Atticæ regionis, cuius incolæ Placiadæ vocantur. Apud hos moris erat, vt qui fuiſſet in adulterio deprehenſus, ignominioſas pœnas daret impactis in pudendam corporis partem raphanis, qui apud illos miræ magnitudinis eſſe dicuntur. Quòd ſi raphani forte non fuiſſent ad manum, Stelæo vtebantur, id eſt, ligonis ligno.

## Hipparchorum tabula.

Ἱππάρχων πίναξ. Dici conueniet, quoties haud impunè, ſignificabimus, ſi quid peccetur. A Syracuſanis natum adagium. Apud hos enim mos erat, vt Hipparchi, hoc eſt, equitum præfecti in tabulis deſcriberēt militum nomina, qui ordinem deſeruiſſent.

## Habet.

*Terentius.*

Quum obtigit alicui quod expetiuit, aut quo dignus eſt. Habet quod amet, ſimiles habent labra lactucas. Sumtum autumant ab aucupantibus piſcantibus, &c.

## Longæ regum manus.

Quod ab Ouidio ſcriptum eſt: An neſcis longas regibus eſſe manus? Nimirum quod per ſuos, quibus brachiorum vice vtuntur, poſſint etiam procul diſſitos affligere. Poteſt & ad tempus referri, quòd reges etiamſi diutius diſſimulent, ſoleant tamen aliquando pœnam ſumere de iis, quibus infenſi fuerint.

## Scarabæus aquilam quærit.

Κάνθαρος ἀετὸν μαίεται. Quum imbecillior aque impotentior mali quippiam molitur, ſtruítque inſidias inimico longè potentiori. Eſt & altera lectio: Scarabæus aquilæ obſtetricatur. Senſus ferme idem eſt. Super hac refertur apologus apud Græcos non inelegans, quem Lucianus iudicat Æſopicum eſſe, &c.

*Diogenian.*

## Promeri canes.

Προμέρου κύνες. Dici ſolitum, vbi quis nouo caſu pœnas daret iis, quos aliquando læſiſſet. Promerus regius quidā miniſter fuit. Is Euripidem tragicum poëtam ſupra mo-

Ayuntamiento de Madrid

dũ exoſum habebat, delatus ab eodem aliquando, neſcio quo nomine apud regem. Quare poſtea canes quoſdam feros in poëtam ſoluit, à quibus ille deuoratus, interiit.

*Zenodotus.*

## Ciſſamis Cous.

Κίσσαμις Κῶος. Hunc aiunt pecuariis gregibus ſupra modum diuitem fuiſſe. Verum anguillam quotannis apparere ſolitam, quæ pulcerrimam omnium pecudem raperet, Ea quum in ſomnis apparens hominem commonuiſſet vt ſepeliret ſeſe, & ille negligeret, euenit vt tum ipſe, tũ vniuerſum illius genus radicitus interiret. Et hoc prouerbium, Delium aliquem natatorem requirit.

## Improbi conſilium in extremum incidit malum.

Α᾽πήτησι κακῷ βουλὴ πρὸς ἔσχατον ἄτην In eum, qui poſteaquam diu peccauit impune, tandem in calamitatem incidit, vt pœnas omnium ſcelerum dependat.

*Plato.*

## Ibyci grues.

Αἱ Ἰβύκου γέρανοι. Id eſt, Ibyci grues. Quod dici conſueuit, quoties ſceleribus nouo quodam & improuiſo caſu proditis, ſceleſti pœnas dant iis, quos læſerunt. Sumtum à gruibus indicantibus latrones, qui Ibycum poëtam occiderant.

## Dij laneos habent pedes.

Plutarchus in problematis ſcribit Tyriis fuiſſe morem, vt deorum ſtatuis vincula iniicerent. Ænigma prouerbij indicat, Deos ad ſcelerum vltionem lentè quidem procedere, ſed tamen aliquando de malefactis pœnam ſumere vel inopinatò.

## Oetæus genius.

Οἰταῖος δαίμων. Œtæus genius. Diogenianus ait hunc ferociam & arrogantiam non ſinere inultam. Eſt autem Œta mons finitimus Thrachini, atque eodem nomine ciuitas Melienſium.

## Aderit Temeſſeus genius.

Strabo libro 6. refert Temeſſam ab Lao primam vrbem eſſe Brutiæ, quam ab Auſoniis conditam Thoantis comites Ætoli deinde tenuerint: atque his expulſis Brutij, demũ Hannibal & Romani funditus euerterint. Iuxta hanc ſacellum fuiſſe oleaſtris circumſeptum, Polytæ cuidam ex

Ayuntamiento de Madrid

pſydracia. 559
pſytra Bacchum. 528
pſyrice facta. 527. Πτερυγίζειν. 315



Ayuntamiento de Madrid

Ptolemaica lis. 492
Pudebat recuſare, & non audebant ſuſcipere. 480
Pudor & metus. ibid.
Pudor in oculis. ibid.
Puer glaciem. 372
Pueri ſenéſque. 393.428
Pugnis & calcibus. 333
Pugno tenere. 496
Pulcrè dixti. 30
Pulcrè fallit vulpem. 299
Pulcrorum etiã autumnus pulcer eſt. 200
Pulcrum ſepulcri elogio. 58
Puluerem oculis offundere. 85
Pulmo priùs veniſſet. 277.545
Punctum temporis. 566
Punica fides. 266.445
Purgatis auribus. 67
Purior clauo. 271
Purpura iuxta purpuram diiudicanda. 327
Purus putus. 515
Puſillus, quantus Molon. 458
Putre ſalſamentum amat origanum. 398
Pygmæorum acrotinia coloſſo aptare. 399
Pyrauſtæ gaudes gaudium. 371
Pyrauſtæ interitus. 377
Pyrrhandri commentum. 268
Pyrrichen oculis præ ſe ferẽs. 338
Πυῤῥιχίζειν. 338
Pyrrhon formoſus. 28
QVadra propria. 431
Quadratus homo. 444
Quæ apud inferos. 557
Quæ dantur. 475
Quæ diuinitus contingunt. 80
Quæ dolent, moleſtum eſt contingere. 380
Quæ ex antiqua. 288
Quæ quis ipſe facit. 456
Quæ non poſuiſti, ne tollas. 331
Quæ ſemel ancilla, nũquam hera. 161
Quæ ſerò contingunt, ſed magnifica. 544
Quæ ſub alis fiunt. 315
Quæ ſupra nos, nihil ad nos. 38
Quęcunque in ſomno videntur. 577
Quærẽdæ facultates, deinde virtus. 436
Quęrens obſonium, veſtem perdidi. 212
Quæuis terra patria. 81
Qualis hera, talis pediſſequa. 510
Qualis vir, talis oratio. 104
Quàm apes apum ſimiles. 508
Quã curat teſtudo muſcas. 107
Quàm facilè vulpes pyrum comeſt. 465
Quam quiſque norit artem, in hac ſe exerceat. 545
Quàm tragœdia Comici. 16
Quandiu id fieri non poteſt. 474
Quanquam non dixeris, tamen apparet è pelle. 104
Quanta mus apud Piſam. 181
Quãta vix cęlo capi poſſint. 408
Quãto aſinis præſtãtiores muli. 172
Quantum habet. 163
Quantũ nõ miluus oberret. ibid.
Quantum pedibus potes. 191
Quarta luna nati. 39
Quaſi millus cani. 500
Quaſi Sutrium eant. 257
Quatuor obolis non æſtimo. 111

Ayuntamiento de Madrid

Quauis re dignus. 140
Quem fortuna pinxerat. 462
Quem mater amictũ dedit obſeruare. 554
Queruli in amicitia. 46
Qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt. 578
Qui arat oliuetum. 278
Qui benè coniiciet hũc vatẽ. 103
Qui benè coniiciet, vatem hunc perhibeto optimum. 476
Qui canem alit externum. 292
Qui circa ſalem & fabam. 43
Qui continet arcanum. 533
Qui conturbat omnia. 392
Qui cum contemptu vitæ inuadunt. 70
Qui domi compluitur. 226
Qui egent lucerna, infundunt oleum. 220
Qui eget, in turba verſetur. 437
Qui inſpuerit in cauernam formicarum. 368
Qui iure perierunt. 320
Qui modus equitum. 410
Qui multa rapuerit, pauca ſuffragatoribus dederit, ſaluus erit. 395
Qui multum obfuit. 403
Qui nihil litigat, cælebs eſt. 198
Qui nimiũ properat, ſeriùs abſoluit. 192
Qui non zelat, non amat. 49
Qui obticeſcit. 533
Qui omni in re, & omni in tempore. 238
Qui paratus ad reſiſtendum. 383
Quî poſſum ab hoc epulo abeſſe? 341
Qui prior læſit. 574
Qui probus Athenienſis. 176
Qui quæ vult, dicit, quę nõ vult, audiet. 363
Qui ſemel ſcurra, nunquam paterfamiliâs. 291
Qui ſeſe non habet, Samum habere poſtulat. 21
Qui ſunt apud inferos terniones. 427
Qui vitat molam, vitat farinam. 277
Quibus nec ara, neque fides. 265
Quicquid in linguam venerit, Quicquid in buccam venerit. 218
Quid Achiuos à turre indicatis? 500
Quid ad farinas? 35
Quid ad Mercurium. ibid.
Quid cæco cum ſpeculo? 157
Quid cani & balneo? ibid.
Quid de puſillis magna proœmia? 318
Quid diſtent æra lupinis. 138
Quid niſi victis dolor? 562
Quid non fies, profectus Arbelas. 578
Quid opus erat longis canere tibiis? 247
Quid primum aut vltimum. 50
Quid ſi cælum ruat? 232
Quid tandem non efficiant manus. 278
Quid tibi Apollo cecinit? 412
Quis parentem laudabit, niſi infelices filij? 129
Quis vſus cepis putridi? 120
Quiſquis is fuerit. 137
Quiſquis tardè venit ad cenam. 542

Ayuntamiento de Madrid

Quoad vixero. 501
Quocunque pedes ferunt. 52
Quod adeſt, boni conſule. 475
Quod alibi diminutum, exęquatur alibi. 34
Quod aliis vitio vertas, ipſe ne feceris. 332
Quod alius condiuit coquus, aliter cōdiam. 206
Quodcunque in ſolum venit. 10
Quod datur. 475
Quod dedi, datum nollem. 503
Quod factum eſt, infectum fieri non poteſt. 405
Quod in corde ſobrij, id eſt in lingua ebrij. 346
Quod index auro, id aurum homini. 325
Quod non eſt opus, aſſe carum eſt. 107
Quod pulchrum, idē amicū. 200
Quod rectè datum eſt. 342
Quod ſcis, neſcis. 533
Quod volumus ſanctum eſt. 452
Quod vtile, honeſtum: quod autem noxium, turpe. 482
Quo properas? Num ad ephebum. 177
Quo ſemel eſt imbuta. 292
Quò terrarum raperis. 36
Quò tranſgreſſus. 87
Quos non tolerent centum Ægyptij. 391
quot homines, tot ſententiæ. 32
quot ſeruos habemus, totidem habemus hoſtes. 236
quum adſit via, ſemitam quęris. 552.
quum adſit vrſus, veſtigia quæris. ibid.
quum aqua fauces ſtrangulet. 16
quum ceſſat Boreas. 548
quum Delphis ſacrificauerit, ipſe carnes abſumit. 397
quum licet fugere, ne quære litem. 425
quum mala pepererit. 411
quum paruula eſt, bona videtur ſpina. 296
quū plurimùm laborauerimus, eodem in ſtatu ſumus. 251
quum ſis nanus cede. 175
quū vterque concedit alteri. 416
RAdit vſque ad cutem. 490
Rana cum locuſta. 169
Rana Gyrina ſapientior. 301
Rana Seriphia. 534
Ranæ aquam. 12
Ranarum more bibere. 72
Ranis vinum præminiſtras. 397
Rapina Cotytiis. 484
Rara auis. 488
Receptui canère. 443
Rectam ingredi viam. 330
Recto pectore. 194
Reddidit Harpocratem. 536
Refricare cicatricem. 333. 365
Refutātis laudem immodicā. 29
Regia vaccula. 140
Reiicientis auctorē formidinis. 203
Relinque quippiā & medis. 468
Remis velíſque. 97
Repariazare. 265
Reperire rimam. 168
Reperire rimam. 168
Reperit Deus nocentem. 568
Reprehenſio cogitationis. 401
Res ad triarios rediit. 183
Res Cannacæ. 295

Ayuntamiento de Madrid

Res eſt in cardine. 152
Res indicabit. 180
Res in foro noſtro vertitur. 205
Res ſacra conſultor. 105
Reſpublica nihil ad muſicum. 37
Reſpublica virum docet. 182
Rem acu tetigiſti. 26.104
Rem factam habere. 497
Rem factã ſtultus cognouit, piſcator ictus ſapiet. 180
Rem nouam aggredior. 98
Re opitulandum, non verbis. 92
Reti ventos venaris. 244
Rex, aut aſinus. 182
Rhadamantheũ iudiciũ. 194.329
Rhadamanthi iuſiurandum. 195
Rhamnuſia Nemeſis. 571
Rhamnuſius. 330
Rheginis timidior. 551
Rhodij ſacrificium. 491
Rhodiorum oraculum. 539
Ῥίψασπις. 551
Ῥυπικόνδυλος. 529
Riſus Chius. 490
Riſus Ionicus. 355.490
Riſus Megaricus. ibid.
Riſus ſyncruſius. 491
Romanus ſedendo vincit. 540
Rore paſcitur. 526
Roſam cum anemona confers. 169
Roſam, quæ præteriit, ne quęras iterum. 317
Roſcius. 143
Rudem accipere. 444
Rude donare. ibid.
Rudentes & remos cum armis commutauit. 401
Rudius ac planius. 450
Ruminare negotium. 144
Rumor publicus non omnino fruſtrâ eſt? 409
Rupta anchora. 290
Rus ciuitas. 564. Ruris fons. 145
Ruſticanum oratorem ne contemſeris. 117
Ruta cæſa. 556
SAcer manipulus. 71
Sacer piſcis 299
Sacra celerius abſoluenda. 190
Sacra, hęc nõ aliter conſtant. 550
Sacra nihil ſunt. 529
Sacram anchoram ſoluerę. 183
Sacrum ſine fumo. 528
Sæpè etiam eſt holitor valde opportuna locutus. 214
Saguntina fames. 435
Salaminia nauis. 189
Sal & menſa. 42
Salis onus vnde venerat, illuc abiit. 571
Salem & caſeum edere. 210
Salem & fabam. 515
Salem lingere. 209
Salem vehens dormis. 523
Sale emtum mancipium. 114
Sale & aceto. 523
Sale nihil vtilius. 81
Sale perunctus hic adiuuabitur. 354
Salem & menſam ne prætereas. 43
Saliares dapes. 532
Salillum animæ. 566
Saliuam imbibere. 291
Salſitudo non ineſt illi. 305
Salſuginoſa vicinia, 378
Saluete equorum filiæ. 27.396
Sambucam citiùs. 231
Samij litterati. 506

Ayuntamiento de Madrid

Samii mores. 87
Samiorum flores. 311
Samiorum laurea. ibid.
Samiorum mala metuis. 382
Samium comatum. 311
Sanguine flere. 337
Sanior eſte piſce. 494
Sapiens diuinat. 475
Sapiens non eget. 476
Sapiens ſua bona ſecum fert. 75
Sapientes tyranni, ſapientium congreſſu. 47
Sapientum octauus. 141
Sapientia vino obumbratur. 354
Sardanapalus. 311
Sardi venales. 76.538
Sardonius riſus. 490
Sarone magis nauticus. 338
Sarpedonium littus. 95
Sarta tecta. 445.496
Satietas ferociam parit. 162
Satis quercus. 466
Satius eſt initiis mederi, quàm fini. 503
Satius eſt recurrere, quàm malè currere. ibid.
Saturniæ lemæ. 83.309
Saturni podex. 300
Saxum voluere. 253
Saxum volutum non obducitur muſco. 67
Scabroſior leberide. 63
Scarabeus aquilam quærit. 569
Scarabeus citiùs faciet mel. 230
Scarabei vmbræ. 113
Scarabeo citius perſuaſeris. 367
Scarabeo nigrior. 461
Schœnicolæ. 215
σκήπτῃ βλέπε. 522
σκιαμαχεῖν. 248
Scindere glaciem. 10
Scindere penulam. 223
Scipioni arundineo inniti. 214
Scit quomodo Iupiter duxerit Iunonem. 125
Scopæ diſſolutæ. 507
Scopas diſſoluere. ibid.
Scopum attingere. 104
Scraptæ. 113
Scrupulum iniicere. 554
Scytha acciſſans aſinum. 521
Scytha malus. 65
Scytharum oratio. ibid.
Scytharum ſolitudo. 522
Secundis ventis. 75
Secundo æſtu. 74
Secum viuere. 387
Securim iniicere. 369
Sedecim pedibus ſuperauit. 172
Sedens columba. 379
Seiuncta ſunt Merrhæ & Siloam fluenta. 138
Selliſſare. 62
Semel rubidus, ac decies pallidus. 579
Semiſſis homo. 10
Semper affert Libya mali quippiam. 267
Semper Africa noui aliquid apportat. 268
Semper agricola in nouum annum diues. 215
Semper aliquid in Cydonis domo. 223
Semper feliciter cadunt Iouis taxili. 75
Semper graculus aſſidet graculo. 509
Semper Ilio mala. 286

Ayuntamiento de Madrid

Semper Leontini iuxta pocula. 353
Semper me tales hoſtes inſequantur. 106
Semper ſeni iuuenculam ſubiice. 34
Semper ſimilem ducit Deus ad ſimilem. 509
Semper ſuperioris anni meliora. 578
Semper tibi pendeat hamus. 184
Semper virgines furiæ. 568
Senecta leonis, præſtantior hinnulorum iuuenta. 170
Senem admonere. 257
Senem erigere. 504
Seneſcit bos. 352
Seneſco ſemper multa addiſcens. 478
senes mutuum fricant. 438
senex bos non lugetur. 351
senex Pſittacus negligit ferulam. 257
senis Doctor. 255.257
senis mutare linguam. 254.257
senum prudentia. 478
septem conuiuium, nouem conuitium. 94
septennis quum ſit, nondum edidit dentes. 308
septimus bos. 113
sequitur perca ſæpiam. 510
sera in fundo parſimonia. 503
serenitati nubem inducit. 20
serere ne dubites. 278
serò Iupiter diphtheram inſpexit. 568
serò molunt Deorum molæ. 576
serò ſapiunt Phryges. 502
serò veniſti. 504
sero veniſti, ſed in colonum ito. 504.542
serpens niſi edat ſerpentem, draco non fiet. 487
serpentis oculus. 449
seruabis bouem. 181.288
seruatori tertium. 442
seruilis capillus. 239
seruire ſcenæ. 504
seruus quum ſis, comam geris. 160
seruus ſeruo præſtat, dominus domino. 175
seruum haud veho. 55
seruorum ciuitas. 114
sexagenarios de ponte deiicere. 350
si bouem non poſſis, aſinum agas. 474
si caſeum haberem, non deſiderarem obſonium. 209
si coruus poſſit tacitus paſci. 218
si crebrò iacias, aliud aliàs ieceris. 260
si Deus voluerit. 92
si iuxta claudum habites, ſubclaudicare diſces. 122.378
si leonina pellis non ſatis eſt, vulpina addenda. 269
si meus ille ſtyllus fuiſſet. 442
si non adſint carnes, taricho contentos eſſe oportet. 474
si quid mali in Pyrrham. 130
si quis iuxta ciuitatem clypeus. 274
si tanti vitrum, quanti margaritam? 172

Ayuntamiento de Madrid

si tibi amicum, nec mihi inimicum. 55
si tibi machæra eſt, & nobis vrbina eſt domi. 382
si tu proreta. 427
si vinum poſtulet, pugnos illi dato. 259
si vultur es, exſpecta cadauer. 221
sibi canere. 472
sibi parat malum, qui alteri parat. 369
sibi malum repetit. 371
sibylla viuacior. 349
sic eſt ad pugnæ partes, re peracta, veniendum. 543
siculiſſare. 355
siculus miles. 114
siculus omphacizat. 192
sicyon arrodens vxor lacernam texe. 209
sidera cœlo addere. 25
signum bonum, aut malum. 103
sileni Alcibiadis. 518
silentii tutum præmium. 532
simia barbata, ſeu caudata. 518
simia eſt ſimia, etiamſi aurea geſtet inſignia. 201
simia fucata. 517
simia in purpura. 159.201.519
simia non capitur laqueo. 267
simiarum pulcerrima deformis eſt. 201
simile gaudet ſimili. 507
similes habēt labra lactucas. 510
similes videntur captiuis ex Pylo. 523
similior ficu. 509
simonidis cantilena. 472
simulare cupreſſum. 316
simul & da, & accipe. 136
simul & miſertum eſt, & interiit gratia. 293
simul ſorbere & flare difficile. 230
simul vt dictum & factum. 188
sinapi victitare. 334
sine canibus & retibus. 93
sine capite fabula. 220
sine Cerere & Baccho friget Venus. 354
sine cortice nabis. 91. 478
sine ope diuina nihil valemus. 89
sine pennis volare, haud facile eſt. 230
sine vt incolumis redeat. 56
sine riuali deligere. 457
sinopiſſas. 314
siphniaſſare. 313
siren amicum nuntiat, apis hoſpitem. 413
siſyphi artes. 268
smaragdus in luce obſcurus. 25
socratis callus. 555
solæ Lacænæ viros pariunt. 203
solem adiuuare facibus. 23
solidos è clibano boues. 359
soli lumen inferre. 12
solus currens vincit. 561
solus ſapit. 174
somnium. 558
somnum non vidit. 146
somnus abſit ab oculis. ibid.
sontica cauſſa. 406
sophocles, Laudiceni. 57
sortem & vſuram perſoluere. 574
soterichi lecti. 115
spartæ ſerui maximè ſerui. 505
spartam nactus es, hanc orna. ibid.
spem pretio emere. 213

Ayuntamiento de Madrid

ſpes alunt exſules. 530
ſpes ſeruat afflictos. ibid.
ſpes tenuis. 530
ſphæra per præcipitium. 464
ſphæram inter ſeſe reddere. 417
ſphondyla fugiens peſſimè pedit. 271
ſpirat Cæcias. 491
ſpithama vitæ. 566
ſponde, noxa præſto eſt. 361
ſpongia mollior. 379
ſponſi vita. 311
ſpontanea moleſtia. 369
ſquillas à ſepulchro vellas. 305
ſtateram ne tranſgrediaris. 297
ſtatua taciturnior. 536
ſtatuam faucibus colas. 230
ſtellis obſignare, obelo notare. 103
ſtentore clamoſior. 95
ſterilem fundum ne colas. 245
ſterilior Agrippo. 436
σλωιᾶζαι. 362
ſtumam dibapho tegere. 222
ſtrychnum bibit. 305
ſtultior Corœbo. 306
ſtultior Melitide. 302.491
ſtultior Morycho. 38. 306
ſtultitia eſt Iouem putare ſe. 308
ſtulto ne permittas digitum. 308
ſtultus qui patre cæſo, liberis pepercit. 572
ſtultus ſtulta loquitur. 514
ſtupa ſeniculus. 567
ſtupidior Praxillæ Adonide. 306
ſuade lupis vt inſaniant. 464
ſuadeo quod ipſe facturus eſſem. 105
ſuam quiſque homo rem meminit. 473
ſub aliena arbore fructum. 94
ſub cultro liquit. 149
ſub manu naſci. 505
ſubditius es. 407
ſubitò alius. 402
ſubitum remedium periculi. 461
ſubiugus homo. 506
ſublata lucerna, nihil intereſt inter mulieres. 197
ſubuentanea parit. 559
ſuccina opera. 146
ſui cuique mores fingunt fortunam. 575
ſui diſſimilis. 403
ſummaria indicatura. 214
ſumma vi defendere. 93
ſummam manum addere. 441
ſummis ingredi pedibus. 423.545
ſummis labiis. 276
ſummis naribus olfacere. ibid.
ſummis vngibus ingredi. 59
ſummis vti velis. 98
ſummo pede. 276
ſummum cape, & medium habebis. 390
ſummum faſtigiũ imponere. 441
ſummum ius ſum̃a iniuria. 489
ſummum ſuere centonem. 443
ſuo ipſius indicio periit ſenex. 367
ſuo ipſius laqueo capt⁹ eſt. ibid.
ſuo iumento ſibi malum acceſſere. ibid.
ſuo quiſque ſtudio gaudet. 455
ſuo ſibi hunc iugulo gladio, ſuo telo. 367
ſuperatus es à gallo quopiam. 336
ſuperauit dolum Troianum. 445
ſupercilium ſalit. 81

Ayuntamiento de Madrid

ſuper te hæc omnia Leparge. 573
ſupremum fabulæ actum addere. 441
ſurculum defringere. 275
ſurdaſter cum ſurdaſtro litigabat. 511
ſurdior Toronæo portu. 532
ſurdior turdo. ibid.
ſurdo canis. 249
ſurdo fabulam narras. ibid.
ſurdo oppedere. 249
ſurſum ac deorſum. 98
ſurſum verſus ſacrorum fluminum feruntur fontes. 229
ſus acina dependes. 568
ſuum cuique pulcrum. 32
ſus cum Minerua certamen ſuſcipit. 31
ſus in volutabro cœni. 325
ſus Mineruam. 12
ſus per roſas. 314
ſuſque déque. 107
ſus ſaltauit. 16
ſus ſub fuſtem. 149
ſus tubam audiuit. 325
ſuem irritat. 375
ſuſpendio deligenda arbor. 132
ſuſpenſa manu. 276
ſuſtollere manus. 335
ſutorium atramentum. 461
ſuus cuique crepitus benè olet. 455
ſuum cuique pulcrum. ibid.
ſybariſſare. 356
ſybaritæ per plateas. 58
ſybaritica calamitas. 286
ſybaritica menſa. 357
ſycophanta. 85
ſyloſontis chlamys. 221
ſyncerum vas incruſtare. 18
ſyncretiſmus. 45
ſyracuſana menſa. 357
ſyrbenæ chorus. 493
ſyrus quum non ſis, ne ſyriſſa. 158

TAcitè ſtomachari. 324
Tacito pede. 541
Taciturnior Pythagoreis. 536
Tænarium malum. 285
Talaria inducere. 187
Talia gignit bellum. 569
Talpa cæcior. 84
Talum reponere. 401
Tam in procliui quàm imber. 465
Tam multa quàm ſapiens. 216
Tam perit quàm extrema faba. 285
Tanagræus cetus. 299
Tangere hulcus. 333
Tanquam ad aram. 183. 495
Tanquam Argiuũ clypeum abſtulerit, ita gloriatur. 60
Tanquam Chalcidica nobis peperit vxor. 198
Tanquam conchylium diſcerpere. 119
Tanquam de narthecio. 465
Tanquam de ſpecula. 476
Tanquam heros in clypeo excipere. 93
Tanquam in phiditiis. 208
Tanquam in ſpeculo. 450
Tanquam in tabula. ibid.
Tanquam meum nomen, tanquam digitos. 380
Tanquam ſuber. 217
Tantali horti. 558
Tantali lapis. 522
Tantali pœnæ. 529

Tantali

Ayuntamiento de Madrid

Tantali talenta. 163
Tarichus aſſus eſt ſimul atque viderit ignem. 466
Tauricum tueri. 336
Taurum tollet, qui vitulum ſuſtulerit. 66.129
Tecum habita. 387
Teipſum inſpice. 456
Teipſum laudas. ibid.
Teipſum nõ alens, canes alis. 22
Telenicia echo. 218
Telenico pauperior. 432
Telluris onus. 116
Tempeſtas rerum. 281
Tempus omnia reuelat. 274
Temulentus, dormiens non eſt excitandus. 334
Tenedia bipennis. 440
Tenedius homo. 326
Tenedius patronus. 326
Tenedius tibicen. 235
Teneri calidis balneis. 358
Tentantes ad Troiam peruenerunt Græci. 184
Tenui filo. 385
Tenuis ſpes. 133
Tenuiter diducis. 528
Ter. 348
Ter abſtergere. 387
Terebintho ſtultior. 309
Termeria mala. 363
Terra amat imbrem. 507
Terra defoſſum habes. 422
Terra mihi priùs dehiſcat. 131
Terra volat. 230
Terræ filius. 407
Terræ inteſtina. 302
Terram pro terra. 181
Terram video. 537
Terra maríque. 99
Tertium caput. 53
Teſtaceum flagellum. 181
Teſta colliſa teſtæ. 561
Teſtudo intra tegumen tuta eſt. 496
Teſtudinẽ Pegaſo comparas. 170
Teſtudinẽ equus inſequitur. 171
Teſtulæ tranſmutatio. 203
Tetigit lapidem à cane morſum. 492
Θ præfigere. 127
Thaſium infundis. 341
Thaſſus bonorum. 76
Theagenis hecateum. 241
Theagenis pecuniæ. 437
Theocrines tragicus. 85
Thericlei amicus. 353
Therſitæ facies. 201
Theſaurus carbones erant. 210
Theſſala mulier. 198
Theſſalorum alæ. 354
Theſſalorum commentum. 264
Theutidum more. 554
Thracium commentum. 265
Thraces fœdera neſciunt. ibid.
Θεῤῥίζειν. 445
Thurium lema. 202
Thymbra victitans. 63.209.497
Thynni more. 144
Thynniſſare. 354
Tibiam tubæ comparas. 172
Tibicen vapulat. 481
Tibicinis vitam viuis. 310
Tibicines mente capti. 301
Timidi mater non flet. 477.500
Timidi nunquam ſtatuerunt tropheum. 551
Timidior es proſpiciente. 550
Timidior Piſandro. ibid.
Timidus Plautus. ibid.

S

Tinctura Sardonica. 480
Tinctura Cyzicena. ibid.
Tineas paſcere. 105
Tireſia cæcior. 84
Titanas imploras. 91
Titanicus aſpectus. 336.555
Tithoni ſenecta. 349
Tithymallus laconicus. 106
Titio ad ignem. 465
Titiuillitium. 109
Titius. 23
Tollat te qui non nouit. 489
Tolle calcar. 383
Tolle digitum. 563
Tolle tolle mazam quàm ocyſſimè ſcarabeo. 527
Tollenda mali occaſio. 420
Tollere cornua. 56
Tollere criſtas. ibid.
Tota erras via. 7
Tota hulcus eſt. 391
Toto cœlo errare. 7
Toto corpore. 452
Toto deuorato boue, in cauda defecit. 443
Toto organo. 10
Toto pectore. 98
Totum ſubuertere. 320
Totus echinus aſper. 63
Trabs in omnibus. 135
Tradere prouinciam. 444
Tradunt operas mutuas. 90.101
Tragicè loqui. 453
Tragicum malum. 283
Tragicum tueri. 336
Tragicus rex. 120
Tragœdias in nugis agere. 318
Tragulam iniicere. 298
Tranquillo quilibet gubernator eſt. 76
Tranquillum æthera remigas. 252
Tranſuerſum agere. 405
Tredecim cubitorum. 304
Trepidat in morem Galli cuiuſpiam. 554
Tria cappa peſſima. 236
Tria ſaluberrima. 494
Tribus bolis. 82
Tribus minis inſumtis, duodecim imputat. 524
Tribus verbis. 83
Tributis potiora. 352
Tricæ, Apinæ. 111
Triceps Mercurius. 53
Triſtis littera. 126
Triſtis ſcytale. 336
Trium dierum commeatum. 436
Trium litterarum homo. 111
Trochi in morem. 261
Trutina iuſtius. 329
Τρυγόβιοι. 525
Tua res agitur, paries quum proximus ardet. 151
Tuam ipſius terram calca. 137
Tuas res tibi habeto. 148
Tuis te pingam coloribus. 417
Tu in legione, ego in culina. 161
Tunc canent cygni, quum tacebunt graculi. 185
Tradere prouinciam. 135
Tunica pallio propior eſt. 470
Tunicati. 434
Tuo te pede metire. 57
Turdus ipſe ſibi malum cacat. 372
Turpe ſilere. 322

Ayuntamiento de Madrid

Turpis iactantia. 453
Turture loquacior. 215
Tuſſis pro crepitu. 517
Tute hoc intriſti, tibi omne eſt exedendum. 373
Tute lepus es, & pulpamentum quæris. 25
Tuum tibi narro ſomnium. 16
Tyria maria. 556
VAcuam inhabitare. 248
Vadimonium deſerere. 406
Valeat amicus cum inimico. 139
Vale carum lumen. 96
Valere Pancraticè. 493
Vallus vitem decepit. 208
Vapula Papyria. 107
Vaſis inſtar. 304
Vates ſecum auferat omen. 130
Vbi amici, ibi opes. 44
Vbi cerui cornua abiiciunt. 412
Vbi non ſis qui fueris, non eſt cur velis viuere. 205
Vbi parueris impera. 388
Vbi per harma fulgurarit. 488
Vbi quis dolet, ibidem & manum habet. 380
Vbi timor, ibi pudor. 481
Vel acum inueniſſes. 147
Vela ventis permittere. 182
Vel cæco appareat. 450
Vel capra mordeat nocentem. 573
Vel hoſti miſerandus. 284
Velis equiſque. 188
Vel Megarum vſque. 362
Vel muſcas metuit præteruolitantes. 551
Velocem tardus ſequitur. 13
Veluti è ſpecula. 451
Velut in cratere. 100
Velut vmbra ſequi. 66
Venereum iuſiurandum. 196
Veneri ſuem immolauit. 399
Veneris lac. 359
Venia primùm experienti. 324
Veniat hoſpes, quiſquis profuturus eſt. 473
Venimus ad ſummam lineam. 8
Venter auribus caret. 356
Ventrem mihi obiicit. ibid.
Ventre pleno, melior conſultatio. 187
Ventres. 356
Ventus neque manere ſinit neque nauigare. 446
Venti campus. 262
Ventis tradere. 414
Vento loqueris. 252
Ventos colis. ibid.
Vera fronte. 347
Verba importat Hermodorus. 360
Verberare lapidem. 250
Verbis conceptis peierare. 445
Verbis coquinariis. 27
Verbis pugnas, non re. 553
Verecundia inutilis viro egenti. 480
Ver ex anno tollere. 256
Ver hiemem ſequitur. 512
Veriora iis quæ apud Sagram acciderunt. 196
Veritatis ſimplex oratio. 345
Vero verius. 347
Verſatilis Artemon. 63
Vertere vela. 400
Veruecea ſtatua. 307
Veſpa cicadæ obſtrepens. 13
Veſpertilio. 261
Veſte circumfers ignem 231



Ayuntamiento de Madrid

Veſtigiis inhærere. 515
Veſtigium ponere. 296
Veſtis virum facit. 164
Viam qui neſcit ad mare. 473
Victi non audent hiſcere. 562
Victitant ſucco ſuo. 526
Victoria. 205
Victoria non incruenta. 561
Victus ſpinoſus. 280
Videberis, me videns, planè Martem videre. 57
Videre mihi labda. 313
Vinaria angina. 72
Vincula Tyrrhena. 425
Vindicta tarda, ſed grauis. 575
Vinum animi ſpeculum. 346
Vinum caret clauo. 359
Vinum ſenem etiam vel nolentem ſaltare compellit. 358
Vino inſcribere mulieris iuſiurandum. 414
Vino vendibili ſuſpenſa hedera non eſt opus. 62
Vir fugiens & denuò pugnabit. 552
Vir fugiens haud moratur lyræ ſtrepitus. 188
Viri infortunati procul amici. 46
Viri iureiurando, pueri talis fallendi. 195
Viri ſenis aſtaphis caluaria. 350
Viro eſurienti neceſſe furari. 406
Viro Lydo negotium non erat, at ipſe foras profectus parauit. 368
Viro ſeni maxillæ baculus. 351
Virum improbum vel mus mordeat. 573
Virgula diuina. 74
Virgultea ſcaphula Ægeum trãſmittere. 13
Virtus gloriam parit. 408
Virtus ſimplex. 330
Virtutem & ſapientiam vincunt teſtudines. 394
Virtute duce, comite fortuna. 81
Vita doliaris. 208
Vita hominis peregrinatio. 567
Vita macerata. 355
Vita molita. 499
Vita mortalium breuis. 567
Vitandæ potentum offenſæ. 575
Vitiat lapidem longum tempus. 350
Vitilitigatur. 418
Vitioſa nuce non emam. 111
Viua vox. 166
Viuens videnſque. 285
Viuit, incende ignem. 190
Viuorum oportet meminiſſe. 414
Viuum cadauer. 351
Viuum noueris. 292
Viuum ſepulchrum. 351
Viuus fueris vel cepe ſolum accipiens. 92
Vixit dum vixit, bene. 358
Vltra catalogum. 349
Vltra Epimenidem dormis. 523
Vltra fuſum. 349
Vltra Hyperbolum. 362. 492
Vltra linum. 349
Vltra penſum viuit. ibid.
Vltra peram ſapere. 57
Vltra res Callicratis. 162
Vltra ſepta tranſilire. 35
Vltro citróque. 144
Vltrò Deus ſuppeditat bona. 94
Vlulas Athenas. 252

Ayuntamiento de Madrid

Vlyſſes pannos exuit. 403
Vlyſſeum commentum. 268
Vlyſſis remigium. 239
Vmbra pro corpore. 258
Vmbrà territas. 257
Vmbram ſuam metuere. 19. 550
Vmbræ. 166
Vnà cum caniſtro. 469
Vnà cum ipſis manipulis. 483. 556
Vnà cum templis & aris. 556
Vna domus non alit duos canes. 321
Vna hirundo non facit ver. 103
Vna lauabor, 471
Vna pertica. 466
Vna ſcutica omnes impellit. 464
Vndarum in vlnis. 153
Vndas numeras. 251
Vndecumque lucrum captant. 471. 481
Vnde excoquat ſeuum. 164
Vnguis in vlcere. 333
Vnica filia duos parare generos. 51
Vnico digitulo ſcalpit caput. 310
Vnicum arbuſtũ haud alit duos erithacos. 321
Vni cum duobus non eſt pugnandum. 88
Vno die conſeneſcere. 501
Vno digitulo. 464
Vno faſce complecti. 83
Vno ore. 55
Vno tenore. 507
Vnum ad vnum. 145
Vnum augurium optimum, tueri patriam. 203
Vnus contra multos. 89
Vnus Deus, & plures amici. 40
Vnus multorum inſtar. 176
Vnus vir, nullus vir. 89
Vocatus atque nõ vocatus Deus aderit. 405
Volam pedis oſtendere. 382
Volantia ſectari. 253
Volaticum iuſiurandum. 267
Volens, nolente animo. 51
Volentem bouem ducito. 406
Voluitur dolium. 251
Voluptas fœda. 316
Voracior purpura. 485
Vorare hamum. 486
Vorſuram ſoluere. 253
Votum munificum. 576
Vrbanus nihil æqui cogitat. 332
Vrit abſque torre. 424
Vſque ad aras amicus. 44
Vſque ad rauim. 94
Vſuræ nauticæ. 352
Vſus eſt altera natura. 367
Vt Bagas conſtitiſti. 308
Vt canis è Nilo. 191. 275
Vt Corinthia videris. 313
Vt fici oculis incumbunt. 392
Vt herba ſolſtitialis. 566
Vt in velabro olearii. 101
Vt lupus ouem. 48. 333. 427
Vt luti baiuli. 109
Vt nunc ſunt homines. 129
Vt Phydiæ ſignum. 55
Vt Phrygius amauit Pieriam. 48
Vt poſſumus, quando vt volumus, non licet. 473
Vt ſementem feceris, ita & metes. 440
Vtere curru, de aſinis nihil laborans. 38



Ayuntamiento de Madrid

Vterque ambo. 120
Vti foro. 504
Vtinam domi ſim. 150. 167
Vtinam mihi contingant ea quæ ſunt inter Corinthum & Sicyonem. 576
Vtranque paginam facit. 141
Vtre territas. 241. 257
Vtrem cædis. 257
Vtrem mergis vento plenum. 245
Vtrem vellis. 242
Vtres Thylaci. 356
Vtroque nutans ſententia. 51
Vulcanium vinculum. 563
Vulcanus tibi vaticinatus eſt. 413
Vulgus ſuſpicax. 417
Vulpes bouem agit. 24
Vulpes haud corrumpitur muneribus. 395
Vulpes non iterum capitur laqueo. 324
Vulpinari cum vulpe. 512
Vulturis vmbra. 475
Vultu ſæpè læditur pietas. 42
XEnocratis calcolus. 209
Y Γεψλωισμάτι. 198
ὑπερμαζᾷν. 339
ZAleuci lex. 331
Zenone moderatior. 547
Zenonium eſt, & lentem coquere. 125
Zoili. 322. 418
Zonam perdidit. 435
Ζοφοροδόρπιδες. 543
Zopyri talenta. 162

FINIS.

Ayuntamiento de Madrid

# Errata ſic corrigito.

PRimùm numeri foliorum emendandi, vbi mendoſi reperiantur. Pag. 6. linea 4. venere 10. Euglione. 8. 24. σφύμια. 12. 21. δαιμόζεις. 13. 12 ἥλιος. 16. 30. διηγῶμαι. 17. 22 ἀποκτείνειν. 23. Id eſt. 18. 13. σχήματι καιχῶ. 17. καρ 26. 15. iuuen. 29. πλευρὰ. 25. 6. pulp. 27. 4. Qui. 28. 25. Σῦκον. 32 7. agunt, id dicitur. vel. 34. 10 δήπου. χαλκὸς. 13 κόρην. 35. 7. dic de. 9. γῆς. 18. allia. 36 15. κορύμβους. 39. 24. λεύσω τούμον 25. alium. 41. 30. alicuius. 42 vlt. laborant. 46. in marg. Herodot. 47. 11. illum oc. 49. 8. ſomno. 51. 35. quiddam 54 28. λευκὴν 56. 24 faſtus. 61. 9. tabellis. 20. moliretur. 25. Peleo. 62. 24. θεοὶ δέ τι 66. 2 γενέσθαι. 68. 22. αὐτὸς τ' εὖ. vlt. πόθεν. 69. 15 νέοτιον 24 ὥς σχεδίης ἐπιλήθεται. 70 6. αὐχέν' ἐδ' 71. 22. λόχος. 74. 16 Γύγου. 75. 17. πίπτουσι. 53 Βέβληκ'. 77. 27. hominum. 80. 23. cuiuis. 26. δ' οὐκ ἂν 29 magni fiat. 35 δὲ δῶρον 87. 29 οἶκοι. 88. 22. ἀμφοῖν μῦθον. 91. 51, imitatur. 96. 4 δυνάμενοι βοηθοὺς 7. ἐπιφόρημα 16. μυθέυ. 99. 16. præſidia 104. 19. Platagæ probabu. 111. 23. Tricari. 123. 8. ἀμείνονα. 13. κεν. 14. ἄρτια. 127. 35. Nullus. 36. 11. abſentibus. Nam. 139. 3. κυλινδεῖ. 33. 34. 37, Succiſiua, ciſiuis, ciſiuas. 151. 3. Aſcitce. 158. 9. quo lib. 160. 3. commiſeris ad. 166. 17. ἄρξειν. 32. ξυλεύσαι. 168. 18. σεῖσαι. 180. 17. δίξῃ. 188. 21. δυοῖν ποδοῖν καί. 189. 15. κόρη. 190. 35. par. 191. vlt. diuerſorio. Thetidis. 192. 8. αὐδοῦσαι 196. 27. πτώσεσι. 198. 28. χαλκίδ' ἦμαι. 203. 18. ſociorum. 206. vlt. alicui leg. 214. 23 ῥωπικόν. 219. 28. omnia noua vid. 242. 2. πόκας 15. Αἰθίοπα. 244. penult. κοσκίνῳ 247. 10. αὐλεῖν. 248. 28. ψυχρόν. 249. 33. laboras 252. 13. altiùs. 253. 30. vanum. 37. quicquã. 256. 15. Quid deus. 258 25 adulter. 25. & 29. lapidicinas. 284. 19 ἐλκηθῆναι. 285. 3. Id. 11. λίμνιον. 19. qua de. 30. reduct. 287. 31. dirip. 288. 29. βουκολίσκος. 289. 15. Dryopidem ſita. 31. impreſſionem fec. 291. 13. οὐδέποτ'. 293. 37. miſertum. 294. 23. leuæ. 295. Pellene. 30. ἀρχομένου: 297 32. aſpra. 298. κορυδ'. 301. 16. ἦθος. 303. 35. κολοφώνιον. 304. 5. ἐννοεῖν τέθραμμαι. 22. alicunde. 306. 1. Cornutus. 308. 25. δίκα. 33. ſimilis attonito, ſtup 309. 33. μυχὸν. 310. 8. ἐπὶ 12. Baceli. 14. τ 16. μυρεψοῦ 24. muliebrib. 312. 18. qui ve. 22. μεσημβ. 28. καπηλ. 315. 20. maſcli. 32. πλευκ. 318. 31. γεράνδρ. 319. 35. λελεῖφθαι. 321. 8. adiicit. 323. 10. ἐν μαπέως. 33. tibia. 325. 26 παιδίου. 326. 19. vrus componere. 328. 27 συλληβ. 329. 2. σταχάνης 330. 25. fungar. 331. 30. Ζαλ. 31. Locrenſ. 334. 9 ne mou. 336. 28 ἀχνυμένη. 35. ἀρεοπαγίτης 340. 15. de prælauta. 30. decorè. 342. 19. Ημεῖς. 345. 9. φεύσομαι. 13. reticere. 15. Ηλεὸς. 346. 30 κατοπτ. vlt. licet. 348. 6. φῦλον. 24. magorum. 350. 5. ſepulchro. 31. ἐστ id. 351 22. naulum. 26. ἐπὶ μ. 28. ſomno. 352. 4. σάρκας. 7. ὕδος. 353. pen. Thericlei. 354. 28. vino. 356. 8. tica. 357. 15. αὐλίῳ 358. 28. Maſchalam.

Ayuntamiento de Madrid

*vlt.ἄιων.360.11.χάρητος.366.34.τέλλαθι,367.23.ἐμίσθωσε.368.13.ἄγρας.369.21.*Καικίας.*371.19.Calid.376.12.vt dici.26.ſibi ipſi.377.30.χάριβδ.378.9.lotionem.18.πολυτελὴς.381.15.parabant.19.quiſquis.382.13.ὑπο-στεύξς.383.33.πλῆκτρον.384.*Κυζικηνοὶ*.386.27.ἔποιτο.vlt.ſpectatur.387.3.admonens.388.28.ἡμισυ.36.paueris.391.13.redeuntem.15.μύης.395.2.Eccleſiaſten.33.aſſentatiun.396.9.ſignificauit.398.27.aſt ha.399.4.menſ.36.heroicum.37.quo ſig.400.παλινῳδεῖν.401.11.cedam.402.vlt.ξεῖν.404.6.ſtamine.18.καὶ κῦμα πέλαγος.405.28.ὑδὲ καὶ ὑδ.408.14.ἐκ.409.28.φήμη.410.7.aut erudit.411.9.adde.* N V N Q V A M. *19.mula.412.11 eſſe dicemus, vbi c.21.Nemo ma.34.φιλοκυλινδ.413.31.*Μὴ*.416.27.ſui copiam f.417.28.φεῦξ.Get.426.19.cognitu.429.4.βραδυσκέλων ὄνων.20.ab imp.431.20.Myconus.33.mure.432.4.πάγκοινον.434.3.οἴην.8.& 17.γγν.436.26.βιοτὴν.438.19.μοι.35.ξύοντα.440.33.cupiam.441.18.in met.442.36.arbitrio.443.16.ἐκτρωγ.27.Hac tu.445.16.& 496.27.*Sarta tecta tua.*37.Gracia.*447.34.puteo.448.ὑνία.455.4.ſpecula.453.vlt.dum.454.4.cornu.456.1.vitia.29.tibicinem.457.22.δμῶς.τε.458.16.& 21.ὑδεὶς.22.nullum.i.460.pen.addit.vlt.fabula.464.32.fa-cilit.465.30.procliui.37.pyxidem.467.12.ducis aui.31.mandrone quod 469.in fundo.470.1 ἱπποβορ.5.βυθὸν.471.33.τὴν.472.3.παμπλοις.vlt.*Μηχαν*.473.9 ἔλθοι 475.7.ἀμελγε.29 prateritorum.480.9.δεῖσαι.482.χυαμοθ.483.16.& 556.1.* Conuerret.*484.27.ſartagine.487.33.ἦν μὴ.488.25.fulgur.26.viſo 490.11.Tritiſſ.491.9.ἀχρειόγελως.493.15.diſcors.27.ὑγιέστερον.497.7 ἔπος τε.36.πινακίς.μᾶλλον ἤ.501.24.add. in cũ non inconcinne dicetur.519.25.tranſeunt.522.2.*Metagenes*.524.15.ἀρι-στῆς.22.δυσωνής.527.27.ſcantur.528.20.vitea.531.5.& Delia.13.καὶ δή-λια.antep.ἐμηνίσθης.537.18.γάλλω 538.3.conuiuiis.539.vlt.paramia.542.6.ſero adhib.33.negotiis.546.11.Andabata.35.ὑχ ἐρ.549.20.Eleuſ.550.31.ἔαθ.551.18.μύας.553.26.pugnas.31.λευκηπ.554.6.rex.15.πλήθος.22.al-legendi.32.incedere.556.14.iurecconſultis.557.13.ſomniiſque.561.14.οἱ καὶ ἐμάχοιτο.556.15.ἄνθρωπον.567.δαλὸς.pen.vita.568.15.ἀλιτροὶ,27.Erin-nyes.34.dependes.571.36 quidam.574.2.add.non ipſa perinde laborat, ſed id in quo caditur.17.χαλιπ.575.1.proditio.*

# ADAGIORVM
## OMNIVM, QVÆ A IVNIO, CÆTERISQVE, POST ERASMI Chiliadas, in lucem prodierunt, EPITOME.

Cui acceſſere recens PROVERBIORVM COLLECTANEA, nunquam antehac edita.

*Nomenclaturam Authorum habes ſtatim ab Epi-ſtola libro præfixa.*

PARS ALTERA.




*PARISIIS,*
Apud Ægidium Beys, ſub ſigno Lilij albi, via Iacobæa.

M. D. LXXXIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Ayuntamiento de Madrid

Ayuntamiento de Madrid

# LECTORI.

EN tibi, Lector candide, nomenclaturam eorum auctorum, qui poſt Eraſmi magnum opus Chiliadum, adagiorum appendices collegerunt, vnà cum aliquot obſeruationibus & notis Victoris Giſelini, qui in ea contexenda primùm epitoma diligẽter elaborarat: cuius hominis ſtudium non minus amplexatus quàm æmulatus, ſtatim abſoluto priore tomo Adagiorum, ad alterum auſpicandum & perficiendum, eo quo vides ordine, me accinxi. Sed interea hoc tibi polliceor, propediem eundem laborem me multò alacriùs perſecuturum, omnique ſtudio amplificaturum, dum noſtrum hunc conatum tibi arridere



Ayuntamiento de Madrid

perſentiſcam: cuius rei offero iam tibi arrhabonem certè non pœnitendam, id eſt nouam adagiorum collectionem nunquam anthac excuſſam typis, quam ſequentur proximè centuriæ non paucæ ex multis auctorum meliorum locis conflatæ, & ſingulari fide iudicióque obſeruatæ: ex quibus ſpero te cum aliqua vtilitate voluptatem non minimam percepturum. Facito igitur tua vt æquanimitas mihi ad perficiendum quod incepi augeat induſtriam.

Ayuntamiento de Madrid

# CATALOGVS AVCTORVM QVI HOC LIBELLO CONtenti, adagia ſublegerunt.

ADRIANI IVNII *Medici adagiorum centuriæ octo cum dimidia.*

*Appendix ad priorem tomum excerpta ex Chiliadibus Eraſmi, collectore Giſelino.*

IOANNIS ALEXANDRI *Braßicani I C. prouerbiorum Symmicta.*

*Appendix ſymbolorum Pythagoræ, quæ ex Iamblicho vertit idem Braßicanus.*

LVDOICI CÆLII *Rhodigini adagia quædam.*

POLYDORI VIRGILII *adagia ſelectiora.*

PETRI GODOFREDI *Carcaſſonenſis I C. prouerbia.*

CAROLI BOVILLI *Samarobrini prouerbia.*

IOANNIS VLPII *Franekerenſis Friſij epitome adagiorum.*

GILBERTI COGNATI *Nozereni parœmiarum* συλλογή.

EX MVRETI, HARTVNGI, TVR-



Ayuntamiento de Madrid

NEBI *& aliorum ſcriptis Adagiorũ miſcella.*

*Adagia aliquot è iure ſcripto, & varijs eius interpretibus à* GVL. GENTIO *I C.collecta.*

*Specimen quoddam adagiorum à Iunio, Cantero, &* Giſelino *collectum.*

*Adagia aliquot* MELCHIORIS NEIPII *Bredani.*

*Noua adagiorum Collectanea, nunquam antehac edita.*

Ayuntamiento de Madrid

# Priuilegij Sententia.

C*Autum eſt authoritate Regia, ne quis alius præter* Ægidium Beys Librarium iuratum, *Librum cui titulus eſt*, Epitome Adagiorum D. Eraſmi Roterodami in locos communes digeſta, ſingulari fide recognita, & multis aucta locis, in quibus antea manca videbatur. Huic adiecta pars altera, auctorum ſane multorum, qui Prouerbia poſt Eraſmum ediderunt. *ante decennium ab editione proximum, in hoc Francorum Regno imprimat, neue alibi impreſſum vendat: idque omnibus perinde clarum, notum, indictúmque habeatur, ac ſi Regij diplomatis ſententia operis initio præfigatur, ſiniue poſtponatur. Secus qui faxit, & libris ipſis, & pænis, dicto Regio diplomate contentis afficietur. Datum Pariſijs vij Decembris.* 1582. *De Conſilij ſententia ſic ſignatum.*

FORTIN.

Ayuntamiento de Madrid

Ayuntamiento de Madrid

# ADAGIORVM CENTVRIÆ VIII. CVM DIMIDIA, per Hadrianum Iunium medicum conſcriptæ, nunc primùm in Epitomen contractæ.

## Salmoneus alter. 1.

IN principem ſubditis grauem,& ſuperbiæ immodicum: aut prætorem inſolentem,& iniquum,aptè torqueri poteſt.Fuit enim Salmoneus filius Æoli Elidis reguli ex Laodice Aloei, qui curruum rotas æreis cãthis obmunitas, ſuper pontem ęneum,quem conſtruxerat, agitaſſe,ad imitanda vera tonitrua,& immiſſis in homines facibus,neci eos dediſſe legitur.Vſi ſũt hac parœmia Symmachus,Eunapius,& Galenus.

## In pura fames immigrat. 2

Εἰς τὰ καθαρὰ λιμὸς εἰσοικίζεται, In pura immigrat inedia.In aulicos,qui corporis cultui tantum tribuunt,vt domi priuatæ eſuriant ſplendidè,non malè quadrabit.Apud Menandrum Com. ſcomma eſt in ciuicam vitam, qui enim in oppidis vitam degunt, vt cultiores habitu, ac corporis munditiam magis excolunt, ita non perinde magnis opibus præditi eſſe ſolent, atque ruſtici, & agricolæ laboribus aſſiduis & ſqualoribus haud temerè addicti.

## Pulmonis vitam agere. 3

Ζῇν δ' οὐκ ἀνθρώπου βίον, ἀλλά τινος πνεύμονος, Non hominis, ſed pulmonis cuiuſpiam vitam viuere. Appoſitè dicetur in ebrioſum, & abdomini καὶ ὑπογαστρείοις ἐπιθυμίαις addictum, ſarcire corpus ſolùm promptum, ingenij viribus nuſquàm vti.Pulmo marinum zoophytum eſt, quaſi plantanime dicas, mixtæ inter frutices & animantia naturæ,teſtaceis annumeratum. Plato, & Syneſius hoc adagio vtuntur.



Ayuntamiento de Madrid

## Theſſalica buccea. 4

Θεττάλική ἔνθεσις. Theſſalica buccea vel turunda pro ingenti ponitur. Solebant enim Theſſali, cùm alioqui ſtrenui gurgites & inſigniter edaces audirent, carnes in prægrandia fruſta partiri. Athenæus, & Pollux. Non abſimiliter à gentis polyphagia, Friſonicum ferculū, pro magno, vulgare dicterium appellat.

## Theſſalicus ſaltus. 5

Θεσσαλὸν πήδημα, id eſt, Theſſalicam ſaltationem in prouerbium abiiſſe annotat in Dionyſ. Euſtathius pro molli fortaſſis, nam & Θετταλικαὶ πτερά, alæ Theſſalæ, in luxus argumentum apud auctores nobilitantur, quòd eius gentis togæ vtrinque alarum ſpeciem præferrent, exſtantioribus fortaſſe manicis.

## Theſſalicum numiſma. 6

Θεσσαλὸν νόμισμα, Theſſalicum numiſma. In impoſtorem aliis fucum facientem, & impij commatis hominem. crediderim ego Theſſalicum numiſma adulterinum fuiſſe, parúmque ſincerum, aut probæ monetæ. Suidas, Heſychius.

## Inter famem & necem. 7

In eos qui magno in diſcrimine verſantur ad extrema redacti pericula, rebus in ancipiti poſitis. Q. Calaber loquens de iis, qui equum Durateum conſcenderant.

Τοὶ δὲ σιωπῇ

Πάντες ἔσαν βιοτῆς μεσσηγὺς ἠμὲν καὶ ὀλέθρου, ſilenter
Inſedere omnes, medij vitæque nocisque.

## Splendida cena famem non ſedat. 8

Λαμπρῷ δείπνῳ τὸ πεινῆν οὐ παύεται, ſplendida cena non placatur eſuries. Eruditi ſcriptoris & rerum varietate conditi lectio non ſaturat animum, neque diſerti comitis facundia aureis exſatiat. Varietas namque conditanea nouam ſemper excitat orexim. Athenæus.

## Turgida nomina. 9

Φλεγμαίνοντα ὀνόματα. Vocabula grandiloqua & haud vulgaria, ſplendidus apparatus verborum minimè triuialium. Syneſius, Philoſtrat. Saluianus Maſſ. Sic mēſam ſaliaribus dapibus refertam τράπεζαν φλεγμαίνουσαν. Plu-

Ayuntamiento de Madrid

tarchus & Nazianzenus appellarunt tenuem & non adiiciale, ἀφλεγμάντους τραπέζας, Ion Comicus & Athenæus.

## Delphinis in terra vires. 10

Δελφῖνος ἐν χέρσῳ βία. De eo, qui vires ingenij in negotio, cui par non ſit, periclitatur, & iudicij lubricum ferre vult, vbi impos ſit: de paupere item qui litigare velit cum potentiore opibus affluente, qui litem in longum extrahere corruptelis poſſit, illo interim exhauſto: de quouis denique dici poſſit, aliquid ſupra vires tentante. Plutarchus.

## Phiſcone impurior. 11

De homine libidinoſo, luxúſque omni genere ſordidato. Fuit autem Ptolomæus Aegypti eo nomine Regum ſeptimus, tertio cognominis, εὐεργέτης dictus per antiphraſin, vt puto, quippe qui multitudinem Alexandrinam obiecerit non ſemel militum gladiis, cognomento altero infamis φύσκων, quaſi ventroſum diças, aut aqualiculum, propter abdominis ſtudium. Tertullianus, Alcæus.

## Οὐκ ὄναρ ἀλλ' ὕπαρ. 12

Non ſomnium ſed res vera. De re neutiquam ficta, ſed manifeſta. ὄναρ enim ab ὄν καὶ αἴρειν dicitur, quòd rei veritatem aboleat: ὕπαρ verò, ab ὕπνον αἴρειν, quod ſomnum per vigilantiam deſtruat. Homerus, Heliodorus. Huic ſimile eſt, ὕπαρ ἀντ' ὀνείρατος, res vera pro ſomnio. Plato. Diuerſum eſt, οὐδ' ὄναρ, ne per ſomnium quidem. Lyſis Pythagoræus, Philo, Euripides, Galenus.

## Quadrante dignum. 13

Pro exiguo & vili, & (vt Catullus loquitur) vix vnius aſſis æſtimando. Hieronymus.

## Themiſtoclea vafrities. 14

Ὀδυσσειόν τινα καὶ θεμιστόκλειον παρεληλυθὼς πανουργίαν. Id eſt, Vlyſſeam quandam, & Themiſtocleam vafritiem tranſcendens. De vafro & ſupra modum aſtuto, qualem ſe tum maximè Themiſtocles oſtendit, cùm ſpuriorum & legitimo connubio natorum diſcrimen ipſe nothus ſuſtulit, & Xerxem ſubdolo conſilio in fugam vertit. Eunapius.

## Siniſtras litteras edoctus. 15



Ayuntamiento de Madrid

In hominem inuenuſtum,& peruerſi ingenij, malèque feriati. ἀπαείσῃ ὀψιμαθὴς ὦ πόνηρε γράμματα, Ineptè læuas imbibiſti litteras. Athenæus.

## Draconis leges. 16

Δρακόντειοι νόμοι, Leges nimia ſeueritate ſancitæ,& quæ rigiditate immoderata humanitatis æquitatiſque iura diſſoluunt,quales erant Draconis Athenienſis,quæ ſupplicio fermè capitis cenſitæ,& ſanguine ſcriptæ erant. Athenæus, Ariſtoteles.

## Ne Suadela quidem perſuaſerit. 17

Τὸν δ' οὐκ ἂν ταχὺ ἐπείσειν ἡ πειθώ. De homine duro, & quem frangas citiùs, quàm conceptam opinionem deponat. Peitho græcis perſuadendi Dea eſt, Veneris, vti Sappho ait, filia. Strato Comicus.

## Luſcinia Muſarum. 18

Ἀηδὼν μουσῶν. In hominem inſigniter eruditum,& præcipuè in poëtam carmine fœlicem, qui ab aliis μουσῶν ὄρνις, ab aliis cygnus etiam vocatur. Euripides, Theocritus, Horatius. Contra Phrynicus Muſicum aquæ potatorem μουσῶν σκελετὸν, velut exareſactum cadauer Muſarum, appellabat.

## Corinthia verba & Ionica. 19

Corinthia verba pro exquiſitis & magnopere elaboratis,& ad oſtentationem nitidis, qualia eorundem opera, laudatiſſima certè & primæ nobilitatis, vti Plinius teſtatur lib. 34. cap. 2. Vel pro mollibus & diſſolutis, quomodo κορινθιάζειν, pro ſcortari, ob Corinthia ſcorta toties apud veteres ſcriptis nobilitata. Quinctilianus. Similiter ῥῆσις ἰωνική: Ionicum verbum, pro diſſoluto aut delicato & fracto ab Æſchylo vſurpatur, vti apud Horatium, motus Ionicus,& apud Philoſtratum εἶδος ἰωνικὸν, Id eſt, forma Ionica.

## In eandem lancem imponere. 20

Εἰς τὴν αὐτὴν τιθέναι πλάστιγγα, pro, eodem in loco habere, aut æqualiter æſtimare, ſumptum à nummulariis aut inſtitoribus æqualia lancibus iiſdem ponderum momenta appendentibus. Similia ſunt, ἰσόῤῥοπον πλάστιγγα ἔχειν, bilances habere æquilibrio æquales; & ἰσόῤῥοπον πλάστιγγα

Ayuntamiento de Madrid

παλαντεύεσθαι, æqualem bilancem appendere. Athenæus, Simocatus.

Suilla abſumta bouem ne exſpectes. 21

Φεύγετε δειπνήσαντες ὑὸς κρέα, μηδὲ μένειν βοῦν, Exſpectare bouem expleti nolite ſuilla. Quando cunctationem damnoſam fore & vitæ periculo permiſtam indicare volumus. Hoc eodem verſu Chij inter cœnandum admoniti, Erythræorum inſidias effugerunt. Athenæus.

Hoſtibus eueniat. 22

Solebant veteres aduerſa omnia hoſtibus imprecari, nos Chriſtiani eos amanter habere iubemur. Æſchylus de Danai filiabus maritos prima nocte interfecturis agens:

Τοιᾶ δ᾽ ἐπ᾽ ἐχθροὺς τοὺς ἐμοὺς ἔλθοι κύπρις.
Talis venus contingat hoſtibus meis. Ouid.
Hoſtibus eueniant conuiuia talia noſtris.

Flamma perſequeris quem genueras. 23

Σὺ τοί μ᾽ ἔφυσας, σύ με καταίθειν μοι δοκεῖς, Videris vrere igne me quem genueras. In eum qui damno afficit, quem paulò ante & opera & re adiuuerat: quo modo Demetrius, à victoria Poliorcetes dictus, poſt varia infortunia in Fortunam vſus eſt. Aeſchylus.

Ceſto pellacius. 24

Κεστοῦ μαγώτερον. Quicquid magnopere vel aures, vel animum delinire poteſt, vel etiam amorem alicuius rei conciliare. De ceſto Veneris baltheo, illecebris cunctis, & amore referto, vide Iliad. 15. Philodemus epigrammatarius.

Ipſa bile amariora. 25

Ταῦτ᾽ οὐχὶ πικρότερ᾽ ἐστὶν αὐτῆς τῆς χολῆς; Nónne hæc vel ipſa bile amariora ſunt? De iis, quæ nobis ingrata ſunt, & acerba. Bilis enim, ſiue fel, inter humores amaritudine exſuperat, hinc pro animi amarulentia ſumitur, vt fellea pro amaris. Athenæus.

Cubitale. 26.

Πηχυαῖον, quod humile eſt, aut exiguum, quaſi cubitale dicas: breue namque eſt cubiti ſpatium, quod πῆχυν, & πυγμὴν vocant, vnde & Pumila gens Pygmæi. Sic Pſal. 39. palmares dies, breues. Contrà ἀνὴρ τετράπηχυς,



Ayuntamiento de Madrid

homo quadricubitus, procerus. Stobæus, Athenæus, Ariſtophanes.

## Breuis vitæ iſthmus. 27

Μελέν ἀνέχουσα βίου βραχὺν ἰσθμόν, Breuem vitæ ſuſtētans Iſthmon inanis. De exigua breuitate. Iſthmos enim anguſtum terræ inter bina maria mediç interuallum. Sophocles, apud Stobæum.

## Aedituus Coniſſalis. 28

Τοῖς ἀττικοῖς κονισάλοις νεωκορεῖ. Atticis Coniſſalis æditus eſt, dicitur de profligatæ vitæ, & impuro, flagitiíſq; adoperto homine. Coniſſalus enim vnus eſt ex Priapi adminiſtris, Heſiodo ignoratis: quos recentiores Attici in Deorum numerum cooptarunt Syneſius, Strabo.

## Cotyos contubernalis. 29

Κότυος θιασώτης, Cotyos collega aut ſodalis, effeminatus, & infami molitie ſceleroſus, parum vir. Cotys namque, ſiue Cotytto apud Corinthios, vel vt alij, apud Chios, vt Dea turpitudinis, & præpoſteræ libidinis præſes, colebatur. Syneſius.

## In Cybeles ſacrario fractus. 30

Ἐν τῷ κυβελλίῳ κατεαγώς, In Cybeles ſacrario euiratus. De molli nimis, & parum viro. Nam huius Deæ furiatis ſacris nomen daturi, exſectis ſeminalis vitæ fontibus, virilitatem amittebant. Syneſius.

## Coturnicis naturam induere. 31

Ὀρτύγων ἀνάπλεως φύσιν. In pugnaces & feroci ingenio homines, quíque, re velut bene geſta, criſtas attollunt. In ludicro certamine productæ coturnices, vel etiam inter ſe ipſæ concertantes, depugnant, collidúntque ſe mutuis ictibus, & caput, ceruicémque arduam altius erigunt, vt in gallinaceis videre licet. Philoſtratus.

## Theagenis munificentia. 32

Θεαγένους μεγαλοφροσύνη, καὶ εὐεργεσία, Theagenis magnanimitas & liberalitas. De inſigni & effuſa benignitate. Fuit hic Theagenes ſub Rom. Imperatoribus prætor Athenarum, excelſo animo & honoris cupido, opibus præpotens, vtpote qui calamitatibus nōnullorum oppidorū, nedū egenis hominibus aliquot mederi potuerit.

Ayuntamiento de Madrid

Eunapius apud Suidam.

## Quis Eteobutades, quiſue ſeruus 33.

Διαφέρει δὲ οὐδὲν τῷ θεῷ, τίς ὁ ἐτεοβουτάδης καὶ τίς ὁ μανὴς ὁ ὠνητός. Non curat Deus, quis Eteobutades ſit, quiſue venalicius ſeruus. Quoties ſignificabimus nihil noſtra referre, quid cui contigerit. Sic & Deum perſonarum delectorem eſſe negat ſcriptura. Referebant ἐτεοβουτάδαι familiæ ſuæ originem ad Butem vetuſtiſſimi Athenarum regis filium, atque ex ea ſacerdos Mineruæ arci tutelaris deligebatur. Syneſius.

## Tudiculam expoliuit. 34

Τορύνην ἔξεσεν. In hominem plus iuſto curioſum: vel qui operam inutilem verborum fuco commendat: aut qui ruſticum agreſti ingenio ad elegantiores mores & cultum traducere conatur, τορύνην enim commouendis pulmentariis, ollæque vertendæ comparatam, qui expolire volet elegantius, næ ille in re omnium inutiliſſima operam conſumit. Demetrius Phalereus.

## Iolaum implorat. 35

Qui ſibi diffiſus alienam implorat opem, Ἰόλεω δεῖται, Iolao opus habere dicitur: aut Ἰόλεων παρακαλεῖν: Iolai opem aduocare. Nam collato pede cum hydra depugnanti Herculi, cùm Cancer mordicus calcem prehendiſſet, Iolaus laboranti opem tulit. Syneſius, Plato, Euripides.

## In meridie vitæ philoſophari. 36

Ἐν μεσημβρίᾳ τοῦ βίου φιλοσοφεῖν. Poteſt ad quæuis alieni temporis ſtudia aut negotia transferri, velut in ſenem intempeſtiuæ libidinis. Syneſius. Simile illud Alexidis comici: ἤδη γὰρ ὁ βίος οὑμὸς ἑσπέραν ἄγει. Nam vita ſeram veſperam trahit mea.

## Loricæ ſeu coronæ inſtar. 37

Ὥσπερ θριγκὸς ἐπικεῖσθαι τοῖς ἄλλοις. Loricæ in modum reliquis impoſitum eſſe. De eo, quod anteſtat cæteris, & principem locum obtinet. θριγκὸς loricam, & ſummam ambitus muri coronam faſtigiata ſtructura ſignificat. Plato. Simile eſt, ὡς δῶμα θριγκῶσαι κακῶν, funeſtis cædibus domum repleuiſſe, ſuprema pinnarum corona tenus inundantem. De ingenti malorum alluuione. Euripides.



Ayuntamiento de Madrid

## Extra mala poſitus, admones. 38

Συγ' ἐκτὸς ὢν γε συμφορᾶς μὲ νουθετεῖς. Tu liber ærumnis malè affectum mones. Euripides, Stobæus, Æſchylus, Moſchion, Terentius.

## Curriculum animæ decurrere. 39

Τὸν περὶ ψυχῆς θέειν. Animæ curriculum obire. Nam τὸν περὶ ψυχῆς δρόμον τρέχειν, de vita certamen currendo obire, dicuntur; qui capite & fortunis omnibus oppugnantur, quíue extremo ſe periculo exponunt, vt aut fortiter cadant, aut lætam victoriam referant. Syneſius, Ariſtophanes, Homerus, Nazianzenus. Non abſimile eſt, quòd Euripides faciat Oreſten ἀγῶνα θανάσιμον δραμούμενον, agona currentem necis.

## Euchionis gallus gallinaceus. 40

In eum, qui magna ſolicitudine excutit & inquirit quippiam: quomodo noſter Iunius & alij parœmiographi, qui omnes auctores euoluunt diligenter, vt litterariæ frugis materiam euerrant. Detortum eſt ex Plauti Aulul. vbi Euclio humi defoſſam auri plenam ollam habens, cùm omnia illi eſſent ſuſpecta, gallinaceum, ſcalpurientem vngulis circumcirca, obtruncauit, auri indicium proditum ratus. Auſonius.

## Ignaui quiduis tentant. 41

Πάντα κακοὶ τολμῶσι. Cuncta ignaui audent: præproperæ nimirum, audaciæ æſtu concitati, qui vbi deferbuerit, cæteris timidiores euadunt. Poteſt intelligi & de improbis & ſceleratis, qui flagitiis manifeſtis ſubſidium ab audacia petere audent. Homerus, Tacitus.

## Iuſtitiæne murum an fraudis. 42

Πότερον δίκας τεῖχος ὕψιον, ἢ σκολιᾶς ἀπάταις ἀναβῶ. Arduúmne iuſtitiæ murum conſcendam, an obliquæ fraudis. Vtetur ille, qui ſecum deliberat aggrediendúmne ſit negotium, an ſuperſedendum: experiendum litigio an cedendum, cauſſa conſeruanda alicuius. Pindarus, Cicero, Plato.

## Tanquam ſi pupillam moueas. 43

Ὥσπερ κόρας κινεῖν. Tanquam ſi pupillis nictites. De re factu procliui, & in qua nihil ſit difficultatis. Eodem ada-

Ayuntamiento de Madrid

gio Belgæ in ſua lingua vtuntur, temporis breuitatem ſignificaturi. Heſychius.

## Πυρπαλάμοι. 44

Quaſi ignipalmeos dicas. In opifices incredibili celeritate operi finem imponentes: præſtigiatores ſingulari dexteritate oculis illudentes: aut denique quomodocunque verſatiles Protheos Igni nihil mobilius: vnde πυρπαλαμᾶσϑαι eſt malis artibus vti, Heſychius, Euſtathius.

## Altera caduceum, haſtam altera. 45

Θατέρᾳ μὲν δόρυ, θατέρᾳ δ' κηρύκειον περιφερόμενος. De iis, qui armatas preces afferunt, amicæ admonitioni preces coniungentes. Tractum à Gephyræis, qui à Tanagræis bello infeſtati fæcialem præmittebant armata manu pone inſequente. Pauſanias, Polybius. Affine illud Verg. Pacem orare manu, præfigere puppibus arma.

## Opulentum ſpirat. 46

Ο δ' ὑπέρφρων ἤδη, καὶ ἀφνειὸν πνεῖ. At ille elatum quiddam & opulentum ſpirat. De eo, qui nihil mediocre, ſed magnifica omnia crepat, montes ſcilicet aureos. Philoſtratus.

## Doricè incedere. 47

Δωριάζειν. In leues parumque caſtas. Nam Doricæ puellæ artus nudos ſpectantium oculis exhibebant, nullo cinctus vſu: quo modo etiam Spartanæ. Pauſanias, Anacreon, Euripides, Callimachus, Ibicius poëta, Sophocles.

## Muſicus apparatus. 48

Pro frugali & moderato: à Doricis modis qui temperati & modeſtis ingeniis congrui erant, tracta metaphora. Damaſcius Syrus, Plutarchus, Athenæus, Plautus.

## Coryphæus. 49

De eo qui primas ſibi partes aliqua in re vendicat, aut caput, præcipuúſue eſt præ cæteris excellens. Κορυφαῖος enim præſultorem ſignificat, qui in capite choreæ poſitus præcinit, quémque reliquus cœtus accinendo ſequitur. Ariſtoteles, Plato, Dionyſius Areop. Gregorius Palama, Dion Chryſoſtomus.

## Frenum non habet lingua. 50

Χαλινὸς οὐκ ἔστιν ἐπὶ τῇ γλώττῃ. Philoſtratus, de garrulo,

Ayuntamiento de Madrid

& ſilentij modum ignorante, qualem Galenus ἀπεραντολόγοι, Euripides ἀθυρόγλωσσοι, & ἀπύλωτοι, Ariſtophanes ἀχάλινοι ϛόμα, Clemens ἄθυρον γλῶτταν appellant.

## Non quacunque manu. 51

Non quacunque manu victima cæſa litat. Quoties delectum rerum indicare volumus: aut plurimum intereſſe quid quis dicat; aut non æquè gratum & acceptum eſſe, an ab hoc, an ab illo donũ aliquod proficiſcatur. Tractum à ſacrificiis in quibus ſæpius ruſticus mola tantùm ſalſa litat, quàm pretioſo thure, & magnificis hecatombis locupletes. Martialis.

## Ἐξακανθίζειν. 52

Pro ſolicitè exquirere, etiam cum periculo. Sumptum à rhizotomis & herbarum collectoribus, qui frequenter mediis in vepribus radices floréſue euellunt, aut diſcerpunt, non ſine vulneribus. Cicero.

## Fons & radix. 53

Πηγὴ καὶ ῥίζα. Pro origine & principe cauſſa. Gal. Hippoc. Syneſius, Philo, Plutarch. Proclus, Cic.

## Elementum. 54

Στοιχεῖον. Initium & rei primordium. Damaſcius, Iſoc. Syneſ. Stobæus.

## Charixenæ non ſunt iſta. 55

Οὐ γὰρ τ' ἀπὶ χαριξένης τάδ' ἐϛίν. Neque enim ad Charixenam iſta pertinẽt. Cum indicare volumus alia de re, quàm alter exiſtimet, ſermonem nobis eſſe. Ariſtophanes.

## Trabali clauo figere. 56

Quemadmodum veteres trabale vocant, quicquid ingens eſt & validum, ita trabali clauo figere Ciceroni, & Arnobio vſurpatur, pro, validè munire, & nexu indiſſolubili & adamantino: quo modo ferè Chryſoſtomus dixit, Τοὺς τῇ μέθῃ προσηλωμένους, ebrietati tanquam trabali clauo affixos.

## Mantiſſa obſonia vincit. 57

Quando ſignificabimus, dictum aliquod obiter adſperſum orationi, pluris nobis eſſe, quàm reliquam orationis molem. Mantiſſa, appendix quædam & additamentum eſt,

Ayuntamiento de Madrid

quod merci appenſæ & annumeratæ ſuperpondij loco manu adiici ſolet. Lucilius, Cælius Calcagninus.

Ampullas loqui. 58

Pro, verbis tumidis & grandiloquis vti. Horatio eſt ampullari, & proiicere ampullas: Hyperidi oratori φύσημα ἔχειν, bullam ſpiritu inflatam & tumentem, quod etiam ad inanem futilium hominum garrulitatem transfertur: Theodoritæ, φυσητῆρσι μολγίοις χρῆσθαι, vtricularibus follibus vti. Eſt autem ampulla lechyti genus grandi ventre tumens.

Mens abeſt in popina. 59

Ἐν τῷ καπήλῳ νοῦς, animus in popina. De eo qui præſens abeſt: vel qui omnia commeſſationibus poſtponit. Plato, Terentius, Athenæus, Ariſtoph.

Aſciam cruribus illidere. 60

In eum qui ſibi ipſi malum accerſit dedita opera, aut temeritate quapiam, nimirum virulentæ linguæ conuiciis. Aſcia fabrile inſtrumentum eſt, ad cædendam materiam comparatum. Apuleius.

Syri aduerſum Phœnices. 61

Σύροι πρὸς Φοίνικας. In pariter fraudulentos & verſipelles, ſibíque mutuo æquè diffidentes tractum ab ipſa natura nationum Suidas.

Contigua ſoluis. 62

Καθαπτὰ λύεις. Soluis contigua, quæ indiuiduo nexu coniuncta ſe mutuo contingunt: vel ſoluis, quæ ita inducta ſunt vt viuam cutim attingant, vtrunque καθαπτὸν ſignificat. Dicetur in eos qui rem multimodis difficilem aggrediuntur ſoluere. Heſychius.

In fronte mentem habet. 63

Ἐν τῷ μετώπῳ νοῦν ἔχει μόνον. In vanam & ſimulatam prudentiam: aut in ſuperficiariam eruditionem, quam fronte promittunt nonnulli, in receſſu nihil habentes. Extat apud Amph. Comicum. Fronti nullam eſſe fidem ait Martialis, & Cicero eam ſæpe mentiri.

Multis brachiis æqualis. 64

Πολλῶν βραχιόνων ἀντάξιος. De induſtrio homine, qui ingenii ſolertia plus poſſit vnus præſtare quàm inde-

Ayuntamiento de Madrid

feſſa opera plures alij: qualem Archimedem fuiſſe aiunt: qui, quod vno machinæ baliſtariæ tortu multa ſimul iacula in hoſtes diſtringeret, ἑκατόγχειρος, centimanus appellatus eſt. Philoſtratus, Euſtathius.

## Archimedeum problema. 65

De quæſtione abſtruſa, ſolutu difficili, ſolicitaque indagine examinanda. Cicero. Archimedis inuenta & ſolertiam prædicat Vitruuius, lib. 9.

## Gratias Muſis commiſcere. 66

Ταῖς μούσαις τὰς χάριτας συγκαταμιγνύειν. Operi hiſtorico & erudito gratiæ & ingenij lenocinium adſpergere. Agathius, Euripides, Dion Chryſoſt. Paulò aliter Plutarchus. οὐχ ἧττον ταῖς μούσαις τὸν διόνυσον, ἢ ταῖς νύμφαις κεραννύντες. non minus litteratis ſermonibus condientes ſympoſij apparatum, quàm vinum affuſa aqua diluentes.

## Tota vita. 67

Ὅλος βίος, ψυχὴ πᾶσα. De re ſuaui & neceſſaria. Plato, Philoſtratus. Conſonat cum hoc Belgicum diuerbium, quo dicimus, totam vitam nobis eſſe: de re quæ nobis impendio adlubeſcit.

## Niobes archetypum. 68

Νιόβης ἀρχέτυπον. De homine ſtupido, & immobili, quem ſaxeum etiam dicimus: vel de taciturno, & attonito: vnde verbum exſculpere nequeas: vel denique de præfracto, quem expugnare nequeas, & ab opinione concepta depellere. De Niobe in ſcopulum conuerſa multa apud poëtas. Lucillius, Antiphanes Comicus.

## Pergea Diana. 69

Ἡ περγαία ἄρτεμις. De circulatoribus & vagis erronibus, qui nullo in loco firmam ſedem collocare amant. Diana enim, quæ eadem Luna, inter ſeptem planetas vagatur, tanquam venatibus indulgens operam, Pergæa dicitur, à Perga Pamphiliæ oppido. Suidas.

## Aëre & rore paſtus. 70

Ἐν ἀέρι καὶ δρόσῳ σιτούμενος, Aëre & rore ſaginatus. De eo qui frugali admodum, & tenui victu vtitur. Plutarchus, Theocritus, Philon Iudæus.

## Bacchi ſacerdos. 71

Ayuntamiento de Madrid

Ιερεὺς Διονύσου. De eo qui ebrioſa rubidaque eſt facie. Heſychius.

## Gutta fortunæ præ dolio ſapientiæ. 72

Θέλω τύχης ϛάλαγμον ἢ φρενῶν πίθον. Præ dolio doctrinæ malo guttam opum. In diuitum inexplebilem auri cupiditatem. Contra illud:

Ῥανὶς φρενῶν μοι μᾶλλον ἢ βυθὸς τύχης, Eſt gutta doctrinæ potior quàm magnæ opes. Gregorius Nazianzenus.

## Archilochum calcas. 73

Ἀρχίλοχον πατεῖς. Aliter atq; Eraſmus explicó, nimirum de maledico conuitia faciente ei, qui poſſit longè maiore vehementia mordere: aut potius de eo, qui quomodocũque potentiorem laceſſit. πατεῖν igitur hic calcitrare ſiue proterere eſt, quomodo etiam Euſtathius exponit Odyſſ. 11.

## Inter Orci cancros adhæſit. 74

De eo qui arctè irretitus tenetur, vt nullibi effugium amplius pateat: Cancros dixit, pro, clauſtro, & quos diminutiuè cancellos vſitatius dicimus. Apuleius.

## Nugarum inſtitores. 75

Ἀκούσατ' ὦ ϛόακες ἔμποροι λήρου, λόγων ὑποκριτῆρες, Audite ambulones Stoici, nugarum mercatores, verborum mimi. In blaterones, & meras nugas diſcipulis ſuis tradentes Artiſtas. Athenæus.

## Phœnicium mendacium. 97

Φοινικικόν τι, Phœnicium quiddam, vel Φοινικικὸν ψεῦδος. De fabuloſo commento, inſigniq; mendacio, & fidei portentoſæ narratione: tractum, vel à fabula de Cadmo Phœnice dentes draconis ſerente, vel à fraudulentis Phœnicum mercibus. Plato, Strabo.

## Quadrantaria Clytæmneſtra. 77

In matronas religionis prætextu, aut nobilitatis velamento honeſtas, occultè proſtituti corporis notas. Natum à quadrãtibus, vili meretricum pretio. Ille enim erat egregius venerei congreſſus arrabo, id eſt, ſi alludere licet, κλυτὸν μνῖϛρον. De adulterio Clytæmneſtræ Agamemnoni nuptæ, cum Ægyſtho, hiſtoria nota eſt. Cæcilius orator, Quinctilianus,

## Angularis bombyx. 78

Ayuntamiento de Madrid

Γανιαβόμβυκες. Vani eruditionis oſtentatores, qui in triuiis & platearum angulis cœtus hominum faciunt, vt doctrinam populo ſuam venditent, qui morbus indoctioribus plerunque familiaris eſt. Bombyx inſecti genus ab obſtrepero murmure, quod βομβεῖν, ſonat, nomen habens. Herodicus Babylonius.

## Vultum demittit tanquam Telephus. 79

Κύπτει ὥσπερ τήλεφος. De homine nimium pudente, qui tenuitatis ſuæ conſcientia oculos non attollit: vel eo, qui obaudit, & ſe non audiſſe ſimulans, oculos humo affigit. Telephus Myſorum rex exſul & mendicabulum factus, non mirum, ſi pudore affectus fuerit. Amphis comicus.

## Ταντταλωθῆναι. 80

Quaſi Tantaliſari dicas, illiusque fortunam imitari. De eo, qui per lites, aut immoderatum luxum magnis fortunis excidit. Sophocles.

## Cadaueris inſtar venuſtus. 81

Χαρίεις ὥσπερ νεκρός. In macilentum hominem, aut præ morbo luridum, Theopompus.

## Vulpis reliquiæ. 82

Αποτράγημα ἀλώπεκος. Conuenit in verſipellem & fraudulentum veteratorem. Eupolis Comicus in ſubdolam quandam dixit & puſillam, quaſi diceret dentibus præmorſam. id enim ſonat ἀποτράγημα.

## Gephyræi, & Gephyriaſmos. 83

Γεφύρεις, γεφυραῖοι & γεφυρισμοί, quaſi Pontani, dicuntur mordaces & dicaculi homines, qui dentatis morſibus cōuiciantur. Tractum à more Athenienſium, vbi in ſacris Eleuſinis quidam in ponte ſedens, per quem ad Cereris templum ibatur, velata facie ſcommata iaciebat in prætereuntes ciues, præſertim optimates, eos conuitiis liberis appetens, vnde γεφυρίζειν ſubſannare eſt, & quaſi de ponte illudere. Heſychius, Plutarchus, Polibius. Non diſſimiles ſunt paſquilli Romani, & ludi Saturnales Pariſiorum, qui à tauris nomen habent, ſingulisque trienniis, ſi ſatis memini, contingunt.

## Manducones. 84

Τρώκτης, Impoſtor & dolos conſuere doctus: aut lucri auidus vndecunque ſpes nummi arriſerit, volens τρώγειν,

Ayuntamiento de Madrid

rodere & lucrari, lucripeta. Homerus.

## Nox gubernatorem prudentem terret. 85

Δεῖνα τίκτει νὺξ κυβερνήτῃ σοφῷ, Docto gubernatori nox metum parit. In rebus dubiis, parumque explicitis vir prudens cautè timidéque gerere ſe debet. Æſchylus, Plutarchus.

## Vua acerba immitior. 86

Φιαρώτερος ὄμφακος ὠμῆς. In durũ & ruſticano moroſóque ingenio hominem, planéque Demeam. Ὄμφαξ vua vel oliua immatura eſt, vnde ὀμφάκιον, quod acerbum eſt & eſui ineptum, adeoque aſperum. Theocritus, Lucianus.

## Saperdæ videmur, cùm ſimus σαπροί. 87

In eos qui ſua, qualiacunque tandem ſint, mirificè approbant, ſuis operibus, ſuis inuentis impenſè fauent. Saperdæ ſapientes ſunt & venuſti, σαπροὶ putidi & marcidi. Varro.

## Cepphus. 88

Κέπφοι, Homines inſtabilis ingenij & mente leues, qui ad modum cepphi auis impendiò leuis facilè quouis ventulo rumoris in diuerſa aguntur, vnde & κεπφοῦσθαι dicitur, qui vecordi leuitate prouectus deridendum ſe propinat: & κεπφικά futilia & vana: & κέπφωμα ſtultitia, vanitas ac ludibrium. Ariſtophanis Interpres, Heſychius Cicero.

## Muli vitam agere. 89

Ἡμιόνων βίον ζῆν. In diuites ſuarum rerum parcos, qui de ſudoribus ſuis ne tantillum fructus capiunt. Extat in epigrammatis incerto auctore.

## Grauia in ſtagnis. 90

Λάρος ἐν ἕλεσι. In voraces & inexplebilis gulæ hominẽ ac prodigum: vel in eos qui celeriter incrementum capiunt. Naſcitur enim Grauia auis piſcoſis in amnibus, locisque vliginoſis, magnam alimoniæ copiam præbentibus. Suidas.

## Hinnulo timidior. 91

Τῆς νεβρίδος δειλότερος. De vehementer & ſupra modum pauido, Eſt enim hinnulus formidoloſum, ſi quod aliud, animal. Athenæus, Horatius.

Ayuntamiento de Madrid

## Dium vides. 92

Ὁρᾷς τὸ Δῖον, οὐ βέλος διέπτατο. Vides ob oculos velut exẽplum quoddam Dium, de ſe vindictam ſumens. Quoties talionem referimus, aut refricata malorum perpetratorum memoria, mentionem iuſtæ vindictæ ingerimus. Cùm Ætoli Dium Macedoniæ oppidum vna cum Iouis Dodonæi templo eſſent depopulati, Macedones Thermum vrbem Ætolorum ditiſſimam hoſtiliter diripuerunt, ipſis muris Senarium hunc prioris iniuriæ exprobratorium inſcribẽtes. Polybius.

## Chilonius modus. 93

Χιλώνειος τρόπος. Chilonia loquendi ratio. Pro Laconiſmo & breuiloquio. Erat enim Chilon & Lacon & breuiſſimus in ſententiis. Laërtius, Suidas.

## Mercurij typus. 94

Ἑρμοῦ λογίου τύπος. Mercurij eloquentiæ præſidis exemplar. In virum inſigniter eloquẽtem, & omnibus doctrinæ numeris abſolutũ. Syneſius. Simile, ἑρμῆς λόγιος, de magnæ eruditionis homine. Iulianus Parabates, Nazianzenus.

## Archigenis indiget. 95

De eo qui ſanæ mentis compos non eſt. Fuit Archigenes magni nominis medicus Romæ ſub Traiano. Iuuenalis. Conſimile illud, ἀσκληπιοῦ δεῖται, Æſculapio indigere. Vſus eſt eo Calliſthenes philoſophus & rhetor: nam in conuiuio Alexandri Macedonis, cùm ingens poculum meraco vino plenum ordine ad ipſum veniſſet, recuſauit ebibere, dictitans, οὐ βούλομαι πιὼν Ἀλέξανδρε ἀσκληπιοῦ δεῖσθαι, nolo bibendo Alexander Æſculapij indigere, id eſt, contracta per temulentiam aduerſa valetudine, incidere in medicorum manus. Plutarchus.

## Neſcit aranea ſobolem vt erudiat. 96

Ἀγνοεῖ δ' ἀράχνη παῖδας ὡς παιδεύεται,
Θρέψασα γὰρ τέθνηκε πρὸς τῶν φιλτάτων.
Aranea prolem neſcit vt ſuam educet,
Quas namque eduxit, mortis illi cauſſa ſunt.

In eos, qui malum ſibi ipſi cudunt. Aranea enim fœtus ſuos in ſuam ipſius perniciem parit atque educat. Suidas.

## Dormienti loquor. 97



Ayuntamiento de Madrid

Καφοῖς ἀυτῶ, ἢ καθεύδουσι μάτην ἀχεῖται βάζω. Inclamo ſurdis, irrita ſopitis loquor. Quoties incaſſum laboramus, vel orando, vel ſuadendo. Æſchylus.

Muræna. 98

Μύραινα. Homo perniicioſus, & exitialis calamitatis auctor. Muræna ſuis dentibus longis, acutíſque modo acicularum, ac vncinatis, formidini eſt etiam piſcatoribus. Æſchylus, Heſychius.

Vltra Hyperboreos. 99

Ἄχρις ὑπερβορέων ἀποπέμπειν. Ad Hyperboreos vſque ablegare. De eo, quod longiſſimè exigendum, & vlteriùs, quàm hominibus conceſſerit natura, procurandum. Simile eſt, τάδ' ἐκτὸς ῥίψα γαδείρων, vltra Gades ea abieci, id eſt, quàm longiſſime: extant in Epigrammatis, & Nazianzeno.

Phryx non minùs quàm Spintharus. 100

Φρὺξ μηδὲν ἧττον σπινθάρου. De homine barbaro ac inelegante, & ſeruilis conditionis. Spintharus Tragœdiographus, quia Heracleotes genere, traducitur in comœdiis, vt barbarus, quomodo Liuio Patauinitas obiecta fuit. Ariſtophanes.

## ADAGIORVM HADRIANI Iunij Centuria. ij

Scruta laudat ſcrutarius. 1

QVANDO improbum maléque feriatum hominem commendari ſcimus. Scruta viles ſunt, nulliúſque penſi merces, cuiúſque modi pueris venales à proxinetis emptitare ſolemus. Lucillius.

Telephus è perula. 2

Τήλεφος ἐκ πηριδίου. Dicetur in hominem tenui fortuna, ſed propter nomen adſciticium præclarum magnos ſibi ſumentem ſpiritus. Telephus mendicus fuit, ſtipem quæritans, manticam circumferens. Ariſtophanes.

Telephi citiparium. 3

Τηλέφου ὠκυτόκιον. De libro erudito, legi digno: vel de libello iuuentuti ad imbibenda rudimenta valde vtili, & è quo multarum hiſtoriam aut rerum ſcitu neceſſariarum



Ayuntamiento de Madrid

cognitio hauriri queat. Fuit Telephus grammaticus Pergamenus, qui plurima vtiliſſima conſcripſit: ὠκυτόκιον medicamentum eſt partum accelerans.

### Cybaritici canes.

In ardeliones, genus hominum inquietum & omnia inueſtigans: item in quadruplatores, qui canum inſtar cuncta odorantur, intercipiunt, deferunt, vnde lucrum faciant: in qua claſſe ſunt, qui adaugendo principis fiſco, & emũgendis prouinciis nouas ſemper machinas excogitãt. Alibi Pantheræ Cybaritę dicuntur, ἀπὸ τοῦ πάντα θηρᾶν, quòd cuncta venentur & captent. Tranſſumptum à ſociis Verris è Cybira Lycaonię natis. Cicero, Ammianus Marcellinus.

### Errorum odyſſea. 5

Pro multiplicibus & magnis erroribus, ſic quicquid ingens & varium eſt, ὀδύσσειαν vocare licebit, vt Iliada malorum, tractum à titulis operum Homeri. Budæus.

### Fumus è ficubus. 6

Καπνὸς ἀπὸ συκῶν. Calumnia aut criminatio ſycophantica. Delatores Sycophantas olim dictos eſſe, id eſt, ficuum edones nemo neſcit. Euſtathius.

### Acclamat inſtar Ciconum. 7

Καλοῦσιν ἀλλήλους, ὥσπερ οἱ κίκονες, Inclamant ſe inuicem more Ciconum. In homines audita aut viſa noua re ſupra modum admirabundos, quales feminæ ſunt: quæ ſi quid noui videant, aut inauditum audiant, illicò viciniam totam conciant, ſtupendæ rei teſtem futuram. Syneſius ex Homero.

### E Tragico Comicum drama. 8

Δρᾶμα ἐκ τραγικοῦ κωμικόν, Actus è tragico comicus. Cùm pro triſtibus initiis lætus ſuccedit euẽtus. Syneſius, Heliodorus. τραγικὸν pro triſti & cum vitæ periculo coniuncto vſurpari ſolet, quòd tragœdia in neces, ſuſpendia, exilia, aliaſque calamitates deſinat: item pro ſupercilioſo & ſuperbo. Vnde illud Nazianzeni, ἀλλ᾽ οὐκ ἦν οἶμαι, σφάλλοντα τραγικῶς, πανηγυρίζειν κωμικῶς, non licuit arbitror, Tragicè habentẽ, Comicè ludere. Quando aliquis moleſtiis implicit⁹ excuſat ſe, cur minùs lætus ſit, aut iocis ludat.

### Appropera, vt letho ſis vicinior. 9

Ayuntamiento de Madrid

Ἄσσον ἴθ', ὥς κεν θᾶσσον ὀλέθρου πείραθ' ἵκηαι, Appropera, vt citius lethi confinia tangas. In adoleſcentem aut ſcortorum amoribus, aut temulentiæ, aut prauorum hominum commercio turpiter addictum. Hæc enim vitia via compendioſiſſima, in præcipitium agunt. Homerus, Strabo.

## Folijs homines ſimiles. 10

Οἵηπερ φυλλῶν γενεὴ, τοιήδε καὶ ἀνδρῶν, Frondibus arboreis ſunt aſſimiles mortales. In vitream humanæ vitæ fragilitatem: in diſcolores & cachecticos, pallore viriditatem foliorum mentientes: in Protheos, & ad quamuis auram inſtabiles. Homerus, Mimnermus.

## Thymo nemo veſcitur, vbi adeſt caro. 11

Οὐδεὶς κρέως παρόντος ἐσθίει θύμον. Nemo libenter egeſtatem ſubit, modò liberiùs ac lautiùs viuendi ratio ſeſe offerat. Antiphanes apud Athenæum.

## Canina victitans Cynocephalum oppugnas. 12

Κυνὸς βορὰν σιτούμενος, μάχῃ σὺ κυνοκεφάλῳ. In eum, qui aduerſus ſui ordinis hominem verbis, aut ſcriptis inſurgit. Cynocephali, genus hominũ, ſeu potius animaliũ ſunt, caninis capitibus, pro voce latratum edentiũ. Ariſtophanes.

## Sol Apollo, & Appollo Sol. 13

Ἥλιος Ἀπόλλων, οὐδέ γ' Ἀπόλλων ἥλιος, Sol eſt Apollo, & ipſe Apollo ſol erit. In eos qui vocibus obſcuris, & ambiguis rem implicant, & veluti alia in re, nunc ſolis vocabulo, nunc Apollinis vtuntur, cùm prorſus idem ſint. Heraclides Ponticus.

## Ex eodem præſepi. 14

Ἐκ τῆς αὐτῆς οἱονεὶ φάτνης ἐδηδοκότες. Ex eodem quaſi præſepi ediſſe dicuntur, qui eandem opinionem hauſerunt, eodem in ludo docti, iiſdemque imbuti præceptis. Tracta ſimilitudo à iumentis, quæ communi pabulo ex eodem præſepi paſcuntur. Suidas.

## Palamedeum inuentum. 15

Παλαμήδειον εὕρημα. Pro præclaro, & ingenioſè, magnaque induſtria excogitato. Palamedes Argiuus diſcriminationem partium anni, numiſmatum, pōderũ, menſurarũ numerorũque rationẽ, cum pluribus aliis, primus traditur



Ayuntamiento de Madrid

reperiſſe. Eupolis, Æſchylus.

## Pennas addere. 16

Ἀναπτερῶν. De iis, qui præclaram alicui ſpem faciunt, atque animando incitant, vel elatiorem etiam reddunt. Iuſtinus martyr, Ariſtophanes, Damaſcius, Syneſius, Cratinus poëta, Proclus Conſtant. Nazianzenus.

## Barbarus euaſit inter barbaros. 17

Βεβαρβάρωσαι χρόνιος ὢν ἐν βαρβάροις. Es barbarus factus, moram longam inter barbaros trahens. In eum qui puritatem latini ſermonis corrupit aſſidua lectione, & conſuetudine barbarorum hominum. Euripides, Ioan. Zezes.

## Tanquam fungus ſuffocat. 18

Μύκητος δίκην ἀποπνίγει, Fungi in modum ſuffocat. Ad animum refertur, veluti ſi dicamus luxum obruere ingenia, & veluti in herba enecare, ne vnquam ad frugem perueniant: nimirum, ἡ ἀσωτία μύκητος δίκην ἀποπνίγει, τὸ εὐφυὲς, Luxus ingenij vigorem ſuffocat fungi inſtar. Sunt inter fungos quidam lethiferi, gula quaſi compreſſa ſuffocãtes, πνιγόεντες dicti. Ephippus, Epicharmis Comicus.

## Laconicè cenat. 19

Λακωνικῶς δειπνεῖν, Frugaliter epulari, cibíſque vti parum exquiſitis: quo modo Lacones, apud quos exoticis mercimoniis locus non erat, quíque fictilibus vtebantur. Diphilus apud Athenæum.

## Laconiſare. 20

Λακωνίζειν, non tantùm ſignificat paucis verbis ſententiam circumſcribere: ſed & pro decipere fraudulenter, mendaciíſque alios inuoluere accipitur, vnde λακωνικαὶ κλεῖδες, laconicæ claues, pro fallacibus. Ariſtophanes, Euripides. Accipitur item pro παιδικοῖς χρῆσθαι. Heſychius, Eupolis Comicus.

## Cuculus, 21

Κόκκυξ, Homo rerum imperitus, rebúſque tum foris, tum domi gerendis ineptus: vel qui inconditis clamoribus ſurſum deorſum omnia miſcet ſolus, ne muſca quidem præſente. Cuculus enim obſtrepera maléque garrula auis eſt. Lycophron, Heſychius.

## Fabilibus victat. 22

Ayuntamiento de Madrid

Κνεύβια ἐσθίει. De homine ſordido, qui præ nimia parſimonia quoſuis cibos eſitat, vt impenſis parcat. κνεύβια fabarum furfures ſunt & repurgaměta, Plinio fabilia. Cratinus apud Etymologicum.

## Murus Semiramidis. 23

Σεμιράμιδος τεῖχος. Pro validiſſimo præſidio, & indubitato munimento, vt ſi dicamus, pio homini ſacrarum literarum lectionem eſſe murum Semiramidis, aduerſus mũdi faſtum & diaboli inſidias. Babylonij muri altitudine pedes ducenos, latitudine quinquagenos æquabant, in ſingulos pedes, ternis digitis menſura ampliore quàm noſtra. Syneſius. Simile illud Horatij, hic murus aheneus eſto. Tractum, ni fallor, ab iiſdem muris, qui aheneas habuere portas.

## Cilicia inſolentia. 24

Χαυνότης κιλίκιος, nequitia inſignis & flagitium ſingulare. Plutarchus. Natum à gentis improbitate peculiari, vnde & κιλικίζειν, & ἐγκιλικίζειν, & ἐγκιλικεύεσθαι, nequiter & impurè ſe gerere, malíſque artibus circumuenire: ac κιλίκειοι λόγοι, fallacia dicta: & κιλικισμός, cædes per temulentiam aut proteruiam commiſſa. Pherecrates Comicus, Heſychius, Suidas.

## Crania bina gerit & innumeros oculos. 25

Κράνια δυοστὰ φορεῖ ὀφθαλμοὶ δ' οὐκ ἀριθμητοί, Crania bina, oculóſque gerit numerum fugientes. In hominem cordatum & prouidum: ductum ab Argo, quem oculeum totum faciunt, Cratinus.

## Malorum omnium pedem habet. 26

Πασῶν κακοτήτων πόδα ἔχει. De eo qui infortuniis preſſus, & calamitatibus ſubiacet maximis. Sumptum à pede fune nautico, quo veli pars inferior ad proram & puppim religatur: vel à pede imo montis. Alcæus.

## Timonia vita. 27

Τιμώνειος δίαιτα. vitæ ratio ſolitaria, & ſeceſſus ambitioſè amans, extra hominum conſortium. Timon Athenienſis moroſiſſimi ingenij homo fuit, congreſſus hominum vitans. Plutarchus, Strabo.

## Os duodecim ſalientium. Iliſſus infaucibus. 28



Ayuntamiento de Madrid

Ἄναξ ἄπολλον τῶν ἐπῶν τῶν ῥευμάτων,
Καὶ χοῦσι πηγαὶ δωδεκάκρουνοι στόμα,
Ἰλίσσος ἐν φάρυγγι, τί ἂν εἴποιμι;
Apollo, fontes verborum puri licet
Silientibus biſſex os occupent meum,
Iliſſus impleat fauces, quid eloquar?

Vtrumque quadrabit in hominem, lacteo, vt ait ille, eloquentiæ fonte manẽtem. Callirhœ fons Athenienſis à ſcatebris duodecim δωδεκάκρουνος dictus eſt: Iliſſus quoque Athenarum limpidiſſimus fluuius eſt. Cratinus, Ioan. Zezes.

## Quaſi Nauplius Caphareo rediens. 29

Ὥσπερ Ναύπλιος ἀπὸ τοῦ Καφαρέως ἥκων. De homine immani & horrificam ſpeciem præ ſe ferente, qualis viſus eſt Nauplius, qui Palamedis filij ſui necem vlturus, excitata in Caphareo Euboiæ ſcopulo pyra, effecit vt claſſis Græcorum à Troia capta redux in eum impingeret, & naufragium pateretur. Dion Chryſoſtomus.

## Canis nouem animas habens. 30

Κύων ἐννεάψυχος. Videtur dici poſſe de milite proiectæ audaciæ, & vitæ curam poſthabente, qualem vulgò dicimus decem habere corpora incluſa ſcrinio, inſtar veſtiũ multiplicis ſyntheſis repoſita. Etymologicus, Heſychius.

## Vt lucorum delubra. 31

Ὡς τεμένων ἱερά. De rebus quas anxia cura obſeruamus, & religiosè colimus. In lucis olim intactus, inuiolatúſque erat arborum honor, tum numinis reuerentia, tum loci opacitate horrorem animis incutiente. Agellius.

## Tela araneæ. 32

Ἱστὸς ἀράχνης, Araneæ caſſis. De rationibus, friuolis futilibus & infirmis. Theodor. Cyrus, Proclus Conſtant. Nazianz. Apollinarius.

## Facem accendere. 33

Πυρσὸν ἀνάπτειν, facem ſubdere. Fomitem, & incrementum malo ſuppeditare. Theodoretus, Plutarchus, Quinctilianus, Seneca.

## Lamiæ turres. 34

De rebus in ſpeciẽ formidabilibus, quibus tamen periculi

Ayuntamiento de Madrid

nihil inſit: vel de narrationibus portentoſis, nihílque veri habentibus, eò quòd Lamiæ ad territandos pueros inſtituta ſint nomina, occaſione Lamiæ, quæ cùm Beli filia eſſet, & in Libyæ locis regina, ob liberorum ſuorum interitum, aliis matribus inuidens eam dulcedinem, percuſſores immiſit, qui crudeli exemplo raptos è parentum ſinu liberos trucidarent. Tertullianus, Diodorus Siculus, Strabo.

Amiſit vrbem, & pugionem recepit. 35

Πόλιν ἀπολώλεκεν, τυρόκνηστιν εἴληφεν, Pugiunculum recepit, vrbem perdidit. In eum, qui pro luculenta, quam fecit, iactura, exiguum quid reportat. τυρόκνηστις enim cultelli genus eſt ſcalpẽdis caſeis comparatum, παρὰ τὸ κνῆθαι τοῦ τυροῦ. Plutarchus.

Collatiuus venter. 36

Ἀΐδης πιθώνιος, venter in quem, quicquid congeras, diſperit, dilabitúrque. In hominem prodigũ, & omnia abligurrientem. Plautus, Homerus.

Grauius, quàm ſit Troiam capere. 37

Τοῦτ᾽ ἐσθ᾽ ἑκάστῳ μεῖζον, ἢ Τροίαν ἑλεῖν, Id cuique grauius, Ilion quàm capere. De re imprimis difficili & ardua: eleganter ad animum transfertur. Decennalis obſidio Troię, eiúſque fraudulenta expugnatio omnibus nota eſt. Eubulus Comicus.

Nauſiclidis ſolitudo nec ver nec amicos. 38

Ναυσικλείδους ἐρημία μήτε ἔαρ, μήτε φίλους ἔχει De homine cunctis vitæ præſidiis deſtituto. Natum à Nauſiclide quopiam, qui ſeceſſerit ſolitarium in locum, ab omni humano cultu alienum.

Labra, non palatum rigat. 39

Χείλεα μέν τ᾽ ἐδίην᾽, ὑπερῴην δ᾽ οὐκ ἐδίηνε.

Labra quidem rigat, at nequit humectare palatum.

In exigui munuſculi largitorem, quod labra quidem adſpergat, oris tamen palatum non imbuat, id eſt, vel animum expleat, vel præſenti neceſſitati medeatur: competit item in ſtrennuum pollicitatorem, nihil reipſa præſtantem.

Embarus es. 40



Ayuntamiento de Madrid

De calido & ingenioſo interpretor, aliter atque Eraſmus: propterea quòd Embarus iſte ingenij dexteritate vel potiùs aſtutia felici ſortem oraculi eluſit. Nam, vt auctor eſt Pauſanias, filiam immolare promiſſam, & de more comptam, in adyto, quo præter ſacerdotem acceſſus nulli patebat, abſcondit, & capram filiæ ornamentis indutam, illius loco immolauit. Non diſſimile eſt, Theſſalicum ſophiſma.

Ficiuorus. 41

Συκοτραγίδης, ficuum gurges. Homo ſordidus, & extremè auarus: ob vilitatem huius fructus, præſertim in Attica. Idem χαλιδοφάγος, cariciuorus: & θυμβρεπίδειπνος, thymbriuorus dictus eſt. Euſtathius.

Fimo abiectior. 42

Κοπρίων ἐκβλητότερος. De homine contemptiſſimo, & quàm caſſa nux viliore. Euſtathius, Strabo. Cognatum eſt illud, φαυλότεροι φαυλίων μήλων, marcidis pomis viliores. Athenæus.

Etiam è vite rubus naſcitur. 43

Κἀξ ἀμπέλου βάτος φύεται. E bonis parentibus malæ frugis liberi; ex docto magiſtro diſcipulus ineruditus; è cordatis, interdum ſtolidi naſcuntur. Nazianzenus. Huic contrarium eſt illud Eutherij Armeni, Sed & inter ſpinas roſæ naſcuntur. Marcellinus.

Cochleis diffidentior. 44

Ἀπιστότερος τῶν κοχλιῶν. De homine ſuſpicaci, incredulo, & diffidente. Cochlea φερέοικος, domiporta, latitat intra teſtam, velut ſui diffidens, ſuoque ſucco, ſi cælum neget, paſcitur. Athenæus.

Fronti ocream tibiæ galeam applicat. 45

Ὥσπερ ἂν εἴ τις κνήμῃ τὸ κράνος, ἢ περὶ τῇ κεφαλῇ τὰς κνημῖδας ἐπιδήσειε, Non aliter quàm ſi quis tibiæ caſſidem, aut capiti ocream adaptet. Vbi omnia præpoſterè fiunt. Lucianus.

Primum cunabulum. 46

Πρῶτον σπάργανον. Pro initio & rei auſpicatu. Nazianzenus, Fortunatianus, Vergilius, Iuſtinianus, Apuleius, Cicero.

Ayuntamiento de Madrid

## Ignem ſpirat. 47

Δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο, In feſta ardentis proflans incendia flammæ. Torquebitur in iratos homines & efferatos: vel vitilitigatores, & maledicos conuitiatores, elegantiſſimè quidam in Rhetorem epiſtolium dictantem, ac veluti efflantem in ardentis febris æſtuoſo paroxiſmo. Homerus, Xenophon, Naxianzenus, Pſellus.

## Muſarum fauus. 48

Μουσῶν εὐκόλων ἀνθήνιον, Fauus Muſarum propitiarum. De omnibus numeris abſoluto, & carminis elegantia nulli ſecundo poëta, qualis hoc verſu commendatus Sophocles. Philoſtratus, Ariſtophanes.

## Annum in menſem contrahit. 49

Ὁ τὸν ἐνιαυτὸν συντεμὼν εἰς μῆν' ἕνα, Annum integrum qui contraxit in menſem vnicum. De imperioſo homine, quique in republ. omnes partes ſibi ſumit, pro arbitrio ſtatuens atque immutans quicquid lubitum eſt. Idem de abbreuiatore, qualem ſumma cum laude ſeſe dedit Iuſtinus. Philippides Com. apud Plutarchum.

## Neronianas thermas refrigerat. 50

In quorundam hominum conciones ineptiſſimas, aut ſcripta inuenuſta, quæ vel Neronianas thermas, alioqui feruentiſſimas, refrigerent. Martialis.

## Eſt modus matulæ. 51

Hoc admonebimus ſeruandum eſſe in poculis modum, neque ad ſatietatem vſque ingurgitandũ, quomodo Bœotij ſolent, de quibus, quid ſentiret quidam rogatus, quid aliud, inquit, quàm quod idem ſonarẽt dolia, ſi voce eſſent prædita. Varro.

## Geometriam exercet in ſuperciliis. 52

Γεωμετρεῖ περὶ τὸ ἐπισκύνιον. De iis qui formam fuci adulterio concinnant. Vt enim geometria terram metitur accuratè, ita iſti linea ſtibio nigricante ducta cilia pingunt. Iul. Pollux.

## Herculis ſacrificium. 53

Ἡρακλέους θυσία. Vbi quis munus offert, cui minimè oportet. Fruſtrà Hercules ſacrificarit, qui ipſe cæleſtium numerum auxerit. Heſychius.

Ayuntamiento de Madrid

## Philænidis commentarij. 54

Φιλαινίδος ὑπομνήματα. De ſcriptis impudicis & ſpurcis, qualia Philænidis erant, nimirum ſchemata venerea, qualia item Mileſiaci Ariſtidis, & Muſæi, de quo epigrammatarius. Timæus, Appianus.

## Delphinum patina non capit. 55

Οὐδὲ λεκάνη δελφῖνα χωρεῖ, Non capit delphinum lanx eſcaria. Dictum eſt Amphicratis Athenienſis ſuperbi hominis, cùm Seleuciam Tigranis regiam profugus rogaretur ab oppidanis, vt oratoriæ artis profeſſionem illîc ſuſciperet. Transferri poteſt ad ingenium, quod exile & tenue myſteriorum altiſſimorum capax non eſt: Item ad perſonam, vt ſi quis Eraſmum dicat maiorem fuiſſe, quàm qui in patria à Muſis aliena, & viri doctrinam æſtimare nequeunte obſoleſceret, nimirum lanx illa Delphinum nõ capiebat. Plutarchus.

## Sol non inuidet veſperæ. 56

Ἥλιος ἑσπέρᾳ μὴ φθονεῖ. Qui aliquo in artificio cæteris præcellit, nihil derogatum ſuæ putat exiſtimationi, ſi tenuibus aliquid ex arte ſua accedat lucelli. Philoſtratus.

## Puerorum crepundia. 57

Τὰ παίδων ἀθύρματα, puerorum ſcruta, aut ludicra, res viles nulliúſque momenti. ἀθύρματα puerilia dicuntur munuſcula, Latinè crepundia. Chryſoſtomus, Eunapius.

## Morderi corde. 58

Τὴν καρδίαν δάκνεσθαι, aut ſimpliciter: δάκνεσθαι. Quando animi grauem, & moleſtam ſolicitudinem, & veluti vulnus quoddam indicabimus. Ariſtophanes, Syneſius, Nazianzenus, Procopius, Xenophon, Eurip. Cic. Huius claſſis ſunt, θυμοδακὴς ἄτη, noxa animum mordens, θυμοδακὴς μῦθος, ſermo animum ſaucians, & Latinè morderi. Homerus. Cic.

## Moſis tabulæ. 59

Πλάκες Μώσεως, Moſis abaci. De re inuiolabili, & ſacroſanctæ, auguſtæque reuerentiæ plena. Nazianz.

## Non verbis, at facto opus eſt. 60

Οὐ λόγων ἀγορὰ δεῖται ἑλλάδος, ἀλλ' ἔργων, non verbis indiget Græciæ forum, ſed factis. In Thraſonicè arrogantes,

Ayuntamiento de Madrid

& tumidis verbis cælum ipſum territantes. Suidas.

## Ne cicadam quidem inumbret. 61

Οὐδ' ἂν τέττιγι σκιὰν παρέχοι. quoties alicuius opes elevamus, fama quidem magnas, ſed reipſa exiguas. Xenoph.

## Semel in laqueum vulpes. 62

Ἅπαξ ἀλώπηξ εἰς παγίν. De aſtutis, qui poſt primum errorem non facilè irretiuntur, vti de eo, qui vel coniugij turbas, vel litium moleſtias & ſumptus ſemel expertus eſt. Suidas.

## Auris ferre dedit. 63

Αὔραις φέρειν. De iis, quæ irrita, & obliuione obliterata volumus. Menander hiſtor. Horatius, Virgilius, Theocritus, Gregorius Nazianzenus.

## Tanquam torrens. 64

Ὥσπερ χειμάῤῥους. De eo, quod confertim, & affluenter fit. Demoſthenes, Homerus, Herodotus, Philon Iudæus. Vel, de eo, qui quidquid fortè occurrit, ad ſui defenſionem trahit. Gregorius Nazianzenus, Suidas.

## Lapides loqueris. 65

Pro duris, & auditu grauibus, ac moleſtis verbis. Plautus.

## Gaditanum. 66

Pro molli & effeminato. In Gaditanis puellis laſciuia ſingularis prædicatur. Martialis.

## Cucumere veſcens, chlamydem texito. 67

Τὸν σικυὸν τρώγουσα γύναι, τὴν χλαῖναν ὕφαινε. Contexas mulier, cucumi cum veſcere, lenam. Ne ſedentariæ operę, hoc eſt, textrinæ, tuíque muneris mulier obliuiſcere, cùm pepones ciborum delitias mandis. In eos, qui delitiis à labore auocati, deſides ſuperſedent. Athenæus.

## Tritones piſcinarum. 68

In cupediuoros, ganeones, gulæ proceres, qui piſcinis impendiò delectantur. Luxus antiquitus præcipuè erat in piſcium eſu. Vel in eos, qui potentia ſuffulti, primáſque partes in repub. obtinentes, dignitatibus, officiiſque ciuilibus aſſentatores ſuos ipſorum dictis applaudere doctos, ornant. Cicero.

## Cœni agitator. 69

Βορβοροταράξις, Turbulentus, & ſeditioſus homo, quíque

Ayuntamiento de Madrid

turbis remp. commiſcet, & factionum diſſidia excitat: metaphora ſumpta eſt ab iis, qui lutum & ſterquilinium commouent. Ariſtophanes. Alioqui omne, quod ſordidum eſt, & impurum, prouerbialiter βορβορώδης appellant. Proclus Conſtant. Greg. Nazianz. Gregor. Palama, Chryſoſtomus, Stobæus.

## Præ formicis exilis. 70

Ὑπὲρ τοὺς μύρμηκας ἔντομος. De gracili & ſupra modum tenui, Terentius Iunceas appellat, ſiue ad laudem, ſiue ad vituperium mauis trahere. Syneſius. Sic formicinus gradus, Plauto lentus eſt.

## Floccos demere. 71

Κροκύδας ἀφαιρεῖν. Aſſentari, palpum obtrudere, adulationis gratia quiduis factitare. Familiare eſt enim hoc officii genus adulatoribus, quod nunc κροκυδισμὸν, nunc κροκυλεγμὸν vocant. Ariſtophanes, Heſychius.

## Pugna conſilia ſcindit. 72

Μάχη ἐπιμήδεα κείρει. Quemadmodum in bellis, vbi ad manus vtrinque ventum eſt, conſilia rectè prouiſa ferè turbantur: ita in quauis contentione omnis ingenii vis & acrimonia hebeſcit, ipſaque argumentorum arma antè cogitata, è manibus excutiuntur. Heſychius.

## Cucurbitino capite. 73

Τὴν κεφαλὴν ἔχει ὅσην κολοκύντη. Caput habet quantum cucurbita. In vecordes, & inſulſos, qui etiam vulgo capitones audiunt. Cucurbita ſeſſilis in amplam ſolet aluum intumeſcere. Hermippus Comicus. Similiter Plato Comicus, & Anaxilaus laxo tumore diſtentas tibias, aut digitos, cucumerinos facit. Plaut. Trinumo: Pol. hic quidem fungino genere eſt, capite ſe totum tegit.

## Megabyzi ſermones. 74

Μεγαβύσιοι λόγοι. Superba, & Thraſonicè ac velut elato, magnúmque ſpirante animo dicta: quaſi μεγαφύσιοι. Megabyſus apud Perſas Satrapes fuit, in quibus ferocia plerunque, & impotens ſupercilium ſpectatur.

## Quò curris potiùs, quàm ad ephebum. 75

Ποῖ τρέχεις, ἢ ἐπὶ τὸν ἔφηβον. Quando ſignificare volumus non opus eſſe, vt quis hunc aut illum ſenem, velut ora-

Ayuntamiento de Madrid

culum, conſulat: ſufficere poſſe iuuenem quempiam raræ eruditionis multiiugæque lectionis. Natum ab Apollonio Tyanæo, ſub cuius nomine Æſculapius profeſſus erat gaudere ſe hominibus ſanitatem reſtituere. Itaque vulgus Cilicum negabat ad Æſculapium peregrinationes ampliùs ſuſcipiendas eſſe: ſufficere enim abundè votis præſentem Apollonium, tũ pubertatis annos ingreſſum. Philoſtratus.

## Priuſquam in medulla obriguerit. 76

Πρὶν αὐτὴν τὴν νόσον εἰς τὸν μυελὸν σκιρωθῆναι. Priuſquam morbus in medullam obriguerit. Initio mali occurrendum eſt tempeſtiuè, antequam inueteraſcat. Medulla metaphoricè, quod intimum eſt, dicitur: vnde, medullitus fieri dicitur, quod ex animo intimo fit. Plautus, Varro, Ennius.

## Manſum malè reiicias. 77

Εἴθε φαύλως, ὥσπερ εὗρες, ἀποβάλλοις τὴν ἐνθεσιν. Reiicere vt manſum ſic poſſis, vt es adeptus improbè. Imprecatio in eum, qui facinus aliquod nullo peregit ingenio, ſed temerè, magnámque laudis partem inde, velut ſingularis induſtriæ teſtimonium, quærit: Item in indignos ſplendida aliqua conditione, aut opimo ſacerdotio, aut honoribus, quos malis artibus inuolarint, vel cæcæ deæ beneficio nacti ſint. Dictum fuit in Cleonem, qui rerum feliciter geſtarum gloriam in ſe trãſmouens, in Prytanęo Reip. impendiis vt aleretur, obtinuerat. Suidas.

## Lepus leonem trahit aureo laqueo. 78

Ἕλκει λαγὼς λέοντα χρυσίῳ βρόχῳ. Lepus leonem reſte ductat aurea. In largitiones & munerum corruptelas. Natum à λαγωφθάλμῳ quodam datis muneribus principem corrumpente.

## Obolum ſuper deos euehunt. 79

Καὶ τὸν ὀβολὸν ὑπὲρ τοὺς θεοὺς ἄγουσι μετὰ τῆς ὀφρύος. Et obolum cum ſupercilio ſupra deorum conditionem extollunt. In eos, qui rem contemptam, & vix aſſe dignam, velut inæſtimabilem maximi faciunt, quomodo auari, qui auro honores tantùm non diuinos deferunt.

## Proteruia ignominiam præcedit. 80

Σωπειθῆ προηγεῖται ὕβρις. Proteruia ruinam præcedit. Culpa enim damnoſa eſt. Contrà, qui (vt aiunt) non pec-

Ayuntamiento de Madrid

cat, non luit in corpore. σωματικὴ capitis diminutio vocari poteſt, cùm alicuius fortunæ & ſtatus affliguntur, atteruntúrque. Nazianz.

## Mulierum accipitres. 81

Γυναικοΐερακες. Mulieroſi, & mœchi inſanis amoribus operati, & pudicitiæ muliebri inſidiantes :tractum à rapacitate accipitris. Eunapius.

## Cyclopicum monſtrum. 82

Κυκλώπειον τέρας. De immani, & humanitatis omnis experte. Suidas. Conſimile eſt, τέρας καππαδόκιον, portentum Cappadocicum, de ſcelerato & impoſtore. Cappadocum gentis improbitas, & flagitia, aliis etiam adagiis innotuerunt. Nazianz. Cicero.

## Ventura per dioptram proſpicit. 83

Ταῦτα πρὸ πολλοῦ τῇ διόπτρᾳ συ βλέπεις. Hæc antè multò per dioptram proſpicis. De cordato homine, qui ſagaciter odoratur, & præuidet imminens periculum. διοπτὴρ, ſeu, διόπτρα, inſtrumentum geometricum, quo explorant turrium & propugnaculorum altitudinem, librato per foramen viſu. Piſides.

## Caprarum nomina. 84

Αἰγῶν ὀνόματα. De colluuie rerum conſimilium inutiliter, & friuolè collectarum. Suidas.

## Nihil cunctandum. 85

Οὐχ ἕδρας ἔργον, οὐδ' ἀμβολᾶς. Haud ſeſſione, aut comperendinatione opus eſt. Quoties detrimentoſa eſt cunctatio. Bacchilides apud Athen.

## Cælo tenus altum. 86

Οὐρανομήκης. Pro ſublimi & incomparabili. Philo, Athenæus, Ariſtophanes, Horatius: Huiuſmodi eſt πυργῶσαι, pro in altum euehere, & quaſi turrificare: vnde illud πυργοῦν τὴν φιλοσοφίαν, &, πυργοῦν τὰς κεφαλὰς νόθοις πλοκάμοισι, ex alieno capillo capiti, quaſi turrim ſuperſtruere. Ælianus, Damaſcius, Antipater, Ariſtoph. Nazianzenus.

## Mergorum inſtar. 87

Αἰθυιῶν τρόπον. De inexplebili ingluuie, qualis ab omnibus mergo aui voraciſſimæ tribuitur. Philon.

Ayuntamiento de Madrid

## Ruſticanus Oenomaus. 88

Ἀγροικικῶς Οἰνόμαος. De eo qui magnos ſpiritus ſibi ſumit, & de præclara nobilitate, aut inſigni eruditione ſe iactat, ruſticis alioqui moribus, & è plebe natus, aut proletaria doctrina imbutus. Tractũ aut ab Oenomao Piſeæ ditionis rege, crudeli homine: aut ab Oenomao quem Sophocles in ſcenam produxit. Demoſthenes.

## Ambitioſior Cleophonte. 89

Φιλοτιμότερος κλεοφῶντος. In ſcriptorem ineptum, qui de principatu doctioribus non concedat, alióſque vecordes gloriæ plus æquo ſtudioſos. Cleophon, caſcario patre natus, litterarum ignarus, primas ſibi in Rep. partes Athenis vindicabat. Ariſtophanes.

## Circa terram natat. 90

Περὶ γῆν νήχεται. Ad altiorum contemplationem rerum mentem non erigit, ſed in fluxis totus occupatur, quo modo quidam profanis literis addicti, religioníſque ſtudia à ſe reiicientes: item quorum ſtilus depreſſus, & iacens iis, quos affectus vocant, nuſquam aſſurgit. Petitum à natandi imperitis, qui pelago, aut amni medio credere ſe non audent, ſed vicinam ripam litúſue premunt. Proclus Conſtãt. Quinctilianus, Nazianz. Chryſoſtomus, Heliodorus.

## Inhibere remos. 91

Πρύμναν κρούεσθαι, quaſi remorum niſu puppim obuertere. Quoties ſuperſedere decreuimus, neque vltra pergere, à conſueto curſu deſiſtentes. Nazianz. Nicephorus Call. Quinctilianus.

## Non propter pedis cum lyra diſſidium. 92

Ἀλλ' οὐ διὰ τὴν τοῦ ποδὸς πρὸς τὴν λύραν ἀμετρίαν, non propter pedis à lyra diſſenſum. In eos qui aliam ob cauſſam puniuntur, aut multa afficiuntur quàm ipſi exiſtiment. Plutarchus, Suidas.

## Ventis & ſcripturæ in aqua credere. 93

Ἀνέμοις πιστεύειν, καὶ γράμμασι τοῖς καθ' ὕδατος. Vbi fluxam in aliquo fidem & lubricam notamus, & perfidiam perſtringimus. Nazianzenus.

## Gigantiſare. 94

Γιγαντιᾷν. Gigantum in morem tyrannicè in alios ſta-

tuere, aut pro libidine ſubditis imperare. γιγάντειον ὄνομα, nomen multis ſyllabis connexum: vel nomen latè diuulgatum. γιγάντειαι χεῖρες, validæ, toroſæ, ingentes, ac denique tyrannicæ. γιγαντώδης, homo procera corporis ſtatura, miniméque vulgari. Piſides, Sibylla, epigrammata Græca, Suidas. Gigantes immani corporis mole homines, & propter eximium robur, in reliquum vulgus duriores fuerunt, tyrannidémque affectarunt.

## Echeti imperium. 95

Ἐχέτου ἀρχή. In eum qui acerbè & inhumaniter imperium adminiſtrat, duríſque legibus ſubditos exercet, æquitatis, & clementiæ præparcus. Nazianzenus, Eunapius. Fuit Echetus Epiri rex adeò immanis, vt teſte Heſychio, & auribus & naribus, & pudendis, orbare viatores prætereuntes conſueuerit.

## Simiolum obtueri. 96

Πιθήκειον βλέπειν. Subdolum, & impoſtorum obtutum præ ſe ferre. Nazianzenus.

## Amnis curſum inhibere. 97

Βιάζεσθαι ῥοῦν ποταμοῦ. De eo qui duram & difficilem rem aggreditur, & quaſi impoſſibilem: aut qui vitiis innutritum ad viam virtutis reuocare conatur: aut qui naturam inuitam atque repugnantem aliò compellit. Nazianz.

## Capræ in morem. 98

Αἰγὸς τῆς κορινθιακῆς, inſtar Corinthiacæ capræ, quæ defoſſum dedita opera cultrum, iugulandæ victimæ paratum, ſcalptu vngularum eruit, quo mox concidit mactata. De iis qui ſibi ipſi malorum fontes aperiunt, ſibi exitium accerſunt. Suidas.

## Threicia hirundo labiis inſtrepit. 99

Χείλεσιν ἐπιβρέμεται θρηκία χελιδών, labris immurmurat hirundo Thracia. De indocto & barbaro. Auis obſtrepera, & inepto garritu auribus moleſta hirundo eſt. Ariſtophanes.

## Ignis in vepribus. 100

Πῦρ ἐν ἀκάνθαις, ignis in ſenticeto. De acri diſputatore, qui aduerſariorum argumenta ignis inſtar abſumit. Nazianzenus.

ADAGIO-

Ayuntamiento de Madrid

# ADAGIORVM HADRIANI Iunij Centuria. iij.

## Anima ſicca ſapientiſſima. 1

AἩ ψυχὴ σοφωτάτη:ſiue, αὐγὴ ξηρὴ ψυχὴ [illegible]τάτη, Anima ſicca iubar eſt ſapientiſſimum. Siccitas prudentiæ auctor eſt. nam & aſtra fulgido iubare micantia, itemque arida, eximia prædita eſſe ſapientia, Heraclitus volebat. Animam verò diuinæ particulam auræ multo cibo, potionéque madidam, altum non ſapere, neque ad cæleſtium contemplationem aſſurgere, teſtantur ſcripta non ſolùm Chriſtiana, ſed profana etiam. Syneſius, Clemens Alexand. Stobæus, Philoponus, Nazianzenus, Ælianus, Porphyrius, Ægyptij, Athenienſes, Philon, Triſmegiſtus, Chryſoſtomus, Prudentius, Chaldæus Zoroaſtres.

## Amaro dulce miſtum. 2

Πικρῷ γλυκὺ μεμιγμένον. Vbi eadem res & gaudij & triſtitiæ cauſſam variè nobis exhibet. Plato, Plautus. Cicero γλυκύπικρον dixit, quo alioqui amor deſignatur felle & melle fecundiſſimus. Sappho apud Hephæſtionem.

## Argi tumulus. 3

Ἄργου λόφος. De loco, periculoſæ aleæ pleno: aut negotio difficili capitis diſcrimini obnoxio. Sumptum ab accliui quodam colliculo, apud Argos, quem ἀφῶνα nominabant, vbi perhibent primum Danaum Ægypto, necis à filiabus perpetratæ in fratris filios cauſſam ferentem, publica ad ſubſellia egiſſe plebem. Euripides.

## Volſellis pugnant, non gladiis. 4

In molles homines, quaſi qui malint ſemper eſſe vulſi, raſique læuigato mento, quàm barba formidabiles in pugnam deſcendere. Volſellæ inſtrumenta ſunt euellendis ſtirpitus pilorum radicibus comparata, Græcis τριχολαβίδες ſeu τριχολάβια, & μαδιστήρια nominata. Varro.

## Veſpertinum amant, matutinum oderunt. 5

Ἑσπέριον φιλέουσι, ἀτὰρ στυγέουσι ἑῷον. Veſpertinum adamant, ſed matutinum odêre. In homines lubricam in



Ayuntamiento de Madrid

amicitia fidem ſeruantes: vel in hæredipetas, qui ſenibus, & aniculis occaſui vicinis palpātur. Zezes ex Callimacho. Diuerſum eſt illud Pompeij, plures adorare ſolē orientem quàm occidentem. Plus ſpei in iuuene, quàm decrepito.

### Byſſina verba. 6

Βύσσινα ῥήματα. Verba ſplendida, & cum auctoritate maieſtatéque quadam prolata. Plutarchus. Byſſina veſtis principatus auctoritatíſque primariæ ſymbolum erat.

### Seruus non eſt, qui mortem negligit. 7

Τίς ἐστὶ δοῦλος, τοῦ θανεῖν ἄφροντις ὤν. Haud ſeruus eſt, quicunque mortem deſpuit. Vtetur, qui ad indigniora ſeruitia adigitur à potentiore: aut qui inuito genio dictorum palinodiam canere minis, aut tormentis cogitur. Euripides, Cicero, Clemens, Philon.

### Charadrij vitam viuit 8

Χαραδρίου βίος. De inexplebili gurgite, qui vt multam vini potúſque ſaginam ingerit, ita mox eam deplere ſatagit, vt aliam iniiciat. Plato. Charadrius auis eſt, rupex Gazæ, quæ ſimul & edere, & deiicere putatur.

### Achilleum ſpirat. 9

Ἀχίλλειον πνεῖ. Excelſo eſt animo, & ingenuam nobilitatem toto corporis filo, moribúſque præ ſe fert. Heliodorus. Sic Achillea coma pro cæſarie egregia & ſpiſſa cum quadam nobilitatis opinione, aut faſtus potius: & Achillei pedes, pro velocitate præſtantibus. Martialis.

### Facilius quàm Oreum deuicerint Bœoti. 10

Ῥᾷον τὸ ὠρεὸν ὑπερέβησαν οἱ Βοιωτοί. De expeditione celeriter confecta: vel etiam de re factu procliui. Oreos Euboiæ à Bœotis ſine magna difficultate in ipſorum poteſtatem redacta eſt. Suidas, Apollodorus.

### Cuminum ſerere. 11

Κύμινον σπείρειν dicitur homo virulentæ linguæ, quíque effreni oris petulantia maledicus conuitia diráſque ſeminat. Sophron apud Demetr. Phaleræum. Theophraſtus auctor eſt imprecationibus & maledictis opus eſſe, ſi qui cuminum ſerunt, illud copioſum pulcrumque prouenire velint. Idem Plinius de Ocymo.

Ayuntamiento de Madrid

## Amentata ſententia. 12

Pro valida, firmiſque argumentis roborata. Huic opponitur manipularis, quæ triuialis eſt & pedanea. Illa ab amēto, id eſt lori genere quo haſta præligata certiùs libratur, nomen inuenit: hæc à gregario milite haſtis vtente nullo artificio vallatis. Ambroſius. Cicero amentatas haſtas argumenta dictáque fortia conſimiliter appellauit.

## Perdicis inſtar. 13

Ἔρχεται ἄκων δεῦρο πέρδικος τρόπον. Inuitus huc perdicis inſtar fert gradum. In eum, qui inuitus aduerſante genio locum, aut conditionem mutat. Pherecrates Com. Alluſit ad perdicis naturam, quæ ipſum aucupem aliquando accedit, ſed aut libidine proritata, aut vt illum longiùs à nudo abducat. Plinius lib. 10. cap. 33.

## Fortunatus ſapiens. 14

Ἔστι δ᾽ ἐν εὐτυχίᾳ πανδοξίας ἄκρον. Felicitati & opulentiæ, ſummæ prudentiæ opinio ineſt. Pindarus, Euripides. Vulgus noſtrum ita: Orandum pro diuitum & bene natorum liberis: quòd, ſiue ſapiant, ſiue minùs, illis Reip. munia committenda debeantur.

## Lepus nidum ſuum prodit. 15

Λαγὼς καταγορεῖ τὸν αὑτοῦ φωλεόν. Suiipſius indicium facit lepus. De eo, qui quauis ratione ſe ipſe prodit, quomodo venatori nidum ſuo procurſu lepus.

## Pallenicum tueri. 16

Παλληνικὸν βλέπειν dicuntur, qui magnos ſpiritus præferunt, & maſculum animum. Sumptum à conflictu, quo Gigantes in Phlegræis campis, vbi poſtea Pallene, cum Diis decertarunt.

## Coſæ conſilium. 17

Τοὺς κόσα λόγους βδελύττεται ἢ ἀποπτύει. Coſæ dicta nihil penſi facere, aut deſpuere dicetur fœdifragus, aut alioqui imprudens, ſanis conſiliis non obtemperans. Fuit Coſas iuſtus vir & conſultus: cumque Pellenæi eius conciues fœdus cum Salaminiis ictum violaſſent, non deſiit eos reprehendere, quàm peſtis ſubſecuta, eius conſilium videretur approbaſſe. Suidas.

## Iube factu procliuia. 18



Ayuntamiento de Madrid

Τῶν δυνατῶν τὶ κέλευ, οὐ γὰρ παρὰ κενταύροισι. Præcipe quod facile eſt, nam non es apud Centauros. Quoties imperioſi hominis libidinem caſtigare volumus. Illud, οὐ γὰρ παρὰ κενταύροις εἶ, non malè quadrabit in eum qui cauſam ſuam non æquitate, ſed clamoribus, aut etiam pugnis obtinere vult.

## Extra callem. 19

Ἐκ πάτου, pro ἐκ ποδῶν, procul ex pedibus. Vbi denunciabimus periculi viciniam eſſe cauendam. Tranſlatum à fugitiuorum periculo, quos in trita pedibus via herus facilè aſſequi poſſit, difficiliùs in deuiis locis eos deprehenſurus. Euſtathius.

## Inferorum triacadas. 20

Τὰς ἐν ᾅδου τριακάδας ἐπιζητεῖ. Inferorum triacadas inquirit. In hominem plus æquo curioſum. Stultiſſimum enim, quas Kalendas aut triacadas (ita trigeſimum cuiuſque menſis Thales appellauit) habeant inferi, vano labore indagare. Suidas.

## Simulacrum pictum. 21

Γεγραμμένην εἰκόν' ἑστάναι. Picti ſimulacri in modum ſtare dicemus hominem ſocordem nihilque proficientem, quem Plautus verueceam ſtatuam, vulgus noſtrum ligneam ſtatuam aliter nuncupat. Ariſtophanes.

## Tantali philoteſia. 22

Ταντάλου φιλοτησία. Solebant Indi cubitum ituri maioribus poculis præbibere, quo modo etiamnum ſuis hoſpitibus finita cena Germani, ad conciliandam amicitiam: eiuſque poculi initiator fuit Tãtalus φιλικώτατος ἐν ἀνθρώποις. Itaque cùm amicitiam cum quopiam conflare, aut iniuriæ ſuſpicionem obliterare volentes, poculo eius auſpicium ſancimus, dicemus, ταντάλου φιλοτησία πινέσθω. Philoſt.

## In aſtragalis nobilitas. 23

Ἐν τοῖς ἀστραγάλοις τὴν εὐγένειαν ἔχει. In fumoſas maiorum imagines iactantem, nulláque alia re, quæ virtutem, aut doctrinam commendet, ſpectabilem. Solebant Romani generoſiores in calceis lunulas antiquitatis inſignia Arcadum more, qui ſe luna priores iactitabant, præferre. Philoſtratus.

Ayuntamiento de Madrid

Perdix congregat diuitias ſine iudicio. 24

In auaros, quibus tam deeſt, quod habent, quàm quòd non habent. Quemadmodum enim hæc auis alienis ouis incubat, ſed mox adulterinam genitricem deſerunt pulli prognati ad genuinos parentes reuerſi: ita & auarus malis artibus alienas opes ſibi aggregat, quas mox, aut exprimit iudiciorum æquitas, & veris dominis refundit: aut vſum earum morte priuatus amittit. Ambroſius, Hieremias.

Marſyæ mors. 25

Μαρσύου θάνατος. De immani & ſupra modum crudeli. Marſyas enim phryx tibicen cum Apolline de artis præſtantia contendens, victúſque, proteruiæ pœnas victori dedit, detracto mẽbratim corio, & arbori appẽſo. Eunapius.

Ne ſtilla quidem. 26

Μηδὲ ψακὰς ἦν, pro, Ne tantillum quidem. Ariſtoph. ψακὰς guttula eſt, cuiuſmodi eſt niuis, aut pluuiæ, quam & ψακάδα vocant.

Quem Cos non nutrit, illum nec Ægyptus. 27

Ὃν οὐ θρέψει κῶς, ἐκεῖνον οὐδὲ αἴγυπτος. Quibus plus quàm mediocres fortunæ faſtidio ſunt, eos vix mare bonorum ſaturet. Euſtath. Cos inſula valdè ferax, & pecoris abundans, vnde & nomen habet.

Hinnulus ne cum leone partiatur. 28

Μὴ κατέναντι λέοντος νεβρὸς ἐὼν μοῖραν αἴρεο κρεῶν, ne cum leone hinnulus exiſtens carnium portionem ſortire. Admonet principum potentiorúmque libidini concedendum eſſe. Plato.

E ſpinis vuas colligere. 29

Ἐξ ἀκανθῶν τρυγᾷν σταφυλὴν καὶ σῦκα ἀπὸ βάτων. E ſpinis vindemiam facere, & è rubis ficus colligere. Ex moleſto periculoſóque negotio compendium facere, aut ex dura prouincia diuitem reddi, quo modo Chriſtiani per Chriſti necem in libertatem aſſerti. Clemens.

Quid delphino & boui commune. 30

Τί γὰρ δὴ δελφῖνι, καὶ βοῒ κοινόν. De diſſimilibus miniméque inter ſe conſonis. Suidas.

Eodem laborat morbo. 31



Ayuntamiento de Madrid

Τὴν ἐμὴν χάμνεις νόσον, meo laboras morbo. In eum, qui ſimilibus vitiis ſit obnoxius. Euſtathius. Simile illud Homeri, ὁμὴν δ' ἀνεδέγμεθ' ὀϊζὺν, habet par vulnus vterque.

## Alba præcordia. 32

Λευκὰς φρένας, tribuimus homini ſtolido, & inſulſo, quòd albus color maximè emoueat oculorum ſenſum, ideoque emotæ mentis hominem, & bliteum λευκοινόν dicimus. Pindarus: vbi interpres albas & vadoſas aquas ad prudentiam ſuperficiariam, nigricantes, & profundas ad profundam refert, quo etiam reſpexiſſe Homerum cùm prudenti attribuit φρένας μελαίνας.

## Luce perire liceat. 33

Ἐν δὲ φάει καὶ ὄλεσσον. Vſurpabit, qui malis ſuccumbere non recuſet, modò miſceatur læti quippiam, hoc eſt, mortē non abnuat, dū votis ſuis reſpondeat fortuna. Homerus.

## Laxare fibulam. 34

Pro, anſam miniſtrare, aut feneſtram aperire. Contrarium eſt, imponere fibulam, pro reprimere & coërcere. Tertullianus. Natum, vel à fibula cinguli veſtem adſtringente ſi fluxior, aut remittente ſi ſit adſtrictior: vel à fibulæ adſtrigmento, qua adoleſcentulorum genitalia traiiciebant, tum valetudinis, túm vocis conſeruandæ gratia: de quo Celſus, Martialis, Iuuenalis: quod ſi eſt, torqueri poterunt, & in eum, qui perrupta pudoris lege, nullum libidini ſtatuat modum, & in eum qui contrà.

## Sub tunica & ſinu. 35

Clàm, & occultè, non propatulo. Tertullianus. Simile, prædam, ſeu condemnationes in ſinum conferre, ſeu vertere, pro, ad ſe rapere. Lampridius. Simile item, quod Scaurum rapinis ad ſe rapiendis ditatum Plinius rapinarum Prouincialium ſinum vocat.

## Gradum figere. 36

Pro, conſiſtere, & pertinaciter inhærere, & conſtanter. Tertull.

## Hoc age. 37

Quoties in re ſeria attentionem imperamus. Terentius, Tertullianus, Suetonius. Natum à ſacrorum voce, qua principes aut ſacerdotes à præcone iubebātur relictis

Ayuntamiento de Madrid

ſeriis intenti eſſe ſacris.Plutar.

## Media agina ferri. 38

De eo, quod æquo momento in neutram partem vergente declinat. Sic iudex integer animi æquilibrio in neutram partem pronus, media agina fertur. Tertullianus. Agina illud eſt, in quo trutinæ ſcapus inſertus vertitur: vnde & aginator, homo variarum partium Sexto Pomp. dicitur.

## Igne aliud feruentius. 39

Καὶ πυρὸς ἐστὶ θερμότερα. Quoties indicabimus malas nihil proficere apud earum callentiſſimum: vel vno aliud longè eſſe grauius. Ariſtoph. Euſtathius, Plutarchus.

## Funem contentionis ducere. 40

Litigiis contendere ſiue altercari. Tertullianus.

## De limine offendere. 41

In ipſo ſuſcepti operis primordio peccare. Idem.

## Lapitha. 42

Λαπίθης. Homo faſtuoſus, quíque magnos ſibi ſpiritus ſumendo vulgi animos in ſui admirationem tracturus atque commoturus ſibi videtur. Alluſio eſt non tam ad Lapithas heroas Theſſalos, quam ipſum etymon, dicitur enim παρὰ τὸ τοὺς λαοὺς εἰς ὅτι ἄγειν καὶ ἐπιστρέφειν. Plutarchus, Euſtathius.

## Tabellis obſignatis agere. 43

Conuincere aliquem ſcriptorum ſuorum teſtimonio, ſi diuerſum dicat ab iis, quæ antea ſcripto euulgauit, aut ſenſit. Ductum ab iis, qui, quod ſyngrapha teſtati ſunt, dictum, factúmue negant. Cic.

## Licynij. & Licinium fulmen. 44

Λικυνίους appellamus eos, qui duris modis deſæuiunt, aſperiúſue animaduertunt in quempiam: à Licynio quodam incendiario, qui multorum domos igne crudeliter corrupiſſe dicitur. Euſtathius, Callimachus,

## Bubalus. 45

Βούβαλος, Stupidus, & craſſæ Mineruæ homo, & indocilis. Ioan. Zezes. Locum prouerbio fecit animantis hebetudo.



Ayuntamiento de Madrid

Formicarum nidos inſpirauit. 46

Μυρμηκιᾷν, eſt malum ſibi imprudenter acceſſere, vt illi faciunt qui aperto ore loquuntur in formicarum cauernulas, iis enim, quòd formicæ mortuorum anguium eſu delectentur, à venenato aëre lingua vlcere intumeſcit atque inflatur. Euſthatius.

Da panem & pugnum. 47

Δὸς ἄρτον τυχὸν καὶ κόνδυλον ὄψον ἐπ' αὐτῷ, Porrige, ſi poſſis, panem, hinc obſonia pugnos. In eum qui contentus non eſt moderatis, iiſque quæ debentur. Panis dimenſum ei erat, pugni non contento obſonium ſiebant. Quoties pro exſpectatione bonæ fortunæ diuerſa obtingit ſors. Homerus,

Cyclopica vita, 48

Κυκλώπειος βίος Beata vita & nullius rei indiga, imò bonis omnibus citra laborem affluens. Homerus, Euſtathius, Strabo, Dion Chryſoſtomus. In terra Cyclopum.

Οὔτε φυτεύουσι χερσὶ φυτὸν, οὔτ' ἀρόωσιν,
Ἀλλὰ τά γ' ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα πάντα φύονται.
Non pangunt plantas, non frangunt vomere terram,
Omnia fert tellus non conſita, ſciſſaúe aratro.

Cyclopicus obtutus. 49

Κυκλώπειον βλέμμα, pro toruo & immani adſpectu. Nam Cyclopes ab omni pietate alieni hominum commercia non agnouerant. Suidas. Non abſimilia. Titanicus adſpectus, taurinum tueri. Nicander.

Chius Coum loqui non ſinit. 50

Χῖος παραστὰς Κῷον οὐκ ἐᾷ λέγειν. In rabulam, qui multiloquio os prudentioris obſtruit, nec patitur verba pro ſe facere. Chij leues erant & ſcurriles, Cous contra laudatiſſimorum virorum parens, potes etiam referre ad iactuum teſſerariorum vtilitatem, in quibus χῖος vnionem caniculamúe deſignat, infelix iactus: at κῷος ſenionem, feliciſſimus. Strattides Comicus.

Citiùs, quàm gradatiua. 51

Θᾶττον ἢ βάδην. Quoties inſignem celeritatem & prope-

Ayuntamiento de Madrid

randi ſtudium ſignificabimus. Menander, Plutarchus, Suidas.

## In aſini aures canere. 52

Εἰς ὄνου ὦτα ᾄδειν dicetur, qui indocto & rudi poëma, omnibus numeris abſolutum, orationémue, aut muſicam cantionem oſtendit. Dion hanc originem tradit. Ægyptio Muſico in ſomnis prædictum erat, fore vt aſino in aures caneret. Ille hoc ridens, poſtea à Syrorum rege Memphin ingreſſo accerſitur: ibique, dum ſuæ artis præſtantiam oſtentans, tacere ignominioſè à rege amuſo iuberetur, hoc ipſum, inquit, eſt in aures aſini canere. Quo per interpretem intellecto, verberibus affectus eſt, vnde & bellum poſtea natum.

## Alaudæ in nido gramen latet. 53

Ἔνι κορυδοῦ κοίτῃ σκολιὴ κέχρυπται ἄγρωστις, Ramoſum gramen nido occultatur alaudæ. Quoties effugij, aut ſubſidij ſpem neque dum nos deficere oſtendemus. Solet alauda peculiari amuleto quodam nidum ſuum gramine luſtrare, vt aquila callitricho, lauro palumbes, cornix verbenacha ſupina. Zoroaſtres in Geoponicis Caſſiani Baſſi.

## Alauda non eſt ſine criſta. 54

Οὐδὲ κορυδαλὶς ἄνευ λόφου. Quoties ſignificabimus aliquem non carere ſuis vitiis: aut eximiam virtutem, raramque eruditionem ferè expoſitas eſſe inuidiæ. Eunapius.

## Manu ignauus, mente præſens. 55

Ω ξυμβούλευσιν χερὸς ἀπὸ νοῦς ἐστὶ πρόσω, Mens præſens, ſed abeſt conſilium manibus. De cordato homine, qui conſilium in numerato habet, non perinde manu ſtrenuus. Timocreon apud Hephæſtionem.

## Cerylus euadam. 56

Βάλλε δὲ βάλλε, κήρυλος εἴην. iacias licet, Cerylus euadam. Dictum eſt libidinoſorum, & in voluptate ſummum bonũ ſtatuentium, qui ne mortem quidem deprecentur, modò liceat in mediis amplexibus animam efflare. Cerylus (ita inter Alcedines mas vocatur) in coitu mori ſcribitur, & ſenio defectus à femellis ſubuehi alis. Suid.

## Melanurum perca ſequitur. 57

Ἕπεται πέρκη μελανούρῳ, perca aſſequitur melanurum. In

Ayuntamiento de Madrid

prudentes, qui alieno periculo ſuis rebus cauent: aut ex vnius patrocinio & ſententia toti pendent. Melanurus natura debilis, ita tamen callidus, vt retium ſinus facile eludat, dux eſt præuius percarum agmini. Athenæus, Oppianus, Numenius.

## Vnguento perfundi anum haud decet. 58

Οὐκ ἂν μύρισι γραῦς ἐοῦσ' ἠλείφεο. Cùm ſis anus, haud vnguine imbui decet. Hoc adagio intempeſtiuas alicuius delicias, & luxũ perſtringemus. Plutarchues ex Archilocho.

## Albus dies. 59

Λευκὴ ἡμέρα. Pro felici & læto. Origo fuit faba candida, quæ in exercitu Periclis, Samios obſidente, ſortitò ducta vni ex legionibus ocium, & quietem delicioſam peperit. Hinc λευκὴν ἡμέραν διάγειν dicuntur qui in deliciis vitam degunt. Plutarchus, Sillius Italicus.

## Somno mollius. 60

Ὕπνου μαλακώτερον. De re quapiam inſignis mollitiei. Clemens, Euſtathius, Theocritus, huc ſpectat illud Hermippi, ἰσχάδες ἡδυνώτεραι, caricæ, quarum dulcedo ſomnia vincat, quantumuis ſuauia.

## Teletis animum habet. 61

Ψυχὴν Τέλητος ἔχει. In meticuloſum, qui animi nihil habeat, qualis videtur fuiſſe Teles philoſophis ceteris in hoc nihil diſſimilis. Hermippus Com.

## Omnem lapidem vnctum adorantes. 62

Πάντα λίθον λιπαρὸν προσκυνοῦντες. De iis qui temere & ſine iudicio erga quoſuis afficiuntur, vti de illo, qui verboſum & volubili lingua verborum aliquantum hinc inde è colloquiis Eraſmi conſarcinantem, non minore admiratione, quam virum ad miraculum vſque doctum ſuſpicit, & tantùm non adorat. Clemens. Vnxiſſe veteres & coronaſſe lapides notum ex Minucio, Prud. Lucr.

## Sanguis & anima.

De re impensè nobis grata, & adamata. Stobæus. τ' ἀργύριόν ἐστιν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς, Argentum & anima, & ſanguis eſt mortalibus. Tranſlatum ab amantium thoris, quibus id in ore frequens eſt.

## Plus oculis ſuis. 64

Ayuntamiento de Madrid

Similiter de eo,quod quis vnicè charum habet,quemadmodum omnes oculorum ſenſum. Catullus, Æſchylus, Moſes,Plautus. Alioqui pro ornamento oculus accipitur. Iulian.Cic.Æſchylus,Nazianz.Philon,Pind.

## Malorum abyſſus. 65

Κακῶν βάθος. De extremis calamitatibus. Nazianzenus. Abyſſus altiſſimam primi elementi profunditatem ſignificat, παρὰ τὸ μὴ βύειν,quòd immenſa voragine non occultet ſubiecta, vel quòd perpetuam altitudinem oſtendat, ab.α,intendendi particula.

## Poſtes tranſſcendere. 66

Ὑπερβάθμιον πόδα ῥίπτειν,pedem iniicere tranſſultorium. Pro, incompoſitè & extra modum in aliquam rem inuehi,immodicéque ſe gerere. Suidas, Ariſtoteles, Aretas. Diuerſum eſt βαθμηδὸν ὑπὰρ ἄλλεσθαι,pro,ordine vlterius pergere.Athenæus.

## Humeros licet perdas aquam incernendo. 67

Ἂν ἀπολῇς τοὺς ὤμους ὕδωρ πτίσσων, ὕδωρ ὕδωρ μένει.In eum qui ingrato homini diligentem nauat operam: aut in præceptorem indocilis diſcipuli, cui quidquid inculcatur,diffluit,velut in dolium futile congeſta aqua. Suidas. πτίσσειν eſt contuſum hordeum pinſere, cribroque incernere. vnde πτισάνη.

## Scommata Dionyſiaca. 68

Διονύσια σκώμματα.Conuicia ſcurrilia in hominum mores.A prænimia licentia Bacchanalium, quæ flagitijs & ſcurrarum dicacitate perſtrepebant.Syneſius,Suidas.

## Scæua. 69

Σκαιός,Improbus & ſiniſtræ famæ: vel ſtolidus,& rerum imperitus.Symmachus, Demoſthenes, Ariſtophanes,Æſchilus, Galenus,Philoſtratus. Vnde σκαιεμβατεῖν, ſiniſtrè ingredi,eſt malis artibus,& via haud vulgata inſiſtere.

## Bifrons Mercurius. 70

Ἀμφιπρόσωπος ἑρμᾶς γλυφὸς οἷα, πρόσω τὸ μὲν,ἄλλο δ᾽ὄπισθεν, qualis bifrons Mercurius, aliud coram in os, aliud auerſus loquens. Nazianz. Hermæ,cippi quadranguli erant in biuiis,triuiis,ſuprema parte Mercurij faciem

Ayuntamiento de Madrid

præ ſe ferentes, inferius inſcriptiones viarum ferentium oſtendentes.

## Cum Muſis certare. 71

Ἁμιλλᾶσθαι ταῖς μούσαις dicetur, qui doctrinæ, quam callet, certitudine, cauſſæque bonitate fretus, cum doctiſſimo quoque in diſputationis palæſtram deſcendere non dubitat. Galenus. Simili ſenſu Philon συγκεχορευκότας μούσαις dixit viros litteratos, quaſi qui cum Muſis choros ductitarint.

## Supra Simonidem memor. 72

Ὑπὲρ τὸν σιμωνίδην μνημονικὸς, præ Simonide memoria excellens. Fertur hanc memorandi artem primus oſtendiſſe Simonides Cęus, exemploque illuſtraſſe. Philoſtratus, Ariſtides, Cicero, Quinctilianus.

## Ilio indigna verba. 73

Ἀνανδρ᾽ ἀρήσας, ἰλίου τ᾽ οὐκ ἄξια, Imbelle verbum dixti, & haud dignum Ilio. De verbis parum fortibus, & imbellem animum prodentibus. Troianorum virtus tota Iliade celebratur.

## Ignem ſtipulæ admouere non-tutum. 74

Πῦρ ἐγγὺς καλάμης, οὐκ ἀσφαλὲς, Ignem ſi admoueas ſtipulæ, res plena pericli eſt. Neque iuuenes libidinum magiſtris, neque pueri vino vti debent, quòd inde flammis multò magis exæſtuent. Nazianz.

## Cum mortuis conuerſari. 75

Zenoni Stoico oraculum conſulenti, qua ratione fœlix poſſet euadere, reſponſum eſt, εἰ συγχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς, ſi cum mortuis commercium haberet, quo ſignificabatur veterum aſſidua lectio. Laert. Suidas.

## Sunt & aliæ vulpes. 76

Οὐκ ἐγὼ μόνα κόλουρις, ſiue κόθουρις, ἔντι καὶ ἄλλαι ἀλώπεκες, Non ſola ego ſum vulpes, ſunt & aliæ. Quoties culpam ſolis nobis impoſitam deprecamur, iniuriæ ſuſpicionem etiam aliis communem indicantes. Atque ita vſus eſt Timocreon Rhodius accuſatus quod Medorum partibus eſſet addictior, criménque in Themiſtoclis caput procudit. Heſychius.

## Durei equi ſpeciem præ ſe fert. 77

Ayuntamiento de Madrid

Δυρμὸν τινὸς ἵππου εἴκονα σώζει. De homine multifariis, & diuerſis inter ſe vitiis obnoxio. Illi equo Epei multos Græcorum proceres incluſos fuiſſe notum eſt ex hiſtoria. Clemens.

## Agaſonem vincit. 78

Νικᾷ τὸν ὀνηλάτην. In refractarium, qui monenti obaudiens in præſens diſcrimen ſeſe coniicit. Suidas.

## Inconcuſſa columna. 79

Ἀστεμβὴς κίων. De re pariter & perſona ſingularis conſtantiæ, quam nec ſpe, nec metu poſſis de integritatis ſtatu deiicere. Suidas, Pindarus, Æſchylus. Confine eſt illud Nazianz. ἕως παρῆν ὁ στύλος τῆς ἐκκλησίας, tantiſper, dum præſens erit eccleſiæ columna.

## Coturniculæ animus. 80

Ὀρτυγὸς ψυχὴν ἔχειν dicetur homo puſillanimus, & formidoloſus. Athenæus.

## Acceſſorium operis loco. 81

Πάρεργον ἔργον ποιεῖσθαι, acceſſorium in opus commutare dicuntur, qui plus operæ collocant in negotio leui, quod obiter delibandum erat, quàm in primario præcipuóque inſtituto. Galenus, Plato, Polybius, Clemens, Nazianzenus. Vnde Pior monachus Græcus rogatus, cur obambulando cibum ſumeret, ὅτι, inquit, οὐ βούλομαι τῷ βρώματι ὡς ἔργῳ χρήσασθαι, ἀλλ' ὡς παρέργῳ.

## Aliud problema. 82

Ἄλλο πρόβλημα, alia controuerſia. Vtemur, quando deſceptationi locum eſſe, & opinionem fortè mutaturos nos pro loci & temporis ratione oſtendemus. Cicero.

## Στρεψίμαλλος. 83

Ita blateronem appellabant, feriato malè otio ineptè tempus deterentem, & veluti de lana caprina garrientem: à lana contortos villos habente, & proinde intricata. Euſtathius, Heſychius.

## Inconcuſſa perſequi. 84

Ἕκτορ νῦν σὺ μὲν ὧδε θέεις ἀκίχητα διώκων

Quò diuerſus abis, ſequeris namque irrita curſu?

Homerus. In eum qui ſe temere fatigat.

## Ne propera, nondum ignem calcas. 85

Μὴ σπεῦδ', οὔπω τοι πυρὶ θάλπῃ, Ne propera, nondum premis ignem calce. In temere, atque inconſideratiùs feruido quodam æſtus aliquid perficere properantes. Theocritus. Quomodo etiam vulgò nos: Quid feſtinas? neque enim viuo carboni inſides.

## Achaicum telum. 86

Ἀχαϊκὸν βέλος, quia habile erat, & aptiſſimè collineabat, appellabant coniecturam alicuius artificioſam: aut ſcōma appoſitè mores alicuius perſtringens. Suidas.

## Thorycionem imitatur. 87

Θωρυκίωνα μιμεῖσθαι dicuntur proditores, qui ſuas, amicorúmque res & conſilia hoſtibus produnt, inſtar Thorycionis Ægynetæ, qui in bello Peloponneſiaco hoſtibus linum ad vela, vtres, pelles, picem, pecuniam denique ſuppeditabat, imò vaſa picis plena mittebat ad corrumpendā incendio patriam.

## Herculis cornu. 88

Ἡρακλέους κέρας. De affluentia bonorum omnium. Idem eſt cum adagio illo, Amaltheæ cornu, cuius originem alij referunt ad cornu Acheloi, alterum ab Hercule intra alueum coërcitum, vnde feracitas Ætoliæ: alij ad fœminam Bœotam, quæ ex pecunia bubulo cornu incluſa, Herculi neceſſaria ſuppeditauit: alij ita variè, vt malim te id ex ipſo Iunio diſcere, qui hoc loco, quod ab Eraſmo neglectum erat, diligentia conquirendi egregiè penſauit. Dion Chryſoſtomus, Acron, Porphirius, Dion Pruſiæus, Palephatus, Callim. Scholiaſtes, Theon Alexandrinus, Parmeniſcus, Muſæus, Diodorus, Stobæus, Philoſtratus.

## Lemnius obtutus. 89

Λήμνιον βλέπειν. De truculento, & quaſi igneo adſpectu. Lemnij homines efferi natos ex Atticis fœminis liberos trucidarunt: igne reperto primi tela hominum exitio fabricati ſunt. Euſtathius, Herodotus, Heſychius.

## Cum Protogene mortuo bellum gerit. 90

De eo, qui mortuorum manibus aut ſcripto, aut conuitiis, aut quomodocunque iniurius. Dictum fuit Rhodiorū, cū Demetrius ſpe capiendæ vrbis excidens, ſtatuiſſet ædes quaſdam incendere, in quibus operis pulcerrimi imago, à Protogene illuſtri pictore facta aſſeruabatur. Gellius;

Ayuntamiento de Madrid

Ælianus, Plinius, Epigrammata græca.

## Mercurij catena. 91

Ἑρμαϊκὴ σειρά. De inuictæ eloquentiæ homine. Tractum ab Herculis Ogmij catena auribus hominum inſerta, qua eos circumducebat, quem Herculem Druidæ, & Aegyptij eundem faciunt cum Mercurio. Eunapius, Lucianus.

## Vt egeni, eruum. 92

Ὥσπερ τοῖς σιτοδείαις, οἱ ὄροβοι, id quod in frumenti inopia, eruum. Vbi ſignificabimus boni conſulenda eſſe, qualiacunque ſint deteriora, vbi non adſit meliorum copia. Philoſtratus. Cauſſam prouerbij annonæ caritas iampridem nos ſatis docuit.

## Ne in viginti quidem eſſe poteſt. 93

De abiecto, qui in contemptum venit. Cicero agens de Publio, penes quem ſolum ſumma rei ſteterat, quiq; poſtmodum ne inter viginti quidem primos locum habebat.

## Sub tecto imbrem exaudire. 94

Ὑπὸ στέγῃ πυκνῆς ἀκοῦσαι ψακάδος εὑδούσῃ φρενί, ſub tecto domi Animo ſopito audire denſas ſtillulas. De magna animi tranquillitate, & à curis omnibus vacuitate. Gratiores eſſe ſolent ſomni, cùm pluit, & tecta diſtillant. Sophocles, Heſychius, Stobæus, Cicero.

## Amnis inſtar voluitur. 95

Ὥσπερ Σιμόεις κυλίνδεται, Simoentis inſtar voluitur. De rebus, quæ in exitium præcipites ferũtur: aut fortunis alicuius peſſum euntibus. Ariſtophanes. Simois Troianus eſt fluuius, ex Ida monte delapſus.

## Priuſquam pinſueris farinam ſubigis. 96

Πρὶν ἢ πτίσσαι, τὰ ἄλευρα, ſubaudi μάσσεις, farinam ſubigis, priuſquam triticum à glumis ſepararis. In homines præpoſteros, qui, quod poſtremò factum oportuit primũ omnium faciunt. Euſtathius. Simile illud Suidæ, πρὶν ἢ τοὺς ἰχθῦς ἑλεῖν, σὺ τὴν ἅλμην κυκᾷς, ante captos piſces, ſalem aquæ miſces.

## Nondum incuruam ceruicem Iupiter habet. 97

Θαρσεῖτ', οὔπω Ζεὺς αὐχένα λοξὸν ἔχει, animo cõſtanter habete, Iupiter haud etenim colla retorta gerit. Vtemur eo pud deiectos, & facilè conſternatos, quos in duris durare



Ayuntamiento de Madrid

ſe,& cõfirmare admonebimus. Metaphora eſt à ſupplicibus,qui alicubi incuruiceruici vocantur. Tyrtæus,Philon.

E vipera rurſum vipera naſcitur. 98

E'ξ ἐχίδνης πάλιν ἔχιδνα γίγνεται. In improbi præceptoris,aut patris improbum diſcipulum,aut filium. Stobæus.

Thmuitarum hircus. 99

O' Θμουιτῶν τράγος: De mulieroſo, in quem adhinniunt quodammodo ſcorta,ad vnius nutum parata. Clemens. Thmuitæ,vt alia Ægypti oppida ſua animalia,hircum colebant,eique capras affatim offerebant, vnde iis tam abũdabat hircus,quàm Ganeo meretricibus.

Ventos paſcere. 100

A'νέμους ποιμαίνειν, ventos inſtar ouium agere. De eo qui nihil facit operæpretij. Clemens.

## ADAGIORVM HADRIANI Iunij Centuria. iiij.

Tenedia tegula. 1

TENEΔIOΣ κέραμος,Tenedium fictile.De re fragili,& in qua contrectanda magna ſit opus religione, quali opus eſt in litteris ſacris,& auctoribus, qui aut transferuntur, aut caſtigantur. Dion Chryſ.vbi agit de ſcriptis ſuis, quæ cum omnibus eſſent in ore,aut mutilabãtur, aut mutabantur.Teſtaceorum fragilitas nota eſt.

Agreſtibus oleribus victitat. 2

E'ν θρύσκοισι καὶ βρακάνοις, καὶ σερβίλλοις ζῇ. De ſordido σέρβιλλοι,cardui ſunt ſpecies.Athenæus.

Magis mutus,quàm perdix. 3

A'φωνότερος πέρδικος. Per antiphraſim , de homine impendio loquace:vel indocto,odioſa eorundem iteratione, aures obtundente.Plutarchus.Natiuus auis ſonus eſt,κακκαβίζειν, vbi illud,caca, faſtidioſum eſt.

Lingua quidem ſegnis,ſed dextera viget. 4

Γλῶσσαν μὲν ἀργὴν, χεῖρα δ' εἶχον ἐργάτιν, Ignaua lingua, fortis

Ayuntamiento de Madrid

fortis at manus viget. In hominem doctum paucorum verborum,ſed calamo promptiorem.Sophocles.

### Apud Sirenas,aut Lotophagos hærere. 5

De diu hærentibus peregrè,& velati exoticis delitiis ineſcatis:Item de iis,qui inutili quodam ſtudio omnem ętatem conſumunt.Symmachus. Syrenũ ſcopuli noti. Lotophagi à loto arbore nomen habent,è cuius fructu dulciſſimus latex expreſſus præſentiſs. ſitis remediũ eſt.Polybius.

### Procœmium & exordium rei. 6

A fabulis,vitæ humanæ actiones repræſentantibus, hæc fluxere.προοίμιον ſeu φροίμιον, pro initio rei. Xenophon, Proclus, Eunapius, Nazianz. Philoſt. Athenæus. ἔξοδιον, pro rei exodio,ſeu exitu.Plutarch.Varro. Erat autem poſtremus fabulæ tragicæ cantus, quam egredientes concinebant.ἐπεισόδιον, quod fabulis ciendi riſus cauſſa adiiciebatur,pro quocunque aduentitio. Nazianz. Plutarchus, Heliodorus.δρᾶμα ſeu fabula, pro miſera & calamitoſa ſorte.Nazianzenus,Halicarnaſſæus.

### Phidias amat pacem. 7

Φειδίας προσήκει εἰρήνῃ,Phidias paci ſtudet. Palladiæ artes bellum odere,pacem amant: vel in pace locus eſt parſimoniæ;in bello,vbi maximi & inexhauſti ſumptus ferendi ſunt, nullus. In illa explicatione alluſum ad Mineruam eburneam à Phidia fabricatam:ni hæc torques ad etymon phidiæ,quod eſt ἀπὸ τοῦ φείδεσθαι, ì parcendo.Suidas.

### Leporem frondium crepitus terret. 8

Φύλλων λαγωοὺς ἐκφοβοῦσιν οἱ κτύποι
Ἀνδρὰς δ' ἀνάνδρους αἱ σκιαὶ τῶν πραγμάτων.
Lepus fragore territatur frondium,
Vmbræque rerum timidulos terrent viros.Nazianz.

### Aequalia reddere capita in pugna. 9

Ἴσας ὑσμίνη τὰς κεφαλὰς καθιστάναι.In arbitriũ qui nunc hunc,nunc illum auxiliaribus argumentis ſuppeditatis ſuſtinet in æquilibrio quodam contentionis.Homerus,Nazianzenus.

### Tigranem ſalutare. 10

De eo,cui res eſt,cum faſtuoſo,& potentia elato homine;qui humana ſorte maiorem ſe ducit. Armenij enim re-

d

Ayuntamiento de Madrid

ges,qualis Tigranes, nunquam ſe homines confiteri dignabantur. Cicero.

## Vbi nec Pelopidarum facta. 11

De eo,qui negotia publica fugiens ſe in obſcurum ruſculum abdit:vel qui periculis, aut ære alieno oppreſſus peregrè ſe confert, vbi nec Pelopidarum facta aut famam audiat. Pelopis Tantali filij, eiúſque poſterorum maximũ olim fuit imperium. Cicero.

## Turturis inſtar malè canis. 12

Ποιηρὰ κατὰ τρυγόνα ψάλλεις, turturis ritu dira canis. In egenum, tenuiter & laborioſè victitantem: canit enim maximè turtur, vrgente fame, aut malum poëtam, turturum gemitus æmulantem.

## Cuius nunc calent aræ. 13

ᾧ νῦν θερμοὶ βωμοί. De iis qui per occaſionem in pretio ſunt, aut pro re nata magni fiunt. Ex eo natum, quod ſoleat vulgus nunc huic Diuo, nunc illi addictius eſſe, & æquius. Ariſtoph.

## Abdominis miniſter. 14

Γνάθου τε δοῦλος νηδύος θ' ἑσπημένος, Abdominis miniſter, & ſeruus gulæ. In gulonem & comeſſatorem. Euripides, Athenæus, Galenus, Nazianz. Sic auarum Eunapius vocat βαλαντίων δοῦλον, mancipium marſupiorum.

## Bubulcus anteà, nunc caprarius. 15

Βούτας μὲν ἐλέγευ, νῦν αἰπόλῳ ἀνδρὶ ἔοικας, Caprigeni gregis es ductor, paulò antè bubulcus. De iis qui degenerant, & vel perſonam, vel mores in deterius commutant. Mite animal bos eſt, capræ ſalaces, & intractabiles.

## Aeoliſare. 16

Αἰολίζειν, Pro circumſcribere, & decipere. Æoles enim fraudulenti, & impoſtores, & αἰόλον varietatem ſignificat, vnde mendaciis fucus peti ſolet. Hierocles Alexand. Theocritus.

## Cum Euandri matre loqui. 17

De homine antiquario, obſoleta vocabula, Apuleij delicias, conſectantem. Euandri Arcadis mater Nicoſtrata fuit, aliter Themis dicta, & à carminum oraculis etiam Carmenta. Agellius, cuius & illud eſt in eodem ſenſu. Ius

Ayuntamiento de Madrid

Faunorum & Aboriginum didiciſſe.

Alba linea factum. 18

Quod ſimpliciter,& abſque picturata quadam varietate factum eſt. Tralatio à tabulis monochromatis, vbi nulla pigmentorum varietas oculos paſcit. Agellius.

Puteus ſi hauriatur, melior euadit. 19

Τὰ φρέατα ἀντλούμενα βελτίω γίνεται. ferrum, ſi exteratur, niteſcit: aqua pigra, ſi moueatur, fit limpidior: Ingenium, quo magis excolis & exerces, hoc fit præſtantius. Baſilius, Clemens, Philon.

Λογοδιάρροια. 20

Verborum non concoctorum proluuies, futilis loquacitas, meríſque nugis diffluens multiloquium. Alluſio eſt ad διαρροίαν medicorum, qua non concocta excernuntur. Athenæus.

Quanto verborum ſtillat auro. 21

Symmachi eſt, habétque ſummæ eloquentiæ, & felicis verborum copiæ præconium. Alluſit ad fabulam, qua Iupiter Rhodon aureo imbri perfudit.

Otus & Othus. 22

Ὦτοι, Stultè glorioſi: vel qui ſe patiuntur dictis facilè protelari, inſtar oti ſeu aſionis auiculę, quę ad laudes ſuas ſubſultabunda capitur. Euſtathius. Etymolog. Othus verò, faſtuoſus, & qui gradus, vt ait Plaut. grandit. Marcellinus. Othū & Ephialten Aloei filios, quolibet menſe nouem digitos excreſcentes, cælum inuaſiſſe, auctor eſt Homerus.

Ἀποθυννίζεσθαι. 23

Thunniſari, eſt, quod thynno piſci, edulio minùs probato accidit, vilipendi, ac ἐκφορεῖσθαι. Euſtathius, Lucianus, qui idem θυννώδης craſſum & inſulſum appellat. Non ita commodè Eraſmus.

Neceſſitas linealis. 24

Ἀνάγκαι γραμμικαί. Demonſtrationes certæ ac indubitatæ, & validę. Ariſtoteles, Aphrodiſæus, Quinctil. Priſcianus, Anacreon. Metaphora eſt à Geometris, qui theorematum ſuorum probationes à punctorum & linearum fontibus arceſſunt. Simile eſt, πειθανάγκη pro violenta perſuaſione. Cicero, Eunapius, Suidas.



Ayuntamiento de Madrid

## Lunulæ. 25

Σελήνια, Calui homines: vel quòd cranio extrito, & iubaris inſtar lucido viſantur: vel quòd caluitium, quomodo etiam lunæ forma, variè oſtendatur, nunc ſinciput in cornua diuidens, mox verticem circumſcribens, tandem omnem in orbem caluariam depaſcens. Syneſius.

## Prætextata narratio. 26

Ευπάρυφον διήγημα, pro ſplendida & glorioſa narratione. Cùm enim veſtes viriles apud Græcos duæ eſſent, λευκή, ſeu ἀπόρφυρος, toga pura, & περιπόρφυρος. ſiue εὐπάρυφος, ab attextu purpuræ prætexta, hæc dignitatis atque honoris inſigne erat. Suidas, Plutarch.

## Celaturam olet. 27

Γλυφάνου ὄζει, Scalprum aut cælum olet. De eo, quod nuper admodum abſolutum eſt. Theocritus. Sic inducias aliquot dierum dicit Ariſtoph. ὄζειν πίττης, olere picem, ob naues bellicas pice illitas.

## In Piſa animum confirma. 28

Τήρησον ἐν Πίσῃ τὴν καρδίαν, Eſt eius, qui ſibi aut alteri vbiuis animum addit, certamina olympica quę Piſis Elidos fiebant, in memoriam reuocantis. Syneſius.

### OBSERVATIO GISELINI.

Locum hunc Syneſij Paulus Leopardus legit, & interpretatur in libris Emendationum: τήρησον ἐν πείσῃ τὴν καρδίαν ὥσπερ ὁ ὀδυσσεὺς πρὸς τὴν ἀναγωγίαν: Retine in anchorali fune cor, quemadmodum Vlyſſes &c. id eſt, in conſtantia & firmitudine, qua ſolet eſſe funis anchoralis. Vide infrà, prouerb. 358. πῖσις ὁμηρική, apud Cognatum: vbi ex Hartungi decuria 6. ad eoſdem Homeri verſus reducitur πῖσις ὁμηρική, & exponitur Obedientia Homerica, quod valde miror, cùm Hartungus in Homeri verſu agnoſcat, πείσῃ, non vt Cognatus mutauit, πῖσι. Sed vt doctioribus placet, in Homero, Plutarcho, Syneſio retineri debet πῖσις ſiue πείση, id eſt, πεῖσμα, perſuaſio, mentis certa & obfirmata ſententia. Vocatur autem à Plutarcho πεῖσις ὁμηρική, vel eo modo quo equus Sophocleus, vel quòd ſolus ferè Homerus ea voce ſit vſus.

Ayuntamiento de Madrid

Cari capite nudius. 29

Ψιλότερ⟨ο⟩ι τῆς Κάρυ κεφαλῆς. Dictum eſt Cari Imper. quem cùm Perſæ legati in herba ſtratum, & pulmentum è piſis cum ſalito larido eſitantem repeririſſent, nihil commotus, minatus eſt regi, niſi moderatiùs ageret, ſe omnes eorum ſyluas & campos ſuo capite glabriores effecturum, commonſtrata calua nihilo, quàm galea erat, hirſutiore. Syneſius, Suidas. Vti poterit hac comminatione dux alius. Alioqui quadrabit in ſenem depilem, aut regionem nullo virore herbaceo veſtitam.

Cubitis adoleſcere. 30

Πήχεσι αὐξεάδς, ſeu ἐπιδιδόναι. De eo, qui in re quapiam, aut arte magnos & repentinos facit profectus. Antæus Libycus in 60. cubitos excreuit. De filiis Aloëi iam dixi. Eunapius, Suidas. Non diſſimile illud Machonis comici, qui optauit τειῶν ἔχειν τὸν λάρυγγα πηχῶν, guttur tres cubitos longum.

Non eſt cuiuſuis rectè condire. 31

Οὐ παντὸς ἐστιν ἀρτύσαι καλῶς, Condere ſcitè eſt hercle non cuiuſlibet. Difficile eſt, ſcribentem, aut carmen aut proſam orationem placere & eximiè doctis, & triuialibus. Cratinus Com.

Neceſſariam fortunam terit. 32

Τὴν ἀναγκαίαν τύχην τρίβει. De eo, qui neceſſitati aut potentiori inuitus morem gerit. Amphis Comicus, Sophocles. Simile illud noſtras, Neceſſitatem in virtutem commuta.

Bellerophonte caſtior. 33

Bellerophontes, occiſo Corinthiorum principe, Argos fugiens ad Prœtum, ab vxore eius Antæa ad ſtuprum ſollicitatus eſt, eo quo modo Ioſephus, recuſauit ille adeò, vt ſe ipſe in vitæ diſcrimen coniecerit. Eraſ. in prouerbio Bellerophontis litteræ. Epitomes auctor, ſuo more hiſtoriam ne attingit quidem. Non abluderet illud, Porphyrione caſtior, hæc enim auis adſpecta meretrice mori creditur. Syneſius.

Etiam mater, & ſorores. 34

Α᾽λλὰ καὶ μήτηρ, καὶ ἀδελφαί. Quando citra diſcrimen,



Ayuntamiento de Madrid

aut exemptionem omnes promiſcuè indicare volumus. Syneſius.

## Priuſquam ignitus lapis enatarit. 35

Πρὶν ἢ τὸν μύδρον ἀναφῆναι, priuſquam globus ignitus exſiſtat. Quando aliquid nunquam futurum ſignificabimus. Natum à Phocenſibus, qui deſertores ſuæ claſſis diris exſecrationibus proſecuti, lapidem ignitum in altum mare proiecerunt, adhibitóque iuramento vouerunt nunquam in patriam reuerti, antequàm è mari exſiſteret ille lapis. Callimachus, Herodotus, Ariſtides.

### Observatio Gisel.

Idem ſic effertur à Callimacho; φωκαίων μέχρις κε μένῃ μέγας εἰν ἁλὶ μύδρος.

In Pelago dum ſaxum ingens Phocenſe manebit.

Turnebus. 14. Aduerſ. cap. 21. ex interprete Sophoclis & Callimachi μύδρον accipit pro maſſa ferri. & Herod. 1. μύδρον σιδήρεον κατεπόντωσαν &c. Horatius tamen Epod. 17. vertit, vel potius ſummutauit.

Sed iuremus in hæc: ſimul imis ſaxa renarint
Vadis leuata, ne redire ſit nefas.

## Dum nondum in neruo telum. 36

Φεύγωμεν δυσπρεπὲς ἕως βέλος οὐκ ἐπὶ νευρῇ, Dum nondum inſideat neruo telum fugiamus. Quando ſpem veniæ adhuc ſupereſſe, neque ad extremum periculum perueniſſe indicabimus.

## Scrutarius & ῥωποπώλης. 37

In poſtremæ ſortis hominem, aut vilium mercium ſordidum emptorem. Quid ſcruta ſint, diximus ſuprà. ῥῶπος non admodum differt: eſt enim rerum vilium, minutarum, variarúmque aceruus, qualis eſt confuſanea colorum congeries, quæ pictoribus, vnguentariis, tinctoribúſque vſui eſſe ſolet, vnde ῥωπίζειν, varia confundere eſt, ac imperitè agere. Lucilius, Dionyſius, Heſychius, Euſtathius, Galenus, Plutarch.

## Idem furnus, idem duxit trochus. 38

Αὐτὴ κάμινος, αὐτὸς εἵλκυσε τροχός, Caminus idem duxit, atque eadem rota. De rebus ſibi admodum conſimilibus: profectum ex figulorum officina. Suidas, Heſychius.

Ayuntamiento de Madrid

## Clauis in lingua. 39

Α᾽λλ᾽ ἔςι κἀμοὶ κλεῖς ἐπὶ γλώσσῃ φύλαξ. Et noſtra præfert lingua cuſtodem clauem. Quoties fidam ſilentii ſpem pollicemur. Æſchylus, Clemens, Sophocles, Lucianus.

## Groſſus maturus eſui ineptus. 40

Πέπων δ᾽ ἐρινὸς ἀρχαῖος ὢν εἰς βρῶσιν, ἄλλους ἐξερινάζεις λόγῳ, maturus groſſus eſui ineptus, aliis verbo groſſos excutis. In hominem indoctum, qui doctiores erudire præſumit, quem Varro γεροντοδιδάσκαλον appellat. Groſſus frugiferæ ficui appenſus, pediculis ex ea in groſſos emicantibus, efficit vt perficiantur eius fructus. Sopho. Euſtath. Athen. Suidas.

## Sibi ipſi exitij auctor. 41

Αλλὰ τί ἡ νῦν οὗτος ἀναίτιος ἄλγεα πάσχει
Μὰψ ἕνεκ᾽ ἀλλοτρίων ἀχέων.
Quid verò hîc aliena luit mala, culpam aliorum
Dependens inſons? Homerus, in eos qui innoxii ſe alieno crimini inuoluunt.

## Erroris ſcala. 42

Πλάνης κλιμακτὴρ. Pro origine, & primordio erroris, vnde error natus per gradus quoſdam paulatim adoleuerit in immenſum. Porphyrius, Euſebius. Sic κλιμακηδὸν ἀνιέναι dixit Syneſius, pro, à primis initiis ordine ad altiora pergit.

## Agni lana mollior. 43

Α᾽παλώτερος ἀρνὸς, vel ἀμνῦ χρῶτα τερενώτερος. In placidi ingenii hominem. Simile eſt, Veruece mitior. Aries ferociam omnem caſtratione exuit. Theoc. Epigrammatar. Apuleius, Lucianus.

## Satyrorum rex. 44

Βασιλεὺς σατύρων: homo effrenatæ laſciuiæ, & ſalacitatis. Hermippus Com. Plutarchus: οἱ σάτυροι τῦ διονύσυ ἱεροὶ ὄρθια ἴσχυσι τὰ αἰδοῖα, ξύμβολον τῦ θείυ ὁρμήματος. Aretæus. Hinc σατυρικὸν σκίρτημα, pro laſciua, & ſalace. Helio. Plu.

## Grauiora quàm ab Archidamo Athenienſes. 45

Τότε δὴ χαλεπώτερα πάσχειν φημὶ, ἢ ὑπ᾽ ἀρχιδάμυ τὺς ἀθηναίυς. Grauiora tunc pati merebar, quàm ſub Archidamo Lacedemone Ageſilai filio perpeſſi ſunt Athenienſes,

quando ille inter alia Acharnæ illorum pago omnes vites ſuccidit. Syneſius.

## Verba ſine penu,& pecunia. 46

In oſtentatores opum, quibus tamen nec araneus eſt in arca, nec in crumena teruntium. Plautus.

## Terram ne legas nauigando. 47

Ε'πὶ γῆς μὴ πλεῖν, cautus horreſce nimiùm premendo littus iniquum. Monet Pythagoras vectigalia, ſimiléſque redempturas incertas,& curarum, tumultuúmque plenas contemnendas eſſe. Clemens, Horatius.

## Boreadibus pernicior. 48

Πτερωτεροι ὡς Βορεάδες. De ſumma velocitate. Zetes & Calais Boreæ filij capitibus, pedibúſque pennati fuiſſe criniúmque repando remigio vſi deuolaſſe finguntur. Theognis, Tyrtæus, Themiſtius. Non diſſimile illud, θᾶσσον μὲν οἴσῦ καὶ πτερῦ χωρίζεται, velocius alite penna & ſagitta abit. &, θάσσονες ἀνέμων κυνίδιες, pernicio- res ventis catuli. Menander, Callimachus, Vergilius, Theodoretus, Apollonius.

## Nihil ad medicorum arrogantiam. 49

Οὐδὲν τῶν ἰατρῶν εἰς ἀλαζονείαν. In faſtuoſum, & elato ſupercilio oſtentatorem: ductum videtur à priſcis medicis immodicè arrogantibus. Vnus exemplo eſt Menecrates, qui Iupiter in terris & credi & dici voluit, ſanatóſque in ſuum cælitum numerum adſciſcebat: extat ſuperbiſſima ipſius ad Philippum Macedonem epiſtola. Euphron Com.

## Niue candidius. 50

Χιόνος λευκότερον De re quauis inſignis candoris. Homerus, Matron Parodus, Suidas, Apollinarius, Philoſtratus, Sophocles, Palama. Simile illud Theocriti, λευκοτέρα πακτᾶς, coagulo candidior. Martial.

Toto candidior puella cygno,
Argento, niue, lilio, liguſtro:
Sed quando volo nocte nigriorem,
Formica, pice, graculo, cicada.

## Aſello piſci ſimilis. 51.

Τῷ ὄνῳ ἐοικὼς. De turpi ventris, ſiue abdominis mancipio. Aſellus in omni piſcium genere ſolus cor in ventre

habere dicitur. D. Clemens, Ariſtoteles.

## Antica excluſum poſtica recipere. 52

Τῇ αὐλείῳ ἀποκλείειν, τῇ δὲ παρὰ θύραν εἰσάγειν. Per atrij, ſeu veſtibuli oſtium excludere, per poſticum intromittere. Vbi donum apertis verbis repudiatum conniuenter admittimus: aut cùm ſententiæ, aut opinioni, cui ex profeſſo ſumus refragati, diſſimulanter aſſentimus, atque ſuffragamur. Plutarchus, Galenus: παράθυρος, ianua in hortum excurrens, aliter κηπαία, & ψευδόθυρον dicitur, Latinè etiam poſticum. Cicero, Horatius.

## Tragici cothurni ſtrepitus. 53

Pro oſtentatione & magnicrepa verborum iactantia. Comicorum proprius eſt ſoccus, & humilis ſtylus: Tragicorum cothurnus, & grande ac ſublime dicendi genus. Amm. Marcellinus, Verg. Propertius, Horatius, Theodoritus.

## Venter ſolarium. 54

Quadrabit & hoc in gulonem, qui nulla habita horæ prandendi, aut cœnandi ratione, ventris libidini nuſquam non obtemperat, & quidem nauiter. Marcellinus.

## Buccinam ne in ſomnis quidem. 55

Πολεμίας σάλπιγγος οὐδ' ἐν ὕπνοις ὑπομένων ἀκοῦσαι. Bellicam tubam ne in ſomno quidem audire ſuſtineat. De homine imbelli, & ſupra modum meticuloſo. Plutarchus.

## Offula contentus. 56

Αἰτίζων ἀκόλους, οὐκ ἄορας, οὐδὲ λέβητας. Depoſcens micas, non enſes, néue lebetes. De eo qui tenuem conditionem ambit, quæ propulſandæ fami ſatis ſit. Ἄκολοι minuta panis ſegmenta ſunt, quæ minutius confringi nequeant, παρὰ τὸ κολοῦν, à frangendo. Homer.

## Sacrum ignem inflare illi nefas. 57

Ὧ τὸ ἱερὸν πῦρ οὐκ ἔξεστι φυσῆσαι. De improbo, & ſceleribus operto. Ductum ab igne Veſtæ, quem inſpirare ſoli cuidam Demochari inter Athenienſes non licuit. Timæus Hiſtor.

## Neque Phaſis mala eluat. 58

Οἶμαι γὰρ, οὔτ' ἂν Ἴστρον, οὔτε Φᾶσιν ἂν.
Νίψαι καθαρμῷ τήνδε τὴν στέγην, ὅσα κεύθει.

Ayuntamiento de Madrid

Nec Iſter ipſe, quod reor, nec eluat.

Phaſis, malorum quicquid hæc cælat domus. De malorum multitudine, cui obuiam iri vix poſſit. Sophocles. Maximus Germaniæ fluuius Iſter eſt, vt Colchidos Phaſis.

## Nihil hydropico ſiccius. 59

Οὐδὲν ξηρότερον ὑδρωπικοῦ. Auaro tam deeſt, quod habet, quàm quod non habet: vnde quo plura habet, plura deſiderat. Dionyſius Longinus. Sitire hydropicos, non medicis ſolùm notum eſt, ſed ipſi Horatio etiam, Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops, &c.

## Apertis ianuis. 60

Ἀκλήιστοι θύραι. De obuia & vltronea humanitate. Philoſtratus, Pindarus, Callimachus, Eupolis, Ariſtophanes.

## Θαλλοφόρος. 61

Quaſi ramigerum dicas. De homine ad omnia inutili, præterquam ad ſuggerendos pecori paſcendo ſurculos. Natum à Panathenæa Athenienſium, in qua ſenes oleaginos termites geſtabant. Euſtathius, Xenophon, Iuncus, Ariſtophanes.

## Anui aſſimilis. 62

Γρηὶ καμινοῖ ἶσος. Anui exoletæ, aut foco aſſidenti ſimilis. In blateronem aniliter garrientem: aut vetulam rugis deformem. Homerus, Euſtathius, Ariſtarchus Gramm. & Comanus.

## Fructibus non ſtadiis certare. 63

Καρποῖς, οὐ σταδίοις ἐρίζειν. De loco exili quidem, ſed frugifero: vel de libro mole non magna, ſed eruditionis omnifariæ pleno, quomodo de Perſio iudicauit Martialis. Antiphilus epigram.

## In Ialemos adſcribendus. 64

Εἰς τοὺς ἰαλέμους ἐγγράπτεος. Qui ineptè inſulſéque ſe gerit: fuit enim Ialenus homo inamœnus, matríque Calliopæ diſſimilis dictus, quaſi ὁ ἐν τῇ ἰᾷ ἀλωμένος, quòd in loquela aberraret. Menander, Galenus, Hermogenes.

## Cenſorium ſupercilium. 65

De tetrica, & ſeuera grauitate, qualem Cenſoria dignitas poſtulabat. L. Seneca.

Ayuntamiento de Madrid

## Siphnia arra. 66

Σίφνιος ἀῤῥαβών. Siphnius arrabo. Nota olim erat infamis digiti & impudici. Tracta à moribus fœdis Siphniorum. Heſychius, Suidas. Poteſt etiam pro magni pretii arrabone ſumi, quòd inſulani iſti affluentiſſimi opum fuerint. Herodotus.

## Quaſi mappa miſſa. 67

Quaſi ſigno dato. Tertullianus. Alluſum, ad morem ludis Circenſibus receptum, quo mappa tragœdis vſitata à prætore dimittebatur in ſignum aurigationis, vel certaminis.

## Deſultorius. 68

Quemadmodum incõſtantem inſtabiliſque ingenii hominem deſultorium appellamus, ita multiplicem, & variã leuitatem deſultoriam. Cicero, Martianus Mineus, Tertullianus, Apuleius, Picus Mirand. Had. Iunius. Romani priſci duobus equis in prælio vtebantur, vt defatigato altero, in integrum tranſcenderent. S. Pompeius.

## Mugilis vitam degere. 69

Κεστρέως βίον ζῆν dicitur, qui non habet quod edat, qui inediam patitur. Græci Comici, vt Eubulus, Euphron, Amipſias, Alexis, Diphilus. Mugil, ex omnibus piſcibus ieiunus ſiue famelicus audit, eo quòd nulla eſca, qualis ſit, animata capiatur. Ariſtot.

## Briareus, aliàs lepus. 70

Βριάρεως φαίνεται, ὢν λαγώς. Briareus apparet, cùm ſit lepus. In eos, qui de ſua virtute magnificè crepant, alioqui lepore timidiores, vbi res poſtulat. Poſidippus Com. Briareum Ioui auxiliarem à cæteris Diis per inſidias appetito, centum manibus armauit fabula, vnde ἑκατόγχειρ. Leporis timiditas Adagio 8. huius centuriæ nota eſt.

## Lari vita. 71

Λάρου βίον ζῆν. Pro, lucri gratia maria omnia obire nauigando, vt ſolent mercatores. Ælianus. Larus aliter Gauia, de qua ſuprà.

## Plutus mortuus. 72

Abſtruſas diuitias aliquando τυφλὸν πλοῦτον, cæcum Plutum, aliquando νεκρὸν πλοῦτον, mortuum Plutum

Ayuntamiento de Madrid

appellabant. Sic ipſa pecuniarum repoſitoria, θησαυροτήκεια πλούτου, Pluti carcerem. Philoſtratus.

## Aloadæ. 73

Ἀλωάδας, aut ἀλοϊάδας, ſordidos & auaros appellat Philoſtratus, quód ſepoſitis pecuniis veluti immolent, more Aloëi filiorum, qui Martem vinctum carceri manciparunt, eidem tamen ſacrificantes. D. Paulus eadem de cauſſa idololatras vocat, qui pecuniis ita fidunt, vt ſuis ſimulachris idololatræ.

## Carpathius teſtem. 74

Καρπάθιος τὸν μάρτυρα ſcil. ἐπηγάγετο. Carpathius teſtem adduxit, id eſt productus teſtis ita illi ſucceſſit, vt lepus aduectus in Carpathum inſulam, vide prouerbium in tomo primo, Carpathius leporem. Archilochus.

## Scaperdam trahere. 75

Σκαπέρδαν ἕλκειν eſt duram ſuſcipere prouinciam. Natum à laborioſa attractione, & aduerſarij retractione in quodam ludicro certamine, quod ita habet. Collocatur in circo trabs hominis altitudine, perforata, per foramen traiecto fune, è cuius extremitate religantur vtrinque duo adoleſcentes auerſi, qui valido niſu aſſurgentes, alter alterum in ſublime attrahere ſatagunt, victoriam ille reportat, qui ſupremo ſtipiti alterũ admouerit. Euſtath. Heſych. Pollux.

## In pace leones, in prœlio cerui. 76

In eos, qui pacis tempore ferociunt, militiæ meticuloſi ſunt: aut locupletes, qui priuatos, & inopes ſtrennuè laceſſunt, aduerſus potentiores, aut animoſos ne hiſcere audẽt. Tertullianus, Ariſtoph. Alciphron.

## Per lineam eandem ſerram reciprocare. 77

In eum, qui in eodem argumento immodicus eſt, & veluti cupreſſum ſimulat. Tertullianus.

## Polydamas primus obijciet probrum. 78

Ὤ μοι ἐγών. εἰ μέν κε πύλας, καὶ τείχεα δύω,
Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει.
Hei miſero quid agam? repeto ſi mœnia Troiæ.
Pulidamas probri maculam mihi primus inuret.
Iſta Hectoris re malè geſta monitorem ſuum metuen-

Ayuntamiento de Madrid

tis verba vſurpabit, qui reprehenſionem à patrono, aut alio ſibi caro metuit: aut qui principis viri offenſam vereatur. Homerus, Cicero, Ariſtoteles, Perſius.

## Comicus teſtis. 79

Κωμικὸς μάρτυρ, Teſtis leuis, & ad dicendum teſtimonium facilis, atque obuius: vel quod in comœdiis teſtes è media ſeruorum fæce petantur: vel quòd domeſticus ſit, & coëpulo, à κῶμος, quod comeſſationem ſignificat. Cicero, Suidas.

## Vtroque velo fugere. 80

Τὰ ἱςία ἑκάτερα ἐπαίρειν, vtrumque velum expandere. Quoties ſummæ contentionis ſtudium ſignificabimus. Olim fermè binis velis vtebantur in naui, artemone & dolone. Plutarchus, Syneſius.

## Mercurij virga excitare. 81

Ἑρμοῦ ῥάβδῳ κινεῖν. pro, Vi eloquentiæ eximia animare aliquem & ſopitum excitare. Iulianus apoſtata. De virga Mercurij, Vergilius 4. Æneid.

## Inſanus appenſis pellibus non curatur. 82

Οὐδὲ ὁ μεμηνὼς σκυλίδων ἐξαρτήμασι θεραπεύεται. Stoliditatem non auferunt doctoralia inſignia, nec ingenij vanitatem habitus ſacerdotalis.

### Κυθνώλης. 83

Cythni inſtar perditus. De homine conclamatæ ſpei, quique funditus periit. Cythnum vnam Cycladum Amphitryon Thebanus flamma & ferro depopulatus eſt. Heſychius.

## Veneris expers. 84

Ἀχύθηρος, & ἀναφρόδιτος. Inuenuſtus, Gratiæ & Veneris expers. Cythera Veneris patria nota eſt Eunapius Eiuſdem illud, πάσης σοφίας ἀφροδίτη, omnis eruditionis Venus. Sic Quinctilianus, Sectari Veneres.

## Quid ſole relicto venis. 85

Τίπτ' αὖτ' ὦ δύστηνε λιπὼν φάος ἠελίοιο
Ἤλυθες, ὄφρα ἴδῃς νέκυας καὶ ἀτερπέα χῶρον,
Quid miſer exſangues vmbras, inamœnaque viſis
Paſcua, Titanis lumen vitale relinquens?
In eum, qui ſedem ſalubrem, aut commodam, aut litte-

rario otio deſtinatam cum peſtilente, incommoda, & litiſi ac ambitionis plena commutat. Homerus.

Priamiſare. 86

Πριαμώσθῆναι. De pilos ſibi eradente. Priamus enim in tragedijs ξυρίας, eraſo nouacula capillitio, vt lugentes ſolent, ob Hectorem interfectum introducebatur. Euſtath. Heſychius, Suidas.

Graculo imperſuaſibilior. 87

Ἀπιθανώτερος κολοιοῦ, graculo ad perſuadendum ineptior. De homine diffidente. Natum, quòd hoc auium genus pertinaciſſimè ſe mutuo diligat, alteríque raró ſe aſſociet quod idem iis exitiale ferè. Plutarchus.

Pica Syrenem imitans. 88

De inepto imitatore dixit Galenus, ἃ κίττα τὰν σειρῆνα μιμουμένα.

Ἀμφαξονᾶν. 89

Exorbitare, à recta & vulgata opinione recedere: vel inſtabili doctrina ad quemuis argumẽti crepitum vacillare. ἀμφαξονᾶν enim ſecundum Euſtath. eſt obliquè incedere, ab ἄξονες, orbitæ: vel ſecundum Heſych. & Pauſaniam, labare genibus & inceſſu ſuccidere.

Fundo carens calix. 90

Ἀπυνδάκωτος οὐ τραπέζοῦται κύλιξ, Fundo carens menſis non infertur calix. In profusè liberales & prodigos: vel immodicè linguaces: vtrique enim à menſæ vitæque cõmunione excludendi. Quadrabit & in prægrande poculum, quòd à mẽſa exulare poſtulet homo ſobrius. πύνδαξ & πυθμὴν vaſis fundum ſignificant. Euſtath.

Alcinoi horti. 91

Ἀλκινόου κῆπος, Alcinoi pometum. De loco deliciarum pleno, vel libro erudito, & variæ lectionis diuitiis exculto. Tertullianus. Conſimiliter mẽſam opiparam Nazianz. appellat ἀλκινόοιο τράπεζαν: quomodo idem Tertullianus ſumptuoſam, Ciceronianam, quod Ciceron citrea menſa LLS. bis decem millibus conſtiterit. Plinius.

Iynges. 92

Ἴυγγες. Illecebræ, blandimenta, & lenocinia, vel philtra, incantamenta, & veneficia. Sophocles, Æſchilus Heliodorus, Syneſius, Philoſtratus, Lycophron, Zezes,

Ayuntamiento de Madrid

Porphyrius, Xenophon. Eſt autem Iynx auicula diſcolor, crebro motu ſe circumagens, & ceruicem in orbem flectens, vropygiumque ſuccuſſans, Latinè mortacilla. Eius in incantamẽtis magnus vſus. Quæ alij de ea finxerint, latè Iunius.

Manum peteris, & pedem porrigis. 93

In eum, qui aliud rogatus, aliud quiddam diuerſum oſtentat, & reſpondet. Hieronymus.

Ab alno ſpectat. 94

Ἀπ' αἰγείρου θέα, ab alno ſpectaculum. De eo, qui cùm è propinquo ſpectare nequeat, extrema quærit adiumenta. Commodè dicemus iureconſultum medicæ artis ſecreta veluti ab alno deſpectare. Natum ab alno, Athenienſi theatro propinqua, quam conſcendebat, cui in theatro locus non erat.

Tu ipſe, & liberi tui. 95

Αὐτός τε καὶ τὰ παιδία. Cùm quid accuratè alicui amplectendum, & dignum poſteritate denunciabimus. Plato: ἐὰν δὲ φαίνηται, οἷον οἶμαι αὐτὸ ἐγὼ εἶναι, θαρρῶν δίωκε καὶ ἔσχε τὸ λεγόμενον δὴ τοῦτο, αὐτός τε καὶ τὰ παιδία.

Cornice loquacior. 96

Λαλιστέραν μ' ἔθηκας ἄνθρωπε καὶ κορώνης, Tu me loquaciorem Cornice reddidiſti. In garrulos. Anacreon.

Binis tonderi forficibus. 97

Διπλῇ μαχαίρᾳ κείρεσθαι. In eos, qui ornandæ, & componendæ corporis formæ pluſculum ſtudij impendunt. Iullius Pollux. μάχαιρα hîc idem eſt quod ψαλὶς, forficula tonſoria.

Agreſtis apis.

Ἀγρία μέλιττα. De improbis præter modum, & crudelibus. Ab api, quæ aculeum in vulnere relinquit. Hegeſias Cyrenaicus ἀγρία μέλιττα dictus eſt, quod de morte diſſerens, in magna orationis contentione mortem conſciſcere ſibi multos compulerit. Xenophon Ἀττικὴ μέλιττα dictus eſt. Suidas.

In agrum ſeruus. 99

Εἰς ἀγρὸν μαίνῃς. Vbi indicabimus ſuam cuique artem

Ayuntamiento de Madrid

eſſe tractandam, non in aliena inuolandum. Famuli opera in agris neceſſaria eſt. Heſychius.

### Adſpergere. 100

Πλύνειν, lauare. Pro, conuitiis & maledictis inceſſere. Iulius Pollux, Menander. Ariſtoph. Metaphora à veſtibus ſumpta, quæ lotæ extritæque deterſis ſordibus, produnt panni, aut coloris vitium, ſi quod inſit.

# ADAGIORVM HADRIANI Iunij Centuria. V.

### Myſteria Eleuſinia prophanos celanda. 1

DE rebus haud quaquam triuialibus, ſed arduis dicturi inuidiam deprecabimur illo Lyſidis, βεβάλοις τὰ ταῖν ἐλευσινιαῖν θεαῖν μυστήρια οὐ διηγητέα, prophanis nō eſſe narranda dearū Eleuſiniarum (Cereris, & Proſerpinæ) myſteria. Euripides, Orphæus, Pythagoras, Hippocrates, Ariſtides, Philon, Ariſtophanes. Eodem admonemur, non eſſe magno ſupercilio & illotis pedibus quomodo hodie vulgus facit, accedendum ad explicanda altiſſima ſacræ ſcripturæ myſteria.

### Non è palæſtra. 2

Quicquid parum nitidum eſt, & excultum artis pigmentis, ſed horridum potius ſine nitore & palæſtra, id οὐκ ἐκ παλαίστρας εἶναι dicemus. Conuenit & in eum qui citra exercitationem, aut ingenij cultum eſt facundus, talis diſertus eſt, at non è palæſtra. Alibi ἀπάλαιστρος, ſiue ἀπάλαιστος dicitur. Cicero, Dionyſius Mileſius, & Quinctil. Palæſtra corpus veluti format fingitque, vt ſit habile & venuſtum.

### Equus Sophocleus. 3

Γ'ὥσπερ σοφοκλείῳ ἀγχιπλήσιος. De ſene ætatis quidem vitio defecto, qui tamen animo eſt vegeto, qualem ſeſe Eraſmus noſter dedit. Parœmiæ origo fluxit ex loco quodam Sophoclis, vbi equum annis grauem, aures tamen ſurrigentem

Ayuntamiento de Madrid

gentem laudat. Philoſtratus.

Iſtic vellus non carpitur. 4

Παρ᾽ ἐμοὶ πόκος οὐ κνάπτεται, Apud me vellus non deglubitur. Ita Xenocrates hominem Geometriæ & Aſtronomiæ prorſus rudem à ſe abegit, negans primam lanificij partem apud ſe exerceri. Conuenit, vbi vir doctus ſordidam prouinciam detrectat: aut cùm alius quis alienam & alterius loci operam à ſe reiicit.

Quid lecytho cum ſtrophio. 5

Τί λήκυθος καὶ στρόφιον. De diſſimilibus & abſonis, Suidas. Affine hoc, τίς δ᾽ κατόπτρου καὶ ξίφους κοινωνία; quid ſpeculi commercij cum gladio?

Quantum aquila culicem. 6

Ὅσον αἰγύπιος τὴν ἐμπίδα νικᾷ, quantum ſuperat vultur culicem. Quoties ingens diſcrimen ingeniorum, aut aliarum rerum indicabimus. Philetes, Αἰγύπιος vultur de genere aquilarum eſt.

Βλιτομάμμας. 7

Hominem fatuum ita appellat Ariſtophanes, à blito inſipido olere, vnde βλίτωνας, bliteos vocat ſtolidos. Heſychius.

Lacrymas ſopitas excitas. 8

Τί δάκρυον εὕδον ἐγείρεις, Quid lacrymas pergis reuocare ſepultas? In conturbatorem, qui iniuriam obliteratam renouat, aut dolorem ſopitum refricat. Callimachus, Suidas, Sophocles.

Cubitis metiri, vt Nili incrementa. 9

Πήχεσι διαμετρεῖν, ὥσπερ τὰς Νείλου ἀναβάσεις. Indicauit eo Philoſtratus excellentem viri eloquentiam, cuius magnitudinem & incrementum non punctis, ſed cubitalibus menſuris explorare liceat. Transferri poteſt ad iudicij humani moroſitatem diuerſimodam. Vt enim Nili gurgites augeſcentes quotannis, non vnum intra modum conſiſtunt, (non tamen infra octo nec altiùs ſexdecim extolluntur:) ita nec eodem modo iudicamus. Quem enim ille ambroſia alendum cenſet, hic in ordinem cogit, alius moderatius de eo ſentit. De Nilo vide Plinium.

Quantum vel Midam ſatiarit. 10



Ayuntamiento de Madrid

Ὅσον ἱκανὸν ἦν ἐμπλῆσαι καὶ τὸ ἐκ μύθου μίδου. De immenſa pecuniæ vi. Eunapius. Tale alliud Heliodori, τοσαῦτα ἦν, ὡς καὶ ληστρικὴν κορέσαι πλεονεξίαν, vt vel prædonũ inſatiabilitatem exſaturare poſſet.

Nauis ſcopulum deprecatur. 11

Ναῦς ἱκετεύει πέτρας, Nauis cauti ſupplicat. De ſtupidis & inſulſis: vel quando inexorabilem quis deprecatur. Scopuli cæci ſub vndis, non parcunt illiſis nauibus. Suidas.

Neoclide furacior. 12

Νεοκλείδου κλεπτίστερος. In inſigniter furacem. Neoclidẽ cæcũ dicit Ariſtophanes furando longe ſuperare vidẽtes.

Larus fortunà ſuperior eſt. 13

Ὁ χαύνης τῆς τύχης ὑπερέχει. De plura poſſidentibus quàm neceſſitas requirat. De laro yoraci aui, quæ Græcis eſt χαύνης & χάυνηξ, ſuprà Suidas.

Epirotico cane vehementiùs. 14

Σκληρότερον ἠπειρώτου κυνός. In Sycophantam & odioſè loquacem. Syneſius. Epirotici canes, magni, robuſti, & celeres, aliter dicti Moloſſi à gente Epiri, cui cùm Pluto imperaret, canes habuit Cerberum & Orthum fratres.

Fuci. 15

Κηφῆνες. Qui alienis inſidiantur laboribus. Menander hiſtor. Procopius, Simocatus, Hippoc. Heſiodus, Donatus.

Saturnia vita. 19

Κρόνιος βίος, Beata, & luxus exotici dolíque ignara verè aureo ſeculo digna. Damaſcius. De regno Saturni Ouid. in Metam.

Flumina in terram commutat. 17

Χοῦν ποιεῖ τὰ ῥεῖθρα, πηλοῖ δὲ τοὺς λίθους, Amnes humum facit, mutat ſaxa in lacus. In præpoſterè omnia facientes: aut in magnicrepos, qui ex cloaca arcem faciunt: fortaſſe & in eum, qui ſaxea corda oratione ad pœnitentiam commutat, & vento quouis mobilia confirmat. Xerxes Athon montem nauigabilem fecit, fluuiosque ſiccis pedibus reddidit permeabiles. Piſides.

Tydeus corpore, animo Hercules. 18

Τὸ μὲν σῶμα τυδεὺς, ἡρακλῆς δὲ τὴν ψυχήν. De puſillæ ſtaturæ homine, ſed animo infracto. Menander hiſtoricus.

Tritogenes filius, non Tritogenia. 19

Ayuntamiento de Madrid

Παῖς μοὶ τριτογένης εἴη, μὴ τριτογένεια, Sit mihi Tritogenes gnatus, non Tritogenia. Deprecantis fœmineum imperium. Minerua maſcula virgo, & homini virile robur addere credebatur. Referri poteſt ad minoris impendij votum. Viri enim minore impenſa educantur, quàm puellæ & fœminæ. Suidas.

## Rureſtris locuſta. 20

Ἀγροτεία μάντις. De otioſo & reſide ſegni. μάντις locuſtæ genus eſt, è cuius tardo inceſſu futurorum euentus quidam captabant. Suidas.

## Ad genua venire. 21

Ἐπὶ γόνυ κλίνεσθαι. Peſſum ire, & ſuccumbere. Procopius, Æſchylus. Similiter dixit Herodotus, ἐς γόνυ βάλλει pro peſſundare.

## Extibiatus ſenex. 22

Παρεξηυλημένος. Senex inutilis adminiſtrationi rerum. Metaphora eſt à linguis tibiarum longo vſu detritis. Euſtatius, Ariſtophanes. Sic Euphronius dixit παρεξηυλημένον νοῦν, ingenium ſegne & hebes. Syneſius, τοὺς ἐξηυλημένους τὰ ὦτα, ἐπιτρέπει τὶς ἠχὼ καὶ πεπαυμένου τοῦ μέλους, quibus extibiatæ ſunt aures, his obuerſatur Echo quædam, finito etiamnum cantu.

## Coquus malè condiens. 23

Μάγειρος πονηρῶς ἀρτύων. Philoſtratus extulit de erudito, inſcitè & perperam pronunciante. Sic contrà pollicentes non aliquid rectè curaturos eſſe, vtemur illo Sophoclis: ἐγὼ μάγειρος ἀρτύσω σοφῶς. ego vt coquus peritè condiã.

## Hippocratis liberis cedit. 24

Τοῖς Ἱπποκράτους υἱέσιν εἴκει. De inepto & ſtolidi ingenij homine. Ariſtophanes, Eupolis, Galenus. Filos Hippocratis ſtultitiæ nomine rident Comici ob immoderatum calorem.

## Habenas iniicere. 25

Οὐ γάρ ποτ᾽ ἄνδρα τὸν σοφὸν γυναικὶ χρὴ
Δοῦναι χαλινούς, οὐδ᾽ ἀφέντ᾽ ἐᾶν κρατεῖν.
Iniicere frenos coniugi haud virum decet
Catum, nec imperium illi laxando dare.

Habenas igitur iniicere vtraque lingua compeſcere eſt,



Ayuntamiento de Madrid

& impetum ſiſtere:laxare verò indulgere,& permittere libertatem. Euripides, Philoſt. Gregorius, Plutarchus, Nazianz.Vergilius,Petronius Arb. Æſchylus.

## Achilleum votum. 26

Ἀχίλλειος ἀρά. Votum efficax, quo ad innocentiæ faciẽdam fidem, noſtri deſiderium ingratis obrepere precamur. Vſurpauit Budæus ex primo Iliados Hom. vbi ad Agamemnonem conuerſus,inquit,

Ἦ ποτ' ἀχιλλῆος ποθὴ ἵξεται υἷας ἀχαιῶν

Graiugenas deſiderium olim tanget Achillis.

## Nubem ſubmouere. 27

Νέφος παράγειν. Obſcuris rebus lucem addere, & perſpicuitatem. Iulianus, Proclus, Olympiodorus. Diuerſum ab hoc eſt, διασκεδᾶν τὸ νέφος τοῦ μετώπου, demere ſupercilio nubem. Anaxandrides. Euripides Horatius.

## Vter faſtu plenus. 28

Κενῆς οἰήσιος ἐμπλεῖος ἀσκός, Vter, quem impleuit opinio vana. In hominem faſtu turgidum: vel eum qui à concepta opinione non facilè recedit. Timon Phliaſius, Syneſius, Eunapius, Epicharmus Comicus.

## Darij opes. 29

Δαρείου πλοῦτος. De immenſis diuitiis. Syneſius.

## Sinopiſſare.

Σινωπίσαι. De iis, qui præ ſe ferunt, quod reuera non ſunt. Tractum à moribus Sinopes ſcorti, quæ anus cùm eſſet, fuci & purpuriſſi tectorio pro formoſiſſima ſe proſtituebat. Demoſthenes. Sic προσκήνιον, pro eo quod foris ſpecioſum apparet, intus multa fœditate ſordet, Comici veteres.

## Molones. 31

Μόλων. De homine ingenti corpore, & prægrandi ſtatura. Ariſtophanes. Fabula Molionidarum, Euriti ſcilicet, & Cteati bicorporium, coſtarumque tenus coalitorum nota eſt ex Euſtathio. Eóque Nazianz. & Plutarchus μολιονίδας de concordi fratrum iugo extulerunt.

## Melanthio delicatior. 32

Κνισσοτέρος τοῦ μελανθίου De helluone luxui dedito. Athenæus. Tractum à Melantho inter procos Penelopes nobili decoctore: vel à Melanthio poëta tragico ὀψοφάγῳ

Ayuntamiento de Madrid

inſigni, quem aiunt exoptaſſe olorinum collum, quo ſic diutius dapum ſenſu frueretur.

Vulpina lingua. 33

Κινκὸς γλῶσσα, Pro doloſa & ſimulatoria lingua, à vulpis ingenio, quæ inter alia nomina etiam κινκὸς vocatur. Callimachus, Nicander, Pindarus. Notat etiam Heſychius κιδαφεὺς, iſtiuſmodi fraudulentos appellari, à κιδάφη, quod vulpem, & κιδαφεύειν, quod vulpinari deſignat.

Multa noris, quibus deum fallas. 34

Πολλὰ καὶ εἰδείης, οἷς τ' θεὸν ἐξαπατήσαις.

Multa ſcias, queis vel celeſtia numina fallas.

In improbos planos: ſeu fraudulentos prouinciarum expilatores, nouas ſemper emungendæ pecuniæ tendiculas ingenioſè comminiſcentes.

Simone rapacior. 35

Σιμῶνος ἁρπακτικώτερος. Suidas. Fuit Simon ſophiſta pecuniæ publicæ depeculator; homo periurus. Ariſtophanes innuens furti contagium, vel in ſpectatores illius ſolos tranſire, nedum illos qui cum ipſo commercium haberent ait,

Ὅπου ἴδωσι σίμωνα, λύκοι ἐξαίφνης ἐγένοντο.

Vbi Simonem viderint, lupi confeſtim euadunt.

Ex eodem lare. 36

Ἐκ μιᾶς ἑστίας. Ex vno & eodem lare, pro, ex eodem principio, & origine, Syneſius, Ariſtides, Cōment. in Aratū.

Γαλῆν γαλῆν ὁρῶ. 37

Scomma in eos, qui, quæ cæſura intercipiuntur, non rectè pronunciant, neque diſtingunt. Tractum ab Hegelocho hiſtrione, qui agens Oreſten Euripidis, verſum illū ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις αὖ γαλήν' ὁρῶ, deficiente ſpiritu, minus articulatè diſtinguens ſynalæphen, non γαληνὰ, ſed γαλῆν viſus eſt pronunciare. Illuſerunt ei Comici plerique, imprimis Strattides, & Sanyrion.

Polypus, ſcopulo affixus. 38

Πετροφυὴς πολύπους. Homo ſtudiis, aut alij rei ita affixus, vt nullis inde machinis auelli queat. Menander Byſantius, Nazianz.

Scapha lignea. 39



Ayuntamiento de Madrid

Ξυλικύμβη. Femina nulla formæ venuſtate, aut decora corporis proportione prædita, ſtupida ſcilicet vt lignum, inconcinna vt cymba. Euſtath.

## Glomerare inglomerabilia. 40

Κλώθειν τὰ ἀσύγκλωστα. Coniungere res longè diuerſiſſimas, & quæ omnino nexum fugiunt. Metaphora ſumpta eſt à textricibus & filatricibus. Syneſius agẽs de iis qui politicam adminiſtrationem ſacerdotij muneri anneƈtũt, quos alibi Cyrillus ait μιγνύειν τὰ ἄμικτα, miſcere immiſta.

## Sirenibus ad perſuadendum aptior. 41

Σειρήνων εὐπειθέστερος. De efficaci eloquẽtia. Achilles Alexandrinus. Quin & σειρὴν pro illecebra, & dicendi vi ponitur Heliodorus, Philoſtr. Pauſanias, Syneſius. Fuere autẽ Sirenes pſaltriæ, & meretriculæ hoſpitum illices propter vocis ſuauitatem, eoſque à reditus memoria alienantes.

## Atlanticum mare cotyla exſorbere. 42

Κοτύλῃ τὸ ἀτλαντικὸν ἅπαν ἐκφορῆσαι πέλαγος. Simocatus, de re ſupra modum difficili. Cotyla ſex cyathos capiebat.

## Iuſiurandum, emplaſtrum debiti. 43

Iuriſiurandi ſacramento tanquam emplaſtro quopiam æſtuantem irati creditoris ſtomachum comprimere ſolemus, vnà cum excuſationibus ſanƈtiſſimas pollicitationes afferentes. Laberius mimographus. Cognatum eſt illud Simocati. ὅρκος ἀπάτης ὄργανον σοφιστὴς ἐστιν ἀξιόχρεως, Iuſiurandum eſt egregius artifex doli.

## Aduerſo æſtu. 44

Ἀνὰ ῥοῦν χωρεῖν dicitur qui ex ampliſſimis fortunis deieƈtus ad egeſtatem redigitur. Contrà κατὰ ῥοῦν φέρεσθαι, cui proſperè in vita omnia eueniunt. Euſtathius, Plautus, Ariſtides.

## Thyeſtæa cena. 45

Θυέστου τράπεζα ἢ δεῖπνον. Pro immiti & cruento epulo: aut pro crudeli ſpeƈtaculo. Athenag. Euſebius, Oppian. Philon, Martialis. Adagii origo fabula eſt non ignota, qua Atreus Thyeſtæ fratri ſuos liberos epulandos appoſuiſſe narratur.

Ayuntamiento de Madrid

## Pardalis exuuium induere. 49

Παρδαλέην ἐνημμένος, dici poteſt homo verſipellis, & ingenio varius, ac vafer. Variis enim maculis diſtincta eſt pardi pellis. Euſtathius. Sic ἀλωπεκῆν ἐνημμένος, fraudulentus, λυκέην ἐνημμένος, rapax, νεβρίδα ἐνημμένος, timidus hinnuli inſtar non ineptè vocabitur.

## Malum ſectionis egens. 47

Πήματα τομῶντα. De malis extremis, & ingentibus, cuiuſmodi ſunt putrida vulnera, ſola nouaculæ inciſione medicabilia. Sophocles.

## Vmbræ me prohibent. 48

Τῆλέ με εἴργουσι ψυχαὶ εἴδωλα καμόντων.

Méque abigunt vmbræ larualia ſpectra virorum.

Ita, Patroclus apud Homerum ſe inferis excludi conqueritur ob denegatum ſibi humationis officium. Quadrabit, vbi cuiuſpiam negotia à vilibus homunculis impediuntur. Torquebitur item in ſtrigoſos & exſangues, vmbris pallore ſimiles.

## Habenas ignarus, non tractet. 49

Μὴ θιγῇς ἡνιῶν παιδίον ἄπειρος ὤν, Ne frena tractes inſcius cùm ſis puer. Ita à negotio arduo quempiam ei prouinciæ imparem deterrebimus. Clemens, Ouidius.

## Non omnia per bouem obtinebis. 50

Μὴ πάντα κατὰ βοὸς ἕξεις, Boue mactato non omnia habebis. Non votis neque ſuppliciis muliebribus auxilia parãtur deorum, ſed vigilando, agendo, bene conſulendo proſperè omnia cedunt, vbi ſocordiæ atque ignauiæ te tradideris, nequicquam Deos implores. Saluſtius, Æſchylus.

## Teredo oſſium cor ſollicitum. 51

Νοῦς ἐμμέριμνος σὴς βιβρώσκων ὀστᾶ, Mens plena curarum teredo eſt oſſa edens. Nazianzenus, Solomon.

## Bupali odium. 52

Βουπάλειον στύγος. De odio acerbo, & inexpiabili, quale erat, quo Hipponactem Epheſium poëtam Bupalus Chius proſecutus eſt, quanquàm infelici conatu. Nam maledicos ïambos poëtæ concoquere haud potis laqueo ſibi gulam fregit. Leonides epigramm.

## Bupalia pugna. 53



Ayuntamiento de Madrid

Βουπάλειος μάχη. Pro virulento & dentato ſcripto, quo virulentiæ habenas omneis in quempiam effundimus. Iulianus.

## Pergama triſtia non incolit. 54

Καὶ δοκεῖτε δὴ ναίειν ἀπενθῆ πέργαμα.

Habitare non triſte Ilium vos remini.

In eos qui læta ſibi omnia augurantur, quique ob fœlicem rerum ſucceſſum tantùm non ſibi Dij videntur. Origo ſumpta à Troia adhuc fortunata, opibus florente, & totius Aſiæ imperio potita. Æſchylus.

## Matreæ belluam alit. 55

In hominem inuidum, liuore percitum. Solebat Matreas quidam Alexandrinus hoc ænigmate ludere dictitans, ſe θηρίον τι τρέφειν, ὅπερ αὐτὸ ἑαυτὸ ἐσθίει, belluam alere ſeipſam comedentem. Talis bellua Polypus eſt, rodit enim ſuam carnem fame adacta. Talis item inuidia eſt, quæ, vt ille ait, macreſcit alterius rebus opimis, Euſtathius ex Athenæo.

## Tempeſtas ingruit. 56

Αἰγὶς ἔρχεται. Quando ſignificamus obuiam eundum eſſe imminenti periculo. Pherecrates Comicus. Similis ille verſus prouerbialis.

Ἄρ' ἄρνα μέλαιναν παῖδες ἐξενέγκατε,
Τυφὼς γὰρ ἐκβαίνειν παρασκευάζεται.
Huc expedite gnati ouem nigram ocyùs,
Nam turbidus Typho molitur exitum.

Cenſebant autem rituales libri tempeſtates, cælique iniurias mactata atra bidente procurandas, atra, inquam; quòd Diis læuis & inferis color furuus gratior ſit, vt ſuperis Diis candidus. Typhon nimbus eſt è nubibus erumpens, nautis admodum formidoloſus. Vnde Heliod. ἐγὼ δ' ὥσπερ τυφῶνι βληθεὶς, ἀπόπληκτος ἑστήκειν. At ego attonitus ſteterã, velut typhone ictus. Verg. Val. Flaccus, Arnobius, Porphyrius.

## Andromachen ex anguibus concinnare. 57

Ἐξ ὄφεων τὴν Ἀνδρομάχην διασκευάζειν, Anguium plexu Andromachen exornare dicitur, qui ad cauſſæ ſuæ confirmationem, aut ad operis ſui ornamentũ omnia vndique

Ayuntamiento de Madrid

adminicula congerit. Nicephorus. ὄφις ornamentum capitis eſt, quod crinium volutis lubrico ſpirarum implexu, in modum anguium inerrantibus faſtigiatur, quo ornamento Andromache alioqui ſtatura longiſſima, multo longior videbatur. Iuuenalis.

## Inſtar olympicæ tubæ. 58

Ὡς ἡ ὀλυμπικὴ σάλπιγξ. De acri & vehementi concionatore, cuius dicta non aures modò radunt, ſed intima quoque animi penetralia altiùs commouent. Philoſtratus, Sophocles, Syneſius, Nazianzenus.

## Mariandynus tibicen. 59

Μαριανδυνὸς θρηνητήρ. De cantore flebiles modos inſonante: vel poëtaſtro inamœni, & indocti carminis ſcriptore. Euſtathius, Aeſchylus. Sunt autem Mariandyni gens Pontica, nomen habens à Mariandyno Aeolenſi, inſigni lugubris concentus artifice. Quin & fiſtulas ibi natas luctui appoſitiſſimas fuiſſe aiunt: vnde ille Anapeſticus prouerbialis, in hominem ſecū diſcordem, αὐλεῖ μαριανδυνοῖς καλάμοις, κρούων ἰαστί, ſpirat Mariandynis calamis Ionicos modos ſonans.

## Myſorum more inclama. 60

Μύσιον ἐπιβοᾶν. Pro, eiulare & fletu omnia miſcere dixit Aeſchylus, & item Simonides: Barbari namque, vt Phryges & Myſij, ob natiuam vocis aſperitatem olim ad funebres pompas ad ciendum luctum expetiti erant.

## Serpentem foues, & is te. 61

De eo qui aut filium malæ frugis educat, aut improbam meretricem, aut dogma impium animæ perniciem amplectitur & fouet. Natū ex oraculo Apoll. Tyanæi, qui à Menippo Licio à Lamia quadam tenellè adamato conſultus, O formoſe, inquit, & à formoſis expetite, ὄφιν θάλπεις καὶ σὲ ὄφις. mox oſtendit illius ſponſam eſſe meram imaginem, & materię ſolùm ſimulacrum, ex numero Empuſarum, quæ Veneris appetentiſſimę humanas carnes ardenter expetant, & Veneri ineſcent eos, quos poſtea ſint deglubituræ. Philoſtratus, Babrius, Aeſchylus.

## Ter ſex iacit. 62

Τρὶς ἓξ βάλλειν dicitur cui ex animi ſententia omnia

proſperrimè cedunt. Natum ex eo, quod olim in trium cuborum iactu treis ſeniones ieciſſe, fortunatiſſimũ erat. Suidas, Æſchylus.

## Lacrymæ Simonidis. 63

De re flebili & miſeratione digna. Simonides inter poëtas θρηνῳδοὺς, qui nænias & carmina cum lamentatione extrema mortuo accinenda ſcripſerunt, præcipui nominis fuit. Catullus, Ariſtides.

## Theatrum ſimul aperit, & claudit. 64

Ὁ μὲν τι ἀνοίξας καὶ κλείσας τὸ θέατρον dici poteſt, vel qui ſingulare aliquid proponens, orationem ſubitò aliò conuertit: vel homo ſordidus, qui ſpem oſtẽtat domi, ſed mox reuocat. Heliodorus.

## In repagulis ſtare. 65

Ἐφ᾽ ὑσπλήγγος. De eo qui in procinctu ſtat paratus. Ioſephus, Suidas. In ſtadio, locus, vnde curſum auſpicabantur, tranſuerſario fune, quo curſores & quadrigæ primum tubæ ſignum attentè exſpectantes coërcebantur, excluſus Græcis ὕσπληγξ, βατὴρ, βαλβὶς, ἀφετηρία, & ἱππάφεσις vocatur, nobis carceres dicuntur & repagula.

## Veluti Mineruæ calculus. 66

Herodes Atticus, ait Philoſt. καὶ τὸν Ἀριστοκλέα ἤδη ὥσπερ τις ἀθηνᾶς ψῆφος, vidit etiam Ariſtoclem, velut quidam Mineruæ calculus, nimirum ad faciendam fidem illius eruditionis, dignatus eum honorifica ſalutatione, atque ita veluti comprobans præclaram de illo exiſtimationem. Vtemur illo & nos, cùm quis primarij iudicis calculo abſoluitur: aut quoties docti, vel principis viri iudicium accedit ad laudem alterius. Origo eius refertur ad Oreſtæ iudicium, qui, cùm pares eſſent calculi & damnatorij & liberantes, Mineruæ calculo alteri parti accedente abſolutus à crimine fuit. Ariſtides.

## Ieiunium olet. 67

Νηστείας ὄζειν dicuntur, quibus grauis eſt anima & putridum olens. Ieiuni ob ſpiritus & excrementa pituitoſa requie putrentia graui ſunt halitu. Ariſtot. Cæcilius, Plautus, Martialis.

## Tricas conduplicare Tellenias. 68

Ayuntamiento de Madrid

In eos,qui meris, & ineptiſſimis nugis occupantur. A Tellene nugaci verſificatore natum,qui ſuis frigidis dicteriis innotuit.Varro,Arnobius.

Ἀπέραμνος. 69

Ἀπεράμνυς,& ἀπέγκτυς prouerbialiter vocant ſaxeos & duræ ceruicis homines,quaſi dicas non teneros & macerationi ineptos: metaphora à leguminibus ſumpta, quæ ægrè concoctionem admittunt, ſic ἦθος ἀλέραμνον mores inhumanos;κῆρ ἀλέραμνον,pectus ad credendum immobile,ψυχάς ἀλέγκτους animos duros & immites dicũt. Hom. Theoc.Ariſtoph.Theoph.Plat.Aeſchy.Polyb.Ælian. Suidas,Eunapius,& Nazianzenus.

Saturnius oculus. 70

Ὄμμα κρόνιον εἰς τὸ οἶκον ἐνέσκηψε,In familiam meam Saturnius oculus incubuit.De inſigni calamitate,& ineluctabili exitio intelligitur, ſumpta occaſione à Saturni ſideris malefica poteſtate.Heliodorus,Porphyrius.

Purior ſalillo. 71

Comparatio prouerbialis de quacũque re inculpata,& integra.Summam veteres puritatem ſali tribuebant. Catullus,Perſius.

Attica hoſtilitas. 72

Ἀττικὴ ἔχθρα. De exitiali odio, aut crudeli facinore. Cauſſam adagio dedit Progne,Pãdionis Athenarũ regis filia, quæ Tereo Thracũ regi innupta filium vnicũ Ityn patri epulandum appoſuit,vnde odium erupit, & marito & illi ipſi exitiale.Heliod.

Sphingis ænigmata diſſoluit. 73

Νῦν σφίγγος γρίφους οἰδίπους ἐφρασάμην, Nunc Sphingis nodos Oepidus explicuit.Quadrabit in eum qui recondita auctorum ſenſa, & tenebroſos locos dexterè explanat. Alcæus,Alexis,Quinctil.Fabula Sphingis, vt vulgo nota eſt, à Palephato prolixè narratur. Verior hiſtoria eſt apud Nicophorum, de qua quid Iunius cenſuerit,ipſum conſule.

Neruos frangere. 74

Νευροκοπεῖν.Pro,animi conſtantiã labefactare,& ſententiam,quam quis firmam habuerit, ſubuertere. Hermias,

Ayuntamiento de Madrid

Quinctilianus. Nerui enim tam Græcis quam Latinis pro robore, & viribus accipiuntur. Demoſth. Cic. Piſides, Dion, Olympiodorus. Simile, ἐκνευρίζειν, eneruare, pro, debilitare. Cydonius, Suidas, Plutarchus, Philo.

## Cyrenæus videris. 75

Ἄνθρωπος εἶναί μοι κυρηναῖος δοκεῖς. Videris eſſe vir Cyrenæus mihi. Athenæus ex Alexide vſurpauit in hominem inexhauſtæ lectionis. Torqueas in quoſuis quauis ratione inexpletos.

## Lateritius. 76

Πλίνθινος, pro, vili, & qui nullius frugis, aut penſi habeatur. Ælianus, Suetonius, Eſaias. Eſt autem πλίνθος, ſiue later, quadratura glebæ argillaceæ, luteæue, quàm ſolis ardor durauerit, quæque luteſcit facilè aquis reſoluta. Quod ſi acceſſerit ignis: πλινθὸς ὀπτὴ ſiue later coctilis dicitur. Æquè prouerbialiter appellauit Cicero negotium luteum, quod nullius eſt momenti. Æquè item Martialis, in quendam materiam arduam humiliter tractantem.

Tu, inquit, magnus luteum Gaure Giganta facis.

## Ne corticem quidem dederit. 77

Οὐδὲ περὶ ῥίζης δρύφαλα ποντιάδος. Fragmina radicis litoreæ haud dederit. Parthenii eſt in ſordidum & auarum: δρύφαλον cortex eſt arboris dilibratus: aut etiam quiſquiliæ quælibet & fragmenta, ἀπὸ τοῦ δρύπτειν, quod lancinare ſonat.

## Potes tacere. 78

Δύνασαι σιωπᾶν. In eos qui clanculum inter ſe muſſitant, ne ſilentii fides prodatur. Confictum eſt à Phœnicide Megarenſi in Pyrrhum & Antigonum ſocietatem adeò arcanè ineuntes, vt ne ſcribis quidem credita fuerit eius fides. Heſychius.

## In Catonium agi. 79

De eo videtur poſſe dici, qui in periculum exilio proximum coniicitur. Cic. Catonium deriuatum à tetrico & triſti Catonis ingenio, alluditque ad Græcorum χθόνιον, ita vt pro tetro carcere accipi poſſe videatur, præſertim in illo Laberii.

Ayuntamiento de Madrid

## Obseru. Gisselini.

Annotat hoc loco Iunius Charonium apud Areteum legi pro ſpecu exitiali, & inferorum faucibus. Cui non diſſimile eſt quod ex Mureti commento adfert Manutius, nempè Charonium vocatam eſſe ianuam quandam Nomophylacii, per quam damnati adducebantur ad mortem, teſte Polluce lib. 8. Vero tamen ſimilius videtur, quod veterum librorum fides nobis commendat, Catonium, vel Catomium: nam omninò Gellii verba poſtulant vocem nouam vel obſoletam & maculantem ex ſordidiore vulgi vſu poſitam, vt ſunt Elutriare, Labandria, &c. & in hanc ſententiam adnotaſſe neſcio quid memini Turnebum, ſuſpicatúmque eſſe, eandem huius vocis eſſe conſignationem, quæ eſt vocis Catuius, quod genus vinculi, apud Feſtum, dictum etiam Canis apud Catullum, Plautum, alios.

Tollet bona fide vos Orcus nudas in Catonium.

## Arenam ſuperat. 80

Κόνις, ψάμμος, ψάμαθος, ἠμαθώδης, ψαμμοκόσια, arenæ in infinitatis ſignificationem frequentiſſimo vſu trahuntur ab auctoribus vtraque lingua. Præter comicos & epigrammatographos. Vergil. Catul. Callimachus, Anacreon, Flaccus, Nazianz. Varro, Pindarus, Marcellinus, ſacræ litteræ, Hom. Conſimilis eſt ſignificatio multitudinis in foliis, minutila pluuia, niue, aſtris, fluctibus & capitis pilis, propter eorum ſpiſſitatem: νιφάδεσσιν ἐοικότες, ἢ ἰσαίεθμοι τείρεσιν. Quàm nix ſpiſſa cadit cælo, aut quot ſidera lucent.

## Ne bæon piſcis moleſtus ſit. 81

Μή μοι βαιὼν χαχχόσῃ ἰχθῦς. Ne Bæon piſciculus mihi noxam pariat. Competet in hominem aſpernabundum, & delicati moroſique ingenii, qui communia & vulgaria faſtidiat. Bæon enim piſciculus eſt gobio perſimilis, alio nomine βλέννος à βλέννα, mucco, vilis planè & ingrati ſaporis. Auctor etymolog.

## Cum vulpe habens commercium, dolos caue. 82

Κερδοῖ σχυὼν, τὴν κερδοσύνην προσδόκα. Cauendi mali, ne aut impoſtura exitio tibi ſit, aut ne in mores tranſeat

Ayuntamiento de Madrid

contagium. κερδὼ vulpes eſt, quaſi κερχὼ, à ſpiſſæ caudæ tractu, vel ab aſtutia lucrandi. κέρδος lucrum eſt, vnde κερδαλέος, fraudulentus. Suidas.

## Mandrabuli in morem. 83

Cùm apud multas nationes certa animantia ſuis diis ſacra occidere religio eſſet? Mandrabulus ouem Samiæ Iunoni ſacram, quòd ſacrilegum olim eius templo balatu ſuo arcuiſſet, inconſultè mactare auſus eſt. Vnde in præpoſterè aliquid factitantes dictum videtur. Ita Ælianus. Aliter Eraſmus.

## Pro pede xenium. 84

Τοῦτό σοι ἀντὶ ποδὸς ξεινήιον. Iſtud habe xenium pede pro bouis. In eos quibus malum pro malo rependitur. Verba ſunt apud Hom. bubulci Vlyſſis Cteſippo ſagitta traiecto inſultantis, vt munus illud accipiat pro bubulo pede, quem ille mendicanti Vliſſi impegerat paulò antè. Euſtath.

## Ἐκκυβεύειν, aleam iacere. 85

Pro, periculum facere, & experiri ancipiti quodam Marte. Polybius, Suidas, Ammianus, Æſchylus.

## Senex fathiſcens 86

ὦ γέρον ἦ μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταὶ,
Σὴ δὲ βίη λέλυται, χαλεπὸν δέ σε γῆρας ὀπάζει,
Ἠπεδανὸς δὲ νύ τοι θεράπων: βραδέες δέ τοι ἵπποι.
Caſſe ſenex, iuuenum te bellica dextra laceſſit,
Fractus es, & vires conſumptæ abière ſenocta:
Cornipedes curſu tardi, ſegniſque miniſter.

Hæc verba Diomedis Neſtorem admonentis vt prælio excedat, aptè torquebuntur in hominem, iuuentæ flore præclarum artificem, qui ſenectutis vitio defectus, paria cum iunioribus poſthac facere nequeat. Euſtathius.

## Vti nutrices lamiam. 87

Ὥσπερ αἱ τίτθαι δεικνύμεναι τὴν λαμίαν, inſtar nutricum lamiam pueris obiicientium. Quoties inanes minas ad territandum ſolùm comparatas innuere volumus. Dion Chryſ. Lamia quaſi λαιμία à prægrandi ingluuie nomen habet.

## Bilem vomere. 88

Ayuntamiento de Madrid

Χολὴν ἐμεῖν dicuntur, qui moleſtiam animo & auribus ingratam concipiunt. Plutarch. Natum à ventriculi natura, qui aliquid faſtidiens, bilem innatantem reiicit.

E media flamma ſeruare. 89

Ἐκ μέσου πυρὸς τὴν ἄνδρα σώζειν dicuntur, qui aut litibus irretitum, aut aliis periculis implicitum, explicant. Referendum videtur ad Æneam, qui patrem ardēte Troia humeris extulit. Ariſtides.

Immortales Gratiarum horti. 90

Ἀκήρατοι χαρίτων κῆποι. Gratitudinis ſignificatio eſt. Nam beneficii memoria in accipientis animo virere ſemper ac immortalis eſſe debet. Vnde Thaliæ quæ vna Gratiarum eſt, nomen à virore eſt inditum. Trahi poteſt ad perſonam, ſi dicamus virum æterna dignum memoria, in Charitum hortis immortalibus viuere. Ariſtides. Plutarch.

Archilochia vulpes. 91

Ἀρχιλόχου ἀλώπηξ. In verſipellem & aſtutiæ plenum. Dion Chryſ. Baſilius, Herennius, Philon, Plato, Themiſtius. Natum inde, quòd in vulpeculæ fabula plurimus fuerit Archilochus in carminibus aduerſus Lycamben.

Verueceus. 92

Κριόμυξοι. Stupidi ſunt & inſulſi iudicii homines, veluti veruecino mucco ſcatentes. Iuuenalis, Galen. Huc ſpectat illud Hermippi, de eo, qui plus habet in receſſu, quàm primore fronte promittat.

Τὴν μὲν διάλεκτον καὶ τὸ πρόσωπον ἀμνίου
Ἔχειν δοκεῖς: τὰ δ᾽ ἔνδον οὐδὲν διαφέρεις δράκοντος.
Loquelam habere pecudis & faciem mihi
Videris, aſt intus latet prudens draco.

Phœnicis inſtar reuiuiſcere. 93

Κατὰ φοίνικα ἀναβιώσκεσθαι. De eo qui morbis, curis, alitérue emaciatus ad ſe redit, factus viuidior: aut de vrbe ruinoſa in nouam faciem reſtituta. Ariſtides. Phœnicis hiſtoria ex Artemidoro, Lactantio & Claudiano ſatis nota eſt.

Suis typus. 94

Ὑὸς τύπος. In hominem inuenuſtum, cui rictus ſuis inſtar protuberat: vel in ſtupidum, qui primore etiam frōte facilè

Ayuntamiento de Madrid

præ ſe ferat qualis ſit. Euſtathius.

Ἀποσκορακίζειν. 95

Idem adagium eſt cum illo ſuprà, βάλλειν ἐς κόρακας, ad coruos relegare, ſed quia vnica voce profertur, elegantius & venuſtius. Clemens, Heliodorus, Syneſius, Etymologicus, Eſaias. Illius origo varia eſt, à quibuſdam ad fabulam graculi Æſopici refertur, ab aliis ad coruos arte gypſatos pro albis inauſpicatò conſpectos, ab aliis aliò.

## Qualis hera, talis & canis. 96

Οἵα δέσποινα, τοιάδε χ' ἡ κύων. In impudicæ, & ebrioſæ matris libidinoſam & temulentam filiam. Clemens, Greg. Palama.

## Gyaro dignum. 97

Aude aliquid Breuibus, Gyaris, & carcere dignum, pro facinore audaci, & cum periculo coniuncto, quod Græci ῥιψοκίνδυνον vocant. Iuuenalis. Breuia, maris loca ſunt vadoſa naufragiis infamia. Gyaros inſula eſt inter Cycladas, immitis, & ſine hominum cultu.

## Regula rectior. 98

Κανόνος ὀρθότερος, regula rectior: ςάθμης ἀκριβέστερος amuſſi exactior. Hyperbolæ ſunt prouerbiales. Nicarchus loquens de gibboſo, quem medicus corrigere volens, circumpoſitis aſſeribus eliſa anima rectum fecerat. Theognis, Sophocles.

## Mel ſummis digitis delibandum. 99

Χρὴ τοῦ μέλιτος ἄκρῳ δακτύλῳ, ἀλλὰ μὴ πολλῇ χειρὶ γεύεσθαι. Tranſlationibus aliiſque deliciis, quibus oratio ornatur, parcè vtendum eſt, non affluenter. Idem eſt de omnibus voluptatibus: moderatus proinde rei alicuius vſus hîc commendatur. Philoſtratus.

Ἐνδόσιμον. 100

Pro anſa, & occaſione quam arripere decet, vt τῆς ὥρας ἐνδόσιμον ἐπιτηρεῖν, opportuni temporis occaſionem obſeruare. Heliodorus, Iulianus, Syneſius, Ariſtoteles. Propriè ſignat carmen nauticum, quod κελευστὴς remigibus acclamaturis præibat? Heſychio citharæ præludium eſt, quod ante cantilenam prælibari ſolet. Alii aliter.

ADA-

Ayuntamiento de Madrid

# ADAGIORVM HADRIANI Iunij Centuria. vj.

## Polycleti norma. 1

POΛYKΛEI'TEIOΣ κανὼν, Polycletea norma. Homo omnibus numeris abſolutus, opus ad vnguem factum, res extra controuerſiam perfecta. Natum à Polycleti commentario, quo abſoluti operis ſpecimen artificibus præſcripſit, itemque eiuſdem ſtatua abſolutiſſima, quibus ambobus κανόνος nomen inditum fuit ab auctore. Galenus. Sic & per ſe κανὼν ſiue norma ſumitur. Suidas, Eunapius, Hieronymus, Martialis, Thucidides.

## Pro virgine cerua. 2

Α'ντὶ παρθένυ ἔλαφος, loco virginis cerua. Quoties præter opinionem inſperatum quid accidit: aut quoties aliud pro alio fraudulenter ſubſtituitur. Achilles Statius. Natum ab fabula Iphigeniæ, quæ cùm in Aulide ad aram Dianæ ſtaret, futura deæ victima, ipſa quidem repentè euanuit, & in Tauricam deuecta eſt, immolata eius loco ſuppoſiticia cerua. Eurip.

## Fulmenta lectum ſcandunt. 3

Quoties ſeruus aut cliens ſupra herum vel patronum haberi præſumit: aut cùm alioqui præpoſterè aliquid fit, tum fulmenta, id eſt, fulcra ſuſtentando lecto deſtinata onus ipſa lecti eſſe velle, & ab eo portari quodam modo dicemus. Varro.

## Tantali menſa. 4

Ταντάλυ τράπεζα. De re, qua frui non liceat. Ach. Statius. Nota eſt fabula de Tantalo in mediis vndis ſitiente, & imminentibus ori ipſius pomis frui non potente. Petron. Arbiter.

## Voce optato. 5

Μετὰ φωνῆς ἔυχω, voce precator. Hoc Pythagoræ ſymbolo admonebimus nihil iniuſtum petendum eſſe, ſed vota noſtra debere eſſe liberalia, quæque nullus facere dubitaret pluribus etiam conſciis. Natum à peruerſo multo-



Ayuntamiento de Madrid

rum ingenio, qui taciti apud ſe pudenda, votóque omni maiora in dies flagitant, quæ coram aliis clara voce poſtulare vereantur. Clemens, Cic.

## Ad fores venire. 6

Ἐπὶ θύρας ἥκειν dicuntur opes, honores, dignitates, Muſæ, aliáque, quæ vltro non ambienti ſeſe offerunt. Philoſt. Natum ab amantibus, qui amaſiarum ianuas frequentare & ſertis exornare ſolent: vel à diſcipulis præceptorum ad limina ſtudioſè ventitantibus. Ariſtides. Eandem parœmiam & nos Belgæ habemus.

## Vnum alueare. 7

Ἓν κηρίον, vnum, idemque alueare. De ſociis coniuratis, qui, aut iiſdem ſtudiis addicti ſunt, aut ſimilibus ſceleribus operti. Suidas.

## Ceræ inſtar. 8

Κηροῦ δίκην. De molli: aut tabeſcente. Eunapius, Pſalmiſtes, Chryſoſt. Simile illud κηροῦ εὐπλαστότερον, cera tractabilius, aut fingi aptius. Damaſcius. Quin & à lurido ceræ pallore manauit verbum κηριοθῆναι, præ metu impalleſcere, cæreumque euadere.

## Bucula. 9

Βοίδης. Menandro dicitur homo fatuus & ignauus, cuiuſmodi etiam ἀμνοκῶν Ariſtophani vocatur, quaſi νοῶν ὡς ἀμνός, agnina ſapientia præditus, alioqui κῶν pecudem ſeu ouem Cares vocant.

## Tanquam in nocturno prœlio. 10

Ὥσπερ ἐν νυκτομαχίᾳ. Cùm imprudentes & obiter in aliquam materiam incidimus: aut cùm oſtendimus nos haud quaquam obſcurè cum quopiam congredi velle, & diſſimulanter, vt alios fallamus, ſed aperto Marte, & in clara quodammodo luce. Syneſius, Nazianzenus, Nicephorus.

## Abderologus. 11

Ἀβδηρολόγος. Stultiloquus, qui nænias meraſque nugas effutiens ingenii inopiam prodit. Tatianus, Arnobius. Abderitani Thraciæ populus, fatui habebantur, & frigidæ ſtoliditatis pleni. Sic & ἀβδηριτικὸν Ciceroni eſt ſtolidum & friuolum.

## Camelus pyrrhicam didicerit. 12

Ayuntamiento de Madrid

Η' κάμηλος πυῤῥίχην ἔμαθε Κινησίου, pyrricham Cineſiæ camelus didicerit. Vtemur, vbi quis repugnante natura & genio quid aggreditur, hoc modo. Diſcit camelus pyrricham Cineſiæ: vel hoc: Camelus citiùs pyrricham Cineſiæ didicerit, quàm caudex iſte litteras. Cyneſias poëta pyrricham conſcripſit, ad quam decurſus modulatus fieret, lege carminis conflata è breuibus ferme pedibus, qui vel inde, vel à mobilitate ignea pyrrichii dicuntur. Ariſtophanis interpretes.

## Eleuſina ſeruat, quod oſtendat. 13

Eleuſina ſeruat, quod oſtendat reuiſentibus. Rerum natura ſacra ſua non ſimul tradit. Hoc Senecæ dicto ſignificabimus non ſemel, & vnica vice effundendas eſſe omnes eruditionis opes. Eleuſina Atticæ locus Eleuſiniæ Cereris fano nobilis, quo prima frumenti ſatio inuecta fuit, ἀπὸ τὸ ἐλεύθειν: eam Atticæ ſacrarium appellat Apuleius.

## Medea immanior. 14

Μηδείας ἀπηνέστερος. Prouerbialis hyperbole in exſecrandam crudelitatem. Simocatus. Medæa Aeætæ Colchorum regis filia poſt occiſum Abſyrtum fratrem, poſtea proprios liberos ex Iaſone ſuſceptos iugulauit.

## Taurica ara crudelior. 15

Similis hyperbole in illo Iuuenalis, Mæotide ſæuior ara Ægyptus: vbi Mæotidem aram vocat Tauricæ Dianæ delubrum ad oſtium Mæotidis, ad cuius aram viui homines aduenæ immolabantur. Strabo, Val. Flaccus, Ouid. Mela.

## Num fratri bene eſt? 16

Μή τι τ' ἀδελφῷ συ καλόν; Num rectè ſe habent res fratris tui? Sciſcitatio hæc quadrat in hæredipetas, & inuidos homines, qui alterius rebus opimis impalleſcunt: aut qui omnem mouent lapidem, vt alienam conditionem intercipiant. Natum à Typhone, qui Oſiridis fratris ſui opibus inſidiabatur, ad imperium per fas nefáſque adſpirans, atque ita præ inuidia macreſcens, quod eo loco eſſent res fratris. Syneſius.

## Nemo comatus, qui non præciditur. 17

Οὐδεὶς κομήτης, ὅστις οὐ ψηνίζεται. Omnes qui cutis mollitiē, calamiſtraturā, alioſq; corporis cultus impēſè deamāt,



Ayuntamiento de Madrid

molles & fracti cenſentur, & παθικὸν quiddam, ſi non corpore, animo ſaltem, præ ſe ferunt. Syneſius, Suidas.

OBSERV. GISEL.

Ψηνίζεται, caprificatur, ſeu culices rotundos patitur: vt ad caprificationem adludatur, in qua culices è caprificis euolantes, & in ficos penetrantes, maturitatem afferunt. Vnde ἐψηνισμένη, mulier iuciens, & partui vicina. Turneb. 24. Aduerſ. cap. 8.

## Smyrnæi mores. 18

Σμυρναῖος τρόπος. De gente aut homine bellicoſo, pacis tempore diſſoluto. Smyrnæi in dies luxui indulgebant: ſed in bello ferociores erant, quàm vt multis expediret eius rei periculum facere. Ariſtides.

## Capra cinnamomum. 19

Η' αἶξ κιννάμωμον ſequitur, vel amat. In eos qui rem aliquam impenſè depereunt. Euſtath. Cinnamomum, Arabicus ſurculus, naribus admotus ſua flagrantia lacrymas elicit vel inuitis. Si capræ porrigatur, ea catuli inſtar admurmurat, abeuntémque ſequitur naribus, quantum poteſt, admotis, atque adeò repulſa, non aliter, quàm ſi pabulum denegatum foret, quiritatur. Philoſt.

## Vmbris macilentior. 20

Κνεφῶν λεπτότερος. Hyperbole in macros & ſtrigoſos, dictum eſt in Archeſtratum poëtam, qui captus, & in bilancem coniectus oboli pondus momento traxiſſe dicitur, ὀβολῦ ὁλκὴν ἔχοντα. Euſtath.

## Veteris monetæ. 21

Παλαιῦ κόμματος. De homine aut re planè integra, nihílque adulterata. Symmachus, Demoſthenes. Prouerbium idem apud Belgas habemus, *Vanden ouden ſlaghe.*

## Olim Pelaſgi, Danaidæ poſteà. 22

Πάλαι πελάσγοι, δαναΐδαι δεύτερον In eos quorum opes olim firmæ & potentes fuerunt, aut præpotens familia: nunc verò ea defecerint. Euripides. Pelaſgi numeroſa & valida olim gens fuit, quæ errabunda paſſim ſedes poſuit, leuiq; de cauſſa eas mutauit, aliò atque aliò cõmigrans, & in infinitam adaucta multitudinẽ celeriterq; defecit. Strabo.

## Ex eadem figulina. 23

Ayuntamiento de Madrid

Τῆς αὐτῆς κεραμείας. De rebus affinibus & cognatis. Gre. Palama. Simile illud Platonis, ἐκ τῆ αὐτῆ γυμνασίου.

## Fracti. 24

Καπεαγότας & κεκλασμένους; ſiue fractos, molles nominant & effeminatos. Plutarchus, Eunapius, Philon, Athenæus, Libanius, Damàſcius. Sic κατεαγότας τὰ ὦτα eos appellant, quorum aures Alexandrinis delitiis aſſuefactæ nihil virile admittunt. Plato, Galenus.

## Helenæ crater. 25

Ἑλένης κρατήρ. De læto nuncio, aut re animi ſolliciti curas diluente. Philoſtratus, intelligens pharmacum Nepenthes obliuionem triſtitiæ veniámque afferens. Homerus, Plinius.

## Helepolis. 26

Ἑλέπολις. Pro delinimento, & illice vinculo, quo capitur animus, vt ſi dicamus luxum eſſe iuuentutis helepolin. Philon. Sunt autem helepoles machinæ bellicæ expugnandis vrbibus comparatæ, παρὰ τὸ ἑλεῖν τὰς πόλεις.

## Spinas colligens. 27

Τὰς ἀκάνθας συνάγων. De moroſo homine, & importunè curioſo, qui in diſputationibus nunc hoc, nunc illud inceſſit, & in controuerſiam trahit. Athenæus, Euſtath. Plutarchus.

## Somni plenus. 28

Ὕπνου μεστός. De ſtupido, aut oſcitabundo parúmque attento. Ariſtides.

## Suilla harmonia. 29

Ὕειος ἁρμονία. De incondito, & indocto clamore, qualis eſt eorum, qui ab artibus nomen vſurpant. Idem.

## Monitor capras age. 30

Ἐμὲ νουθετοῦν, αὐτὸς αἰπόλει. In conſultorem ineptum, qui alteri dictare parat conſilium, ipſe ſupra ſtiuam non ſapiens. Ariſtides.

## Dædala machæra. 31

Δαιδάλου μάχαιρα. Dolus vafrè ingenioſéque excogitatus. Pindarus. Natum à Dædalo, qui profugus ad Cocalum Camici regem ſupplex, aſtu inſigni effecit, vt regis filiæ feruentem aquam per tectum infunderent, quæ per tubu-



Ayuntamiento de Madrid

los delata Minoëm perſequendi illius ſtudio eò delatum, ſeſéque in balneo lauantem peruſſit & exſtinxit.

## Ad aliud procemium tranſeo. 32

Μέτειμι ἐπὶ ἕτερον προοίμιον. Quoties aliud propoſitum vrgemus, aut diuerſam à priore ſententiam amplectimur, aut rationi prolixè explicatæ ſecundam attexuimus. Ariſtides. Sumptum à Steſichori, lyrici palinodia, quam in Helenæ à ſe prius vituperatæ encomium conſcripſit.

## Βυσαύχην, incuruiceruicus. 33

In fraudulentum inſidioſúmque ſimulatorem. Xenarchus, Pacuuius: Tradunt Phyſiognomici homines obſtipo capite & in humeros contracto maximè fallaces eſſe. Et animantia, quæ aliis inſidias moliuntur, aut iram premunt, ceruices obliquant, quoties inſultum meditantur, quod in vulpibus, & canibus videre eſt.

## Agamemnonium epulum. 34

Αγαμεμνόνειος θυσία ἢ τράπεζα. In eos qui amicè accepti medicatum poculum hauriunt, aut Italicam offulam ſorbent, aut alioqui proditoriè interimuntur. Refert Homerus Ægyſthum lauto conuiuio exceptum Agamemnona interfeciſſe, vnde & natum prouerbium.

## Achææ, non Achiui. 35

Αχαιΐδες οὐκέτ' ἀχαιοί. O verè Phrygiæ, neque enim Phryges. Prouerbialis morſus in eos, qui præter verborum tumorem nihil habent pectoris aut virilitatis, minimùm à feminis diſcrepantes, quarum tam proprium eſt garrire, quàm ſit virorum præclara edere facinora. Homerus, Virg. Sophocles, Herodotus.

## Ε᾽ν χρῷ. 36

Ε᾽ν χρῷ, quaſi dicas in cute, pro admodum vicino, & quaſi confinio: aut pro, coniuncto: οὐ πρὶν ἢ ἐν χρῷ γενέσθαι τοῦ κινδύνου, nō prius, quàm in cute verſaretur periculū. Syneſius, Agathias, Sophocles, Lucian⁹, Thucidides, Xenophō.

## Ad manus ferre. 37

Εὐπρόσωπος ἦσθ', ὀνόματος οὐδὲν ἐπὶ χεῖρας φέρων. Specioſus videris, at nominis nihil ad manus affers: quaſi dicat, ſecundum Euſtathium, non magnum illum habere nomen & prolixum ad modum eorum, qui magna trahunt

Ayuntamiento de Madrid

veſtimenta, vt oras extremas manibus excipere cogantur. Videtur tamen parœmia à pondere deducta, vt dicat breue nomen parum afferre momenti, & ponderis. nam manibus pondera explorantur. Vt vt eſt, ἐπὶ χεῖρας φέρειν, eſt nobilem eſſe, & ſpectatæ famæ. Cratinus Comicus.

Ioui patria intonat. 38

Ἴσα Διὶ βρομέει, κεφαλὴν δ' ὑπὲρ αὐχένας αἴρει, Par Iouis imperio fremit & capite arduus exit. Dicetur in ſuperbũ, & grandiloquum. Stobæus.

Tanquam pauo circumſpectans ſe. 39

Καθάπερ ὁ ταὼς περιαθρῶν ἑαυτὸν, pauonis in morem ſeipſum circumluſtrans. In philautum. Syneſius, Philoſtratus, Simocatus. Pauo gemmantes ſuas pennas mirari ſolet, & ad laudes ſuas explicare opes.

Collaria cadauera. 40

Νεκύες μεσαυχένες, velut cadauera collo tenus medio. Popinones perditi. qui vitã gulæ delitiis metiuntur. Ariſtoph.

Veriora Bacidis dictis. 41

Ἀληθέστερα τῶν σιβύλλης ἢ βάκιδος, veriora Sibyllinis, aut Bacidis oraculis. De rebus minimè controuerſis. Fuit Bacis ex iis quos χρησμῳδοὺς vel fatidicos vocant Dion Chryſ.

Cappari victitas, qui potes anthia. 42

Πρὸς κάππαριν ζῇς, δυνάμενος πρὸς ἀνθίαν, Poteras vel anthia, qui viuis cappari. In ſordidum: aut medicum ſcholas aperientem, vel alioqui hominem parui animi. Anthias piſcis eſt non ignobilis, quem ſacrum, & à felici nominis augurio, καλλιώνυμον vocant. Plutarchus. Simile eſt, βύρσης ὄζει, μύρων ὄζον, corium redolet, cùm poſſit vnguenta.

A ſcapha in triumphalem quadrigam. 43

Ἀπὸ θυννοσκοπεῖν ἐπὶ τὴν ἡγεμονικὴν ἀπήνην ἀλάμενος. De ſcapha ad triumphalem currum tranſiliens. De quouis è fæce hominum ad magnas opes dignitatesque prouecto, qualis fuit nuper Iulius Ligur. Syneſius.

Ferreus. 44

Σιδηροῦς. De impudente & frontis vacuo. Catullus, Euſtathius, Ariſtoph. Cicero.

Geminas chordas ferit. 45



Ayuntamiento de Madrid

Διπλᾶ χρέων dicuntur, qui duobus dominis ſeruiunt, aut qui ancipitem fouent ſententiam, neutrò inclinantes. Ariſtides.

## Equum Scytha. 46

Τὸν ἵππον ὁ σκύθης, ſubaudi, βδελύσσει ἢ μυσάττεται, auerſatur, aut faſtidit. De eo qui in propatulo rem quampiam eiicit, clàm appetit: aut de eo qui duplex vna è re commodum captat: nam Scythæ equo, & ad itineris expeditionem vtuntur, & ad paſtum, vrgente nimirum fame, epoto è ſecta vena ſanguine. Suidas, Clemens.

## Sartaginum pernicies. 47

Quibus adagiis paraſitorum infamis gula apud veteres traducatur, hîc lubet prolixiùs recenſere. Primum apud Athenæũ λοπαδαγχόνας. ſeu λοπαδάγχαι dicuntur peſtes & pernicies ſartaginum, cuncta abligurrientes. Idem eos vocat ἀνοσίους λάρυγγας, ἀλλοτρίων κτεάνων ῥυσδανίδας, exitiales gulas, alienarum opum tuburcinatores Apud Suidã eiuſmodi helluo πατηνοριθοθήκας audit, quòd patellas venetur: apud Athenæum iterum κοιλιοδαίμων, quòd ventris ſtudio felicitatem metiatur: Alibi ἐνθεσίδουλος, buccearum mancipium, ab ἔνθεσις, quod turundam denotat. γαστρόπληξ quoque Euſtath. teſte, quòd abdomini totus inſeruiat. κνισολοιχὸς maioris vehementiæ vocabulo, quàm τραπεζολοιχὸς, vtrumque tamen audit, hoc, quòd menſas illingat: illud, quòd nidorem è cibis ſurgentem rabido ore carpat, atque illingat quodammodo lambente lingua γάστρις, ventrio, ab inexpleli aluo ψωμοκόλαξ, quòd offulas adulabundus carpat: ψωμοκόλαφος, quòd offulas abligurriat, ψωμόλεθρος, offarum pernicies. παντοφάρυγξ ſeu potiùs ποντοφάρυγξ, quòd inexpletus gurges cuncta abſumens, ſiue quòd inexhauſtum pelagus ſit illius gula. λεβητοχάρων, ſeu quòd lebetibus & ferculis gaudeat, ſiue quòd eduliorum lebetibus excoctorum ſit veluti Charon quidam. θυρεάπαξ, aut θυρεάρπαξ, quòd alienis foribus inſidietur, ambiens alienam quadram. κεσοτράπεζος, teredo, & coſſus menſarum. μεστηγυδορπιχέστης, quòd ſæpius inter cænandum ſaburram exoneret, vt depleto ventri nouum onus identidẽ iniiciat, à μεσσηγὺς, καὶ δόρπος καὶ χέζειν συγκατανευσιφάγος, ad nutum mãduco, quòd coëpulantes aliis, annue-

Ayuntamiento de Madrid

re dictis omnibus, ventris cauſſa, neceſſe habeant λίμβος, quod, tanquam ſcapha nauem onerariam, menſam ſectetur, Suidas, Euſtath. Athenæus.

## Cerebrum interius inquirire. 48

Pro, occultiorem ſenſum, latenſque myſterium inueſtigare, & medullam exquirere relicto cortice. Fulgentius. Sic Græci φοίνικος ἐγκέφαλον, palmæ arboris cerebrum, & ἐντεριώνην arboris medullam inteſtinam vocant.

## Mandibulis alienis ridere. 49

Hom. agens de Penel. procis, quibus ſuæ proteruiæ pœnas capite luituris Minerua ementitum cachinnum immiſit, & mente emotos reddidit: οἱ δ' ἤδη γναθμοῖσι γελοίων ἀλλοτρίοισι, Illorum at riſus buccis alienus inerrat. Vbi Euſt. idem aliis verbis affert; ξενικαῖς γελᾶν παρειαῖς, peregrinis buccis ridere. Val. Flacc. Errantesque genæ, & alieno gaudia vultu. Horatius etiam Sat. 2, 3. cùm ſuum Protea in ius, (non vt alij, in iura) rapit, malis facit ridentem alienis. cuius elegantiſſimi loci reſtitutionem (indicabo hoc obiter, præter inſtitutum) ab aliis benignè pridem communicatam doctiſſimo cuidam Siluio (prænomen ignoro) Lemouici lubenter debemus: eam enim ille primus è vetuſtis membranis eruit, & amicis ſuis eius copiam fecit. Dicetur adagium de riſu non vero, neque ex animo profecto, vt eorum eſt, qui præ ira naſum criſpant, aut præ conſilij inopia animi hærentes in re non ridicula riſum cient. Similiter dicemus eos, qui inuiti cibum ſumunt, ἀλλοτρίοις γναθμοῖς ἐσθίειν: eos, qui inuiti manum operi admouent, ἀλλοτρία χειρὶ πίνειν: eos, qui, quod nolunt, vident, ἀλλοτρίοις ὄμμασι θεωρεῖν itidemque de auribus.

## Labijs ridere. 50

Χείλεσι γελᾶν, non diducto ore, & vultu liberè exporrecto, ſed ringentium in modum renidere, & quaſi in Sardonium riſum ſolui, qui fieri ſolet cum morſu animi mœrore grauati. Homerus, Heliodorus, Theocritus.

## Telchines. 51

Homines fraudulenti & malefici impoſtores. Syneſius, Nazianz. Euſtath. Greg. Palama. Perhibentur olim fuiſſe Telchines nouem, Rheæ comites in Cretam proficiſcen-

Ayuntamiento de Madrid

ri, venefici & præſtigiatores inſignes, dicti ὡϑὸ τὸ ϑέλγειν, quod decipere eſt, & item in aliam naturam mutare: ijdem vocati fuêre à nociuo manuum opere παλαμναῖοι.

Vuæ paſſæ ſimilis. 52

Α᾿ςαφίδι ἐοικώς. In ſenilem ætatem rugis contractam, & paſſa cute ſtrigoſam. Greg. Palama.

Hamaxobio inſtabilior. 53

De homine inſtabili, & incertis ſemper ſedibus nouas veteribus commutante. Tertullianus. Sunt Hamaxobij Sarmatæ plauſtra pro ſedibus habētes, ab ἅμαξα, plauſtrū, & βίος, victus.

Nauem rectam ſemper. 54

Εὖ ἴσϑι ποσειδῶν, ὅτι ὀρϑὰν τὰν ναῦν καταδύσω. Neptune non te latet, rectam me ſemper rexiſſe nauem. Ariſtides, Seneca. Quoties teſtatam & ſpectatam fidem noſtram, atque integritatem ſignificare volumus.

Theramenes. 55

Dicitur de verſipelli & in vtramque partem dextro, qui pro re nata, nunc harum, nunc illarum ſit partium. Ariſtophanes. Fuit Theramenes Iſocratis præceptor, & magna dexteritate Athenis rempubl. adminiſtrauit, adeò vt egregiè tempori ſeruiendo, factionibusque ſe applicando, cothurnus, (congruit id calceamenti genus vtrique pedi) audire cœperit.

Imbrij & Lemnij. 56

Tergiuerſatores, & qui ſibi conſcij iudicium declinãt, abſentiam in Imbro aut Lemno prætexentes. Euſtath. Heſychius.

Patroclum ſub ſpecie. 57

Πάτροκλον πρόφασιν, ſubaudi, ποιεῖσϑαι, Patroclum obtentum facere, aut prætexere. In eos, qui rei cuiuſpiam gratia ſimulant ſe facere aliquid, quod reuera aliorſum faciunt. Plutarchus. Occaſionem adagio Hom. præbuit, vbi Briſeida necem Patrocli lugentem reliqua feminarum turba ſequitur, non tam Patroclum, quàm proprias ærumnas deflens.

Squilla rubicundior aſſa. 58

Ε᾿ρυϑρότερος καρῖδος ὀπτῆς. De eo qui pudeſit vel caſti-

Ayuntamiento de Madrid

gatus, vel ſcommate adſperſus. Athenæus. Sunt χαρίδες, piſces, quos Latini gambaros, nos garneros vocamus, qui elixi, aut aſſi toti rubeſcunt, prius albicantes.

## Pyrrhonia hæſitatio. 59

Πυῤῥώνειος ἀπορία. De iis qui nihil certi decernunt, ſemper dubitantes. Galenus. Fuit Pyrrhon Elæus Philoſophus qui deſperata veritatis inquiſitione, temerè omnia diu rimatus, in ſingulis hæſitabat, Eius eſſeclæ dicti ſunt ἐφεκτικοὶ, quòd ſuperſederent quicquam aſſerere. ἀπορηματικοὶ, ſiue ἀπορητικοὶ, à perpetua hæſitantia. σκεπτικοὶ, quod perpetuo conſiderarent: ζητητικοὶ, quòd inquirerent vſque: Academici poſtremò.

## Caricum ſchema. 60

Καρικὸν σχῆμα. Effrenata libido, ſeu potius certus eius modus, qua de re exſtant portentoſa Petri Aretini, hominis verè Itali ſchemata. Heſychius.

## Omphacinus. 61

Ὀμφακίαν nominant Græci hominem durum, & præfractum, tranſlatione petita ab immaturis vuis. Ariſtoph. Et diuerſo πέπονα quaſi maturum, vocarunt hominem placidum. Æſchylus. Athenæus.

## Libera in Cynadra aqua. 62

Ἐν κυνάδρᾳ ἐλευθέριον ὕδωρ. Adhortatio eſt ad libertatem: ſecurius enim dulciusque aqua viuitur in libertate, quàm magna rerum abundantia ſeruitur. Euſtath. Cynadra fons eſt Argis à perfugio canis nomen habens, è quo ſerui in libertatem aſſerti, poculum hauriebant.

## Lippus oculus ſolis radios non fert. 63

Λημῶν ὀφθαλμὸς ἡλίου ἀκτῖνας καθαρᾶς οὐ δέχεται, Lippus oculus ſolare iubar inoffenſè non admittit. Non illico perſpicua ſunt lectori medicos aut Theologicos libros euoluenti, penitiora myſteria, niſi iis doctrinis imbuto. Proclus Conſtantinop. Epiſcop.

## Veſpa acerbior. 64

Σφηκὸς δριμύτερος. De præferoci & crudeli. Clemens, Themiſtius. Veſpæ ictus haud temerè ſine febri ſunt, eius quæ ter nouenis punctis hominem interire aiunt.

## Ceruina ſenectus. 65

Ayuntamiento de Madrid

Ε'λάφλοι γῆρας. Attribuitur vehementer longæuo. Heſiodus cornici, teſte Plinio, nouem attribuit noſtras ætates, quadruplum eius ceruis. Iuuenalis.

## Fulicam cygno comparas. 66

De rebus, & perſonis maximè inter ſe diſſimilibus, conuenient hi verſus Paulini:

Si confers fulicas cygnis, & aëdona parræ,
Caſtaneis corylos æques, viburna cupreſſis.

Fulicæ colore ſunt fuſco, cygni albo. Luſcinia vocis amœnitate auium regina eſt, parra ſtridula & ingrato ſono. Caſtaneæ & cupreſſi editæ ſunt & proceræ: coryli auellanæ, & viburna depreſſa & humilia.

## E ſcala. 67

Ε'κ κλίμακος. De iis, qui de induſtria otium captant. Pugilibus tempus diu terentibus ſcala olim inferri ſolebat, vt diuulſi, & ſuum vterque locum obtinentes diſtinerentur, ne in circumcurrendo ictus acciperent, ſed ſuum quiſque locum obtinens quaſi quaſi manuum obiectu ſe defenderent. Euſtath. Heſychius.

## Lumbos fractus, vt Myſius aſinus. 68

Ο'σφυν κατεαγὼς ὥσπερ μύσιος ὄνος. In molles & effeminatos. In Myſia rariſſimi ſunt aſini, quibus rectum ſit dorſum circa lumbos, aut ilia. Euſtath.

## Ouo nudior aut glabrior. 69

In caluos, aut deraſos. Nicias epigramm. lib. 2. τὴν κεφαλὴν βάπτων τις ἀπώλεσε τὰς τρίχας αὐτὸς καὶ δασὺς ὢν λίαν, ὠὸν ἔπειτα γέγονεν. i. Amiſit quidam crines caput inficiendo. Qui nunc eſt ouo nudior, hirtus erat.

## Tranquillitate caluior. 70

Φαλακρότερος εὐδίας. Simile ſuperiori. Demet. Phalereus. Natum inde, quòd tempeſtate criſpentur omnia & horreant; contrà in ſerenitate & aëris malacia, nuda & quodammodo calua iaceant omnia. Sic Mart. Læuior es conchis Galle Cytheriacis.

## Sphettius. 71

Σφήττιος, virulētè mordax & ſycophanta dicitur à Sphettiæ gentis ex Acamantide tribu ingenio. Sic σφήττιοι ὄξος, pro acerrimo aceto dixit Ariſtoph.

Ayuntamiento de Madrid

Araneis abundat. 72

Καὶ ἀράχνια ἔχειν. De eo quod deſertum eſt & incultum. transferetur appoſitè ad ignauiam ingeniorum, aut oſcitantiam interpretum, obſcura loca prætereuntium. Homerus, Heſiodus, Propertius.

Manus in Aetolis habet. 73

Τὰ μὲν χεῖρες ἐν αἰτωλοῖς, ὁ δὲ νοῦς ἐν κλωπίδαις, Manus vtraque in Aetolis, at mens in Clopidis. In eum qui & flagitioſè manibus donaria efflagitet, & furaci animo opes inuolet. Alluſio eſt ad etymon Ætolorum, quod eſt, αἰτεῖν ὅλον, totum flagitare; & Clopidarum, quod eſt ἡ κλοπὴ, furtum. Ariſtoph. Homerus.

Turtur cantat. 74

Τρύγων ψάλλει. De inepto cantore, aut poëta. Turtures non tam canunt quàm gemunt. Suidas.

A lineis excidere, lineæ inſiſtere. 75

Pro, ab inſtituto aberrare: & contrà, in inſtituto permanere. Tranſlatio eſt à Geometria, quæ lineis omnia perficit. Eôdem pertinet, eiſdem dimicare lineis, pro, intra certa argumentorum ſepta permanere. Lineas aliquas producere, pro, certam materiæ legem præfinire. Ad lineas, & in gradum, pro, ad propoſitum. Lineis claudere materiam, pro, ſtata quædam argumenta præfinire, intra quæ oratio coërceatur. Metaphora ſumpta eſt à luctantium lineis, quas intra decertant. Tertull. Quinctil. Hieron. Cic. Donatus.

Lapis molaris. 76

Λᾶς ἢ λίθος μυλίας. De ſtupido & cerebri experte. Plato, Ariſtoph. Ariſtides, Plautus.

Decumani fluctus malorum. 77

Κακῶν τρικυμία, Malorum decumanus fluctus. De ingentibus calamitatibus. Aeſchylus, Theodor. Nazianz. Plato, Clemens, Syneſius. τρικυμίαν tempeſtatem eſſe volunt grauem, qua tres vndarum cumuli in vnum coëunt, Latini decumanum fluctum appellant.

Euannatio ad omnem auram. 78

Λικμήσις ἢ κατὰ πάντα ἄνεμον. De leuitate, qua ſententiam vnam in omnia flectimus: aut qua citra iudicium opinioni

Ayuntamiento de Madrid

omni fidem deferimus:quod noſtrates vocant, Chlamidē omni vento obuertere. *De huycke nae den vvint hanghen.* Nazianzenus,Siracides.

## Statua viatores omnes intuens, 79

H' ἀνδρὶς πάντας ὁρῶσα τοὺς παριόντας εἰκὼν. Symbolum, aut dictum, quod diuerſimodè interpretari poſſis. Nazianz.

## E'ξορχεῖσθαι. 80

E'ξορχεῖσθαι & ἐξορχήσασθαι, Extra templi veſtibula choræas ducere.Pro,arcana & reticenda in vulgus edere, publicique ea iuris facere. Dionyſius Areop. Clemens Alex. Syneſius,Tatianus,Ariſtides,Lucianus,Demoſth.

## Minis occidit. 81

Ταῖς ἀπειλαῖς ἀποκτιννύει.De vana interminatione, qualis eorum eſt,quibus Mars eſt ventoſa in lingua.Cratinus, Vergilius.

## Anguilla in ſtrigmento. 82

E'γχέλυς κατὰ γλοιοῦ.De homine lubricæ fidei. Anguilla & per ſe,& oleo imbuta minimè manibus ſtringi poteſt. Athenæus.

## Cyceon. 83

Κυκεὼν. Pro turbulenta rerum confuſione:aut conturbatore,omnia ſurſum deorſum miſcente.Euſtath. Syneſius, Theodoritus.Eſt κυκεὼν propriè confuſanea liquorum potio,caſeum,mel,& farinam recipiens.Latinè cinnus ſecūdum quoſdam:vnde κυκᾶν,& συγκυκᾶν conturbare eſt, & collidere.Ariſtoph.

## Faber cadit,cùm ferias fullonem. 84

Quoties ſignificabimus immerentem plecti aut perſtringi:vel cùm victo vno, alterum etiam cadere. Arnobius,Athenæus.

## Sannas. 85

De homine ſtolido & ſtulto, qualis Margites narratur fuiſſe,qui ſponſam attingere non eſt auſus, ne matri rem illa proderet,veritus. Natum à Sanna quodam morione Comicis noto:vel à Sannis Aſiæ gente rudi & barda.

## Leo prius,nunc leporem agit. 86

Ayuntamiento de Madrid

Λαγῶ βίον ζῇς, ὃ πρὶν ἄτρομος λέων. In hominem delicatum, olim ſtrēnuum & ferocem. Galenus, Dion, Chabrias, Euripides.

## Indoctus pater filium erudit. 87

Πατὴρ ἀνουθέτητος παῖδα νουθετεῖ. In eum, qui doctiorem docere velit: aut malè conſulentem alteri. Clemens, Sophocles.

## A caluo ad caluum. 88

Ἀπὸ τοῦ φαλακροῦ μέχρι τοῦ φαλακροῦ. Cùm ſignificabimus neminem excludendum eſſe, aut prætereundum. Dion, Suetonius.

## Argiuos exarmat oraculum. 89

Τὸ δ' ἐξοπλίζει, τοὔπος ἀργεῖον λεών. Exarmat argiuam gentem hoc oraculum. Cùm firma per ſe, & certa argumento valido conuelluntur. Plutarchus. Exarmamus propriè belluas, cùm eis vngulas, aliáq; naturæ armamenta adimimus. Sic Plinius dixit, exarmare accuſationem, pro, infirmare.

## Καπνοσφράντης. 90

Fumum olfacere dicitur homo ſordidus: aut paraſitus, qui alienę culinæ nidore ducitur. Euſtath.

## Turbinem felix proſpecta. 91

Ἐξώστην εὐτυχὴς ἄθρει. In rebus proſperis de aduerſa fortuna timendum. Varro. ἐξώστης vētus ēſt procelloſus, quaſi dicas quaſſatorem, παρὰ τὸ ὦσαι, ab impellendo.

## Amara bilis amaris pharmacis proluitur. 92

Ἰατροὶ πικρὰν πικροῖς κλύζουσι φαρμάκοις χολὴν, medici Amaram amaris pharmacis bilem eluūt. Soph. Plutarch. Symmachus. Moroſi hominis improbitas ſimili aſperitate frangenda eſt: aut calidum facinus aſperioribus verbis caſtigandum.

## Mulgens hircos ſanguinem ducit. 93

Ποιμὴν ἀμέλγει, εἰ θέλει, καὶ τοὺς τράγους, ἀλλ' ἀντὶ γάλακτος αἱμάτων πηγὰς ἴσει, Mulgere & hircos, ſi velit paſtor poteſt, Sed ſanguinis pro lacte ſalientes fluent. Subditi non exſugendi ſunt, vſque ad vitalis ſanguinis frōtes. Nazianz. Dion.

Ayuntamiento de Madrid

## Canis clanculum mordens. 94

Κύων λαίθαργος. In inſidiatores dolum blando riſu prætexentes. Suidas, Laërtius, Euſtath.

## Menſura aquam bibens. 95

Μέτρῳ ὕδωρ πίνοντες, ἀμέτρως μᾶζαν ἔδοντες, Menſura aquam bibentes, abſque menſura mazam vorantes. Quadrabit in helluones viniperdas.

## Crocum in Ciliciam. 96

Ε'ς κιλικίαν κρόκον. Vbi quis in dites munificus eſt & liberalis. Suidas. Ciliciam circa Corycũ vrbem & in Tmolo monte croci fœtura abundare, teſtatur Virg.

## Morſimi verſus quis deſcripſerit. 97

Η' μορσίμου τὶς ῥῆσιν ἐξεγράψατο; Quis verba Morſimi velit deſcribere? Cùm quid ineptius eſt, quàm vt ediſci, aut deſcribi, aut etiam prælo excudi mereatur. Morſimus apud Ariſtoph. audit frigidus admodum tragœdiographus.

## Piſandri galea & ſupercilium. 98

Πεισάνδρου λόφοι καὶ ὄφρυες. In thraſones, qui cùm res poſtulat, timidi ſunt, & ſibi poſt principia loco cauent. Natũ à Piſandro homine ſupra modum meticuloſo; qui tamen & procerus erat, & galea tribus conis inſigni, armíſque ſpecioſis vtebatur. Ariſtoph.

## Dicelites. 99

Δεικελίκτας ſiue δεικηλίκτας Græci vocant affectatores dicacitatis, qui alium quempiam in ſcommatis imitantur, à δείκηλον, quod propriè ſit Ioui aſſimilis effigies, & abuſiuè quæuis ſimilitudo: aut frigidos vocant vocabulorum mimos & affectatores, qui non contenti vſitatis vocibus nouas fingunt. Euſtath.

## Duro flagello mens docetur rectiùs. 100

Σκληρᾶς δὲ μάστιγος παιδαγωγεῖ καρδίαν. Periculorum magnitudine cautiores plerumque reddimur. Nazianz.

ADA-

# ADAGIORVM HADRIANI Iunij Centuria vij.

## Caris loco habere. 1

Τὶω δ' ἐν καρὸς αἴσῃ, Mihi Caris vice habetur. Achilles ſuum erga Agamemnonē ſtomachum detegens, ſignificat nihil illum ſe facere, & viliſſimi mancipij loco habere. Huc vſque omnes interpretes conſentiunt: verùm in ratione diſquirenda, ita eos diſſentire oſtendit Iunius, vt nullibi magis. In prouerbium traxerunt, Plutarch. Heſych. & Syneſius.

## Bibliotheca animata. 2

Βιβλιοθήκη ἔμψυχος, καὶ περιπατοῦν μουσεῖον. animata bibliotheca, & viuum Muſæum. De homine valde erudito. Eunapius, Nicephorus, Nazianzenus.

## Gubernatori ſomnolento ne benefacito. 3

Μήποτ' εὖ ἔρδειν γείτονος κύνα, μήτε κυβερνήτην φίλυπνον, nunquàm vicini cani, aut ſomnolento gubernatori benefacito. Beneficium inutiliter conſumendum non eſt. Vicini canis bene paſtus redit ad priorem dominum: nauclerus ſomno deditus fortunas negotiatoris & vitam extremis periculis exponit. Suidas.

## Cedrus cecidit. 4

Ὀλολυζέτω πίτυς ὅτι πέπτωκε κέδρος, Ploret picea quod cedrus cecidit. Potentiorum ruina documentum eſt minoribus modeſtiæ. Cedrus arbor omnium proceriſſima eſt.

## Aliena in miſeria cruciatum proprium metit. 5

Ἐπ' ἀλλοτρίαις συμφοραῖς ἰδίας καρποῦται λύπας. In eos, qui neceſſariorum miſeriæ ſpectatores animo inde non leue vulnus concipiunt: vel qui, dum alienam miſeriam leuare ſatagunt, ipſi proprias moleſtias ſeu fructus percipiunt. Hippocrates, Nazianzenus, Euſebius, Zezes.

## Præ Nili catarractis. 6

Τὴν γλῶσσαν αὐτοῦ καταῤῥεῖν ὑπὲρ τοὺς νειλώους καταῤῥάκτας, Dum lingua eius vehementius præcipitat, quàm Niliaci catarractæ. Suidas, Zezes. Catarractes locus eſt in Nilo,



Ayuntamiento de Madrid

vbi inter occurſantes ſcopulos non fluere immēſo fragore creditur, ſed ruere.

## Equus ſeſſorem rapit. 7

Ι῞ππος τὸν ἐπιβάτην ſubaudi ἁρπάζει. Cū orationis impetu abducimur, & in aliam diuertimus materiam. Greg. presbyter.

## Abaridis ſagitta. 8

Α᾿βάριδος ὀϊστός. De velocibus dicitur, vt & Pegaſus. Nazianz. Abaris è Scythia in Græciam legatus Athenas venit, memoratúrque, inquit Suidas, eius fabuloſum iaculum è Græcia ad Hyperboreos vſque Scythas deuolantis.

## Circa radices montis hærere. 9

Περὶ τοὺς ὄρους πρόποδας στρέφεσθαι. De iis qui ad præcipua artis capita non adſpirant, ſed in triuialibus & vulgaribus inhærent. Nazianzenus.

## Arma Achillea. 10

Ο῞πλα ἀχίλλεια. Cùm alienam viri docti eloquentiam optamus: aut patrocinium principis, quod ab iniuria maleuolorum nos tueatur: quemadmodum Patroclus Achillis armaturam apud Hom. vt Troianos falſa armorū imagine deceptos bello abſterreret. Philoſtratus, Euſtath.

## Vomentum in numero. 11

De iis, qui leuiuſculè & citra mentis iudicium loquuntur, aut ſcribunt. Ariſtides Smyrnæus, cùm M. Antoninus ipſum audire geſtiret, hoc dixiſſe legitur, τήμερον πρόβαλε, καὶ αὔριον ἀκροῶ, οὐ γὰρ ἐσμὲν τῶν ἐμούντων, ἀλλὰ τῶν ἀκριβούντων, hodie proponito, & cras audito: neque enim è numero vomentium ſumus, ſed exacta cura elaborantium. Philoſt. Zezes, Cic. Syneſius.

## Fures ipſi accuſant. 12

Οἱ φῶρες προσεγκαλοῦσι, Fures ipſi accuſationem intentant. In eos, qui cùm manifeſtò criminis teneantur, priores accuſandi partes ſuſcipiunt, vt ſuſpicionem offenſæ eximant, integritatémque mentiantur. Ariſtides.

## Herculis ædem mulier non intrat. 13

Γυνὴ εἰς ἡρακλέους οὐ φοιτᾷ. In eos qui rei alicui indignè manus iniiciunt, eámque attrectant. Suidas. Excludebantur fœminæ è fano Herculis, velut illius opprobria, ob ſerui-

Ayuntamiento de Madrid

tium Omphalæ Lydorum reginæ præſtitum.

Rete inflas. 14

Δίκτυον φυσᾷς. Inter impoſſibilia annumeratur rete foraminoſum vento diſtendere. Suidas.

Senex vox & vmbra. 15

Τί δ' ἄλλο, φωνὴ καὶ σκιὰ γέρων ἀνήρ, Nil aliud eſt, quàm vox & vmbra vir ſenex. In ſenem garrulum & loquacem. Stobæus, Cicero, Euripides.

Hydrargyro furacior. 16

Ὑδραργύρου κλεπτότερος. In auaros. Io. Zezes. Argentum viuum Chymiſtæ Mercurium vocant, à Deo furum magiſtro. Habet enim illud eam naturam, vt omnia, quæ fuſilia ſunt, in ſe rapiat & recipiat.

Vuida vita. 17

Ὑγρὸς βίος. De viuendi genere delicato & laſciuo. Pinguedo in humiditate conſiſtit maximè, quippe carnium molem humectiorem, molliorémque obtinentibus obeſulis. Athenæus, Philon, Plutarchus, Clemens, Heſychius.

Summis auribus inſidet. 18

Ἄκροις ὠσὶν ἐφιζάνει. De eo quod perfunctoriè auſcultamus, quódque difficulter credimus, & cum aurium faſtidio. Philon. Seneca.

Ne ad Adonia quidem. 19

Ὃν οὐκ ἂν ἠξίουν ἐγὼ Ἐμοὶ διδάσκειν, οὐδ' ἂν εἰς ἀδώνια, Quem ne quidem digner doctorem habere vel ſacris Adoniis. Cùm doctrinam alicuius, triuialem tantum & planè communem eleuabimus. Athenæus. Adoniorum ſacrorum religio & cultus erat plangere & lamentari, quo nihil vulgarius, præſertim in feminis.

Neque defraudat, neque marginem excedit. 20

Ὡς μήτε κλέπτοι, μήθ' ὑπὲρ χεῖλος βάλοι, Vt nec defraudet, neue excedat marginem. Quoties moderationem ac temperamentum ſignificabimus. Venditores eam æquitatem in menſura obſeruant, vt neque concutiant metreten vt excidat, quod menſum eſt, neque tantum affundant, quod ſuperfluat. Heſychius.

Hirundo æſtatem loquitur. 21

Ἡ χελιδὼν τὸ θέρος λαλεῖ. Cùm indicio non vano certum



Ayuntamiento de Madrid

de futuris euentum ominamur.

Chalanes turris. 22

Χαλάνης πύργοι vocat Nazianz.conciliabulum improborum, machinantium diuerſa in aliorum perniciem. Chalane regio fuit, in qua Babel turris fuit condita.

Quid cothurnus cum claua? 23

Τί κόθορνος καὶ ῥόπαλον συνηλθέτην? Quid conueniunt cothurnus cum claua. De incongruis & indecoris. Ariſtophanes in Ranis Bacchum crocoto & cothurno induit, quibus ſuperiniicit tergus leoninum cum claua.

Adulter adulterum trahit. 24

Ἕλκει μοιχὸς εἰς μοιχόν. In morum contagionem: vel ſimilitudinem ingeniorum. Suidas.

Ver vnicum inter anni parteis. 25

De viro ad miraculum vſque docto, Ἓν μὲν ἔαρ ἐν ὥραις, εἷς δὲ ἥλιος ἐν ἄστρασιν, ver inter anni partes vnicum, vnus inter aſtra ſol. Nazianz. Ver inter quatuor anni partes, quas à diſcrimine temperiei ὥρας appellant Græci, vt amœniſſimum, ita & ſalubritate & quatuor qualitatum æquilibrio excedit.

Violento remigio. 26

Ῥωθίῳ κώπῃ fieri dicitur, quicquid per moleſtias, ac rerũ difficultates quæritur. Ariſtides. Idem ferme eſt, δευτέρῳ πλῷ, altero curſu, cùm remi opera vtimur, aduerſante vento. Stobæus.

Senis ira. 27

Γέροντος ὀργή. De ira languida, & facilè quæ ſopitur: quod in ſenecta omnes affectus ſint lãguidiores, & celeriter cadant. Sophocles, Nazianz.

Ne ſol quidem ſciet, 28

Οὐδ' ὁ ἥλιος γνώσεται. Cùm promittemus conſilium, aut factum aliquod non detecturos eſſe. Heliodorus, Plinius, Homerus.

Omnibus iudicibus vincit. 29

Πᾶσι ταῖς ψήφοις νικᾷ. De eo, cui cuncti primas parteis deferunt Ariſtides.

Vna voce vincere. 30

Eandem vim habet, Μιᾷ φωνῇ νικᾷν: pro, omnium calculis

Ayuntamiento de Madrid

obtinere. Ariſtides. In ſuffragiis qui vna totius populi voce deligitur, diſſentiente nemine, primus eſt.

## Qui ſitiunt, ſilentio bibunt. 31

Οἱ διψῶντες σιωπῇ πίνουσι. Qui procantur, aut honores ambiunt, nullis conſciis animi conſilium exſequuntur. Ariſtides.

## Bubulum obtueri. 32

Βόειον ἐπιβλέπειν. Defixis oculis obſeruare. Syneſius. Natum fortaſſe, quod grandes oculos bos habeat.

## Manliana. 33

Manliana Cicero ſcripta appellat horrida, nulláque varietate condita, qualia ſunt gloſſemata Accurſiana. Leges enim Manlianæ vniformi & vetere loquendi conſuetudine auribus ingratæ erant.

## Quod magas inter organa. 34

Καθάπερ ἐν τοῖς ὀργάνοις ἡ μαγάς, Vt inter inſtrumenta Muſica magas. De eo, qui ſe nouit attemperare hominum moribus, & tempori; vel quæ, vtrinque immodica ſunt, moderari: vel in eos, qui ſcientiam, quam ex profeſſo docent, litteratis deliciis adſpergunt. Philoſtraſtus. Quale inſtrumentum magas fuerit, ambigunt interpretes: illud conſtat, geminum ſonũ repreſentaſſe, & exiles modulos grauioribus, & rurſus acutiores grauioribus contẽperaſſe.

## Nihil amplius eſt. 35

Οὐδὲν ἔτι ἐστιν. Hac myoſi prouerbiali vtitur Ariſtides, agens de ſene imbecillo, olim ſtrennuo.

## Cicadæ humi canunt. 36

Τέττιγες χαμόθεν ᾄδουσιν. De ingenti vaſtitate. Ariſtoteles, Euſtathius, Virgilius. Notum eſt ex Plinio cicadas non naſci in raritate arborum, ideóque excisis arboribus, quod in magnis hoſtium depopulationibus euenit, rareſcere, & quaſi commune damnum deplorare.

## E diuerticulo. 37

Ἐκ παρόδου fiunt, quæ perfunctoriè, aut negligenter. Heliodorus, Chryſoſtomus, Cicero.

## Cercops. 38

Pro vafro & impoſtore: à vulpis moribus quæ κέρκῳ, cauda huc illuc mota canes venaticos eludit: vel à Cerco-



Ayuntamiento de Madrid

pibus Lydiis duobus inſignis nequitiæ fratribus. Vnde & *κερκωπίζειν* decipere eſt,& circumuenire.Ammianus,Syneſius,Æſchines,Philon,Euſtath.

## Coloſſi fragmenta. 39

*Κολοσσοῦ σπαράγματα* dici poſſunt docta eruditi hominis commentaria,aliáue opera:vel litterati diſcipuli inſignis præceptoris.Philoſtratus, Athenæus . Coloſſi moles ſunt ſtatuarum turribus pares , dicti vel ab ipſo auctore: vel ἀπὸ τοῦ κολύειν τοὺς ὄσσε , quòd altitudine officiunt ſpectantium oculis:vel à vaſta inanitate ſpecus cuiuſdam interranei,quaſi *κόλα ὄσσα*.hinc Coloſſica dicuntur,quæ magnæ molis ſunt onera.

## Atticus miles. 40

*Ἀττικὸς πεζομάχος*.Extulit Heliodorus de homine forti & ſtrennuo,quod Attici milites in ſtatario prælio laudatiſſimi eſſent,poteſt ironicè torqueri in meticuloſum.

## Homo dei ludibrium. 41

*Θεοῦ παίγνιον ἄνθρωπος*. Eo fortunæ iactatio ſignificabatur,quæ nunc euehit in altum,nunc ſolo allidit mortaleis: fortunæ inquam,quæ veteribus pro Deo habebatur. Syneſius,Philoſtratus,Plautus.

## Κλιμακίζειν. 42

*Κλιμακίζειν νόμους*,ſcalare ſiue ſcalis frangere leges dicetur,qui eas peruertit, & veluti cereas in quemuis ſenſum contorquet.Suidas,tractum à Climace:ſic enim tortorias ſcalas nominant.

## Quid barbiton crocoto loquitur? 43

*Τί βάρβιτος κροκωτῷ λαλεῖ, τί δὲ λύρα κεκρυφάλῳ*; quid barbiton crocoto loquitur , quídue lyra calanticæ? De re nihil conſoni habente. Suidas. Barbiton ſiue barbitus inſtrumentum eſt lyricum fidibus intentum,plectro pulſatile,quod à grauiorib⁹ fortaſſe ſoni modulis *βαρύμιτον* quaſi grauichordum Pollux nominat.

## Γοργίειον. 44

Gorgianum vocatur,quod in ſpeciem magnificum eſt, & affectatoribus verbis turgidum. Syneſius , Dion. Halicarnaſſæus,Ariſtides.Gorgias Leontinus teſte Cicer. numeroſa dictione vſus eſt ad vitium vſque.

## Βουγάϊος & Βουβάρας. 45

Ayuntamiento de Madrid

Βυγαῖος, qui corpus ægrè moliri poteſt præ nimio pondere tardum. Homerus. Ita & βυβάρας, homo magnus & ſtupidus à bubuli ponderis argumento: βάρις enim nauigium ingens eſt: & βῦς apud Græcos vim intenſiuam in dictionibus compoſitis obtinet. Vnde etiam βυκόρυζον, quaſi inſigniter muccoſum, vocant inſipidum hominem. Prioribus aſſimile eſt, quod ὠγύγιον ἄνθρωπον, hominem immani ſtatura Heliodorus appellet: & ὠγύγιον εὐήθειαν, immenſam ſtultitiam Philon, ab Ogygo Neptuni filio, antiquiſſimo Thebanorum rege.

## Ex Ilio me ducis. 46

Ι'λιόθεν με φέρεις. Quoties ſignificamus præteritorum malorum memoriam refricari. Heliod. Virg.

## Eſcam hamo circumponere. 47

Τὸ δέλεαρ τῷ ἀγκίστρῳ περιτιθέναι, eſt blanditiis verborum in errorem inducere, ac inſidiis circumuenire. Nazianz. Greg. preſbyter, Ælianus, Niceph. Philon.

## Nectar ſpirat. 48

Α'δύτι νέκταρος ὄσδει, flagrat nectaris inſtar. De re impensè ſuaui, aut quouis honore digna. Theocritus, Eubulus, Suidas, Ariſtides, Symmachus, Athenæus, Petronius. Nectar alij Deorum potum faciunt, alii cibum eorum.

## In triclinio choa. 49

In triclinio choa, & in cubiculo nola. In multibibam feminam & odiosè loquacem, præſertim vbi minimè decet, vti in cubiculo. Cæcilius, Fabius. Choa Græcis congius eſt, ſextariorum ſex capax.

### Obſerv. Giſelini.

Vel, vt Turneb. 3. Aduerſ. 19. explicat, in eam quæ libidinoſa, laſciua eſt in conuiuio, & quædam Venus Coa: in cubiculo verò à nulla etiam infanda, & Nolanis frequentatiſſima obſcœnitate abhorrens. Obiecta enim eſt hoc ænigmate Clodiæ ſpurcities oris, & omnis infanda libido.

## Alabandicum opus. 50

Α'λαβανδιακὸν σύγγραμμα, pro ſcripto inepto, & barbaro. Stephanus. Alabandæi Cariæ populus adeo ſtupidi & rudes fuere, vt in gymnaſiis athliticis apud eos ſtatuæ



Ayuntamiento de Madrid

viſerentur, habitu cauſſidicorum: & contrà, in foro iudiciario diſcos, aut ſimile quid manibus tenerent, ordine planè præpoſtero.

Veſtalium thoro purior. 51

De ſingulari caſtimonia. Symmachus, Auſonius. Veſtales pudicitiam xxx. annorum Veſtæ vouebant: & ſi vitium admiſiſſent, ſandapilæ impoſitæ efferebantur veluti funere, viuæque terra obruebantur.

In debiles debilis incidi. 52

Ε'ις ἀσθενοῦντας ἀσθενὴς ἐλήλυθα. De iis, qui paria cum aliis aut ſimilia patiuntur: aut qui opibus alterius magnis freti, præter opinionem caduco parieti connixos ſe fuiſſe reipſa experiuntur, taléſque nihilo plus poſſe, quàm ipſi valeant. videtur hauſtum è vulgo. Suidas.

Feſcennina licentia. 53

Pro immoderata verborum licentia, & laſciuia. Martianus, Liuius, Catullus. Feſcennium oppidum Campaniæ, vbi nuptiale carmen multa verborum procacitate reſperſum primum inuentum eſt. Licebit ita & Feſcenninum ſermonem, & Feſcenninos mores appellare impudicos.

In aceruum metere. 54

Πρὸς τὸν σωρὸν ἀμᾶσθαι. In eos, qui ad magna adſpirant, vel ardua ſuſcipiunt: aut qui edicta edictis accumulant. Suidas. Tralatio eſt à meſſoribus.

Παραφρυκτωρεῖν. 55

De more caſtrenſi, commilitonibus aut ſociis ſignum gerendæ rei dabatur, accenſa face, quæ φρυκτός dicitur. qua re qui abutitur, & perduellibus tali teſſera, quid agatur apud ſuos ſignificat; is παραφρυκτωρεῖν & παραφρυκτωρεύεσθαι dicebatur. Competet in ſimulatores, & proditores. Lyſias.

Pardus maculas non deponit. 56

Πάρδαλις οὐκ ἀποτίθεται τὸ κατάστικτον, οὐδὲ αἰθίοψ τὸ μέλαν. Pardus pellis maculas non deponit, neque Æthiops fuſcedinem. Inolitos mores fruſtra conamur deponere. Nazianz.

Domeſticum omne afficit. 57

Πᾶν τὸ οἰκεῖον πιέζει. Quæ cognata & propria nobis ſunt

Ayuntamiento de Madrid

vitia, nos maximè commouent, & excuſationem ſui moliri cogunt. Idem de calamitatibus, & periculis. Pindarus, Nazianz. Greg. preſbyter.

## Sex congios capit. 58

Ἓξ χόας χωρεῖται, ſubaudi, ὁ ἐγκέφαλος αὐτοῦ. In ſtolidos & emotæ mentis homines. Ariſtoph. metaphora ab vtre aut teſta.

## In caſſes inducere. 59

Εἰς ἄρκυς ἐμβάλλειν, pro irretire & inuoluere quempiam. Heliod. Stobæus, Philon.

## Aquam plorat, cùm lauat, profundere. 60

In præparcum, & ſordidum. Plautus.

## Supra clepſydram dicere. 61

Ὑπὲρ τὸ ὕδωρ ἐκχυνόμενον εἰπεῖν, ſupra infuſam aquam loqui, aquam perdere. De garrulis, qui loquentiæ multum habent, ſapientiæ parum, quíque verboſitate nimia tempus extrahunt. Budæus, Quinctil. Syneſius, Philoſtratus. Solebant veteres ad aquæ ſtillicidium orandi modum metiri productiore, breuioréque tempore circumſcriptum.

## Καρυκκεία. 62

De quauis re opipara, & palato grata: vel de opere ſcriptóue docto. Nam καρύκκην exponunt edulium Lydium exquiſito apparatu, & conditaneo iure in deliciis habitum. Greg. preſb. Syneſius, Athenæus.

## In Ægypto optarit eſſe potius. 63

Βουλήσεται καὶ ἐν αἰγύπτῳ τυχεῖν ἂν μᾶλλον, ἢ κεῖναι κακῶς, optarit in Ægypto eſſe potius, quam perperam iudicare. Imprecationis genus eſt, ad deteſtationem pertinens: vel quia Ægyptus latronibus infeſta ſemper fuit: vel quia regio illa ſole torreatur, pluuiis vix vnquā humecta. Suidas.

## Mare amnium non indiget. 64

Οὐδὲ θάλασσα δεῖται τῶν εἰσρεόντων ποταμῶν. Cùm innuemus quempiam ita ſuis animi dotibus inſtructum eſſe, vt acceſſione alieni præconii, aut externo adiumento opus non habeat. Nazianz.

## Impuro purum nefas contingere. 65

Μὴ καθαρῷ καθαροῦ ἐφάπτεσθαι, μὴ οὐ θεμιτὸν ᾖ non puro purum nephas ſit contingere, non magis, quàm ſordibus ſolari radio colluſtratis ipſum ſolem. Plato, Syneſius,

Ayuntamiento de Madrid

Nazianz. Clemens.

## Anus rabioſa. 66

Γραΐδιον λυττῶν. De litigioſis, quique inter ſe conuitiis certarent extulit Philoſtratus.

## Rudens omnis diſruptus eſt. 67

Πᾶν πεῖσμα διέρρηκται. Cùm conclamatam eſſe ſpem ſignificamus. Heliod. Nauis amiſſis funibus in mari vndarum fit ludibrium.

## Neceſſitas rationum inuentrix. 68

Εὑρετὴς ἄρα ἐστὶ λογισμῶν ἡ ἀνάγκη. Neceſſitate compulſi ea excogitamus, quæ aliâs ingenio inacceſſa viderentur. Heliod. Plutarch. Stobæus, Xenophon, Perſius.

## Vincat tuus tripes. 69

Νικήσειεν ὁ παρά σοι τρίπους, ἐγὼ δὲ ψευδόμαντις ἀποφανθείην. Tuus tripus vincat, egóque mendax vates inueniar. Vbi alicui proteruè pertinaci dicti veritatem concedimus, victoriam permittentes. Sumptum à tripode oraculari, cui inſiſtens vates hauſto numine vẽtura canebat. Heliodorus.

## Tanquam Gorgone conſpecta. 70

Ἡ δὲ ὥσπερ τὴν γοργοῦς θεασαμένη κεφαλήν. De repente attonito. Gorgones Phorcinis natæ fuerunt, vno oculo exemptili præditæ, tres, alatæ, anguibus loco crinium implexæ, aprugnis dentibus, manus habentes æneas, & alas: earum ſolo aſpectu obrigebant in ſaxa homines. Heliod. Homerus, Martialis, Æſchylus.

## Gorgonei capitis poſteritas. 71

Γοργείας κεφαλῆς ἀπόγονοι. De proteruis, detractoribus & faſtuoſis, qui quaſi fugant ab ſe aliorum congreſſum. Ariſtides.

## Eis, quæ ex triuio, ſimile. 72

Τὸ τοῖς ἐκ τῆς τριόδου παραπλησίως ἔχον. De rebus aut vocibus obſoletis & vulgaribus, quas Latini etiam triuiales vocant. Nazianz. Apuleius.

## A vipera morſum culpas, nunquam ipſe morſus. 73

Τὸν ἀπὸ τῆς ἐχίδνης δηχθέντα αἰτιᾷ μηδεπώποτ᾽ αὐτὸς δηχθείς. De eo, qui alienæ calamitati inſultat, nondum ex-

Ayuntamiento de Madrid

pertus fortunæ ſæuitiam. Ariſtides. Sumptum videtur ex apologis.

## Philoxeni codicillus. 74

Φιλοξένυ γραμμάτιον. De iis, qui repudiant oblatam conditionem, aut poſtulata peruicaciter reiiciunt. Philoxenus, cùm eius dythyrambos Dionyſius tyrannus audire faſtidiret, & tranſuerſo carmine iugulaſſet, in Latomias Syracuſarum carcerem miſſus: vnde liberatus iuſſu tyranni, ac Tarentum elapſus, ac per litteras à Dionyſio reuocatus, reſponſo illum dignatus non fuit: ſed arrepto codicillo α litteram identidem inſcripſit, quo votum illius reſciſſa amicitiæ teſſera repudiaret. Habet autem α negandi vim apud Græcos. Suidas.

OBSERV. GISEL.

Subſtitue: Philoxenus dythyramborum ſcriptor, cùm Dionyſij, cui carus erat, inepta carmina audire faſtidiret, &c.

## Ætna grauius. 75

Ætna & pro libidinis incentiuo, & pro re odioſè graui accipitur. Saluianus, Hieronymus, Euripides, Cicero, Nazianz. Natum ex illo. Verg. adagium videtur:

Fama eſt Enceladi ſemiuſtum fulmine corpus
Vrgeri mole hac, ingentemq́ue inſuper Ætnam
Impoſitam, ruptis flammam exſpirare caminis.

## Peliam recoquere. 76

Dicuntur medici, qui Venereæ virtutis ſpem ſenibus pollicentur: item quicunque veteribus auctoribus ſine certa antiquorum codicum ope reſtituendis incumbunt: qui denique qualemcunq; mutationem moliuntur, ſiue res bene cedat, ſiue ſecus. Plautus, Cicero, Martialis. Pelias corpus ſuum Medeæ recoquendum tradere cùm putaret quo repubeſcere poſſet, venenis necandum ſeſe dedit.

## Cum Æſone iuueneſcere. 77

Ἅμα τῷ Αἴσονι ἀνανεῶσθαι. In conualeſcentem à longo morbo: aut eum, qui in barbaris ſcriptis vitam aſſiduè conterens, bonarum litterarum lectione tædium illud leuat, & quaſi vires recipit. Syneſ. Eurip. Æſon (non Pelias, vti Plautus putabat) Iaſonis pater veneficiis Medeæ, & herbis iuuentæ reſtitutus eſſe dicitur.

Ayuntamiento de Madrid

## Coronidem imponere. 78

Τὴν κορωνίδα ἐπιθεῖναι. eſt abſoluto operi finem imponere. Syneſius, Nazianz. Heliod. Ariſtides, Heſiodus. Coronidem exponit Heſychius, quod in ædificiis poſtremo loco adiicitur, aut imponitur, turbinatum videlicet faſtigium, ſimileúe quid.

## In Ceo quis dies. 79

Ἐν κεῷ τίς ἡμέρα. De dubiis & parum compertis. Heſych. In Ceo inſula ſtatas ferias non habebant, ſed pro arbitrio eas quiſque ſuo, vbi commodum erat, celebrabāt.

## Aſiatici mores. 80

Pro mollibus, inconſtantibus, & luxu corruptis. Ammianus. Aſia, inquit Liuius, amœnitate, copia omnium rerum, mollitia & regiis opibus ditiores, quàm fortiores exercitus faciebat.

## Etiam ſaxa loquentur. 81

Καὶ λίθοι βοήσουσι, hyperbole de rebus admodum manifeſtis Ioan. Zezes.

## Quod ſal carni. 82

Καθάπερ φασὶ τοὺς ἅλας τοῖς κρέασιν, ἵνα μὴ ῥαδίως διαφθείρηται, quemadmodum ſal, vt dicitur, carni, ne facilè computreſcat. Cùm ſignificamus proprium aliquid eſſe & peculiare alicui rei, vt veritatem hiſtoriæ, delectationem poëticæ. Philon.

## Intus Hecuba, foris Helena. 83

De femina fucata: aut de ea quæ formoſa quidem eſt, ſed maledica: aut denique de libro ſpurco ſpecioſum titulum præferente, aut alioqui ornato. Nazianz.

Ἔνδοθι τὴν Ἑκάβην, ἔκτοθι τὴν Ἑλένην,

Turpem intus Hecubam, pulcram Helenámque foris.

Hecuba præ ſenio turpiſſima, propter maledicentiam in canem conuerſa fingitur. Plautus, Iuuenalis.

## Citius terra ætherem conſcendet. 84

Impoſſibilis conatus ſignificationē habēt illa Euripidis:

Πρόσθε γὰρ κάτω γῆς εἶσιν ἄστρα, γῆ τ' ἄνεισ' εἰς αἰθέρα,
πρὶν ἐξ ἐμοῦ σοι θῶπ' ἀπαντῆσαι λόγον.

Citius humo inſigentur aſtra, & ætherem
Terra occupabit, quàm verbis palper tibi.

Ayuntamiento de Madrid

Simile illud Zenonis : Ὅτι θᾶττον ἀσκὸν βαπτίσαι πλήρη πνεύματος, procliuius mergi poſſe vtrem vento diſtentum. Philon.

## Græca fides. 85

Pro dubia & varia, quippe quæ nulla eſſet, niſi præſente pecunia oculitus creditori ſatis daretur, Plautus, Polybius.

## Antrum Mercurii. 86

Ἄντρον τοῦ Ἑρμοῦ. Mercurij antrum ingrediuntur, qui libris inuigilant, rerúmque cognitioni operam nauant. Orpheus, Zezes.

## Flamma ſine Vulcano. 87

Πυρκαϊὰν ἀνήφαιστον, καὶ ἄξυλον appellabant curas & angores, affectúsque animum coquenteis : quo haud ſcio an vllum grauius ſit incendium, Ioan. Zezes, Virgilius.

## Edentulæ maxillæ. 88

Ἀμύλοι γνάθοι, In eum, qui lædere, aut fortunis alterius officere nequeat. Greg. Theſſaloniſenſis.

## Onerat aliquam Zamiam. 89

Onerare Zamiam, eſt moliri alicui detrimentum. ſiue quód ζημία Græcis etiam iacturam & damnum ſignificet: vt liquet ex Ariſtoph. Heſiod. & Nazianzeni exemplis, ſiue quòd nuces pinus, quæ ſe in ipſa arbore præ nimia, aut præpropera potius maturitate diuiſere Zamiæ vocentur, teſte Plinio, & niſi detrahantur, cæteras lædant. Ita in Plautum ſuum Camerarius.

## Mente ſenex. 90

Γέροντα τὸν νοῦν, σάρκα δ' ἡβῶσαν φέρει, mentem ſenilem, corpus at iuuenile habet. De eo, qui ætate iuuenis ſenilē grauitatem, prudentiámque præ ſe fert. Æſchylus, Nazianz. Pindarus, Nicephorus, Philoſtratus, Plutarchus.

## A cauda ad os transferre. 91

Ἀπ' οὐρᾶς ἐπὶ τὸ στόμα μετάγειν. pro, à calce ad initiū tranſferre, & quod loco vltimum eſt, primum facere: Plutarch.

## Siſyphus. 92

Pro impoſtore. Syneſius. Faciunt quidam Syſyphum Æoli filium, Corinthi regem, primum omnium dolis vtentem: Alij vafrum furem fuiſſe aiunt: Tertij virum in·

Ayuntamiento de Madrid

duſtrium, ingenio valentem Dercyllidam nomine: in quibus eſt Xenophon & Euſtath. Certè virum ſapientem fuiſſe ἔτυμον indicat. σιὸν enim deum ſonat Peloponneſijs: & σόφον Æoles σύφον vocant, vt ſi idem quod θεόσοφος, diuinarum rerum gnarus.

## Qualia loquitur canities. 93

Πολιᾶς ὅμοια μυθολογοῦσι, canitiei congrua effutire, eſt aniles fabulas, & deliramenta proferre. Nazianz. Olympiodorus, Plato, Philoſt. Et nos Belgæ nugas appellamus anilis colus euangelia.

## Gallus bibit, neque meit: myxus non bibit, attamem meit. 94

Ἀλέκτωρ πίνει, καὶ οὐκ οὐρεῖ: μύξος οὐ πίνει καὶ οὐρεῖ. De hominibus arrogantibus, & magnos ſpiritus gerentibus. citatur in Varini lexico. Myxus quidam Dianæ ſacerdos fuit homo ſtupidus & faſtuoſus.

## Λέμφος, muccus. 95

Ita appellant inſulſum, & nullius ingenij hominem Heſychius, Euſtath. Heren. Philon, & vulgò malè audiunt ſtoliditatis nomine quibus nares mucco diffluunt. λέμφος propriè muccus nariũ concretus. Et Libanius obeſæ naris hominem iubet ὑλίζειν τὰς ῥῖνας.

## Agnum demetere. 96

Ἀμνίον θερίζειν. De his qui ad pœnam conniuent, multáque in commodum tempus differunt: occaſione ſumpta ab agnis, qui à primo vere aſſeruantur in æſtatem ad idoneum tondendis lanarum villis tempus.

## Neceſſitatem edere. 97

Ἀναγκοφαγεῖν dicitur, qui neceſſitati vt conſulat, quiduis patitur. Dionyſ. Lõginus, Theopompus. Natum ab athletis qui ad neceſſitatem edunt, vt continuè firmitudinem illam quadratam corporis alant. Heſych. Vnde Ariſtot. ἀναγκοφαγίαν athletarum diætam appellat, velut neceſſariam ingurgitationem.

## Cucurbita glabrior, & vulſo Lydio glabrior. 98

In clauos & depiles. Poſterioris origo ea eſt, quòd olim, ludis Rom. pueri præſules glabri eſſent ac depiles, quos Romani Lydios appellabant. Plaut. Apuleius, Varro.

Ayuntamiento de Madrid

Nil cogitat planè boni vir arrigens. 99

Oὐδὲν φρονεῖ λίχνον ἐστυκὼς ἀνήρ. Libidinis furor prudentiam omnem expectorat, honeſtíque rationem ex animo delet. Euſtath. Suidas. ςύειν, ad pudendam ſignificationem tranſtulerunt etiam alij.

Herculis ira. 100.

Ἡρακλέους ὀργὴν appellant iram magno animo dignam, qua quis potentiores mauult inceſſere, quàm plebeios homunculos. Ariſtoph. Theocritus, Philon, Ariſtides.

# ADAGIORVM HADRIANI

## Iunij Centuria. viij.

Deo præeunte nullus officit obex. 1

ΘΕΟΥ διδόντος ἀρχὴν, οὐδὲν δεῖ τὸ κωλύον. Quoties ſignificabimus à Deo rerum principio conatus noſtri auſpicium ſumendum eſſe. Pindarus, Ariſtides, Suidas, Philon, Syneſius, Euſtathius, Plato, Aratus, Virgilius,

Daphnis inter paſtores primus. 2

Δάφνις παρὰ ποιμέσι πρᾶτος ἐγένετο. Quoties opinionem alicuius augeſcere, ipſumque admirationi eſſe innuemus. Syneſius. Sumptum ex Theocriti illo:

Κἠκ τούτω Δάφνις παρὰ ποιμέσι πρᾶτος ἔγεντο.
Daphnis ſe ex illo primum paſtoribus infert.

Daphnis Mercurij filius à Laureto in quo expoſitus fuerat, nomen inuenit. Bubulcus fuit in Sicilia, magni nominis primusque bucolicum carmen excogitauit, ex mœrore, vt quidam aiunt, quod fidem cum nympha quadam pactam frangens oculis orbaretur.

Eumeli equis magis conſimiles. 3

Τῶν ἵππων Εὐμήλου μᾶλλον ἀλλήλοις ἐοικότες. De rebus affinibus, aut hominibus conſimilibus, cùm ingenio, & moribus, tum corporis filo. Syneſius, Natum ex quodam carmine Homeri equas Eumeli deſcribentis:

Ὄτριχας, οἰέτεας, σταφύλῃ ἐπὶ νῶτον ἐΐσας.
Ardua adæquantes adamuſſim terga, piliſque

Ayuntamiento de Madrid

Conſimileis, annisque pareis.

## Sale conſperſi. 4

Ἁλίπαςοι dicuntur homines valetudinarij ſeu morboſi, in quibus pleræque naturæ actiones aut labefactæ ſunt. aut imbecillæ. Euſtathius. Ductum à littore, quod, quia ſalo alluitur nec fructum, nec ſementem profert. Torquebitur item non inuenuſtè in ſceleſtos & inemendabiles, qui nequitiæ ſalſugine permaduerunt.

## Addere gangrenam. 5

Pro geminare malum, aut veterem culpam nouæ noxæ acceſſione grauare. Arnobius, Varro, Lucillius.

## Taurus draconem, & draco taurum genuit. 6

Ταῦρος δράκοντος, καὶ πατὴρ ταύρου δράκων. Cùm diſcipulum, aut filium indocto præceptori aut improbo patri ſimilem prædicabimus. Iupiter aſſumpta ſpecie tauri matrem Cererem compreſſit, ex eaque Proſerpinam natam, cùm adoleuiſſet, ſucciplenam conſpicatus in draconis formam migrat, ſpiríſque pauidam virginem inuoluit: ex quo partu tauriformis proles exitiſſe memoratur. Arnobius, Clemens.

## Hectorem imitaris, ab Ilio nunquam recedis. 7

Iocus in paraſitum plus æquo gulæ deditum. Ilium inteſtinum eſt, per quod cibus receptus delabitur: vel in ganeonem: nam Ilium interdum pro impubio ſiue interfemineo muliebri accipi ſolet. Marullus.

## Animæ ſcrinium ſeruitus. 8

Ψυχῆς γλωττόκομον δουλεία. Vbi de cauſſa herili, aut magnatum rebus parum tutum colloquium eſſe ſignificabimus. Dion. Longinus. Eſt autem glottocomon tibiarum theca, & tibiæ lingularum receptaculum, quo etiam hîc alluſum eſt, vt denotetur ſeruitute coërceri linguam ceu ſcrinio incluſam. Alioqui pro ſcrinio aut ciſta vſurpatur.

## In cauea non canit luſcinia. 9

Ἡ ἀηδὼν ἐν οἰκίσκῳ μὴ ᾄδει. Ingenij libertate nihil preſtãtius ad res agendas: propterea quòd ſeruilis conditio animi ſinum coartet quodammodo ac præcludat. Homerus, Philon, Philoſtratus. Luſcinia non niſi in libero aëre modulatur

dulátur

Ayuntamiento de Madrid

dulatur: caueæ immiſſa obmuteſcit.

## Ne ſalem quidem dederit. 10

Οὐδ' ἅλα δοίη. In ſordidum, qui ne ſalis quidem micam largiri ſuſtineat, qui hoſpitibus dabatur omnibus. Homer. Dion. Chryſ.

## Nec vola nec veſtigium extat. 11

Cùm indicabimus incertos nos eſſe quo euadat oratio, vel vnde orta ſit. Simile cum illo, nec pes, Nec caput ſermonis apparet. Varro, Nonius, Æſchylus.

## Spongia medebitur. 12

Σπόγγος ἰάσεται. Quoties nos ſententiam mutaturos pollicebimur. Spongia extergebant menſas, præcipuéque abacos, in quibus ſcribebant, & ſcripta emendabant. Ariſtides, epigrammatographus quidam. A ſpõgia ἀποσφογγίζειν deductum prouerbij etiam ſpeciem habet, pro madorem imbibere & exſuccare. Clemens.

## Sybaris. 13.

Pro luxu ipſo, ipſaque delitiarum affluentia. Philoſtratus, Appianus, Greg. preſbiter, Eunapius. Sybaritarum vrbs opibus & deliciis affluentiſſima triginta aliquando armatorum myriadas aduerſus Crotoniatas miſit: quorum equi, extremi luxus teſtimonium, dum concinnis motitibus tripudiisque cierentur ad tympani & tibiæ pulſum, quomodo docti erant, ipſis exitio fuerunt. Accedit quòd vetuerint fabrilia opificia omnia, quotquot ſtrepitum edunt, intra vrbis mœnia exerceri, quò liberius indulgerent ſomno: qua de cauſſa etiam galli gallinacei vrbe exſulabant. Quid, quod primi matularum vſum in conuiuiis excogitarunt, ne ſæpius exurgendum foret: præterea & pelues, in quibus calda ſe abluerent Denique, cum cæteri homines negotiandi cauſſa, aut diſcendorum morum, viſendiúe regiones gratia peregrinari ſoleant, illi gloriabantur, ſe in Sybaridis & Crathidis fluminum pontibus conſeneſcere. Hæc ἐξ ἐπιτομῆς.

## Figura & triobolus. 14

Σχῆμα καὶ τριώβολον. In Ingenioſos, ſed niſi inſtiteris remiſſos, & non niſi præmiolis quibuſdam expugnabiles. Euſtath. Phrynichus tragicæ ſaltationis ita amans fuit, vt no-

h

uum genus ſaltandi (σχῆμα vocant) excogitantibus triobolum præmij vice numeraret. Pythagoras quoque ingenioſo diſcipulo, ſed ad excolendas diſciplinas tardiori pro quolibet mathematico ſchemate triobolum pepēdit.

## Iecorarius. 15

H'πατος, piſcis felle carens, metaphoricè homo placidi ingenij, & qui iraſci non poſſe videri queat. Eubulus cō.

## In paguro ſapientia. 16

Ε'ν παγούρῳ σοφία. De paruis ſiue rebus ſiue hominibus, quibus ſua gratia non deeſt: vel de eo, qui ſuis viribus diffiſus, cum fortiori congredi detractat. Pagurus enim cancri genus, quia quotannis ſpoliari ſe teſtea cruſta & aculeis ſentit, latebris ſuis verno tempore tantiſper ſe continet, dum noua eáque durior teſta ſuccreuerit. Ob eam prudentiam pagurus de collo Dianæ Epheſinæ olim ſuſpēdebatur. Cilix poëta. Epichar. cō. Lycoph. Euſtath.

## Hecales cena. 17

De frugali admodum, tenuíque apparatu: ab Hecale paupercula, cuius egenam cenam Theſeus non aſpernatus fuiſſe legitur. Iulianus. Ouid. Callimach.

## Canopiſmus. 18

Κανωπισμός. pro petulantia immodica: à delitiis ganeatis Canopi Ægypti oppidi. quod diſſolutis vtique hoſpitiis abundabat, tibiis tripudiíſque die ac noctu perſtrepebat. Euſtath. Strabo, Ammianus, Varro, Iuuenalis.

## Alexandrinæ deliciæ. 19

Similiter de luxu intemperante: ab Alexandria emporio copioſiſſimo, & opibus mercibuſque omnigenis affluentiſſ. Quinctilianus.

## Medica menſa. 20

Μηδικὴ τράπεζα. menſa exquiſitè ſumptuoſa, & opiparis apparatibus, à Medorū deliciis, qui Perſis contermini, in eorū mores defluxere. Syneſius, Dion. Thucidides. Aliter Athenagoras, pro immitibus cruentiſque epulis, reſpiciēs ad Aſtagem Medorum regem, qui Harpalo amico epulādum ipſius filium appoſuit.

## Papulas alienas obſeruās, ipſe vlcerib⁹ obſit⁹. 21

In eos, qui alienis in rebus oculatiſſimi ſunt domi ſuæ talpis cæciores. Seneca. Papulæ ſunt aſpredines cutis, qui-

Ayuntamiento de Madrid

bus ea rubet, & leuiter roditur.

## Vbi Atridarum ſcapha. 22

Non quæram, Πῦ σκάφος τῶν ἀτρειδῶν: Cicero innuens ſe minus ſollicitum eſſe de re nihil ad ſe pertinente: quomodo eſſe debent omnes liberalioribus artibus addicti. Simile illud Horatij:

Muſis amicus, triſtitiam & metus
Tradam proteruis in mare Creticum
Portare ventis, quis ſub arcto
Rex gelidæ metuatur oræ,
Quid Tyridaten terreat, vnicè Securus.

## Solæcus. 23

Σολοικίζειν, ſiue ſolæciſſare, pro, à publico vſu recedere. σολοικίζειν νοήματι, ſententia ab aliis diſſidere perperam. σολοικίζειν τὴν ἀκρόασιν, in auſcultando ſolœciſſare, Polemon Laodicæus Olympiis ludis præfectus, cum tragœdus indoctus ad ea verba, ὦ Ζεῦ terram commonſtraſſet, & rurſus ad illa ὦ γᾶ manus ad cælum extuliſſet, actorem e præmiorum participibus eraſit, dictitans: Οὗτος τῇ χειρὶ ἐσολοίκισε, hic manu Solœciſmum commiſit. Euſtath. Fabius, Plutarchus. Ita Cic ὑποσόλοικον, pro eo quod indecorum eſt. Anacreon, σόλοικον φθόγγον, lingua barbara. Eubulus, κρέας βόειον ἀσόλοικον, fructum bubulæ carnis nihil habēs vitii. Lucianus, σολοικισμὸν ἡδονῶν, pro voluptatũ abuſu.

## Iſthmum ſinapi bibit. 24

Ἰσθμὸν τὸ νάπυ ἔπινεν, Iſthmum ſinapi momordit, Pro eo qui ſtomachabundus animo ringitur, vel qui dicacitatis dat pœnas, cùm mordax conuitiorum ſinapi appetit iuguli iſthmum. Artemidorus: exponens euentũ ſomnii cuiusdã, quo is, qui viſus ſibi erat ebibiſſe liquidi ſinapi trituram, in ius vocatus capite luerat. Iſthmus etiam interſeptũ eſt narium, & oris gulæque interſepimentum, quod abſumptum iri ſinapis poculo denotabat ſomnium.

## Icci cena. 25

Ἴκκου δεῖπνον. De cęna frugali & pręparca, Euſtath. Ælianus. Iccus Tarentinus fuit medicus vitæ parſimonia celebris.

## In cinere ſcribere. 26

Εἰς τέφραν γράφειν, dicimur, cuius nullam habemus rationem, nihil penſi facientes. Alii interpretantur de co-

natu inani, quod characteras cineri impreſſos aura leuis confundat. Suidas.

## Frumentum in populum. 27

Πυρὺς εἰς δῆμον. Dicterium in ambitus ſuſpectos & officiis, muneribúſue gratiam vulgi demereri ſtudentes: cuiuſmodi fuere qui frumentum populo viritim diuidendo, tyrannidis gratia id facere putabantur. Cicero.

## Iciens ictus eſt. 28

Βέβληκαι βαλών In accerſentem ſibi ipſi malum. Euſtath. Philoſt. Ortum ab Hercule quem ſtatua, quam antea lapide percuſſerat, virum eſſe eam ſuſpicatus, reſultu lapidis referiit.

## Aſteropæus, ambidexter. 29

De homine ingenioſo ad obeũda quæcũque munia. Libanius, Athenæus. Aſteropæum Homerus deſcribit ambidexterum heroa. Vnde & ἀμφιδέξιοι dicuntur ij, qui ad ad omnia exprompti ſunt, nuſquam hærent. Hipponax, Plutarchus: contrà ἀμφαριστεροί, ambilæui, inuenuſti & inepti. Ariſtoph.

## Mulctores reip. peſtis. 30

Ἀμοργοὶ ſiue ἀμολγοὶ ſiue μοργοὶ πόλεος ὄλετροι. De oratoribus, qui olim fecundiore aliquanto lucro, quàm nũc aduocati, factiones venali lingua fouendo, & Reip. ærarium expilabant, & plebem exſugebant temporariis patrimoniis. Certè Demadi Athenienſi talenta decem oblata ſunt, tantùm vt tacendo cauſſæ ne efficeret. Euſtathius Ariſtophanes.

## Argentea fame conuiuari. 32

Ἀργυρέῳ λιμῷ ἑστιᾶν ἢ ἀλαπινάζειν, dicuntur, qui verè ſplendidam .i. argenteis lancibus onuſtam, ſed obſoniorum inanem menſam apponunt. Epigrammatarius, Martialis, Petronius.

## Qui celocem regere nequit, onerariam petit. 32

In aggredientem maiora, quàm ferre valeant humeri. Apuleius. Celox nauigium breue & celere, facilèque rectori paret. Oneraria grauis eſt & tarda de onere cui ferẽdo accommoda eſt. Simile illud Appiani. ἐρέτην δεῖ πρῶτον γενέσθαι, πρὶν πηδαλίοις ἐπιχειρεῖν, remigem eſſe oportet

Ayuntamiento de Madrid

prius, quàm tractando gubernaculo manum admoueas.

### Aranearum plenus aluus. 33

Ἀραχνίων μεστὴν ἔχεις τὴν γαστέρα, Araneis refertus eſt aluus tibi. De egeſtate extrema. Cratinus com. Catullus, Plautus.

### Μυσσάλμης, aut μυστάλμης. 34

De victitante parciſſimè, ἐκ τοῦ μυστιλᾶσθαι ἅλμην, vt ſignificet muriæ ſorptorem, qui, vt impendiis parcat, etiam nauteam biberit: ſolebant alioqui ſordidi homines apparare è marina ſalſugine viliſſimum embamma, loco gari alteriuſúe cibi, aut moreti carioris: vel homine tenui, & laborioſæ omnino vitæ, vt ſit idem μυσσάλμης, quod μῦς ἐν πίσσῃ, mus in pice, ſiue μῦς ἐν ἅλμῃ. Euſtathius.

### De paxillo ſuſpendere. 35

Πασσάλου ἀνακρεμάσαι. clauo ſuſpendere dicimur quod negligentiùs curamus: tranſlatione ab ijs, qui non reponunt aliquid accuratè, ſed, velut aliud agentes primo inſtrumẽto obuio appendũt. Euſtathius. Simile κρεμάσαι τὴν ἀσπίδα, clypeum ſuſpendere, pro in pace verſari.

### Inter Soſias & Tybios referre. 36

Εἰς σωσίας καὶ τιβίους ἀποδιδόναι. dicimur, cùm meritos proſtituimus, & in claſſem ipſis indignam redigimus. Syneſius, Galenus. Soſiæ in comœdiis perſonæ ſeruiles ſunt. Tibii Ponti accolæ, empticii ſerui fuerunt.

### Oreſtis ſomnium. 37

Ὀρέστειος ὄνειρος. De re fabuloſa & commenticia. Galenus, Chryſoſtomus.

### Reperit patella operculum. 38

Εὗρεν ἡ λοπὰς τὸ πῶμα. Quoties vecordi marito fatua vxor obtigit: difficili homini res eſt cum moroſo, Varro, Hieronym.

### Vitex floret, & botrus maturuit. 39

Ἡ ἄγνος ἀνθεῖ, καὶ ὁ βότρυς πεπαίνεται, Flos vitice exit, & botrus maturuit. Cum indicabimus tempus eſſe, vt iuuenis maturi ingenij ſpecimen edat. Plutarch. Ἄγνος ſalix Amerina ſeu vitex Latinis: ab eo, quòd eius frondes thori loco ſubſtratæ Venerem cohibeant, nomen habet. ἄγονον enim eſt genituræ inimicum.



Ayuntamiento de Madrid

## Exungare. 40

Ἐξονυχίζειν τὸν ἄκρατον, exungare merum, pro natiuam eius, vim percolatione frangere, leonis inſtar, qui vnguibus, armatura naturali, priuatur. Plutarch. Apud Athenæũ verò vſurpatur, pro, penſiculatè & ad vnguem examinare.

## Nouus iſte Palæphatus. 41

Καινὸς οὗτος παλαίφατος. In aſſertores rerum, quæ non merentur fidem. Athenæus, Virgil. Fuit Palæphatus ſcriptor fabuloſarum narrationum, quas ad hiſtorias transferebat: exſtatque hodie eius τῶν ἀπίστων liber.

## Aliud quippiam exorna. 42

Ἄλλο μέν τι ποίκιλλε, aliud coloribus exorna. Quoties oſtendemus, nos alterius fucum & dolos ſubodoratos eſſe, iubebimúſque eundem alios ironicè comminiſci. Syneſius. Sumptũ à pictoribus, qui colorum delinimentis variis rem exornant. Sic & ποικίλλειν, variegare, pro verborũ illecebris venuſtare vſurparunt etiam Plutarch. Sophoc.

## Lutea progenies. 43

Πηλογόνοι, dicuntur vaſti homines & ignobiles, παρὰ τὸ ἐκ πηλοῦ γεγονέναι, quaſi ex luto prognati. Callimachus, Minutius, Tertullianus. Eodem ſenſu γηγενεῖς, terrigenæ dicuntur ſtupidi, inſulſi, & ignobiles. Alexis Com. Quin & Gigantes non alij, quàm ἐκ γῆς γεγενημένοι, humo enati ſunt. Sic & γεώλοφον appellabant craſſum & indocilem, à terrei collis mole. Dionyſius, Euſtath. Theodoritus.

## Inteſtina adolens, ipſe carnes deuorat. 44

Δελφοῖσι θύσας αὐτὸς ὀψωνεῖ κρέας. In eum qui deteriora aliis ponit, potiora ſibi ſeruat, exemplo Promethei, qui oſſa adipe cõtecta Ioui apponebat, ſeruatis ſibi carnibus: aut qui facit quidem quod decet, ſed non ſine ſuo commodo. Plutarchus. δελφὸς ſiue δελφὺς vulua porcorum Latinis eſt.

## Præſente quercu ligna quiuis colligit. 45

Δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται. Facilè cuiuis eſt ſcribere, cum res ſe vbertim ſuggerunt. Scoliaſtes Theocriti.

## Ventis & mare & ignis ſeruiunt. 46

Ἀνέμοις θάλασσα καὶ πῦρ δουλεύει. Magnates, tametſi pro ſuo arbitratu imperium in minores exerceant, à poten-

Ayuntamiento de Madrid

tiorum dynaſtarum nutu tamen pendent: Sic humanæ leges, quarum auctoritas magna eſt, diuinis cedunt.

## Paphlagones. 47

De locutuleiis, futilibus & garrulis. Homerus, Euſtath. Ariſtoph. Eoſdem alij παφλάζειν dicunt, verbo fictitio, marinarum vndarum ſtrepitum mentiente, quando vndam vnda ſuperuenit, aut in litus allidituꝛ, quod item verbum Comici de olla ebulliente extulerunt in illo ſenario, alioqui prouerbiali in ineptos & barbaros,

Λοπὰς παφλάζει βαρβάροις λαλήμασι.

Ebullit olla voce prorſus barbara.

## Intra limites proprios conſiſtere. 48

Ἐντὸς τῶν οἰκείων ὅρων ἑστάναι dicitur, qui modulum ingenij eruditioniſque ſuæ non excedit, neque magnificè de ſe ſentit, aut crepat. Iulianus, Nazianz.

## Ὑπόξυλοι. 49

Quaſi ligneum dicitur, quidquid ineptum eſt, ſiue ad rem, ſiue ad perſonam id transferas. Hermogenes ὑποξύλους σοφιστὰς appellat frigidos & inſulſos: Sic & Alexis Com. σῶμ' ὑπόξυλον.

## Gratia non ducitur pœnitentia. 50

Χάρις ἀμεταμέλητος, Gratia pœnitentiæ expers eſt, neque beneficium collatum reuocat. Quoties ſignificabimus nos beneficij non pœnitere. Theophraſtus, Atheneus, Terent.

## Spes ſubuentanea. 51

Ἀνεμιαῖος ἐλπίς. Spes territa & fruſtranea, à fugaci tenuitate venti, quo nihil fallacius. Alciphron, Euſtath. Sic oua inania ἀνεμιαῖα, & ὑπηνέμια Græci vocant.

## Corticeus. 52

Similiter φλοιώδη ἄνδρα appellant vanum, & futilem, ac corticis inſtar abſque pondere innatantem. Longinus. Diuerſum illud apud Laërtium, ἀπελέκητον ἔχειν φωνὴν καὶ φλοιοῦ μεστήν, vocem habere indolatam & cortice plenam: quod transferri poterit ad opus aliquod rude, & ſine cura ſcriptum.

## Oreſtis inſaniam inſanire. 53

Τὴν ὀρέστου μανίαν νοσεῖν. Oreſtis inſaniæ pleni ſunt libri,



Ayuntamiento de Madrid

qua diræ ſcelerum vltrices furiæ illum exagitarunt parricidij reum.

## Tria Theramenis cauenda. 54

Τὰδ' ἔστι τρία θηραμένους, ἃ σοὶ φυλακτέ' ἔστιν. Cùm periculum ingens denunciamus, aut negotium aliquod periculi plenum cauendum eſſe. Polyzelus Com. Ariſtoph. Menander. Theramenes, cuius dubia in Reip. adminiſtratione fides litteris conſignata eſt, tria pœnarum genera Athenis inuexit, aut ſtipiti alligatum corpus lictori excarnificandum dare: aut cicutæ poculum ebibere: aut exſilio ſolum vertere. Non diſſimile illud Suidæ, capitis reis tria apponi ſolere, gladium, reſtim, & cicutæ potiunculam, quæ nominabant, τὰ τρία τὰ εἰς θάνατον.

## Aurei generis. 55

Χρυσοῦ γένους eſſe dicuntur auruginoſi, ſuffuſum bile crocea corpus habẽtes, aliter dicti πύξινοι, à buxei ligni flauedine. Euſtath. χρυσοῦν γένος tamen antiquitas vocabat integros, ſceleriſque puros, quod aurum æruginem non ſentiat. Heſiod.

## Aureum lac delibare. 56

Χρυσοῦ γάλακτος ἀπογεύεσθαι dicuntur, qui è doctrina aut concione præſtantis viri profectum capiunt. Niceph. Sic B. Paulus doctrinam lac vocat. Hieronymus ad eloquentiam doctoris eruditi tranſtulit, cuius os lacteo eloquentię fonte manabat.

## Vita ſuilla. 57

Ὑώδης βίος. ſpurcum & contaminatum viuendi genus. Clemens, Ariſtophanis interpres. ὑώδεις etiam ſtolidi dicũtur apud Comicos, & ὑηνία, imperitia, & συηνεῖν, indoctè & inſulſè ſuum more aliquid conari.

## Currulis. 58

Cyrillus ἐπιδιφρίους ἰατροὺς appellat medicos ſupercilij plenos, qui pompoſè inuecti curru, & quaſi obuiorum cõgreſſus aſpernati de curru pharmaca præſcribebant. Torqueri poterit in quoſuis glorioſos, præſertim aulicos, non ἐπιδιφρίους, ſed ἐφημιονίους, holoſericatis mulis inuectos.

## Supra fumum clauus. 59

Πηδάλιον δ' εὐεργὲς ὑπὲρ καπνοῦ κρεμάσασθαι, gubernacu-

Ayuntamiento de Madrid

lum affabrè factum ſupra fumum ſuſpendere, dicuntur homines ſecuri: aut quicunque non vtenſilia ſolùm, ſed omnia etiam alia negligentius habent. Heſiodus, Nazianz. Euſtath. Contra diligentiæ nauatæ indicium eſt illud Vlyſſis ad Telemachum ἐκ καπνοῦ κατέθηκα, extra fumum depoſui.

## Fluctibus obloqui. 60

Πρὸς κύματα λαλεῖν dicuntur, quibus cum refractariis res eſt. Euſtath. Aeſchylus.

## Aeſopicum onus. 61

Αἰσώπειος φόρτος. Onus quod non vſquequaque grauat, ſed paulatim leuius redditur, quale eſt docentis. Natum ab Aeſopo, qui commeatum in longum iter paratum humeris exportandum in ſe recepit, ſperans fore, vt demenſo dietim inde in cibum abſumpto onus decreſceret: cùm conſeruis eius ſarcinæ propter diuturnitatem itineris ingraueſcerent.

## Lapis ad funiculum. 62

Λίθος ποτὶ στάθμαν εὐθετεῖται, οὐ στάθμα ποτὶ λίθον συνδέχεται, Lapis ad funiculum aptatur, non autem funiculus ad lapidem componitur. Vbi quid rectè fit, & ex vſu. Inuerti poterit, vbi omnia præpoſterè geruntur. Greg. Palama. Eurip. Scholiaſtes, Apollonij interpres. στάθμη funiculus eſt fabrorum cæmentariorum, quem ad perpendiculi normam extendunt, vt lapidum coria concinnius aptent.

## Μάσθλης ἄνθρωπος. 63

Vafer ardelio, & inſignitæ improbitatis: vel homo ingenio ad quamuis aurulam mutabili. Ariſtoph. Ariſtides, Sappho. Eſt μάσθλης lorum maceratum, in omnia propter humorem imbibitum flexile.

## Gygis opes. 64

Γύγου πλοῦτος, opes maximæ, & inexhauſtæ. Anacreon, Alphæus, Greg. Theſſalonicenſis Conſtat Gygen, qui interfecto Candaule rege pretium adulterij Lydiæ regnum eſt adeptus, infinitas opes, præſertim è metallis habuiſſe, primúmque omnium tyrannum appellatum eſſe. Strabo, Clemens.

## Capræ anniculæ pera. 65

Ayuntamiento de Madrid

Αἰγὸς ἐπιαρνητῆνος ἐρυθρῦ πήρη ἀρίστη, Anniculæ capræ ruſſæ pera optima fertur, videtur confictum ad commendationem puellaris ætatis, ſunt enim ἀρνητῆνες anniculi agni. Vtemur eo, ſi quando eundem iuuenem præclaræ ſpei, & modeſtum laudabimus, qui poſtea ſenij vitio moroſus intolerabiliſque euaſit. Euſtath.

## Tibi ipſe calendas edicito. 66

Σεαυτῷ νουμηνίαν κηρύσσειν, Tibi ipſi nouilunij diem edicito. Vtemur cùm alicuius arbitrio permittimus quippiã, vt pro ſuo iure ſtatuat, quod velit. Heſychius. Olim cùm à ſacerdotibus petenda eſſet feriarum ratio, præconis publici voce in vulgus edebatur auſpex cuiuſque menſis dies, qui ipſis feriatus erat. Alij originem referunt ad Cæã inſulam, de qua in prouerbio, In Cæo quis dies.

## Phæacum more viuere. 67

Φαιακικῶς ζῆν dicuntur homines voluptarij in dies cuticulam curantes. Euſtath. Horatius, Plutarch. Corcyræ inſulæ indigenæ, Phæaces dicti, quomodo vixerint, liquet ex illis Hom.

Αἰεὶ δ' ἡμῖν δαῖς τε φίλη κίθαρίς τε χοροί τε
Εἵματά τ' ἐξημοιβὰ, λοετρά τε θερμὰ καὶ εὐναί.
Nos recreant citharæ, choreæ, & conuiuia ſemper,
Mutatæque placent veſtes, caldáque lauamur.

## Diſſidij pomum. 68

Ἔριδος τὸ μῆλον ἐς μέσον βάλλειν. De auctore diſſidij & rixarum. Nicephorus. Eris diſcordiæ dea in conuiuio Dearum, proiecit inter accumbentes Deas pomum inſcriptũ, vt pulcherrimæ cederet.

## Per fideicommiſſa quædam. 69

Pro eo quod per alium fit, aliena fide & auctoritate. Arnobius Fideicommiſſum, quo teſtator alienæ fidei credit quod alteri daturus ſit: veluti ſi dicamus nos Verrij Flacci lexicon à Sexto Pompeio per quædam fideicommiſſa accepiſſe.

## Acernus. 70

Σφενδάμνινος dicitur homo robuſtus & ſtrenuus: ab acere arbore ob duritiem, & ſoliditatem inuicta, & ad ſubtilia opera maximè vtili. Ariſtoph. Euſtath.

Ayuntamiento de Madrid

## Xenocratis teſtimonium. 71

De teſtimonio indubitato. Siquidem cùm nemini iniurato teſtari liceret apud Athenienſes, ſoli huic iuſiurãdum remiſſum fuit. Simile, Metelli tabulæ, pro integris, quibúſque non inſpectis fides haberi poſſit. Cicero, Laërtius.

## Codri. 72

Κόδροι, quicunque præ ſenio delirant. Euſtath. Codrus antiquiſſimus Athenienſium rex veſtem paſtoralem indutus caſtris hoſtium ſe immiſcuit, ibíque de induſtria impudenter rixas ciens interemptus eſt, vt ciuitati obſeſſæ ſua nece ſalutem pareret. Paterculus.

## Cecrope generoſior. 73

Κέκροπος εὐγενέστερος. Homo antiquiſſimæ nobilitatis: à Cecrope Aegyptio qui Sai Aegypti vrbe oriundus in Atticã appulit, regnúmque ibi adeptus primus vni viro vnã vxorem coniungendam ſtatuit. vnde & διφυὴς, biformis dictus eſt. Lucianus, Syneſius, Athenæus. Simile illud Iuuenalis;

Tu licet à Pico numeres genus. & mox,
Inter maiores ipſum Promethea ponas.

## Vlyſſis vinculum. 74

Ὀδυσσέως δεσμὸς. De rebus tuto ſepoſitis & obſeratis. Sũptum ex illo Homeri, vbi Vlyſſes

Θοῶς δ' ἐπὶ δεσμὸν ἴηλε
Ποικίλον, ὅν ποτέ μιν δέδαε φρεσὶ πότνια Κίρκη.
Continuò vinclum iniicit ille
Firmum, quod quondam monſtrarat nectere Circe.

Euſtath. Solebant veteres ſua vinculis munire: recentior eſt clauium vſus, Laconum, vt volunt, inuentum.

## Vulgari piſci ſpinæ non inſunt. 75

Ἐν ξυνῷ ἰχθύι ἄκανθαι οὐκ ἔνεισιν. Vulgus hominum non ita lædere poteſt, vt magnates: neque, vt docti, argumenta obiecta diſſoluere. Plutarch. Contrarium illud Aeliani, ἔργον ἐστὶν εὑρεῖν ἰχθὺν ἄκανθαν μὴ ἔχοντα. innuens difficulter virum reperiri, qui nihil habeat doloſi.

## Arundinea crura, & tabis propheta. 76

Καλάμινα σκέλη φορῶν, φθόης προφήτης. De homuncione macilento, & morboſo, qualis Sineſias Dithirambicus

Ayuntamiento de Madrid

poëta, qui tiliaceis aſſeribus circumquaque ſe cingebat, ne exile & prælongum corpuſculum vltro citróque ſe inflecteret. Platon Com. Galenus.

## Expiatis bona obtingunt. 77

Τρὶς δ' ἀπομαξαμένοισι θεοὶ διδόασιν ἄμεινον. Dant bona cuncta Dei, ter viuo flumine tinctis. Quando poſtulabimus participes fieri ſcientiæ reconditæ, tanquàm ſymmiſtæ, Athenæus. Solebant olim, antequàm ſacra attingerent luſtrari ter ſe lauando, aut circumferendo, id eſt, purgãdo.

## Nodorum vincula texentes. 78

Quos vitilitigatores vocauit Cato, eos Democritus dixit ἐριδαντέας, & ἱμαντελικτέας: illud quòd iurgia ſerant contentioſi, hoc verò, quòd velut nexus quoſdam vinculorum implicent, quibus alios inuoluant. Clemens, Plutarch.

## Verſatilior cardine. 79

Γιγγλύμου πολυστροφώτερος, & στρόφις vnica voce, de eo qui dexterè in rebus agendis explicare ſe, & qui volubilitate innata aliis imponere nouit. Suidas. Ginglymi, ſiue cardines partem habent concauam, & exſtantem: illa protuberantes eminentias excipiunt, hæc concauitates incunt.

## Lycurgeus. 80

Καταλυκουργίζειν, pro, tetricum ac ſeuerum iudicem agere. Cic. Alciphron. Lycurgus arteis excludebat, & peregrinos ciuitatis vſu interdicebat. Plutarch.

## Tripuer ſenex. 81

Τρίπαιδα γέροντα, ſenex iam tertiò puer. De vetulo decrepito. Alciphrõ. Ita Næuius Neſtora appellabat triſeclisſenem.

## Terram continentem incolentes mare deſiderant. 82

Ἠπειρῶται οἰκοῦντες θάλατταν ποθοῦσι, καὶ πάλιν οἱ νησιῶται τοὔμπαλιν ἠπείρου γλίχονται, qui continentem habitant, mare deſiderant, rurſus inſulani continentem terram exoptant. Diuerſa ſemper laudamus, noſtra ſorte nunquam contenti. Hippocrates.

## Coruus abſente graculo pulcher. 83

Cùm comparabimus duos, qui æquè propemodum in vitio ſunt: vt ſi dicamus de Salluſtio ad Calenum Fuſium,

immaniter in Ciceronem, virulentum comparato, καλλιῶ ὄντος τὸν χόραχα ἐυπρεπῆς ἄιαι ὄρνεοι.

## Virtutem infortunatam deſpicere, miſerum. 84

Α'ισχρὸν ϗ σχέτλιον ἀρετὴν ἀτυχοῦσαν περιορᾶν. Turpe ac miſerum hominem virtute præditum, ſed fortunæ procellis deiectum deſpicari. Hoc Ariſtotelis dictum vſurpauit Mithridates, cùm Pomponium Luculli equitum magiſtrum confidentiùs, quàm pro captiui ſorte locutum, barbari interficiendum cenſerent. Appianus, Syneſius.

## Priſca manus. 85

Α'ρχαίας χειρὸς opus eſſe dicemus, quod elegans eſt, & artis plenum. Syneſius. Tractum à ſtatuis, in quibus affabrè ſculpendis curioſi erant veteres, quæque ad ſui admirationem tempore egent.

## Xenocratem modeſtia ſuperat. 86

Σεμνοπροσωποῦσιν ὑπὲρ τὰς ξενοκράτους εἰκόνας. Modeſtia vultus compoſiti, Xenocratis effigiem ſuperant. In philoſophaſtros ſanctimoniam neſcio quam vultu præferentes. De Xenocratis continentia vide ſup. 100. & tom. 1. 175. Syneſius.

## Medium ſequere. 87

Μὴ σύντονον δίωκε, μήτ᾽ ἀνειμένην,
Ι'αστὶ οὖσαν, ἀλλὰ τὴν μέσην νέων,
Ne ſequere mollem, quem vocant Ionicum.
Néue aſperum tonum, viam at mediam tene.

Vbi modum, quo ſine nihil rectè fit, ſuadebimus. Lydii modi lugubre quid ſonant: Ionici molle: Dorii quid medium, inter vtrunque. vide prouerbium, Muſicus apparatus. Athenæus, Damaſcius.

## Cerdo cras, hodie nihil. 88

Hoc libri titulo Varro variabilem rerum humanarũ ſortem ſignificabat. Conforme illud Anaxandridæ Comici:

Πολλοὶ δὲ νῦν μέν εἰσιν οὐκ ἐλεύθεροι
Ε'ς τ᾽ ἄυριον δὲ σουνιῆς, εἶτ᾽ εἰς τρίτην
Α'γορᾷ κέχρηνται. τὸν γὰρ οἴακα στρέφει Δαίμων ἑκάστῳ.

Multi eorum, qui hodie ſerui ſunt, cras Sunienſes, id eſt, mercatores (à Sunio nobili emporio) euadent, perendie ciuilium rerum gubernaculis admouendi. Fors namque

clauum verſat homini cuilibet. Ariſtoph. νῦν μὲν οὐδείς, αὔριον δὲ ὑπέρμεγας, qui nunc nullus, cras prægnagnus.

OBSERV. GISBL.

Mutauit hunc Varronis titulum ex vet. l. in Marcelli ſui editione Iunius, ſcripſitque, Cras credo, hodie nihil: vt ſit diffidentis, & procraſtinatione mendacium eludentis, quo nihil vulgi ſermone tritius.

Alia apud alios bona. 89

Ἄλλα παρ' ἄλλοις καλά. De ingeniorum varietate. Homerus.

Puluere extrito decertat. 90

Κόνιν ἀποψησάμενος ἀγωνίζεται. In eum qui victus animum reſumit, & ad conflictum redit, quaſi deterſis puluerís ſordibus. Euſtath.

Lada pernicior. 91

De ſumma velocitate. Catullus, Iuuenalis. Teſtatur Solinus ita, ſupra cauum puluerem Ladam curſitaſſe, vt arenis pendentibus nulla veſtigiorum indicia relinqueret. Pulchrè Horatius cuidam ipſius carmina ſuis interſerenti illudens: Habeas licebit alterum pedem Ladæ?

Inepte, fruſtrà crure ligneo curres.

Hercules in Lydia. 92

Ἡρακλῆς ἐν Λυδοῖς. Quicunque cultu corporis effæminatior incedit, indecoro vtens habitu, vt miles in toga talari conſpicuus. Ariſtides, Tertull. Quàm muliebriter ſe Hercules geſſerit apud Omphalem Lydiæ reginã, notum.

Aſino gramen & baculus. 93

Ὄνῳ χόρτος, καὶ ῥάβδος, δούλῳ ἄρτος καὶ μάστιγες. Aſino fænum & baculus, ſeruo panis & ſcutica. Duriter habendi ſunt, qui nihil rectè faciunt, niſi flagris vrgeas. Greg. Palama.

Paruis parua dant Dii. 94

Ἀεὶ τοῖς μικροῖς μικρὰ διδοῦσι θεοί. Largitur paruis vſque puſilla Deus. Tenuis conditionis homines tenui oblata ſorte non ſecus exſultant, quàm magna ſolent magnates. Callimachus, Artemidorus.

Agri podex. 95

Πυγὴ ἀγροῦ. De reſtibili agri fertilitate: tranſlatione à carnulentis natibus. ſic οὖθαρ ἀρούρης, idem cum illo Verg. vber

Ayuntamiento de Madrid

glebæ. Homerus etiam γυιὸν ἀλωῆς dixit: Varro, ſumen terræ. Quidam efferunt adagium de immodicè ruſticanis: alii dici volunt de otioſis, quíque in re quauis delicatius verſantur. Euſtath. Annotat tamen Heſychius locupletes dici ἀχῦ πυγὰς, velut agris ſuffarcinatos.

## Cylones. 96

Publicæ libertatis oppreſſores, flagitioſi. Cylon Athenienſis potens cùm ad tyrannidem adſpiraret fretus oraculo perperam intellecto, malè tandem re geſta, in Eumenidum ara, ad quam confugerat, confoſſus periit. vnde κυλώνιον ἄγος, Cylonium ſcelus. Cicero, Suidas, Herodotus. Alioqui Cylones aut Cillones dicuntur, qui impuræ ſunt vitæ: ab antiquo verbo Cillire, quod mouere ſignificat: Alij Chilones vocant τοὺς χείλεσιν αἰσχρουργοῦντας μολυνομένους.

## Vna clamore Neadas ſuperat. 97

Μεῖζον μία τῶν νηάδων. In clamoſas mulieres. Ælianus, Iuuenalis. Neades animantia ſunt, quorum clamore terra in hiatum diſcedat: eorumque ob multitudinem Samus deſerta eſt ab incolis.

## Chiorum more pilos vellere. 98

Χιαστὶ τίλλειν. In molles, & compturæ plus æquo ſtudioſos, quíque depilari radiúe ſe identidem patiuntur, quò niteat cutis. Euſtat. Chiorum laſciuia aliis quoque prouerbiis innotuit.

## Cane impudentior. 99

Κυνῶν κύντερος, canibus caninior. In homines perfrictæ frontis, quíque nihil penſi faciunt. Suidas. Eoſdem Hom. vocat κυνὸς ὄμματ' ἔχοντας, canino ore, Æſchylus, κυνοθρασεῖς, canina audacia; Heſich. κυνοβλῶπας, canino intuitu; Ariſtoph. κυνοκεφάλους, alii κυνεῖς & κυνῶπας. Hinc κυνομυῖα, canina muſca, impudens mulier vocatur à duobus animantibus notæ impudentiæ.

## Seplaſia dignus. 100

De homine delicato, & opiparo: à Seplaſia platea Capuæ, in qua vnguentarii negotiari erant ſoliti. Cic. Diſſimile illud eiuſdem. Capillo ita ruſticano, vt Capua Seplaſiam ſublaturus videatur. De tetrico, & voluptatum contemptore.

Ayuntamiento de Madrid

## In ſolum. 1

SI c. Conuiuio delector, ibi loquor aliquid, quod in ſolum, vt dicitur: ſubaudi, illidi dignum ſit, id eſt, nonnulla ridicula atque obliuione obruenda. Trahi poterat ad vulgaria & triuialia, quomodo ὑδαῖον, quod Græcis ſonat, humile & abiectum, ab ὑδὸς, pauimentum. Forte natum à potoribus, quod reliquum in fundo calicis poculiue ſubſidet, in ſolum effundentibus.

OBSERV. GISEL.

Turnebus 4. Aduerſar. 2. in hunc Ciceronis locum ad Pætum: Vt ea demum nobis eſſe videntur, quæ ſenſibus comprehendimus, velut quæ vel tangimus, vel cernimus: ſic cùm omnia propè ferat ſolum, id ſolum eſſe exiſtimamus, quòd in eo videmus, & omnia, quæ ſunt in rerum natura, eo ſuſtineri putamus. Proinde quod in ſolum, valet, quicquid eſt, quicquid accidit, quicquid ſeſe offert. In hanc ſententiam etiam lib. de nat. deorum dicit, quodcunque in ſolum venit, vt dicitur, effingis & efficis, id eſt, quicquid in rerum natura eſt. Varro: Qui nomina non noui, quod in ſolum mihi venerit ponam, id eſt, quodcunque nomen ſe mihi obtulerit, & in buccam venerit.

## Piſcium vita. 2.

De intolerabili potentiorum ſuperbia erga tenuiores, qua deglubere tantum non eos ſtudent, bonis exuere. Polybius, Varro, Oppianus.

## Sol exorere. 3

Ἔξεχ' ὦ ἥλιε. In tergiuerſatores, vt cùm docti viri ſua ſcripta ſupprimentis, pudorem caſtigabimus. Euſtath. Ariſtoph.

## Retibus confert, nihil tamen capit. 4

Δοῦναι μὲν εἰς ἐπιχτρίαν, λαβεῖν δὲ μὴ, dicuntur, qui alienis inſeruiunt commodis, ſuo incommodo. Heſych.

## Nitedula ex vepribus. 5

Cùm quis in ſummis vitæ ſordibus natus, beneficióque fortunæ, aut alioqui improba ratione potentior effectus, alienis

alienis opibus inſidiatur. Cic. Nitedula mus ſubterraneus exiguus.

## Schema & gradus. 6

Σχῆμα ϗ βᾶμα, habitus & inceſſus. Non protinus ad altiora artium penetralia prouolandum eſt: ſed pedetentim & ordine quodam pergendum, ne prætereantur quæ præcedere debent, rudimenta. Etymol. auctor.

## Iunonis puer. 7

Dedicatus & delitiis innutritus. Iunonem poëtæ ſuperbam faciunt, & delicaturæ operosè ſtudioſam, vnde χρυσοπέδιλον epitheton, velut aureis ſoccis in inceſſu vtentis: & ἱεραῖον βαδίζειν, de greſſu ſuperbo & magnifico. Athenæus. Auctor epiſt. ad Cn. Octauium. Turneb. Adu. 13. cap. 16.

## Quàm facilè canis exta edit. 8

De re expedita. Seneca, Horatius.

## Io Saturnalia. 9

Ἰὼ σατυρνάλια. Dicterium in eos, qui ſuæ conditionis obliti, pluſculum auctoritatis ſibi arrogant: eò quòd in Saturnalibus ſerui herili apparatu induti epulabantur. Dion, Martialis.

## Nihil ad Perſium. 10

Cùm diſcrimen ingens eruditionis inter duos notabimus. Cic. Plinius. Deflexum è C. Lucillii verbis: Perſium non curo legere, Lælium Decimum volo: id eſt, lectorem meis ſcriptis opto nec indoctiſſimum, qui nihil intelligat, neque doctiſſimum, qui moroſiùs iudicet.

## Κοιλοφθαλμίζειν. 11

Emiſſitiis oculis introſpicere. De curioſis & rerum alienarum plus nimio ſatagentibus. Syneſius. Fortaſſe ibi ſubſtituendum verbum, κοιλοφθαλμίζειν, quòd curioſi homines reductis, & quaſi concauis oculorum ſinibus introſpiciendo contentiùs vti videantur.

## Rarum carum. 12

Τὸ σπάνιον τίμιον. Quod rarum eſt plus appetitur.

Rara iuuant; primis ſic maior copia pomis,
Hybernæ pretium ſic meruere roſæ.

Plato, Hieronym. Martialis, Liuius, Cornificius.

## Ne vicini quidem ſentiunt. 13



Ayuntamiento de Madrid

De re exigui momenti, quæ neminem commouet: aut de re ita tacitè & diſſimulanter geſta, vt ne proximis ſuboleat. Plato. ἡμῶν δὲ γενομένων, τὸ τῦ χορομῳδοποιῦ, ὐδ᾽ οἱ γείτονες σφόδρα τι αἰσθάνονται. Perſarum regi cùm primogenitus naſcitur, cunctis ſubditis ſacer eſt dies: at nobis in lucem editis, iuxta Comici dictum, ne vicini quidem id magnopere perſentiſcunt.

## Tanquam ouis meridiana. 14

Ὥσπερ πρόβατοι μεσημβριάζον. De ſupino otio, animíque veterno. Plato. Solent oues medium diem accedente ſole ad fontium aquas deſides iacere, aut in vmbra.

## Tyrtæo bellicoſior. 15

Ὁ τῦ τυρταίυ πολεμικῶν πολεμικώτερος. Bellicoſior quàm ipſa Tyrtæi bellica præcepta. De pugnace ſtrennuo, & militiæ aſſueto. Plato. Tyrtæus Atticus poëma fecit adhortatorium ad bellicam virtutem, & capeſſenda militiæ munia, quod Spartana iuuentus in procinctu ſtans memoriter recitare ſolebat ad excitandos mutuo animos.

## Vicinus pedem mouens. 16

Γείτων κινῶν τὸν πόδα. De his, qui vix principia rei artiſue conſecuti, ad ipſum faſtigium fruſtrà enituntur. Etymolog. originem non indicat.

## Ad Scirrhonem tendere. 17

Πρὸς τὸν σκίρρωνα τείνειν, ad Scirrhonem ſpectare. De eo, qui efficacibus argumentis, quæ lineales neceſſitates Ariſtoteli dicuntur, compellit quempiam ad aſſenſum. Plato. Fuit Sciron inſignis latro, qui cognominatas à ſe Scironidas cautes, inſidens, compellebat viatores ex abrupta caute præcipites ſe dare. Vnde & Propertius viam Scirronis appellat periculi plenam.

## Calcibus proterit. 18

Λὰξ ſiue λάγδην πατεῖν. Pro, manifeſto & omni contumeliarum genere afficere aliquem, atque opprimere. Æſch. Soph. Apoll. Sic λαξπάτητον peſſundatum & penitus exſtinctum denotat.

## Diitrephes doliares habens alas. 19

Διιτρεφὴς πυτιναῖα ἔχων πτερά. De locuplete vilibus mercimonis, aut opificio vulgari, quod tractauit olim, inſiſten-

Ayuntamiento de Madrid

te. Ariſtoph. Suidas. Fuit Diitrephes victor,qui vitilibus dolia compingebat,vnde ditatus, tribunus euaſit Athenis. πλέγα. vitilium extremitates.

## Æqua & iniqua. 20

Δοῦλε δεσπότου ἄκουε, καὶ δίκαια, καὶ ἄδικα, ſeruus hero auſculta æqua iniqua imperanti. Qui alteri deuinctus eſt beneficiorum multitudine, in multis conniuere cogitur, & iuſſa exſequi, quo iure, quáque iniuria imperata. Scholiaſtes Æſchyli. Ariſtoph.Suidas.

## Tanquam palladium. 21

De re,in qua nobis multum ſpei poſitum eſt,multúmque præſidii: vel in plagiarios alienorum librorum fures, qui clàm depeculantur & tollunt alterius labores: Diomedis & Vlyſſis inſtar, fatalis Palladis ſignum Troianis inſidiosè aſportantium,de quo variè interpretes. Cic.

## Anima ſui pro ſale data. 22

Ὗες ἀνθ' ἁλῶν τὴν ψυχὴν ἔχουσι. De ventrionibus porcorum more corpus ſaginantibus. Suillum pecus ab Natura donatum eſſe aiunt ad epulandum:itaque iis animam datam pro ſale, qui ſeruaret carnem. Varro,Cicero,Plinius, Clemens.

## Circulator Cybeleïus. 23

Homines flagitiis, libidinibus, & temulentiæ addictos appellant μητραγύρτας, μητρὸς ἀγύρτας, & μητραγυρτοῦντας, matris deûm præſtigiatores: qui Cybeles Phrygiæ ſacris operati, fanaticè tympani comploſu ſtipem corrogabant, circumpoſita pectori ſimulacra picta geſtãtes. dicti etiam μηναγυρτοῦντες,menſtrui circulatores,quòd hos cœtus quolibet menſe facerent. Plutarch. Euſeb. Halicarn.

## Tanquam libri. 24

Ὥσπερ βιβλία. De obmuteſcentibus,quíque reſpondendo non ſunt. Plato. Libri lectorem tametſi inſtruant,voce tamen non vtuntur:vnde & muti magiſtri.

## Tanquam pelues comploſæ. 25

Ὥσπερ τὰ χαλκεῖα πληγέντα, tanquam comploſæ noſæ. De garrulo, & verborum nimio.Plato.Origo à Dodonæo oraculo, quod contiguis æreis peluibus circumſeptum, percuſſo vno, longum ſonitus tractum edebat.



Ayuntamiento de Madrid

## Ignotius quàm maris choës. 26

Μᾶλλον ἀυτὸν λέληθεν, ἢ οἱ τῆς θαλάττης λεγόμενοι χόες, horum ille nihilo plus ſcit, quàm quot ſint in mari, iuxta prouerbium, aquæ congii. De incognitis: vel immenſis & innumeris. Plato. χοῦς ſiue choa, congius Latinis eſt, ſenos capiens ſextarios.

## Choros tragicos moleſtè fert. 27

Χοροῖς τῶν τραγῳδιῶν ἄχθεται. Moræ impatiens venter eſt: quique eſuriunt, choros, qui prolixi ſunt, in longum extrahi moleſtè ferunt, & nulla auis cantillat quando eſurit. Plato. Ariſtoph. Suidas.

## Extra curriculum ferri. 28

Ἔκτος δρόμου φέρεσθαι. De re à propoſito aliena. Plato. Metaphora à ſtadii decurſu, in quo, qui plurimùm exorbitat, aut à trita via deuiat, is à meta abſcedit longius.

## Extra omnem aleam. 29

De eo, quod omni inuidia maius eſt, quod excellit, & ſupra vulgus eſt, quaſique extra periculi metum exiſtit Plinius.

## Veſtigia relegere. 30

Ἴχνος μετελθεῖν, ἴχνη διώκειν, veſtigia perſequi. De his, qui anteà propoſitam materiam ordine perſequuntur: aut inſtituto ſermoni inhærent: occaſione petita ab odoriſequis canibus, qui feræ veſtigia inſequuntur. Plato, Cic. Pind. Propert.

## Clauum tenere. 31

Οἴακα νωμᾷν. de quouis imperio. Æſchyl. Plat. Pind.

## Dies digitus. 32

Δάκτυλος ἡμέρα. Hyperbole hac ſignificabimus vitæ humanæ ſpatium eſſe exiguum, quaſique digitale. Alcæus.

## Canibus oſſa prodo. 33

Μηνύω κύσιν ὀστέα. De eo, qui inimico ſuum patefacit conſilium, veluti ſi quis riuali amores ſuos detegat; aut litigator aduerſario actionem ſuam indicet.

## Inter lugentes iocari. 34

Ἐν πενθοῦσι παίζειν dicuntur, qui alieniore tempore, & intempeſtiuè aliquid deſignant, aut loquuntur. Sic κλαυσί-

Ayuntamiento de Madrid

κλαυσιγέλως, ſimulatus fletus, qualis hæredum eſt. Phaleræus, Hermog. Apollodorus.

## Piſtillum exornatum. 35

Κοσμούμενον ὕπερον. De re aut oratione ineptè & præpoſterè compta: aut indocto & inſulſo operosè veſtito. Phaleræus.

## Formicæ ſemitam canit. 36

Μύρμηκος ἀτραποὺς ᾄδει. De eo, qui ſubtilitates omnes perſequitur,& minutiſſima quæque dictioni immiſcet vt elabaretur:aut qui vltro citróque narrationem rei implicat, prima mediis,vltima primis inuoluens. Ariſtoph. Formicæ viam ſuam obliquant diſcurſu implicito.

## Pectide ſuauior. 37

Πολὺ πακτίδος ἀδυμελεστέρα. De poëmate venuſto,aut ſermone leporibus condito,aut voce amœna.Sappho. πηκτὶς inſtrumentum citharedicum,idem cum eo,quod antè magadin expoſuimus, cuius inuentrix Sappho memoratur. Similes hyperbolæ ſunt,τῆς λύγδου λειότερον,Lygdino marmore leuius:& δειρὴ λαγκοιέη. Lygdinea ceruix : ἄλλοτε μὲν μειλιχίης ὁ οἶνος,ἄλλοτε δ' ὀξύτερος τριβόλων,nunc vinum placidum eſt,nunc tribulis aſperius.Alcæus.

## Sirenas prætternauigare. 38

Ὥσπερ σειρῆνας παραπλέειν dicitur, qui philoſophiæ præceptis communitus voluptatum illecebras deſpuit, vitiorumque occaſionem declinat. Plato. Vlyſſem ſociorum aureis cera obturaſſe,vt periculum ſibi ſuiſque imminens effugeret, notum.

## Οἴκοθεν οἴκαδε. 39

De domo in domum tranſire dicunt Græci, quoties ab amico amicus munus accipit, aut candidè operam ſuam amico defert. Pindari illud, δέξαιτο κῶμον οἴκοθεν οἴκαδε, præconium accipiat de domo in domum,id eſt,proprium, non peregrinum, imitatus eſt Iulianus. Adeóque οἴκοθεν habere dicimur,quod non aliundè accedit,ſed quaſi domi noſtræ natum eſt,nobiſque vernaculum. Ariſtides.

## Mithæcus cùm ſit, Agamemnonem ſimulat. 40

Μίθαικος ὢν ἢ θεασάμενος ἀγαμέμνονα ὑποκρίνεται.Mithæcus



Ayuntamiento de Madrid

cùm ſit aut Thearion Agamemnonis perſonam agit. In eum,qui magnas opes iactat, inops cùm ſit, & re tenui: aut in indoctum, qui tamen eruditionis opinione ſe populo venditat. Themiſtius. Fuit Mithæcus ex fece poëtarum, qui obſonandi Siculo more rationem conſcripſit: Thearion piſtor, ſeu panifex.

# AD PRIOREM TOMVM Adagiorum appendix, ex Eraſmi Chiliadiabus excerpta.

## Saliua prima. 1.

TRanſlationes prouerbiales, quæ à corporis ſenſibus ducuntur, reperies tomo primo, prouerb. Odorari:etſi in indice quæſitæ ſe minus offerant. Illud hîc addendum,ſaliuam primam dici guſtum illum, quem pueri tanquam à nutricibus imbibimus:vt ſunt rationes, & adiuncta quædam auſpiciorum in quauis arte & diſciplina.

## Ante pilos. 2

Et rerum prudentia velox Ante pilos venit. Perſ. De ſapientia præcoci, præſertim boni ominis, ſiue ea naturæ debeatur, ſiue cauſſæ alii extraneæ. Ea qui valent natura, ἀνδρεόπαιδας, ſeu pueros viriles vocat Sophocles. Aliundè verò, ſi non ſapientiam, certè canos accedere, teſtatur illud Theocr. addendum ſup. ad prouerb. Malè ſenium accelerant:, οἱ δὲ ποθεῦντες ἐν ἄματι γηράσκουσι.

## Χαριτογλωττεῖν. 3

De iis, qui ad gratiam loquuntur, & iucunda potius quàm vera, quod æquè eleganter dicunt, ἡδυγλωττεῖν, αἰκάλλειν, & θωπεύειν. Athen, Æſchyl.

## Herculana ſcabies. 4

Tom.1.explicatum ab Eraſmo. Poteſt dici etiam in eos, qui blandis adulationibus deliniti,veluti iucunda quadam ſcabie pruriant. Herculi laboribus fatigato, narrantur nymphæ vnà cum Pallade crebrò calida balnea ſuppeditaſſe:quæ balnea,dum corpus ſubeunt, & laſſitudinem auferunt, titillationem quandam ac veluti pruritum coniunctum habere notum eſt.

Ayuntamiento de Madrid

Gallonius. 5

De lurcone, omnia gulæ ventríſque delectatione metiente. Cic. multis locis. Ait Lucill. Gallonem nunquam bene cœnaſſe, quòd nunquam eſuriens cœnaret, adeò luxu fuit perditus.

Velle ſuum cuique eſt. 6

Quoties ſignificabimus aliis alia curæ eſſe, aliósque aliis ſtudiis duci: Perſij illud vſurpabimus:

Velle ſuum cuique eſt, nec voto viuitur vno.

Item illud, ſuus rex reginæ placet. Item, ſibi pulcer. Item, te tua, me mea delectent.

Senum conſilia, iuuenum lanceæ. 7

Καὶ μάλιστα σώζεται πόλις ἔνθα βουλαὶ γερόντων, καὶ νέων ἀνδρῶν ἀριστεύουσιν αἰχμαί. Æſchinis conſilium fuit, vbique iuuenum robur coniungendum eſſe cum ſenum prudentia. Plutarchus.

Coctum ab alio edere. 8

Ἔψαντος ἑτέρου, τὴν χύτραν ὑφειλόμην, alio coquente ollam paratam abſtuli. Hom. Ariſt. De adipiſcente parta alieno labore.

Nauigare cum felicibus. 9

Καὶ τῶν καλῶν μὲν ἐστὶς ἀπολαύειν θέλει
Συμπλεῖν τοῖς φίλοισι, δυστυχοῦσι δ' οὔ.
Cui res ſecundæ, huic nauiganti cuilibet
Comes ire quærit, non item infelicibus. Euripid.

Bona mala. 10

De rebus vilibus, & abiectis, multum tamen vtilibus ac prope neceſſariis. Plin. quonam modo vtiliſſimè coluntur agri? ex oraculo ſcilicet, malis bonis. Hoc velut ænigmate ſignificatum eſt, agros quàm minimis impendiis, & quàm maximo labore colendos eſſe.

Cenſor bonus. Clemens laniſta. 11

Ironię prouerbiales in eos, qui audaciter & arroganter de quibuſuis rebus ſentiendi, iudicandi easq; inter ſe comparandi auctoritatem ſibi ſumunt. Cic. Nam vt reiectio facta eſt clamoribus maximis, cùm accuſator, tanquàm Cenſor bonus, homines nequiſſimos reiiceret: reus tanquam clemens laniſta, frugaliſſimum quemque ſecernit, loquitur



Ayuntamiento de Madrid

de Clodio accuſato. Vt autem Cenſorum eſt, homines nequam & improbos è Senatu eiicere: ita laniſtarũ, id eſt, eorum qui gladiatoribus domini ſunt, & magiſtri, gladiatorum familias in ludo exercere & locare.

## Vtrumque. 12

Ἀμφότερον, κέντρον τε βοῶν, καὶ μέτρον ἀρούρης.

Vtrumque eſt, ſtimulúſque boum, menſuráque agrorũ. De re ad diuerſúm accommodabili. Callim. loquens de virga decempeda (ἄκαινα eſt Græcis) paſtoribus vice pedi vſitatiſſima.

## Qui nocere poteſt, & idem prodeſſe. 13

In hominem & bonis & malis artibus inſtructum, qui & iuuare poteſt, ſi velit, & lædere, quadrabit illud Hom. vſurpatum à Luciano.

Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Pharmaca miſta, ſalubria multa & noxia multa.

Theucid. εἰ πολέμιος γε ὢν, σφόδρα ἔβλαπτον, κἂν φίλος ὢν ἰσχυρῶς ὠφελοίην, quòd ſi cum hoſtis eſſem, vehementer nocui, etiam, ſi ſim amicus, magnopere queam prodeſſe.

## Tenuiter. 14

De rebus nihili, minutíſque anxiè nimis diſputantes, dicemus λεπτολογεῖν, λεπτομερῶς λέγειν, tenuiter dicere & loqui, στενολεσχεῖν, de meris nugis anxios torqueri: ipſam actionem appellabimus, μικρολογίαν, & λεπτοπύτως λέγειν. Ariſtoph. Ariſtot. Contrarium eſt, παχυμερῶς, παχυλῶς, καὶ τύπῳ λέγειν, diſſerere craſſè, & , vt ita dicam, exemplariter, pro, non accuratè & exactè, ſed quali quali ratione, modò ea facilis ſit & commoda.

## Vnione ſignare. 15

Pro, inter felicia & proſpera numerare. Perſ. Olim Scythæ vnumquemque anni diem, miſſis totidem in pharetram calculis, ſignabant, quem arbitrabantur proſperum abiiſſe, candido calculo: quem egregiè felicem, vnione: contrà quem inauſpicatum, nigro lapillo notabant. Hinc etiam quæ præcipua ſunt, ea melioris notæ, ſeu de meliore nota eſſe dicimus. Cic. Horat. Neque illud prætereundum, quod tom. I. explicatur, calculum addere,

Ayuntamiento de Madrid

ab Ariſtide dici, ἐπιψηφίζειν.

Rectam inſtare viam. 16

Pro rem ipſam deprehēdere. Plaut. Rectam viam inſtas, eas res eſt. Idem nunc ego pol demum in rectam redij ſemitam.

Πτωχαλάζων. 17

Pauper diuitiarum oſtentator, ab ἀλαζονεύεσθαι, gloriari. Athen.

Altius Oromedonte. 18

Ὥς μοι καὶ τέκτων μέγ' ἀπεχθέται, ὅς τις ἐρευνῇ
Ἶσον ὄρευς κορυφᾷ τελέσαι δόμον Ὠρομέδοντος.
Sic mihi magnopere faber eſt inuiſus, in altum
Qui ſtruit, adnitens ſuperare iugum Oromedontis.

De inſolentibusquíque ſe præponunt iis, quibusſcum ne comparandi quidem ſunt. Oromedon mons altiſſimus in Co inſula. Theoc.

Πομπεύειν. 19

Pro, conuitiari. vnde πομπεῖαι conuicia. Quòd in pompis Bacchanalibus quidam è curribus conuicia in alios iacerent, & viciſſim ab aliis impeterentur. Menander.

Ὁλόσχοινος. 20

Mariſcus eſt, iunci genus tertium, pinguitudine, magnitudine, aſpredine, & calloſitate cæteris præſtans. Vnde dicitur prouerbialiter de duro & procaci ſermone, quo velut os alicui percellimus. Æſchin.

Artemon periphoretus. 21

Ἀρτέμων περιφόρητος. In mollem, vel meticuloſum. Periphoretus enim appellatus fuit Artemon, quod ob mollitiem lectica ſemper circumferretur. Plutarch. Anacreon Ariſtoteles.

Nocti æquare diem. 22

De ſtudii aſſiduitate. Liu. Alij in caſtris, ſiue ſtationibus, per ſomnum, vinumque diem noctibus æquabant.

Voti compos. 23

Vbi quis aſſecutus eſt, quod affectabat, & captabat, quadrabit illud Hom.

Καὶ βάλεν, οὐδ' ἁμάρτανε, ἄλιον βέλος ἔκφυγε χειρός.
Attigit, eaque manu non irrita miſſa ſaggitta eſt.

Ayuntamiento de Madrid

## Mortalis Deus. 24

Hominem omnibus numeris conſummatum mortalem Deum vocatum fuiſſe, & Græcè θεῖον ἄνδρα, θεῷ ἴκελον, θεοειδέα, ἰσόθεον, καὶ ζάθεον, diuinum virum, Deo ſimilem, diuina ſpecie, Deo parem, & admodum diuinum ſcribunt. Quinctil. Ariſtot. Hom. Contrà, infelicem vocat Cicero, ex aſtris lapſum:

## Rex ſum. 25

Inſignem felicitatem ominabatur ſibi Leno apud Plaut. de homine bene nummato loquens, Rex ſum, ſi illum hodie ad me illexero. Eodem ſpectant illa. ἀντὶ τῶν καλῶν πάντων ἰλιὰς, bonorũ Ilias, Euſtath. ἀγαθῶν ἁμάξαι, plauſtra bonorũ Athen. ὁ τῶν ἡδονῶν σμῆνος, voluptatum examẽ, Plutarch. Cumulus meritorum Cic. pro turba, numeróque immẽſo.

## Locupletum reditus. 26

In locupletes, quibus alius ex alio ſuccedit reditus illud Homer. Conueniet.

οὐδ' ἐπὶ θέρευς ἐπετήσιος. ἀλλὰ μάλ' αἰεὶ<br>
Ζεφυρίη πνείουσα τὰ μὲν φύει, ἄλλα δ' πέσσει.<br>
Ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, μῆλον δ' ἐπὶ μήλῳ<br>
Αὐτὰρ ἐπὶ σταφυλῇ σταφυλὴ, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ.

nec ſingulos æſtas renouatur in annos,<br>
Sed ſtans perpetuo Zephyrus ſpiramine fœtus<br>
Hos producit, & hos demittit ab arbore mites.<br>
Et pyra adulta pyris ſuccedunt, maláque malis.<br>
A fico ficus, atque vua ſeneſcit ab vua.

## Fauſtus exitus. 27

Θάρσει μαῖ' ἐπεὶ οὔ τι ἄνευ θεοῦ ἥδε γε βουλή.

Fide, hoc conſilium non eſt ſine numine, nutrix.

Quoties de rei, quam inſtituimus, exitu bene ſperamus. Homerus.

## Vni cum duobus non eſt pugnandum 28

Δράσω· τὸ γὰρ δίκαιον οὐκ ἔχει λόγον Δυοῖν ἐρίζειν.

Factura ſum. non æquum enim eſt reſiſtere Vnam duobus. Sophocl.

Noli pugnare duobus. Catull.

## Sine ſanguine. 29

Facilem voti expletionem ſignificant & illa, ἀνιδρωτί,

citra ſudorem, ἀναιμακτί, abſque cruore. Dormienti Dij confecerunt. Terent. Duci nihil agenti de cælo in ſinum deuolauit victoria. Ouid ὦ πόλις ὡς εὐτυχὴς εἶ μᾶλλον ἢ καλῶς φρενεῖς; O ciuitas, vt tu quidem es felix magis, quàm prouida. Athen.

## Omni voce. 30

Πᾶσαν φωνὴν ἱέντι. Quod ſumma contentione aſſeritur, dicitur omni ſeu tota voce prædicari. affectus vocem intendunt: & interdum mutant præces in minas, blanditias in iurgia. Plato. Significant extremum conatum & illa, Cominus & eminus niti.

Καὶ τότ' ἔπειθ' ὑμῖν μελέτω χεῖρές τε βίη τε.

Dein vobis curæ ſunto vireſque vigórque. Hom.

Τίς δὴ ποταίνιον ἔλαχε στέφανον, χέρεσσι πόσιν τε καὶ ἅρμασιν ἀγώνιον; Quis tandem deſiderabilem coronam aſſecutus eſt manibus, pedibúſque & curribus? Pind.

## Concinere. 31

Τὴν ξυναυλίαν κλαίειν, eſt iiſdem de rebus ſimiliter queri. ξυναυλία enim eſt, cùm plures tibijs eãdem cantionem canunt: aut cùm citharæ tibia accinitur. Ariſtoph. ſic δωριστὶ ἁρμόζειν, dorica harmonia canere, eſt moribus ab oratione non diſſentire, aut alioqui cõcorditer agere: Plato. Dorica muſica inter Phrygiam & Lydiam temperata erat.

## Opus eſt zephiris, & hirundine multa. 32

Δεῖ δέ γ' ἔοικεν οὐκ ὀλίγων χελιδόνων, Multa videtur opus habere hirundine. Quoties dehortabimur aliquem à præpropera feſtinatione, aut negabimus vnico die eruditionem, artem, virtutẽ & gloriam comparari poſſe. Horat. Ariſtoph. Sumptum ab hirundinis natura, quæ veris nuncia eſt, hieme auolat. Simile illud Sophoclis

Πόλις γὰρ οὐκ ἔσθ' ἥτις ἀνδρός ἐσθ' ἑνός.

Namque vnius, quæ ſit viri haud eſt ciuitas.

## Vanæ conie&turæ. 33

Ὄρνιθες δέ τε πολλοὶ ὑπ' αὐγὰς ἠελίοιο

Φοιτῶσ', οὐδέ τε πάντες ἐναίσιμοι.

At permulta auium verſatur in aëre turba,

Quarum non quæuis portendere idonea fatum.

In eos, qui de euentu negotij ſolent augurari. Hõ.

## Animo conſcio nihil miſerius. 34

Nihil, miſerius, quàm animus hominis conſcius. Plaut. Secura mens iuge conuiuium. Sap. Felix.

Nihil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa. Horat.

## Ἐκφυλλοφορῆσαι. 35

Quibus ius ferendi ſuffragia adimebatur, & ex albo iudicum ſubmouebantur, ἐκφυλλοφορεῖσθαι dicebantur, vt milites exauctorari, quibus ius pugnandi adimebatur. Olim non calculis, ſed foliis ferebantur ſuffragia de exauctoratione: quaſi dicas à foliis ferendis excludi. Suidas.

## Circumpedes. 36

Qui proximè adſunt, cingſintque aliquem ad obſequia præſtanda, vt ſunt familiaritate perpetua nobis iuncti. Sic à manibus, à pedibus vocamus eos, qui nobis domeſticè inſeruiunt. Cicero.

## Fungus putidus. 37

De inutili & deliro. Plautus. Terræ odium ambulat. iam nihil ſapit, nihil ſentit. tanti eſt, quanti fungus putidus. Vbi terræ odium dixit, vt Horat. telluris inutile pondus.

## Nummus plumbeus. 38

Vilitatem & contemptum deſignabat olim. Plaut. Cui ſi capitis res ſit, nummum nunquam credam plumbeum. Sic Cic. Vatinium contemptim ſemiſſem hominem vocat. Et treſſis ſeu triobolaris agaſo, abiectus quidam alibi audit. Quin & Iuſtin. extremam ſtudioſorum, claſſem dupondios agnominat.

## Nihil eſt, aut nihil curæ eſt. 39

Οἱ μὲν παρ' οὐδὲν εἰσιν, οἷς δὲ οὐδὲν μέλει, Alij quidem prope nihil ſunt, aliis autem nihil curæ eſt. Cic. è Comico Rhintone: Qui me, inquit, recta ſentientem adiuuare, & in optimatum via pergentem, forſitan ſequi vellent, infirmi ab auctoritate non poſſunt: qui poſſent, negligunt. Idem conueniet hodie multis ſtudia, aut religionem promouere conantibus.

## Contemnentis inimicum. 40

Qui negabit ſe conuiciis alicuius hominis contempti

commoueri, deflectet illud Homericum:

Οὐκ ἀλέγω, ὡς εἴ με γυνὴ βάλοι, ἢ πάϊς ἄφρων·
Κωφὸν γὰρ βέλος ἀνδρὸς ἀνάλκιδος οὐτιδανοῖο.

Haud curo magis, ac ſi femina, ſiue quis infans
Me iaculo peteret: ſiquidem viri inertis & ipſa
Irrita tela volant.

## Qui per ſe ſufficit. 41

Εἰσὶ μοι ὀφθαλμοὶ τε καὶ οὔατα, καὶ πόδες ἄμφω
Καὶ νόος ἐν στήθεσσι τετυγμένος οὐδὲν ἀεικής.

Sunt oculi mihi, ſunt aures, geminíque pedes ſunt,
Inſita pectoribus mens eſt, neque ſtulta neque excors.

Quoties negabimus nos aliena opera egere, ſed ſatis idoneos eſſe ad rem, quam volumus, peragendam. Hom.

## In abſurdè locutum. 42

Ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων, Dentis clauſtra tui quæ vox elapſa reliquit. In eum, cui aliquid imprudenter, aut abſurdè excidit. Hom. Agell.

## Ὀβελίζειν. 43

Auctor prioris tomi, hoc adagium & alia VI. damnandi titulo accenſet; promittitque alibi ea eſſe explicanda. ſed falſo. nam vnius iſtius pag. 86. mentio fit, origine omiſſa. Nos igitur eam hîc addemus vnà cum aliorum explicatione. Ariſtarchus Homeri opus in libros digerens, ſubditicios verſus ὀβελίσκοις, minutis verubus prænotatis damnabat; inſignes & genuinos ἀστερίσκοις illuſtrabat. Hinc Ariſtarchus, pro cenſore, & emendatore etiam vſurpatur. Cic. ad Atticum, cuius cerulas miniatulas ( ita ille notabat, quæ in ſcriptis Tullij approbabat minus) ait ibidem ſe extimeſcere, id eſt, cenſuram, & iudicium, hinc etiã ὀβελίζειν, damnare eſt. De ſpongia dicemus infrà. Lima addebatur, cum detrahebantur & expoliebantur inculta, vnde elimare. Cælo etiam deformabatur ac fingebatur quod rudius erat.

## Niger. 44

Vt alba pro felicibus, ita atra & nigra pro malis & infamibus ponebant. Cic. Nec minus niger, nec minus confidens, quàm ille Terentianus Phorm. Item Horat. Perſ.

## Abiiciendum procul. 45

Ayuntamiento de Madrid

Ε'ς μεγακήτεα ῥίπτειν, in immenſum mare proiicere. Theog. De re noxia, quam fugere oportet, & procul reiicere. Sic Hom.

Ε'ις ὄρος, ἢ εἰς κῦμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης,
In montes, tumidáſque frementis in æquoris vndas.

## Reiicientis culpam. 46

Α'σέ με δαίμονες ἄισα κακὴ καὶ ἀθέσφατος οἶνος,
Mî mala fata Deûm nocuerunt, visque Lyæi. Hom.

## Μυκτηρίζειν. 47

Plinius docet à ſuæ ætatis hominibus naſum ſubdolæ irriſioni fuiſſe dicatum. Vnde docti irriſores, naſuti: ipſa ars, naſus, & naſus Rhinocerotis vocabatur: & irridere, naribus vncis indulgere, μυκτηρίζειν, & ἀντιμυκτηρίζειν. Perſ. Mart. Cic.

## Sperat hinc aliquam auram afflare. 48

Pro, oſtendit ſpem. Nautæ cum hærent, mari nimium malaciſſante, è nubecula aut mari procul criſpante diuinãt fore ventum. Cic.

## Non ſus quiuis hoc ſciet. 49

Οὐ πᾶσα ὗς τοῦτο εἴσεται. De re ſcitu digna. Plat. Natum à myſteriis Deorum, quæ non niſi ab initiatis, & puris cognoſci fas erat.

## Nauiges in Maſſiliam. 50

Πλεύσειας εἰς μασσαλίαν. In molles & moribus vultúque parum virili. Vbi hæc Maſſilia fuerit, deliciis effeminata, non addit Suidas. Nam Gallica adeo diſciplinæ ſeueritate excelluit, vt Plaut. mores Maſſilienſes dixerit, pro rigidis, & ſeueris.

## Mali viri inutilia munera. 51

Κακοῦ γὰρ ἀνδρὸς δῶρ' ὄνησιν οὐκ ἔχει. Eurip. Generalius eſt illo veteri tom. I. Hoſtium munera non munera: & titulo, MVNVS NON MVNVS. ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα. cuius fontem referunt quidam ad Herculis & Aiacis commutationem, de qua Epig. quidam.

Ε'κτωρ αἴαντι ξίφος ὤπασεν, ἕκτορι δὲ αἴας
Ζωστῆρ' ἀμφοτέρων ἡ χάρις εἰς θάνατος.
Aiaci datus enſis ab Hectore; baltheus Aiace
Hectori. vtrique ſuum donum erat exitio. Eraſ.

Enſis enim Aiacem confecit, at Hectora functum
Traxere Aemoniis cingula nexa rotis. Alciat.

Elegantes erunt hæ deflexiones: κολάκων δῶρα ἄδωρα. πενήτων δῶρα ἄδωρα. & denique ποιητῶν δῶρα ἄδωρα. Nam & paraſiti, & pauperes, & denique poëtæ, cùm donant, petunt.

## Laudaret faciem liuor quoque. 52

Prouerbialis hyperbole apud Ouid. ad cuius formam liceret & alias fingere. De deplorata familia. Ipſa, ſi cupiat, Salus, ſeruare hanc domum nequeat. De loco munito. Ne Mars quidem expugnarit. De pertinaci. Huius animum ne Vertumnus quidem verterit. De libidinoſa. Hanc ne Priapus ipſe ſatiarit. De re neutiquam probabili. Iſtud ne Pytho quidem perſuaſerit. De re tacitu difficili. Hoc ne Angerona continere queat. In tanto ſtrepitu ne Somnus quidem ſomnum ceperit. De ſuſpicaci. Iſte ne Fidei quidem fidem habeat. De aſtuto. Hic vel Argum fallat. Hic eſt miſerior, quàm vt ei inuidere poſſit Inuidentia.

## Multorum aliorum inſtar. 53

Ὁ μὲν γὰρ ἑνός, ὁ δὲ πολλῶν ἀντάξιος ἑτέρων, Nam hic quidem pro vno, ille pro pluribus aliis æſtimandus eſt. Hom. Plat. Tranſlatio à iactu talorum, in quo μόνας, vnionis numerus infimus eſt.

## Aurea barba dignus. 54

De iis, qui magnis præmiis digni ſunt, dixit Perſ. Præcipui ſunto, ſitque illis aurea barba. Quibuſdam enim ſignis aurea barba ſolebat addi tom. 1. Aureus in Olympia ſtato. Sic hominem certa fide, qui etſi poſſit, nolit fallere, Græci hoc eloquio commendant: ὅδ' ἀνὴρ κ' ἀνώμοτος πιστεύειν ἄξιος, hic vir dignus cui credas etiam iniurato.

## Sapit demorſos vngues. 55

De opere ſumma diligentia elaborato. Perſius de carmine indocto:

Nec pluteum cædit, nec demorſos ſapit vngues.

Ea quę auctorē coēgere ſępius caput ſcabere, & vngues mordere, pluteū cędere, & deterere, dū ſæpius voluūtur, & iterato in manꝰ ſumūtur, ſolēt. Ita quod accuratū eſt, Gręci δι' ὄνυχος vocant. tom. 1. Eraſmi prouerb. Ad vnguem. &

Ayuntamiento de Madrid

ἐξονυχίζειν, ad vnguem explorare. Athen. Plut. denique in memoriam reuocare & ſubducere dicunt, ἀναπεμπάζεσθαι, ducta metaphora ab iis, qui per quinos digitos aliquid computant.

## Recoquere. 56

Pro, emendare & refingere, ſeu reformare. tribuitur elegantiſſimè perſonis. Horat. Quinctil.

## Pedem nunquam. 57

Cic. A Chryſippo pedem nunquam. Alibi: Mihi certiſſimum eſt, ab honeſtiſſimo digitum nunquam, ſubaudi diſcedere. Plaut. Si tu ex hoc loco digitum tranſuerſum, aut latum vnguem exceſſeris. Hieron. Ne puncto quidem ab illius ſententiis recedamus. Cic. Quibus conceſſis, digitum progredi non poſſunt,

## Simia in pelle leonis. 58

Ὑπὸ τῇ λεοντῇ γελοῖόν τινα πίθηκον ἐσκέπασμένον, ſub leonis exuuio ridiculam quandam ſimiam tectam habere. In ardelionem merum, qui ſe magnis titulis aut nóminibus antèà oſtentauit. Lucianus.

## Albaſtrus vnguenti puet illi. 59

In inſulſos, quibus optima pro peſſimis diſplicent. Cic. Plut. Tractum à Scarabæis, qui dicuntur vnguentum fugere, graueolentia ſectari.

## Diuitiæ non ſemper optimis. 60

Ζεὺς αὐτὸς νέμει ὄλβον ὀλύμπιος ἀνθρώποισιν
Ἐσθλοῖς ἠδὲ κακοῖσιν, ὅπως ἐθέλῃσιν ἑκάστῳ.
Iupiter emetitur opes mortalibus ipſe
Sic viſum vt fuerit, cuicunque bonóue malóue.

Quoties dicemus opes non cordatis ſemper, ſed pro fortunæ arbitrio, nunc illi, nunc iſti obtingere. Hom.

## Φαιδροπροσωπεῖν. 61

Vultu præ ſe hilaritatem & beneuolentiam ferre, cùm aliud geras in pectore. Cic. Spem vultu ſimulat, premit alto corde dolorem. Verg. Budæus rectiùs, accipit enim, pro, in publicum prodire, nec ſe domi continere, aut in ſeceſſu.

## Arabum Gazæ. 62

Diuitiarum amplificationem habent & illa. Arabum Gazæ.

Gazæ. Horat. Tantalicæ opes, πλοῦτος ταντάλειος: quòd Tantalus apud Comicos fingatur, ἀροῦν δ' ὀργύας δυώδεχ' ἡμερῶν ὁδόν, Iugera dierum duodecim ſerere viam. Athen. Sic Perſici apparatus, pro exquiſitiſſimis.

Οἰκουρεία. 63

Μισθοὶ τῆς οἰκουρείας. Ludicra, quæ pueris dantur, quo domi maneant. tralatè, pro donis exilibus, quibus tamē alios ineſcamus, eorúmque beneuolentiam parare nos arbitramur. Euſtat.

## Teſtudo extra tegumenta. 64

Χελώνη, πορρώτερω τὴν κεφαλὴν προτείνων, κινδυνεύει, Teſtudo, ſi caput longius efferat, non ſine periculo eſt. Quoties dehortabimur aliquem ne domo abſit: aut ne ſe alienis immiſceat. Plut. Liu.

## Rodere caſſes. 65

Pro, effugij occaſionem quærere, etiam cùm argumentis impliciti tenemur, aut alia ratione capti ſumus.

## Chorus illius maior, meus concinentior. 66

Ἐκείνῳ μὲν χορὸς μείζων, οὑμὸς δὲ συμφωνότερος. Ita Zenon præferens auditorium ſuum, auditorio Theophraſti. Vtemur, cùm dicemus nos malle exiſtimationem parare apud doctos, bonos, quàm apud multos.

## Ius in manu. 67

Τὸ δίκαιον ἐν τῇ χειρὶ τίθεσθαι, ius in manu reponere, dicuntur qui æqui ſunt tyrannis, καὶ τὴν μάχαιραν ὀξυτέραν ἔχουσι: aut qui arma legibus præferunt: aut denique, qui potentioribus in iudiciis fauent, neglecto iure. Lucian. Iidem dicuntur: διαλαχεῖν πικρῷ σιδήρῳ, acuto diuidere ferro. Plut.

## Longè viciſti. 68

Σὺ δὲ θάρσει. τόνδε γ' ἄεθλον
Οὔτις Φαιήκων τόνδ' ἵξεται, οὐδ' ὑπερήσει.
At tu fide animo, quando hoc certamine nullus
Phæacum te nec æquabit, nec ſuperabit.

Quoties dicemus quempiam aliis egregiè præcellere omni in re. Hom.

## Diris agere. 69

Pro, triſtia omnia imprecari. Horat. Idem τραγικαὶ ἀραί.

tom.1.prou.Deuotionis templum.eas ſibi Diogenes dicebat occurriſſe,quod eſſet ſine domo, ſine ciuitate, patriis pauper,palans,vitam in diem agens.Laërt.

## Res palæſtræ & olei, 70

De rebus ad meram oſtentationem, & luſum comparatis.In palæſtra non erant armati,ſed vncti, vnde difficiliores prehenſiones.Vnde & vires horridas ſine nitore & palæſtra,vocat ſtylum inaccuratum Cic. & vnctam cõſuetudinem loquendi,nitidam vocat idem:itémque orationi afferre palæſtram, & extrema lineamenta orationi afferre, pro,venuſtatem addere, quanquàm in poſtremo ſit alia metaphora,nimirum à pictoribus.

## Aſtydamæ in morem. 71

Σαυτὴν ἐπαινεῖς ὥσπερ Ἀστυδάμας γύναι, Laudas teipſam, mulier,Aſtydamę in modum.fuit enim Aſtydamas hiſtrio, cui ſtatua in theatro ponenda decreta fuerat, quòd in agendo Parthenæum ſeſe nauiter & ſcitè geſſiſſet. Titulum ergo ſibi fecit,inque concionem,quò ab omnibus approbaretur,attulit huiuſmodi;

Εἴθ' ἐγὼ ἐν κείνοις γενόμην, ἢ κεῖνοι ἅμ' ἡμῖν,
Οἳ γλώσσης τερπνῆς πρῶτα δοκοῦσι φέρειν·
Ὡς ἐπ' ἀληθείης ἐκρίθην ἀφεθεὶς παράμιλλος.
Νῦν δὲ χρόνῳ παρέχουσ' οἷς φθόνος οὐχ ἕπεται.

Vixiſſent vtinam mecum illi,aut inter ego illos,
Quos penes eſt linguæ ſuauiloquentis honos:
Præmia prima equidem citra certamen haberem.
Nunc adimunt,in quos nil habet inuidia.

At verò ſuffragiis populi decretum,ne moleſtus ille titulus inſcriberetur.Ea res primùm comœdiæ iocis agitata, pòſt in prouerbium abiit.Imò & hodie, malignos eſſe vicinos illi, dicimus,qui ipſe laudator ſit ſui. Suid. Zenod. Iulian.vide tom.1. prou.Teipſum laudas. vbi & malè Plutarcho tribuitur,cuius proximè ibi ſequens adagium eſt: & elegantiſſ. prouerbium ineptiſſimè mutilatur: quod vitium adeò non fero, vt hîc ſtudio in alteram partem maluerim peccare.

## Rurſum prorſum. 72

Illi,quod eſt tom.1. Surſum ac deorſum, ſimile eſt hoc

Ayuntamiento de Madrid

Terent.rurſum,prorſum curſari, id eſt, retro ante, pro, tentare omnia,omnia commiſcere, & perrimari. Annotauit Donat.& addidit illa,intro foras,hac illac,ἄνω καὶ κάτω, ſurſum deorſum,πρόσω καὶ ὀπίσω, πάλιν τε καὶ πρόσω, antrorſum,retrorſum. Quo longiùs receſſerint à rebus corporeis, hoc plus habebunt venuſtatis. Sic dixit Iulian. τὴν φύσιν ἄνωτε καὶ κάτω τρύλλειν, naturam ſurſum ac deorſum celebrare. Et nos dicere eleganter poſſumus eum, qui variis modis rem apud ſe expendit, ἄνω καὶ κάτω λελογισμένοι.

## Rex,aut aſinus. 73

Tom.1.idem prouerb. in titulo. EXPERIENTIAE. quoties ſuadebimus iaci aleam,quæ vel ſummos reddat, vel infimos.Plat.Tractum à ludentibus olim pila. Nam aduerſus parietem miſſæ ſphæræ ſubſultus numerabantur:qui ſuperabat,rex erat,& imperabat; victus aſinus dicebatur, & quicquid imperatum erat, faciebat. Euſtath. Pollux.

## Tractant fabrilia fabri. 74

Natura monemur,vt ea,quorum gnari ſumus, quibúſque aſſueuimus,ea faciamus.Horat.

## Magis,quàm Sol Heracliti,exſtingui. 75

Μᾶλλον τοῦ ἡρακλείτειου ἡλίου ἀποσβέννυσθαι. De iis, qui deficiunt in re aliqua incipienda, ſine vlla ſpe reparationis. Plat.Horat. Dicebat Heraclitus Solem ſcaphæ inſtar habere, eiúſque lumen deficere, quoties cauum ad ſuperiora vertitur;ſed rurſum fieri lucidum, quoties inuertitur.

## Vinum,equus poëtæ. 76

Οἶνός τοι χαρίεντι πέλει μέγας ἵππος ἀοιδῷ.

Sanè magnus equus lepido ſunt vina poëtæ.

Athen. Ingenia,ſi premantur moleſtiis, ſterileſcunt, & tenebricoſa fiunt:ſin libera ſint curis,nihil iis diuinius, lepidius,& admirandum magis.

## Incantatione quauis efficacius. 77

Πάσης ἐπῳδῆς ἐνεργότερον. De re admirandæ & penè prodigioſæ efficaciæ,vt de eloquentia hominis docti:pudore:veritate.Plat. Priſcos tribuiſſe vires inexplicabiles, & naturæ curſum excedentes vocibus incantatorum,notum eſt.



Ayuntamiento de Madrid

## Αὐτοβοεὶ. 78

De ſumma cuiuſlibet actionis celeritate; quomodo illud Latinè, cum dicto. Tranſlatum, vel à clamore militari, qui hoſtem ſæpe confundit, priuſquam veniatur ad manus; vel ab arantibus, qui pollicentes ſe eodem die aliquid abſoluturos dicebant, αὐτοβοεὶ, id eſt, priuſquam diſiungam boues. Thucid.

## Prior occupauit. 79

Μή τις κῦδος ἄροιτο, βαλὼν, ὁ δὲ δεύτερος ἔλθοι. Dictum de Achille, qui reliquis vetuerat Achiuis ne iaculum quis mitteret in Hectorem, quo gloriam totam ſibi ſeruaret. Vtemur, cùm quis lucrum præripuit alteri ſola celeritate. Homerus.

## Magnus bonúſque. 80

Ἠΰς τε μέγας τε. Cùm ſignificamus teſtes, Iudices, aut conuictores non reiiciendos. Homerus.

## Γνώμῃ τῇ ἀρίστῃ κρίνειν. 81

Mente optima iudicare. De iis propriè qui in iudicando τῆς ἐπιεικείας, æqui & boni rationem habent, non iuris ſummi. Transferri poteſt ad cordatos, & qui prudentiam ac humanitatem cum ſeueritate coniunxerunt. Ariſtot.

## Semper aliquem virum magnum. 82

Quoties aliquis, vel res aliqua, aut exiſtimationi vulgi, aut noſtræ exſpectationi non reſpondet. Cic. Sumptum ab Homero, vbi Cyclops ait prædictam ſibi fuiſſe oculi amiſſionem, ſed exſpectaſſe quendam Vlyſſem, qui procero corpore eſſet, & ore, admodum ſpectabilis; cùm tamē hoc malum ſibi à paruo & imbecillo allatum ſit.

Ἀλλ' αἰεί τινα φῶτα μέγαν, καὶ καλὸν ἐδέγμην
Ἐνθάδ' ἐλεύσεσθαι, μεγάλην ἐπιειμένον ἀλκήν·
Νῦν δέ μ' ἐὼν ὀλίγος τε, καὶ οὐτιδανὸς, καὶ ἄκικυς
Ὀφθαλμοῦ ἀλάωσεν, ἐπεί μ' ἐδαμάσσατο οἴνῳ.

## Ab Hymetto, ab area Syra. 83

Craſſam & ruſticanam, qualem à plebe diſcimus philoſophiam, Cic. appellat ab area Syra: vt petitam ex Zenone & Platone, philoſophiam ab Hymetto. Syri enim barbarie nobiles erant; vt Attici [hos per montem Atticæ, mellis ibidem nati bonitate clarum, accipit] lepore dictorum.

Ayuntamiento de Madrid

Ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶς. 84

Ita Lacæna filium armans clypeo, eundem cohortabatur: aut referendum clypeum, aut in eo moriendum. Vtemur & nos cùm aliquem ad honeſtum, arduum tamen negotium inſtigabimus, & veluti iaciendam aleam eſſe oſtẽdemus.

Naxia cos. 85

Ναξία πέτραις ἐν ἄλλαις χαλκοδάμαν ἀκόναν, Naxia cos, maxima, inter ſaxa omnia, ferri domitrix. De viro egregiè forti: aut indefatigato in perpetiendis ſtudiorum laboribus: aut denique de eo quod ſincerum eſt, & inter alia adultera & fucata facilè ſe prodit. Pind. Marmor è Naxo inſula olim ſummo erat in precio.

Circulus res mortalium. 86

Κύκλος τὰ ἀνθρώπινα, ſubaudi ſunt. quòd circumagantur, & velut in orbem recurrant, viciſſitudinibus certis. Pind. Sic & victoriam Homerus facit ἑτεραλκέα, alternatim nũc his, nunc illis contingentem.

Non ſine Diis, 87

Οὐ θεῶν ἄτερ, Diuinitus, Cum Deo fieri dicuntur, quæ feliciter ſuccedunt: aut quæ præter ſpem vltro obtingunt. Pind. Verg. Cic. Horat. ſic σὺν ταῖς μούσαις. de carmine elegante. contrà quod fit Muſis & Apolline nullo.

In ſpem fruſtratam. 88

Νήπιος, οὐδὲ τὰ ᾔδη ἅ ῥα Ζεὺς μήδετο ἔργα.
Inſipiens, nam Iupiter his diuerſa parabat
Ignaro: Homer. de re cuiquam ſecus euenienti, atque exſpectat.

Bona ſpes oſtenſa. 89

Ὡς ἄρα οἱ εἰπόντι ἐπέπτατο δεξιὸς ὄρνις.
Sic fato felix à dextris aduolat ales. Hom.

In Deorum genibus poſitum. 90

Cùm in manu noſtra non eſt præſtare rei exitum, ſed ſuperis, & fortunæ permittimus, vtemur illo Hom. ταῦτα θεῶν ἐν γούνασι κεῖται, in genibus ſunt hæc ſita Diuûm. Item illo Pind. νῦν δ' ἔλπομαι μέν, ἐν θεῷ μὰν τέλος, nunc ſpes quidem mihi, at in Deo ſitus exitus.

Omnia bonos viros decent. 91



Ayuntamiento de Madrid

Ἅπαντα τοῖς καλοῖσιν ἀνδράσιν πρέπει. Vel, quicquid vir bonus agit, decorum videtur: vel, formæ gratia commendat dicentem, canentem, & agentem denique quiduis. Vel, ab homine principe aut nobis caro egregiè quicquid proficiſcitur, gratiam promeretur & laudem.

## Saburratus. 92

Suffartus, & diſtentus cibis: vel, cui aures multiloquio alterius obtunduntur: vel qui philoſophiæ præceptis inſtructus rerum tempeſtatibus non iactatur, propriè ſaburrantur naues, quæ arenis, aut argilla, ne iactētur fluctibus, onerantur. Plaut.

## Ἄοινα συμπόσια. 93

Sine vino compotationes. De locis vbi otioſi deſident garrientes quiduis, atque vbi loquacitate temulenti penè redduntur, vt tonſtrinæ ſunt, balnea, & hodie in ædibus magnatum proiecturæ veſtibulorum. Plut. eadem loca λέσχαι ab aliis appellabantur. Heſiod.

## Lingua præconi. 94

Tom. I. Lingua quo vadis? & ἀτυρόγλωττος. Olim in ſacrificiis lingua exſecta præconibus dari ſolebat, tanquam membrum profanum, & indignum, quod ſacrificij pars eſſet: præconibus, inquam, qui linguam habent venalem. Ariſtoph. Hom. Hinc Antipater, iniecta mentione de ſene imbecillo, dixit ex immolata victima tantùm linguam, & ventrem ſupereſſe. Plut.

## Obteſtatio veterum meritorum. 95

Quomodo Penelope deos ſacrificiorum & nidoris admonet; ita etiam amicum nos, vtentes illo. Hom.

Ἤ βοὸς ἢ ὄιος κατὰ πίονα μηρί' ἔκηε,
Τῶν μοι μνῆσαι.
Si aut bouis aut ouis incendit tibi pinguia membra;
Horum nunc memor eſto.

## Benefactorum memoria. 96

Vbi quid boni aliquid contingit, propter veterum benefactorum memoriam, locus erit illi Hom.

Ὡς καλοεργίης εὐεργεσίη μέγ' ἀμείνων,
Benignè facere & in officio eſſe multo præſtat, magiſque lucro eſt, atque ſecus.

Ayuntamiento de Madrid

## Merces conſtituatur amico. 97

Μηδὲς δ' ἀνδρὶ φίλῳ εἰρημένος ἄρκιος ἔςω

Æqua viro merces fac præſtituatur amico.

Pitthei præceptum fuit celebratiſſimum, quo iubebat inter amicos ex æquo & vero debere omnia agi. Plut.

## Commune tanquam Siſapo. 98

De re multis communi, nulli certo propria. Cic. Minium apud Romanos magno erat in pretio, vſu & religione. eius cùm multæ venæ eſſent Siſapone in Hiſpania Bætica, quæ à compluribus ſocietate mercium, & adulterandi minii conſuetudine inter ſe iuncti tenebantur, prouerbio locum Siſapo dedit. Plin.

## Calceos mutare. 99

Dicuntur ii, qui nullo ſuo merito in ordinem & locum altiorem ſe ingerunt. Cic. Senatoriæ dignitatis inſigne erat nigro calceo addita lunula circa talum.

## Cura hoſpitum habenda. 100

Αἰδοῖος μὲν τ' ἐςὶ καὶ ἀθανάτοισι θεοῖσι
Ἀνδρῶν ὅςις ἵκηται ἀλώμενος.
Nam diuis reuerendus & immortalibus ille eſt
Quicũque appulerit multis erroribus actus. Homerus.

## More galli domi pugnacis. 101

Ἐνδομάχας ἅτ' ἀλέκτωρ. Cùm aliquis domi ſuæ & in ſuo regno (vt Cic. ait) audaciam præ ſe fert: extra illud timidus futurus. ſimile eſt ei quod eſt tom. 1. Gallus in ſuo ſterquilinio multùm poteſt.

## Prorſus ignotus. 102

Eum, quem planè ignotum videri volumus: aut qui in diſciplinam, aut artem, quam ignorat, ſeſe ingerit, licebit torquere ironicè illud Hom.

Τίς, πόθεν εἶς ἀνδρῶν, πόθι τοι πόλις, ἠδὲ τοκῆες;
Dic, quis, & vnde venis, tibi vbi patria, atque parentes?

## Nec Deus, nec homo. 103

Οὔτε θεὸς, ὔτε βροτὸς. Diis hominibúſque inuitis, pro nemine & omnibus. Pind. Horat.

## Vento viuere. 104

Pro, viuere nullo impendio. Tractum à Siluro piſce, qui aura, vt aiunt, ſaginatur, & Chamæleonte. Iuſtinian.



Ayuntamiento de Madrid

## Obolum reperit Parnœtes. 105

Ὀβολὸν εὗρε παρνοίτης. De iis, qui nouum aliquod excogitant præmium, quo illectent. Natum à Calliſtrato Athenienſium principe, cui cognomento Parnœte, qui inſtituit, vt in iudiciis, & concionibus nummuli quidam diſtribuerentur. Comici id ſtatim in prouerbium traxerunt.

## Perſonam mauult, quàm faciem. 106

In ſtultum ſimulatorem, quî mauult videri, quàm eſſe. tom. I. titulo, ſimulatio, diſſimulatio.

## Dolium Danaïdum. 107

Pro, opera fruſtrata: à Danaï filiabus, quæ ob necatos maritos finguntur apud inferos ſitulis perſtillantibus aquā haurire, & in dolium pertuſum infundere. Cat. Horat. Tib. Plat. Luc. Ariſt. Huc alluſit Plautus. In pertuſum dolium infundimus, operam ludimus.

## Ollam exornas. 108

Χύτραν ποικίλλεις. De re abſurda, qualis eſt vaſi vſibus culinariis deſtinato picturæ lenocinium adhibere, & bracteis aureis inaurare iuglandium putamina.

## Ocni funem torquet. 109

Σωμάγγει τοῦ ὄκνου τὴν θώμιγγα. Ocnus homo apud Iones induſtrius, operique intentus vxorem habuit ſumptuoſam, & prodigam, quæ abſumebat quicquid ille corroderet. ſup. Eraſmi prouerb. Ocni funem torquet.

## In orbem circumiens. 110

Ἅπαντας ἐν κύκλῳ περιελθών. pro, neminem præteriens. In conſultando πάντα ἐν κύκλῳ commoda atque incommoda circumſpicienda, id eſt, nullum omnino omittendum Lucian. Sic, ambibant, qui ſingulos prenſabant: & obeunt prouinciam, qui in adminiſtrando nuſquam non adſunt.

## Malum bono penſatum. 111

Cùm natura egregium bonum egregio vitio penſat: vel cùm quis beneficium aliquo vitiat maleficio, quadrabunt illa Hom.

Τὸν περὶ μοῦσ᾽ ἐφίλησε, δίδου δ᾽ ἀγαθόν τε κακόν τε.
Ὀφθαλμῶν μὲν ἄμερσε, δίδου δ᾽ ἡδεῖαν ἀοιδήν.
Hunc alios vltra dilexit Muſa, deditque

Ayuntamiento de Madrid

Atque boni,atque mali quiddam:nam lumina ademit,
At dedit emulcere ſuaui pectora cantu.

## Conos artoxya. 112.

Κῶνος ἀρτοξύη. De ſimilibus & inter ſe reſpondentibus. Conum piſtorium inſtrumentum, non diſſimile artoxyæ, id eſt,panorio ſcalpro:vel in eos, qui vili munuſculo alterius operam compenſant. apparet enim ex conſequentibus apud Suidam,conos fuiſſe munuſcula puerorum, ætati eorum apta, vt armillæ ſunt.

## Cur ceſſatum eſt. 113

Τυδείδη, τί παθόντε λελάσμεθα θούριδος ἀλκῆς;
Dic,quidnam acciderit nobis, vt Martia virtus
Tydide exciderit animis?

Hom. Quoties communem culpam apud amicum agnoſcemus,aut in re quapiã ceſſatum eſſe ſignificabimus.

## Conferre capita. 114

Pro,deliberare,ſeu conſultare de re aliqua. Liuius.

## Fodere. 115

Incitationem ſeu admonitionem potius eleganter illa ſignificant, fodere,& fodere latus:tralatione ab animantibus,quas ſtimulorum punctionibus ad curſum excitamus. Terent. μάστιγι ἐπιμάσσεσθαι, ſcutica cædere. Hom.ſup.tom. 1. frigidam aquam ſuffundere. Cubito ſtantem tangere. Perſ. Ignarium date, quòd Pyretes attritu digitos adurat, & ponderoſiſſimus ſit : propriè tamen locum habet cùm ſuggerimus, quod dolore quodam alium à peccando renocet. ſup. tom.1.titulo,Memoria.Bellicum ſeu claſſicum canere.Cic.ſup.tom.1.loco nimirum non ſuo.

## Cothurnus. 116

Κόθορνον, citra comparationem, etiam appellarunt inconſtantes Plut. Lucian. quòd cothurni τετράγωνοι & ἀμφοτεροδέξιοι, quadrãguli & vtrilibet pedi conuenientes ſint;vnde & cognomen hinc datum eſt Therameni & Niciæ : Sic Martem, nunc his, nunc illis fauentem ἀλλοπρόσαλλον vocat Hom. & Vlyſſem πολύτροπον, quòd quamuis perſonam aptè ageret in loco ; quanquam hoc in bonam partem:quò etiam non malè cothurnum torqueas.

## Altera manu ſcabit, altera ferit. 117

Ὥσπερ εἴ τις ἑνὸς ἀνδρὸς τῇ μὲν τῇ χειρῶν καταψήχοι τὴν κεφαλὴν, τῇ δὲ παίοι τὴν παρειὰν, perinde quaſi quis eiuſdem viri altera manu ſcabat caput, altera malam feriat. Nazianz. ſup. tomo primo. Altera manu fert lapidem, panem oſtentat altera.

## Fons Dodonæus. Circes virga. 118

In cauſſidicos & oratores, qui eadem nunc tuentur & laudãt, nunc impugnant & vituperant. Plu. Plin. Fons quidam in Dodona cùm ſit frigidiſſimus faces ardentes ſi quis immergat, exſtinguit: exſtinctas ſi quis admoueat, accendit. Sic Circe eadem virga mentem fingitur adimere & reddere: pecudes facere & homines.

## Ventorum ſtationes. 119

Ἀνέμων στάσεις γινώσκουσι οἱ ἐγχώριοι. Ventorum ſtationes norunt indigenæ. De rebus multo vſu obſeruatis: aut cùm innuemus cuique ſua omnia, vt artem, patriam, domeſtica, amicos, eſſe notiſſima. Suid. Sunt pleriſque regionibus ſui quidam venti, quorum naturam incolæ optimè & norunt & reipſa ſentiunt.

## Κυναλώπηξ. 120

Qui caninam impudentiam cum vulpina aſtutia coniungit: vel, cuius in animo canis habitat vulpes, quomodo de Sulla dixit Carbo. Ariſtop. Plut.

## Χηναλώπηξ. 121

Sic dictus eſt Theagenes, quòd garrulus eſſet, & ſtupidus more anſerum, & verſipellis more luporum: vel quòd vulpium inſtar, anſeribus aliiſque auibus admodum delectaretur. Ariſtoph. Didymus.

## Diuerſarum partium. 122

Τυδείδην δ' οὐκ ἂν γνοίης ποτέροισι μετείη,
Ἠὲ μετὰ Τρώεσσιν ὁμιλέοι ἢ μετ' Ἀχαιοῖς.
Porro Titidem minimè cognoſcere poſſis,
Troianos ne inter verſetur, an inter Achiuos. Homerus.

De Metio quodam, cum vtraque parte colludente, aduocato ſcilicet, duce, aut alioqui amico bilingui.

## Suberinus. Subere leuior. 123

Φελλίνας, φελλοῦ κουφότερος. In hominem lubrica fide.

Suberis lignum cauernoſum in aqua non ſidit, imò aliis ne ſidant alligatur. Horat. Strab. Hinc φελλεύειν fluitare eſt, & radicibus carere.

Iam dictis annumerari poſſunt & hæc, Vtroque pede claudicare. Duobus dominis ſeruire. Neque calidum eſſe, neque frigidum. Hebræa omnia.

## Vbi deprehenſum eſt, quod erat occultum. 124

Ἤ τις σφιν τόδ᾽ ἔειπε θεῶν, ἢ εἴσιδον αὐτοί.
Siue illis Deus hoc aliquis deprodidit index,
Siue ipſi videre. Homerus.

## Laciadæ. 125

Ὦ λακιάδαι. Conuicium in mœchos: populus quiſpiam eſt iſte Atticæ Laciadarum, tribus Oeneidis, apud quos ingens raphanorum copia: his vtebantur in adulteros deprehenſos ludibrii cauſſa. Suidas.

## Hæc Helena. 126

Αὕτη ἑλένη, ὑπὲρ ἧς ἐμονομαχοῦν. Hæc Helena, pro qua digladiabantur. Lucianus agens de duobus Peripateticis lucri cauſſa turpiter apud iudices contendentibus. Menelai & Paridis ſingulare certamen vide Iliad. 3.

## Ars portus inopiæ. 127

Λιμὴν ἀτυχίας ἐστὶν ἀνθρώποις τέχνη. Vnicum confugium in egeſtate eſt ars. Simile, Sua cuique ars pro viatico eſt. Sapiunt, qui liberos etiam ſumma in re artibus inſtruunt, quæ eos porrò, ſi ita fors ferat, alere poſſint.

## Ingratitudo vulgi. 128

Μήτις ἔτι πρόφρων, ἀγανὸς καὶ ἤπιος ἔστω
Σκηπτοῦχος βασιλεὺς, μηδὲ φρεσὶν αἴσιμα εἰδώς·
Ἀλλ᾽ αἰεὶ χαλεπός τ᾽ εἴη, καὶ αἴσυλα ῥέζοι.
Poſthac ne placidus ſit quiſquam, néue benignus,
Nec mitis, iuſtíque tenax rex ſceptriger vnquam:
Sed ſemper ferus eſto, & ſemper iniqua patrato.

Vtemur, quoties nos beneficii in immemorem collati quodammodo pœnitebit.

## Quantum ex Bacchanalibus. 129

Ὅσον ἐκ διονυσίων. De rebus vehementer exſpectatis. Apud Atticos numerabant annos & numerum acce-

Ayuntamiento de Madrid

dentem à Dionyſiis, vt ex Olympiadibus: redibant autem ſingulis trienniis, vnde trieterica. Virg. Suid. Lycoph.

Ισθμιάζειν. 130.

De iis, qui parum commodè, parúmque ſalubriter viuunt, quòd Iſtmiorum ludorum tempus morbis eſſet obnoxium, ob ingentem populi concurſum: Vel de opera inani. ſup. tom. I. Iſthmum perfodere.

Παλεύτρια. 131

De illecebris, aut re alioqui ad fallendum comparata. Propriè columba exoculata, quam aucupes in reti ponũt, quò ſubſultans cæteras alliciciat columbas à παλεύειν quod ſeducere eſt, ſeu in laqueum illicere. Ariſtoph. Eodem non malè referas illud ſup. tom. I. columba ſedens.

Omnibus malis punicis ineſt granum putre. 132

Innuebat hôc Crates vix quemquam reperiri, qui omni vitio careret. Laert.

Antiquiores Luna. 133

Arcades ob eam cauſſam ſtupidi ſunt habiti, quòd aſtrologiam inſigniter cõtemnerent, facerént que ſe Luna antiquiores: vnde προσελιναῖοι dicti ſunt: & βαλανηφάγοι, glandibus victitantes. is enim erat priſcorum cibus. Appellationes eædẽ conueniunt in omnes ſtupidos & ignauos, qui litteras, quia ignorant, deſpiciunt, gloriantes de nobilitate ſua, qua ſibi videntur καὶ διὸς αὐτοῦ ἀρχότεροι, πρότεροί τε κρόνου, καὶ τιτάνων. Lucian. Ariſtoph.

Vnedo. 134

De re, quæ initio quidem nouitate arridet, verum repetita ſordeſcit: cùm contrà κόρος οὐδεὶς τῶν καλῶν, nulla ſit ſatietas rerum honeſtarum. Tradit Plin. vnedonem pomum eſſe.

Non ſemper Saturnalia. 135

Simille illi ſup. tom. I. Foras Cares, non amplius anthiſteria. Non ſemper Anthiſteria, ſeu Floralia. Sen. Saturnalia ſeruos etiam libertatem donaſſe notum.

Vinum animi ſpeculum. 136

Κάτοπτρον γὰρ εἴδους χαλκός ἐστ᾽ οἶνος δὲ νοῦ, Forma ære lucet, vina produnt pectora. Athen. τὸ ἐν τῇ καρδίᾳ τοῦ νήφοντος, ἐπὶ τῆς γλώττης τοῦ μεθύοντος, quod in corde ſobrii, id

in lingua eſt ebrij. Non abſimilis & ille verſus prouerb. ἃ γλῶσσ' ἁμαρτάνουσα τ' ἀληθῆ λέγει, Verum ſolet prolapſa lingua dicere. vide ſup. tom. 1. Vinum, animi ſpeculum &, In vino veritas,

## Codali chenix.

Κοδάλου χοῖνιξ, Codali demenſum. De magnis menſuris. Suid. Videtur tractum à ſeruo quopiam edaci, cui chœnix fuerit altiùs capax, & hac arte fraudarit herum.

## Virgo primùm. 138

Παρθένος τὰ πρῶτα. De iis, qui rem paternam profundunt. inde fortaſſe, quòd virgines adhuc rudes meretricij quæſtus, facilè ſui copiam faciunt, poſtea quò plus auferant, difficiles ſe præbent. quomodo adoleſcentes prius quàm intelligant, quid pecunia ſit, largius profundunt ſua. Et prima vitæ pars ferè, licet optima, ſtultiſſimè conteritur.

## Mala ſenium accelerant. 139

Αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι.

Quippe repente homines curíſque maliſque ſeneſcunt. Hom.

## Omnibus modis nocens. 140

Hominem fucis, vi, factis, verbiſque pernicioſum dicemus nobis moleſtum eſſe καὶ χερσὶ, καὶ λύμαισι, καὶ πᾶσι κακοῖς, manu, & venenis, & malis demum omnibus. Soph.

## Iræ ſenectus mors. 141

Θυμοῦ γὰρ οὐδὲν γῆράς ἐστιν ἄλλο, πλὴν θανεῖν, Senecta nulla obtingit Iracundiæ, niſi mors. Soph. Cui placet, obliuiſcitur: cui dolet, meminit. Cic. vide tom. 1. idem prouerb. apud Eraſm.

## Ἀποσκυθίσαι. 142

In quoſdam aſperis moribus, quibuscum vix habeas commercium, niſi cum ignominia diſcedas. Tractum inde, quod Scythæ, cùm calamitatibus premerentur, per luſum, ac delicias omnibus populis, quibus imperabant, capillos detonderent. Athen. Idem, quoquo venirent, ceteris viris nares amputabant, & mulieres Thracum vxoribus corpora ſubulis pungebant. Planè miſera ſub iis ſeruitus, vt inde natum ſit, ἡ ἀπὸ σκυθῶν ῥῆσις, pro impe-

Ayuntamiento de Madrid

rio crudeli. & σκύθρωψ ac σκυθρωπὸς, pro toruo, triſti, & σκύζεσθαι pro iraſci.

## A veru rapere. 143

Eos, qui præpropera auiditate commodum auferre, aut voluptatibus frui ſtudent priùs, quàm oporteat, veluti ſi populum nouus rex ſtatim exactionibus ſpoliet, aut ſi quis ſponſam puellam ante tempus amplectatur, eos eleganter ἀφαρπάζειν, ὀβελίσκου, rapere à veru ἀποτηγανίζειν, è ſartagine tollere: cibum denique nondum ſacrificatum abripere dicemus. Athen. Nobis iidem ſimili metaphora dicuntur ſata ſua etiamum viridia depaſci, *manger ſon blé en verd.*

## Radicitus 144

Alexander admonitus longe plus vectigalium è ſuis ciuitatibus auferri poſſe, ἢ κηπωρὸν, inquit μισῶ, ὃς ἐκ ῥιζῶν ἐκτέμνοντα τὰ λάχανα, olitorem odi, qui radicitus herbas euellat. Quo vetuit omnes principes, ſuos ἀποσκολύπτειν, excoriare. Hodie tamen plerique videntur καλεῖν μὲν πλέον ἔχειν, ἐπαινεῖν δὲ τὸ ἴσον; vel, δικαιῶς ἐπαινεῖν, τοῦ δὲ χρήματ' ἔχειν, plus æquo habere, laudare tantùm quod æquum eſt. Theod. Soph. Athen.

## Manticulari. 145

Pro, fucum facere, & ſubdolè agere: tractum à manticulis quas fures contrectare ſolent, quò manu ſiniſtra, vt ait Catul. tollant, lintea negligentiorum, qui vel oculos aliò deflectunt, vel animum ad ea, quæ dicuntur, non ad ea, quæ fiunt, aduertunt.

## Quærere peregrinum. Πλάνος. 146

In eos, à quibus deluſi ſumus aliquando, eáque experientia facti cautiores. Horat.

Nec ſemel irriſus, triuiis attollere curat
Fracto crure planum: licet illi plurima manet
Lacryma, per ſanctum iuratus dicat Oſirim,
Credite, non ludo, crudeles tollite claudum,
Quære peregrinum, vicinia tota reclamat

Apud Quinctil. reclamabatur, Tollat te, qui non nouit. vide tom. 1. Tollat te qui non nouit. Simile illud Iuuen. Circuit, & fatuos non inuenit. Quin & πλάνον erronem, & ob hoc impoſtorem deſignare teſtantur Agell. Laber.

Ayuntamiento de Madrid

## Aquas infundere cineri. 147

Quid, quòd medicina mortuorũ ſera eſt? quid quod nemo aquas infundit in cineres? Quinctil. indicans ſerum remedium. ſiquidem ægroto mortuo, ſerò affert medici famulus linimentum: & ædibus in cinerem redactis ſerò infunditur aqua.

## De illo conuentu. 148

Pro, de illo grege, vel, illius gregis, vel, gregalis etiam. Ita ferè Cicero.

## Vxor ſeni ſponſo regina. 149

Δέσποινα γὰρ γέροντι νυμφίῳ γυνή, Regina ſiquidem mulier eſt ſponſo ſeni. Ariſtoph. Pertinet eò, vt non vxorem tantùm, ſed omnia alia nobis cõgrua, & paria deligamus.

## Πιθηκίζειν. 150

Pro, fucis & blanditiis fallere: vnde & πιθηκισμὸς. Ariſtoph. vide tom. 1. prou. Simia fucata.

## Domum redeamus. 151

Quoties digreſſi redimus ad id quod inſtitueramus. Cic.

## Ἀπροσδιόνυσα. 152

Vnico verbo elegantiſſimè exprimunt Plutarch. Athen. illud, quod eſt tom. 1. prou. Nihil ad Bacchum, & nihil ad verſum. Non diſſimile, cùm idem Athen. in tempeſtiuos ſermones, & à propoſito alienos vocat ἀχρότητα κύμβαλα, cymbala non congruentia ad numeros ſaltationis: πάρευλα μέλη, modos non reſpondentes ad tibiam: item ἀμυσολογίας.

## Maza eſurienti auro carior. 153

Πεινῶντι γὰρ ἀνδρὶ μάζα τιμιωτέρα χρυσοῦ τε κ' ἀλέφαντος. Offa eſurienti homini carior & auro, & ebore. Quoties rem vſu, non opinione æſtimabimus. Athen.

## Ἀδελφίζειν. 154

Vocabulis adoptiuis alicui blandiri, & in genere adulari in os: propriè appellare fratrem, quemadmodũ dicimus ἐνδυμωνίζειν, & μακαρίζειν. Horat. Ariſtoph. Plaut.

## Halopanta, vel Halophanta. 155

Halophantas appellatos fuiſſe hominum genus nequam

quod ad ſuenda mendacia, miſerrima mercede conducitur, teſtis eſt Nonius, ex Plaut. Fortaſſe, quemadmodum ſycophantæ dicti ſunt, qui deferebant exportantes ficus Athenis, ita & ἀλφιφάντης, qui defert eos, qui telonas conantur fraudare vectigalibus.

OBSERV.

Mauult Turnebus holophanta, vt ſit qui ob omnis homines defert, vt ſycophanta qui ob ficus. Aduerſar. 11. cap. 6.

## Socratis gallus, vel callus. 156

In nudos & inopes. Nonius è Varrone ita citat hoc adagium: inueniſſe ſe, cùm dormire cœpiſſet tam glaber quàm Socratis gallus, eſſe factum ericium cum pilis & proboſcide. Fortaſſe legendum callus, vel callum. conſtat Socratem patientiſſimum fuiſſe laboris, nudis ambulaſſe pedibus, dormiuiſſe humi, vt hinc manarit iocus in ipſius callum.

## Vt è bulga matris. 157

Ad nuditatem quoque & inopiam; vel ad æquam omnibus vitæ conditionem (natiuitas enim non diſtinguit Crœſum ab Iro, regem à plebeio) referri poteſt ille Lucillij verſus apud Nonium:

Ita vt quiſque noſtrum è bulga eſt matris in lucem editus.

Bulga propriè folliculus omnis: vnde & crumena, & ſacculus ad brachium pendens.

## Eſurienti leoni prædam exſculpere. 158

Simile illi tom. 1. Bolus ereptus è faucibus: item illi Agnam lupo eripere. Lucillius.

## Ἀλιτήριος. 159

De homine quocunque modo ſcelerato, præcipuè qui per vim rapit aliena, impiúſque eſt & ſacrilegus: vnde & ἀλιτραίνειν ſacrilegium committere. Inter varias adagij origines eſt & hæc. Temporibus Ætolici belli tanta frumentariæ rei penuria incidit Athenienſibus, vt pauperes fame coacti captiuorum farinam diriperent: inde vox ad alia traduci cœpit Plut. Ariſtoph. interp.

## Salacones. 160

Quemadmodum Codrus & Irus ob inopiam in vulgi fabulam

fabulam abierunt; ita & Salacon quidam ob ſummam in extrema inopia arrogantiam: adeóque σαλάκων vocatur πτωχὸς ἀλάζων, pauper arrogans, & σαλακωνία ἡ ἐν πενίᾳ ἀλαζονεία, in paupertate arrogantia: quin & σαλακωνίζειν, ac σαλακωνεύειν fractum & effeminatum eſſe, διαθρυπτομένους εἶναι, καὶ τρυφερούς. Suid. Heſych. Theoph. At Ariſtot. exponit in genere σαλακωνίαν, ὑπερβολὴν μεγαλοπρεπείας, cùm volumus circa ea quoque ſumptuoſi eſſe, quæ ſumptu & magnificentia digna non ſunt.

## Quam Clinia ex Demetrio. 161

Plaut. Plura ex me audies hodie mala, quàm audiuit vnquam Clinia ex Demetrio. Videtur ſumptum è comœdia quadam Turpilij, cui titulus Demetrius; vel alia, vbi pater prolixè & acerbè obiurgat filium. Talis enim inducitur Clinia in Heaut. Terentij, qui ob duritiem patris profugit in militiam. Fortaſſe & Terent. & Plaut. ab eodẽ Græco auctore ſua ſumpſerunt.

## Citeria. Citeria loquacior. 162

De homine impendio loquace, οὐ λέγειν δεινοῦ, ἀλλὰ σιγᾶν ἀδυνάτου. M. Cato. Citeria apud Romanos erat effigies quædam arguta & crepera, quæ ridiculi cauſſa in pompa vehi ſolita eſt. Feſtus.

## Nutricis pallium. 163

Si vnam peccauiſſes ſyllabam, fieret corium tam maculoſum, quàm eſt nutricis pallium. Plaut. Nutrices, quoniã tractant infantes, ſæpe veſtes habent bua, ſaliua, mictu, foriaque contaminatas.

## Velatis manibus orare 164

Pro, ſuppliciter orare. Plaut. Sumptum ab antiquo more Oratorum, quo, qui pacem petituri venirent, ramum oliuæ prætendebant. Velatas autem dictum pro vittatis.

## Alteris melioribus. 165

Πάλιν οὖν ἀμεινόνων ἐξ ἀρχῆς δευτέρων ἐπαναπολήσωμεν, rurſum igitur ſecundis denuo melioribus repetamus: δεύτεραι γὰρ φροντίδες σοφώτεραι, Secundæ enim cogitationes prudẽtiores. vide tom. 1. poſterioribus melioribus. Tractum è ſacris, vbi cùm in vnis hoſtiis ſecunda non apparerent, ad alteras ibatur. Plato, Ariſt. Euripides, Ariſtides, Heſych.

l

Ayuntamiento de Madrid

Phauorinus. Huc reſpicit illud Daui Terentiani: Hac non ſucceſſit, alia aggrediemur via. Neque malè quis & illud huc referat quod tom. 1, in titulo, MANSVETVDO, non ſatis rectè explicatur. Mactata veniet lenior hoſtia.

### Ætoli. 166.

Αἰτωλίται petaces & improbi. vide ſup. Iunij prouerb. Manus in Ætolis habet.

### Χαρωνῖται. 167

Olim Charonitarum cognomen apud Romanos populari ioco tributum eſt iis, qui ex defuncti commentariis tuebantur, quod perperam agebant: quo artificio quidam abutuntur hodie teſtamentis.

### Iapeto antiquior. 168

Ιαπέτου ἀρχαιότερος. Iupiter apud Lucian. ſic alloquitur Cupidinem pueritiam excuſantem. σὺ παιδίον, ὦ ἔρως, ὃς ἀρχαιότερος πολὺ τοῦ Ιαπέτου.

# PROVERBIORVM SYMmicta Ioan. Alexandri Branſſicani I. C. in Epitomen redacta.

### Iupiter plue mel. 1

ΩΖΕΥ βρέχε μέλι. Exclamatio ruſticorum, ſi quãdo inſignis copia mellis paſſim in virgultis & foliis arborum inueniretur. Vtemur ea, quoties fauſta & felicia præcabimur. Galen. Diſſimilis illa, ὦ ζεῦς βρέξον τὰς πειράτας, ô Iupiter plue calamitates: Quoties ob rei indignitatem etiam pernicioſis votis vtimur. Politian.

### Petis tanquam Cæſaris candidatus. 2

In eos, qui negligentius aliquid petunt, tanquàm minimè ambientes, freti ſcilicet explorata alterius benignitate, neque dubij de impetratione. Quinctil. Sueton. Bu-

Ayuntamiento de Madrid

dæus. Cæſaris candidati; Principum commendationem quia non fruſtrà futuram ſciebant, negligentius olim ambiebant. Eſt tamen, vt hoc obiter addam, prudentis, quod emere vult empturum ſe diſſimulare, propter emptionis competitores. Gellius.

## Inter meros lepores. 3

Ε᾽ν πᾶσι λαγώοις, in media leporum carne, id eſt, in variis commoditatibus & deliciis. Suid. Ariſtoph.. Heſych. Lepores ferè cum ſummis voluptatibus olim comedi ſolere teſtantur. Martial. Plin.

## Gloſſaſpides. 4

Γλωσσάσπιδες, Homines effrenis oris, & qui lingua vice ſcuti vtuntur, τὰ ὅπλα ἐν ταῖς γλώτταις ἔχοντες. Heſych. Heracl.

## Αἰξωνεύεσθαι. 5

In accuſatores vanos & ſycophantas, & mordaces: quòd AExones Magneſiæ, quæ Macedoniæ regio eſt, βλάσφημοι καὶ συκοφάνται κωμῳδοῦνται. Steph. Menand. & Plato comici.

## Βεργαΐζειν. 6

Nihil, quod verum ſit, dicere. ab Antiphane comico Bergæo, qui prorſus incredibilia quædam ſcripſit. Aliter Eraſ.

## Theſſalus miſſus. 7

Εὐτραπέζων θετταλῶν ξένων τροφὴ, lautorum Theſſalorum hoſpitum alimentum. De cibo egregiè lauto. Theſſali τῶν ἑλλήνων πολυτελέστατοι, Græcorum profuſiſſimi audiunt. Pauſ. Athen.

## Βιβλιαίγισθος. 8

Qui aliorum ſcripta ſibi vendicat, ſuoque nomine paſſim inuulgat: alluſione ſumpta ab Ægiſtho, qui Clytemneſtram Agamemnonis corruperat. Auctor Etymolog.

## Turbine verſatilior. 9

Βέμβικος οὐδὲν διαφέρειν, pro, deſultorium, agilem, & verſatilem eſſe, trochi in modum, qui βέμβιξ Græcis dicitur, quaſi πέμπιξ, à πέμπειν: Vel, redire in eandem viam, quod fugitiuis contingit à recto itinere aberrantibus. Heſych. Suid. Sic Plautus, Verſatilior rota figulari.



Ayuntamiento de Madrid

Nihil niſi potantes, 10

Οἱ πίνοντι μόνον, βατράχων τρόπον, οὐδὲν ἔδοντες, qui ranarum more tantum bibunt: nihil autem comedunt. In potores inſignes, qui etiam ναῦται συμποσίου dicuntur, quod poculorum propinatione, nunc ad illum, nunc ad alium deuehuntur. Athen. Sic quidam apud Plaut. coquos hortatur, tanquam remiges in mari.

In ollis venari. 11

Α'θάλασσος ἐν τοῖς λοπαδίοις ἁλίσκεται, tametſi mare nullo vnquam attingat tempore, in ollis tamen egregiam capturam aſſequitur. De Paraſitis, quibus nullum vinum gratius alieno. Athenæus.

Vltra Herculis columnas. 12

Τῶν ἡρακλέους ἐσχάτας στήλας. Quoties optabimus aut ab inepto alioùe quomodocunque nobis moleſto liberari Pindar.

Quatuor habens capita. 13

Τέτταρας κεφαλὰς ἔχων. De inſigniter ebrio. Tali enim omnia geminata videntur. Athenæus.

Vinum lac Veneris. 14

Vinum ἀφροδίτης γάλα vocabat Ariſtoph. quòd immodicus èius vſus Veneris eſſet incitamentum. Athenæus.

Vilior pomis vitioſis 15

Φαυλότερος φαυλίων μήλων. De abiectis & contemptis, quosque caſſa nuce non emeris. Athenæus.

Barbam ab vlnis puerorum vellere. 16

Πώγωνα τίλλειν κυρίων ὑπ' ὠλέναις. Pro, inanem laborem ſumere, rebus egregiè commodis & vtilibus neglectis. Vlnas enim puerorum depiles eſſe nemo ignorat. Lucian.

Chorus domeſticus. 17

Χόρος οἰκεῖος, Laudatores conducticij. Lucian. Sic. Cic. Stultitiæ ſuæ quàm plurimos teſtes domeſtico præconio conducentis. Idem, mercenarium prœmium appellat.

Vt templorum ſacra. 18

Ὡς τεμένων ἱερά. De re, quã anxiè & religione quadam adſtricti colimus & obſeruamus: vt nos ſenum conſilia: & Sophiſtæ ſuas artes quales quales. Agel.

Ayuntamiento de Madrid

## De ſummo pectore. 19

Non autem me præterit dicere aliquem poſſe de ſummo pectore, nihil eſſe in iis verbis negotij, de ſomno pectore, ἀπὸ χειλέων, verbis impræmeditatis & inconſultis. Agel. Plutarch.

## In montes offendere. 20

De iis, qui ita prodiogiosè cæcutiunt, vt ne apertiſſima quidem videant, quæque χέρσιν ἀμφαφόωντο καὶ ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶντο id eſt, quæque ante oculos interque manus ſunt. Auguſtin. Hom. Vergil.

## Miſeriorem, quàm panus puerum. 21

Subaudi, reddidit. De grauiſſima moleſtia. Panus tumor inguinum, à formæ ſimilitudine ſic dictus: pueris cùm accidit, intolerabilis. Nonius.

## Loricæ gladius. 22

Loricæ gladius, in acie non firmius munimētum, De ſummo præſidio, vt ſi quis dicat, Loricæ gladium non eſſe, firmius munimentum, quàm Græcæ litteræ Latinas iuuent. Tacit. Loricæ nulla vtilitas, niſi gladij vſus acceſſerit.

## Contenti ſimus hoc Catone. 23

Auguſti dictum, quoties hortabatur ferenda eſſe præſentia cùm mutari non poſſent. Suet. Catonem vnicum Cicero maluit quàm alios omnes iudices. nihil mirum ſi illi parem reperire Aug. deſperabat.

## Senator abſque prouocatione, Legatus ſine mandatis. 24

De iis, qui cùm nulla ſint auctoritate, nullóque publico munere fungantur, inſolenter primi eſſe volunt, in omni loco, & tempore: vel de iis qui inanes titulos iactitant. Cic. Prouocationes ad Senatum olim fiebant. Legatus ſine Reip. legitimis mandatis, nemo dicendus.

## Quaſi theſaurum draco. 25

Subaudi, circumplexus. De incredibili ſolicitudine rem aſſeruantibus, vt Zelotypis & auaris. Cic. Dracones, à δέρκεσθαι dicti, acie oculorum imprimis valent: vnde incumbere theſauris cauſſa cuſtodiæ finguntur ab antiquis. Feſt. Artemid.

## Ara. 26

Summum & incomparabile præſidium, & locus, qui vice inuiolati ſit aſyli. Terent. Cic. Plaut.

### Ad gentiles & agnatos deducendus. 27

De homine, qui emota mente furere videtur. Var. Colum. Furioſi & prodigi, licet xxv. annis maiores, in curatione ſunt agnatorum, ex legibus xij. tab.

### Cantilena ex ſcholis. 28

De re inutili & nugatoria, qualem Gellius nugatorium ſcholicum vocat. Cic. Hieron.

### Roſcius. 29

Qui in arte ſua perfectus eſt, quomodo Roſcius in arte mimica. Feſt. Cic.

### Conchas legere. 30

Dicuntur, qui ad animum remittendum nonnunquam ſe ad ludicra quædam demittunt. Narrare ſolet Scæuola, conchas eos ad Caietam legere conſueſſe, & ad omnem animi remiſſionem, ludumque deſcendere. Cic. Politian.

### In Plauti comœdia mœchus. 31

De re manifeſta, & nemini non cognita. Gellius. Apud Plaut. in Caſſina, Senex adulter apertè ab vxore deprehenditur.

### Caput tegere.

Καλυψάμενοι τὴν κεφαλὴν dicuntur, qui verecundè & reuerenter aliquid tractant. Petron. Q. Cal. Gellius. Hom. Sic, nudo & aperto capite, pro, impudenter, & perfricta fronte. Plaut. Qui rubore ſuffunduntur, caput atque faciē obtegere conſueuerunt.

### Subula leonem excipere. 33

Siquandò rem periculi plenam leuibus admodum & infirmis præſidiis depellere volumus: aut ſi frigidis rationibus fortiſſ. argumenta conuellere. Subula, culter ſutorum calceariorum eſt. Seneca.

### In eodem valetudinario iacere. 34

De iis, qui communi malo implicantur. Sen. Tac. Valetudinarium, νοσοκομεῖον, locus valetudinariis deſtinatus. Colum.

### Deos abſentes teſtes facit. 35

De eo, qui cum ſumma confidentia ſtrennuè menti-

Ayuntamiento de Madrid

tur.Plaut.Iuuen.Ouid.

Sapientes ſunt,qui veteri vino vtuntur. 36

Antiquitatis omnis commendatio eſt, Sapit qui antiquis ſcriptoribus vtitur,non iis, quos præpoſterè veteres vocant,quos vappæ verius,quàm vino cõparaueris.Plaut. Hom.Ouid.Athen.Pind.

Nodus Gordius. 37

Idem cum illo tomi primi,Herculanus nodus, quanquã etiam de re inexplicabili dicatur.Auſon.Origo ibi omiſſa, hîc addenda,refertur ad quoddam iugum adſtrictum pluribus nodis in ſemetipſum implicatis,& nexum cælantibus.Cuius iugi vincula,cùm Alexander, Gordio, in qua vrbe aſſeruabatur,victo,ſoluere non poſſet, gladio rupit: quòd rumor eſſet fatis Aſiæ imperium illi promiſſum eſſe, qui nexus illos expediuiſſet.Curtius.

Etiam vetus arbuſtum transferri poteſt. 38

Omnis ætas ad optimam viuendi rationem transduci & accommodari poteſt.Cato ſenex Græcas litteras didicit.Senec.

Clauſis theſauris incubare. 39

In eos,qui re poſſeſſa neque vti, neque frui norunt. ad animi diuitias elegantius transfertur.Quinctil.

Ad arculas ſedere. 40

Propriè,de iis,qui rerum agẽdarum aliis tanquam formulam præſcribunt:tralatè,de iis,qui libris ſuis affixi,nõnihil præſtant,& docti videntur; ab iiſdem auulſi, à vulgo nihil differunt; quo modo ſcombris in aqua ſulphureus eſt color;extrà,qui reliquis.Quinctil.

Teucrum Pacuuij ediſcere. 41

De re magni negotij. Cic. Pacuuij Teucrum veriſimile eſt arduum poëma fuiſſe & difficile, quod memoriæ non facilè mandari potuerit.

Muſas hortari vt canant. 42

Quoties inhortamur eum,qui ſua ſponte & non rogatus in negotium incumbit, dicemur hortari Muſas vt canant,maria vt effluant,auras vt vigeant, ignes vt caleant. Auſon.



Ayuntamiento de Madrid

### Nerui & artus ſapientiæ ſunt, non temerè credere. 43

Nemo citiùs fallitur, quàm qui temere credit. Nemo rectius iudicat & certiùs, quàm qui rem compertam habet, & exploratam. Q. Cic.

### E ſcurra faciliùs diues, quam paterfam. 44

In homines deſperatæ improbitatis, qui nihil non peius aſſequi, quàm ad bonam frugem redire, poſſunt. Cicer. Aquil. Dicebat Demetrius, facilem ſibi ad diuitias viam patuiſſe; quo die bonæ mentis pœnituiſſet. Senec. Vnde Eurip.

Μὴ πλοῦτον εἴπῃς, οὐχὶ θαυμάζω θεὸν,
Οὐ χὼ κάκιστος ῥᾳδίως ἐκτήσατο.

### Lacuna. 45

Lacunam implere rei familiaris, pro, penſare detrimentum. Cic. Lacuna famæ, Agell. Vide ne qua lacuna ſit in auro, hoc eſt, tacitum & non intellectum detrimentum. Illiuſmodi metaphoræ ſunt: gurges vitiorum, ſentina vrbis, ſtruma ciuitatis, ſcopuli reip. vulturij paludati, nuntij pegaſi, vorago patrimonij, inſaturabile abdomen. Cic.

### Securim iniicere. 46

Pro, incœptum præpedire. vt, petitioni ſuæ, aut Reipublicæ grauem ſecurim iniicere, id eſt, incommodo aliquo aut detrimento labefactare. Cic. Iuuen. Eiuſdem Cic. eſt, Plagam infligere: quemadmodum Plauti, Pilum iniicere.

### Vnguis in vlcere. vlcus. 47

Et tu in hoc vlcere, tanquam vnguis exſiſtens, id eſt, rem malo in ſtatu ſitam & moleſtam exacerbans. Cic. ἡ γεωργία γλυκύ, ἀλλ' οὐχ ὅλον, ὡς φασιν, ἕλκος, ἀεὶ λύπης πρόφασιν ἐνσεισκόμενον, dulcis agricultura, ſed nonne tamen, quod aiunt, vlcus eſt, ſemper paratam habens doloris cauſſam? Plato. vlcus ergo, res moleſtiis infinitis plena.

### Equus Troianus. 48

Pro tacitis inſidiis, & paucis intellecta impoſtura. Cic. Intus, intus inquam eſt equus Troianus, à quo nunquam me Conſule dormientes opprimemini.

### Ex faſtis euellendi. 49

Ayuntamiento de Madrid

In impuros,& contaminatæ vitæ homines,quos veriùs pecudes dixeris,indignos,quorum apud poſteros vlla exſtet memoria,aut mentio.Cicero.

## Sanæ corporis parti ſcapellum adhibere. 50

Eſt,præpoſterè agere,& loco,vbi minimè opus eſt,præſidium & opem adferre.Cicero.

## Bambalio. 51

De homine inſulſo,& quo nihil contemptius, ſiue corporis turpe filum reſpicias,ſiue impuram & ineptam orationem Cic.Philelph.βαμβαλεῖν, eſt τοῖς χείλεσι τρέμειν, labiis tremere.& Phryges βάμβαλον pudendam corporis partem appellant.

## Saga ſumere,parare,in ſaga ire. 52

Pro,ad certamen ſeſe accingere.Cic.Patercul.

## Ratio apparet,ſed argentum οἴχεται. 53

Quoties ſignificamus nos rationes quidem optimè cõfeciſſe;ſed reliqua cõſumpſiſſe,neq; cum rationibus paria poſſe facere. οἴχεται,abiit,non adeſt,nõ exſtat.Plaut.Terẽt. Cic.Simile illud Periclis, qui, poſtquam Aſtianacti Lacædemoniorum duci pecuniæ ſummam dediſſet, vt ex Attica,quam infeſtabat, diſcederet, rationem impendiorum reddens,nec apertè volens magiſtratibus rem indicare,ita reſpondit, ἐς τὸ δέον, in rem oportunam, & neceſſariam. Ariſtoph.

## Calcei Sicyonij. 54

Ὑποδήματα σικυώνια.De re pulchra, ſed quæ virum parùm deceat.Cic.Picus.Saltatores, in conuiuiis, Sicyoniis vtebantur.Athen.Lucian.Lucret.

## Cogitato,quàm longa ſit hiems. 55

Eo ſignificabat Varro,frugaliter,& parcè viuẽdum eſſe, & conſulendum eſſe in longitudinem.Videtur alluſum ad fabulam de formicis & cicadis.

## Faſces ſubmittere. 56

Alicuius auctoritati, eruditioni, ingenio ſiue ſententiæ ingenuè cedere.Cic.Confecto bello Mithridatico, Pompeius Poſſidonij,ſapientia clari,domum intraturus, fores percuti à lictore,vt ſolebant, vetuit; & faſces lictorios ianuæ ſubmiſit,is,cui ſe Oriẽs & Occidens ſubmiſerat.Plin.

Ayuntamiento de Madrid

## Ad inferos proficiſci. 57

Εἰς ᾅδην πορεύεσθαι, eſt, longam profectionem ſuſcipere. Artemid. ſic Cic. dixit, ab inferis teſtes excitare, pro, præter omnium exſpectationem adducere. Item, ab inferis redire, pro, præter opinionem conualeſcere. Diſſimile, εἰς πόντον ἀπελθεῖν, pro, in præſentariam & certam ſe coniicere perniciem.

## Pygmæum Coloſſo imponere. 58

Pro, rem minutam & abiectam, ampliſſimam facere. Philoſt. Sic ex cloaca arcem facere. Cic.

## Latrunculis ludere. 59

Dicuntur, qui ſeſe decipiunt mutua verborum captione. Seneca.

## Bos armenta. 60

Subaudi, ſequitur. Vnuſquiſque ſua maximè ingenerata voluptate tenetur, & ſuæ naturæ conſimilia ſequitur. Cic. Vt bos armenta, ſic ego bonos, aut eos, qui dicentur boni, ſequar, etiamſi ruent.

## Pennas incidere alicuius. 61

Pro, imminuere poteſtatem, & arrogantiam reprimere. Cic. Qui mihi pennas inciderant, nolunt eaſdem renaſci. Aues inciſis alis nequeunt ſe altiùs tollere.

## Mures migrauerunt. 62

Quando grauiſſimam ruinam & calamitatem denunciabimus. Cic. Ruinis imminentibus muſculi præmigrant, aranei cum ſuis telis primi cadunt. Plin.

## Terram video. 63

Quoties ſignificabimus nos habere certiſſima præſidia, adhæc portum quendam tranquillitatis nactos eſſe. Cic. Stat. Hom. Eodem referendum illud Plaut. Cenſebam me eſſe in terra, id eſt, tuto loco, & tranquillo. Non rectè in priore tomo, ad tædia, detorquetur.

## Neque remi, neque venti. 64

De iis, qui omnibus omniũ præſidiis deſtituti ſunt. Cic. οὐ γὰρ οἱ πάρα νῆες ἐπήρετμοι καὶ ἑταῖροι, neque remiges, neque ſocij. Hom.

## Quantum pedes poſſunt, fug. 65

Ὡς ἔχει ποδῶν ἡμῶν. Pro, modis omnibus, & viribus. vide

Ayuntamiento de Madrid

tom..Quantum pedibus potes.Melius tamen eò diligentia & ſtudium deſignauerimus, quàm feſtinationem, ſi ad animum transferamus; vt illo Hom. χερσί τε ποσί τε, manibus pedibúſque.

## Χαραδριὸν μιμούμενος. 66

Tom. 1. Charadriũ imitans. Natum ex eo, quod Charadrium vendentes eum occultare ſolebant, ne prius emptori prodeſſet, quàm foret vendita. Icterici enim ſolius auis adſpectu ſanabantur. Plinius.

## Muſca eſt. 67

Non paraſiti ſolùm muſcæ dicti ſunt olim, ſed etiam homines curioſi mirificè, qui nihil non exquirunt, & penetrant. Plaut. Muſca eſt pater, nihil poteſt clam illum haberi.

## Mittere lineam. 68

Plaut. Non ego ita extemplò meum oſtendam ſenſum: mittam lineam. Metaphora à pictoribus ſumpta, dicitur de iis, qui rem tantùm adumbrant, & coniecturis quibuſdam inquirendam proponunt. Siquidem ex linearum ductu, iuſtum etiam picturæ artificium diſcimus.

## Nullus aleator ſapientior te. 69

In hominem verſutiſſimum, & qui pro re nata facilè poſſit conſilium capere. Plaut.

## Litteratus. 70

Homo abiectiſſ. ſtigmatis inuſtus, notis Threïceis compunctus, inſcriptus vultus ſuos. Plaut. Cic. Maximus, Plin. Scitum, quòd Philippus Macedo militis ingrati frontem litteris inſignierit, vt notior eſſet.

## Indoctior, quàm in Tragœdia comici. 71

In ſummam re in aliqua agenda imperitiam: qualis eſt boni poëtæ in proſa oratione. Plaut. vide tomo 1. Quàm in Tragœdia Comici.

## Ad perpendiculum. 72

De eo, quod amuſſatè, & inculpatè compoſitum eſt. Cic. In librili perpendere, dixit. Gell. Campus ad libellam æquus, id eſt, omni ex parte planus. Varr. Ad libellã exigere, Plin. Pari libra, id eſt, æquabili iudicio & pari cenſura; Plin. Iunior. Ad regulam reſpondere, pro, quadrare

Ayuntamiento de Madrid

exactè. Vitruu. His adde, Ad æquilibrium æſtimare. Trutina penſare. elegantiſſimè ad animum transferuntur.

## Rectis, an inclinatis haſtis. 73

Lyſander per Bœotiam agmen ducens, & dubitans an ſibi vt hoſti, an vt amico illac tranſeundem eſſet, miſit, qui rogarent, an per eorum regionem ὀρθοῖς τοῖς δόρασιν, ἢ κεκλιμένοις proficiſci poſſet. Plutarchus.

## Fortes in tabula. 74

Qui ficticia fortitudine paſſim ſe venditant, ſed cùm ad rem venitur, mulieribus imbelliores. Sic docti Sophiſtæ in tabula. Plut Natum inde, quod cuidam videnti in tabula picta Lacones interfici ab Athenienſibus, eoſque laudanti, reſponderit Lacon, fortes eſſe Athenieñſes, ſed in tabula.

## Nondum omnium dierum ſol occidit. 75

Quando ſignificabimus finem rei nondum apparere, ad quem adhuc multis, & incertis periculis perueniendum ſit. Liu.

## Romæ quoque homines moriuntur. 76

Quidam rogatus, quid de Roma ſentiret, id inquit mihi placet, quod didicerim, ibi quoque homines mori: ſignificans ineuitabilem eſſe mortem, quocunque tandem ſeceſſeris. Ammian.

## Ne Sannione domi relicto. 77

Agitant familiarium agmina, tanquam prædatorios globos poſt terga trahentes, ne Sannione quidem domi relicto. Ammian. ex Terent. In eos, qui, cùm in publicum prodeunt magnifico comitatu delectantur, quo potentiores videantur. Contrà M. Curius, qui, cum duobus tantùm calonibus vteretur, pauciores habuit ſeruos, quàm triumphos.

## Qualem demens ille chlamydem diſperdit. 78

In eos, qui rem ſuam viui, videntéſque decoquunt, imò qui ſponte ſua ſe in maxima mala coniiciunt, non chlamydem tantummodo, id eſt, bona externa. Lues Venerea exempla ſatis multa dederit. Tertull. ex Menandro.

## Quaſi locum in balneis. 79

In ambitioſos, qui in omni loco & tempore primas ambiunt: vel, vbi locus datur non ex merito, ſed ex vetuſtate.

Ayuntamiento de Madrid

Tertull. Quia prior venit, iccirco quaſi locum in balneis, ita fidem occupauit, poſteris quibúſque præripuit. Sic Horatius ſtomachatur in eos, qui redeunt ad faſtos, & virtutem annis æſtimant.

## Deorum filij inuulnerabiles. 80

Ἄτρωτοί γε μὲν θεῶν παῖδες. De potentioribus, qui nuſquam non euadunt. Pindar.

## In Paro frigida quidem eſt aqua, ſed pulchræ mulieres. 81

Ἐν τῇ Πάρῳ ψυχρὸν μὲν ὕδωρ, καλαὶ δὲ γυναῖκες. Diſpendium perpetuò aliquo compendio penſatur. Interpres Ariſtoph.

## Quantum vbique poſſunt oculi duo. 82

Bacchus apud Ariſtoph. accipiens duos obolos ab Hercule, Charonti pro naulo exſoluendos, ὡς μέγα δύνασθον πανταχοῦ δύ' ὀβολώ. ſignificans pecuniam vbique plurimum poſſe. vnde Antiphanes:

Ὁ πλοῦτος ἡμᾶς, καθάπερ ἰατρὸς κακὸς,
Τυφλοὺς, βλέποντας παραλαβὼν, πάντας ποιεῖ.

## Seſquiulyſſes. 83

Homo ſummè aſtutus, & veterator planè expolitus. Ab Vlyſſe, qui mores hominum multorum vidit, & vrbes. Varr. Noni. Budæus.

## Primas lineas ducere. 84

Pro, vmbram tantùm rei alicuius exhibere, atque obiter quod intelligi velis, delineare. Quinctil.

## Priùs vnda cum flamma redibit in gratiam. 85

Inter ἀδύνατα referendum. Cic. Huc referendum quòd apud Hom. Vulcanus Xantho fluuio fortiſſimo & ancipiti pugna dimicet. Didymus.

## Bona ſalute. 86

Vtebantur eo Veteres in exordio omnium rerum. Sic Romani: Quòd ſit felix, & fauſtum. Cato.

## Famæ os comprimere. 87

Dicuntur, qui tam integrè, tamque honeſtè viuunt, vt nemo ſit, qui de iis quidquam in deteriorem partem loqui poſſit. Budæus.

Ayuntamiento de Madrid

Hac nos Deus ipſe ducit. 88

Καὶ τὶς θεὸς ἡγεμόνευε. Hom. ἐπειδὴ ταύτῃ ὁ θεὸς ὑφηγεῖται. Plat. Quando ſignificamus nos honorifico inſtituto quippiam aggredi, & rationibus neutiquam vulgaribus promoueri.

Ῥήματα ἱππόκρημνα, ἱπποβάμονα. 89

Verba, quæ in rupium & ſcopulorum morem grandia ſunt, nimirum ita ſublimia, tanquàm equis vehantur. Ariſtoph. Ἵππος in compoſitione ad magnitudinem pertinere annotat. Suid. Non diſſimile, quod ſcribit Seneca, quendam Grandionem fuiſſe dictum, quod non niſi grandia diceret, ſeruos non niſi grandes, argentea vaſa non niſi grandia haberet, ficos denique non ederet, niſi mariſcas.

Simiæ ſanguinem profudiſſe. 90

Diod. Siculus ſcribit in Pithecuſis eo loco eſſe ſimias, quo canes apud Ægyptios: conuiuere nempe hominibus, cibum ab iis capere: parentes filiis ſuis denique, vt alii Deorum, ita ſimiarum indere nomina, & qui ſimiam occidiſſent, tanquàm impium flagitium deſignaſſent, iis pœnam extremam ſupplicium eſſe conſtitutum. Vnde etiam apud eos dicatur de iis, qui iam occiſi, & è medio ſublati ſint, ὅτι πιθήκου αἷμα πεπώκασι.

Ne meas vites lædite. 91

Μὴ μοῦ λωβᾶσθε τὰς ἀμπέλους. ἐστὶ γὰρ ἁβαί. Quando ingenii noſtri tenuitatem, & libenter, & ingenuè profitemur, aut labores noſtros ſumma cum modeſtia deprimimus.

## APPENDIX SYMBOLORVM Pythagoræ, quæ ex Iamblicho vertit idem Braſſic.

Templum ingreſſus, reuerenter adorato, neque quicquam interea, quod ad victum pertineat, aut dicas, aut facias. 1

EIΣ ἱερὸν ἀπιὼν προσκυνῆσαι, μηδὲν ἄλλο μεταξὺ βιωτικὸν μήτε λέγε, μήτε πράττε. Omnia quæ ad Deum perti-

nent, pura ſint ab omni mixtione aliena: adeoquè ſacri ſermones & diuina negotia moribus hominum incertis & inconſtantibus ne interſerantur.

Ex itineris diuerticulo templum ne ingreditor, néue orato, etiamſi iuxta veſtibulum ipſum tibi tranſeundum ſit. 2

Οὐδὲ πάρεργον οὔτε εἰσιτέον εἰς ἱερὸν, οὔτε προσκυνητέον τὸ σύνολον, οὐδ᾽ εἰ παρ᾽ αὐταῖς ταῖς θύραις παριὼν γίνοιο. Superiori ſimile: Diis primus cultus & obſeruatio debetur, Secundum locum obtinent noſtra negotia. Contrà ridiculum, ſi diuina noſtrorum fiant additamenta: vt ferè fiunt.

Nudis pedibus ſacrificato, adorato. 3

Ἀνυπόδητος θύε καὶ προσκύνει. Nudis pedibus ſacrifica, id eſt, quatenus fortunarum noſtrarum mediocritas admittat. Ita Lycurgus tenuiſſima ſacrificia inſtituebat, vt facilius expeditiúſque & frequentius diuinis rebus intenderent. Plutarch. Alterum indicat in re diuina facienda animum debere eſſe liberum, nulliſque vinculis implicatum. Sic in Flaminum veſtibus nullus erat nodus, & Dido apud Verg. orat.

Vnum exuta pedem vinclis, in veſte recincta.

De Diis rebúſque diuinis nihil tam admirabile, quod non credendum. 4

Περὶ θεῶν μηδὲν θαυμαστὸν ἀπίστει, μηδὲ περὶ θείων δογμάτων. Diuina, collatione noſtræ imbecillitatis, non ſunt æſtimanda. Nam, & morborum varietas, & hoſpitii tenuitas, adhæc inconſulta noſtra temeritas facilè oſtendunt, nihil hîc diuturnum eſſe, eóque minus diuinis conferendum.

Linguam coërce, Deum imitans. 5

Γλώσσης πρὸ τῶν ἄλλων κράτει, θεοῖς ἑπόμενος. Linguæ imperare, prudentia ſumma eſt: & ad exempla diuinæ bonitatis ſe componere, ſumma animi perfectio.

Flantibus ventis echon adora. 6

Ἀνέμων πνεόντων τὴν ἠχὼ προσκύνει. Diuinarum eſſentiarum & facultatum amanda ſimilitudo. Nam cùm Dii proſunt, hoc certis quibuſdam & quaſi ſpirantibus, vt ita dixerim, argumentis oſtendunt.

Omne acutum abs te dimoue. 7

Ayuntamiento de Madrid

Ὀξύτητα ἀπὸ σεαυτοῦ ἀπόστρεφε πᾶσαν. In omnibus rebus adhibenda prudentia, neque tantulum quidem concedendum iracundiæ. Quod acutum eſt in animo, θύμον vocant, eſtque à ratione quàm maximè alienum.

In calceum dextrum præmitte pedem: in podoniptrum autem ſiniſtrum. 8

Εἰς μὲν ὑπόδησιν δεξιὸν πόδα προπάρεχε, εἰς δὲ ποδόνιπτρον τὸν εὐώνυμον. Actiones honeſtæ, tanquam dexteriores, primo loco collocandæ: inutiles tanquam ſiniſtræ reliquendæ, & omnino reiiciendæ. ποδονιπτὴρ vas, in quo lauamus pedes.

Ad lucernæ lumen ne te ſpeculo contempleris. 9

Παρὰ λύχνον μὴ ἐνοπτρίζου. Philoſophiæ diligens opera impendenda, neque quicquam credendum viſis illis, quæ per ſenſus in animos inferuntur. (Phantaſiæ ſiquidem aliquam lucem per comprehenſionem efficiunt, ſed minimè veram, aut naturalem) ſed longè plus tribuendum iis, quæ prudentia & ſcientia conſequimur: ab iis enim mirè ſplendida, ac minimè conficta lux efficitur, quam rectè τῆς ψυχῆς ὄμμα voces, id eſt, animæ oculum, quo exactiſſimè contemplari poterimus: nequaquam autem ex iis quæ corpore conſtant, & perinde etiam parum ſtabilia ſunt.

A riſu effuſo abſtine. 10

Ἀκρίτῳ γέλωτι μὴ ἔχεσθαι. Affectus ſumma cura reprimendi ſunt, ſiue in proſperis, ſiue in aduerſis. Ex riſu omnes affectus intelligi vult, quod iis inter omnes maximè ſe prodat: vel quod homo animal γελαστικόν.

Iuxta ſacrificium ne incidas vngues. 11

Παρὰ θυσίαν μὴ ὀνυχίζου. In amicitia, re ſacratiſſima, puriſſimè colenda, vngues aliæque corporis partes, id eſt, familiares, fratres, parentes, & nepotes, aliique ſanguinis neceſſitudine nobis iuncti non reiiciendi, & veluti abſcindendi, ſed contrà omni ſtudio mutuis officiis deuinciendi.

Cerebrum ne edas. 12

Ἐγκέφαλον μὴ ἐσθίε. Reuerenter colendus fons omnium ſenſuum & appoſitiſſimum intelligendi inſtrumentum, cuius

Ayuntamiento de Madrid

cuius præſidio quouis penetramus, tandémque ſapientiam poſſidemus. Commodiſſime ad allegoriam trahetur.

Rubrum aliquid ne ſuſcipias. 13

Ἐρυθρῖνον μὴ λαμβάνειν. In omni negotio fugiendi, qui immodice verecundi, vel nimis demiſſi animi ſunt.

Aurum habenti ne adhæreſcas in filiorum generatione. 14

Χρυσὸν ἐχούσῃ μὴ πλησίαζε ἐπὶ τεκνοποιΐᾳ. Ad ingenii fructum conſequendum, quem hîc τεκνοποιΐαν vocat, ea præcipue ſtudia colenda ſunt, quæ prorſus incorrupta ſunt, & ad vitæ ſinceritatem plurimum conducant. Per aurum enim, quod grauiſſimum eſt, corpoream quandam grauitatem intelligit, quæ philoſophiæ ea, quæ ad animum ſpectant, requirenti, obeſt maxime.

Honora cumprimis figuram & aram: figuram, & triobolum. 15

Προτίμα τὸ σχῆμα καὶ τὸ βῆμα: τὸ σχῆμα καὶ τριώβολον. Diſciplinæ aſſiduo colendæ. nam iis ceu gradibus ad abſtruſiſſima quæque peruenitur, quemadmodum gradibus ad aras adſcendimus. quanquam βῆμα & aram, & gradum ſignificet. Addit & triobolum, frugalitatem commendans; & mediocria impendia.

Maluam ſere, ne tamen edas. 16

Μολόχην ἐπιφύτευε, μὴ ἔσθιε δέ. Malua, à molliendo ventrem μαλάχη dicta poſtea, cum Sole tanquam heliotropium circumagitur: flos nimirum, ratione humoris aut concreti, aut calore ſolis ſe aperientis. Monet ergo arcana rerum naturalium obſeruanda eſſe, tum in malua, tum alibi: vtque malua cum ſole vertitur: ita conuenire, vt animum & oculos in aliis etiam deprehendendis circumferamus. Illud non ede, eſt, non occulta, ſed crebriore obſeruatione auge inſtar hortulani ſuum hortulum aſſiduò locupletantis.

Ab animalibus abſtine. 17

Ἐμψύχων ἀπέχου. Colenda iuſtitia, & honor omnibus tandem, quæ nobis cognata ſunt, exhibendus.

De Pythagoricis rebus abſque lumine ne loquaris. 18



Ayuntamiento de Madrid

Περὶ πυθαγορείων ἄνευ φωτὸς μὴ λάλει. In omnibus quæ pulchra & honeſta ſunt, inueniendis mens, veluti dux, adhibenda eſt, præcipuè in cognoſcendis Pythagoricis placitis, quæ niſi animum intenderis, & tanquam lumen adhibeas, nequaquam intelligi poſſunt.

# ADAGIA QVÆDAM LVdouici Cœlij Rhodigini Antiquis lectionibus inſperſa.

## Nunquam Hecale fies. 1

NVnquam ea paupertate opprimere, qua olim Hecale anicula. Plaut. Ciſtell. Nam ſiquidem ita eris vt volo, Nunquam Hecale fies, ſempérque iſtanc, quam habes, ætatulam obtinebis. Pauperrimam fuiſſe Hecalem prodiderunt Plutarch. Ouid. Apul. ſup. Hecales cœna: Iunii adag. 17. Centu. 8.

## Cyclops excæcatus. 2

De potentia magna, quæ ducis prudentia (animæ oculo) exuta ſit, & veluti exoculata, fabula de Polyphemo ſtaturoſique prænalidíque corporis, ſed ab Vlyſſe aſtutiſſimè occæcati nota eſt.

## Platano aſſimilis. 3

De eo, quem, cùm ipſius opera vtamur ſæpe; liberi tamen incommodis, habemus deriſui, conuellimus, perditum quandoque volumus: mox nihilominus neceſſitate deprehenſi, eodem recurrentes. Platanus vmbræ gratia tantùm ex alieno petita eſt orbe.

## Similia cupreſſo. 4

Quæ pulchra quidem ſunt, ſed fructu omnino carent. Nam cupreſſus natu moroſa, fructu etiam ſuperuacua eſt, baccis torua, folio amara, odore violenta, ac ne vmbra quidem gratioſa. Plin.

## Ariſtogiton claudicat. 5

In eos, qui morbum ſimulant, vt à militia, alióue munere publico liberentur. Ariſtogiton nõ niſi bella & Martem

ſpirabat. Cùm autem aliquando Athenis delectus haberentur, obligato crure tanquam vulneratus eſſet, & baculo innixus, ſeſe in publicum dedit: Vnde Phocion, agnita hominis aſtutia, ſcribe, inquiebat, Ariſtogitonem, eundémque, & improbum & mendacem.

## Ludendum domi ſuæ. 6

Sententia hac prouerbiali admonemur, abiuncta, ab rerum vaniſſimarum cura, mente intima, obuerſandum eſſe in contemplatione ſapientiæ, è qua, quàm è ludo, voluptas percipitur & maior & verior.

## Atqui ſuilla caro eſt. 7

De iis, quæ re ipſa parua ſunt, apparatu tamen, & fuco videntur præcellere plurimùm. Natum ex eo: Cùm T. Quinctius apud hoſpitem quendam ſuum ſolſtitiali tempore acceptus, miraretur, vnde illi eo tempore, tam varia & multa venatio: condimentis, inquit ille renidẽs, varietas illa & ſpecies ferinæ carnis, ex mãſueto ſue, parata eſt, Idẽ, Quinctius torſit in copias Antiochi & armorũ & gentium inauditarum generibus ſuperbam: eſſe ſcilicet ſuillam carnem, id eſt, homines tantum, & quidem mancipia.

## Ventrem non habere. 8

Dicitur Imperator, aut quiuis alius malè nummatus. Natum à Quinctio dicente de Philopœmeni exercitu, qui & equitatu & grauioris armaturæ peditatu abundabat, pecuniæ autem penuria laborabat, habere illum crura & manus, ſed ventrem minùs.

## Argenteo vomere aratur. 9

Quoties, in ſumma annonæ caritate, fruges tanti conſtant, vt videri poſſint etiam argenteis agricolæ vſi eſſe inſtrumentis. Natum ex oraculo quodam Delphico, quod, niſi ipſi obtemperaretur, minabatur, ἀργυρέαις εὐλάχαις εὐλάξειν, argenteo vomere arandum fore.

## Ætnæus venator. 10

De iis, qui inuita, vt aiunt, Delia venantur, captant ſemper, capiunt nihil. Cauſſa prouerbii eſt, quòd in Sicilia apud Ætnam canes ſagaces odoratu careant, ob flagrantiam odorum: ſiquidem coronamenta ibi aëris ferarum defluxum, diluunt ita, vt euaneſcat.



Ayuntamiento de Madrid

## Vmbram ſuam ipſius metuens. 11

*Δεδιὼς τὴν ἑαυτοῦ σκιάν.* Significat poſtremis rerum, perinde ac primis, ſtudium non magnopere impendendum; quoniam animæ perniciem concinnant, id eſt, veræ cognitioni, &, quæ congruit in primis, tenebras perfectioni intendunt. Natum à Narciſſo, qui imaginem ſuam in aquis conſpicatus, eius amore captus diſiluit, eóque modo abſumptus eſt: vel, quod verius, qui corpus & corpoream vitam, quæ animæ poſtremum idolum eſt, amplexatus arctiùs, ſuffocatus eſt.

## Cardamo ſimilis. 12

In præpotentes, qui vicinos pauperculos non deſinunt exſugere, dum ad nihilum redigant. Cardamo ea eſt natura, vt herbarum in propinquo naſcentium humorem ad ſe pertrahat: quo fit, vt illas arêre neceſſe ſit.

## Vmbram ſuam metiri. 13

Philippus Macedo poſt nobilem in Cheronæo victoriam arrogantior factus, ac de ſe magnificentiùs ſentiens, litteras aliquando aſperiores ac prope tyrannicas ad Archidamum Ageſilai filium dedit: qui id, quod erat, ſuſpicatus, reſpondit: *εἰ μετρήσεις τὴν σαυτοῦ σκιὰν, οὐκ ἂν εὕροις αὐτὴν μείζονα γεγενημένην, ἢ πρὶν νικᾶν*, ſi vmbram tuam metieris, non reperies eam vel tantulo maiorem eſſe, quàm fuerit ante victoriam. Vtemur & nos illo in tumentes proſpero rerum ſucceſſu.

## Lepores mœnibus indormire. 14

Conueniet ad coarguendum torporem & deſidiam. Natum à Lyſandro Corynthios obſidente: videns enim leporem tranſilire foſſam, non erubeſcitis, inquit, Spartæ eos hoſtes formidare, ad quorum mœnia lepores, formidoloſa animalia & frequẽtatum locum fugientia, otioſè dormiũt?

## Cotem eſſe. 15

*Τὰν ἄκοναν εἶναι.* De eo, quod diſciplinam continet, nec in ſegnitiem prolabi ſinit: vt Carthaginem Naſica appellabat cotem iuuentutis Romanæ.

## Inijce. 16

In eos, qui moribus truculentis cruorem ſitientes, cædem imperant quamprimùm. Origo huius ſanguinariæ vocis refertur ad primum bellum Punicum, vbi in tumul-

Ayuntamiento de Madrid

tuario exercitu, Matho quidam & Spendius ſerui ambo, Carthaginenſibus, dominis ſuis detrahentes, ſocióſque in illos concitantes, tam attētos habuere auditores, vt ſi quis præter eos conſilium ſuum afferret, non audito conſilio, audiret ab omnibus, Iniice, iniice, ſtatimq́ue coniectis lapidibus interficeretur.

## Non, ſi te ruperis. 17

Εἰ διαῤῥαγείης. Ad tumorem & leuitatem reprimendam. Deſumptum è fabulis. Taurus bibens, ranunculos aliquot obtriuerat. Vnus trepidans ad matrem fugit: narrat fratrum exitium, à neſcio quo immani exculcatos eſſe. Illa volens videri aliqua filio, tumeſcere cœpit, ecquid, inquiens, tanta fuit pernicialis bellua? at is, multo, inquit, te maior. Illa magis inflari ac magis, donec iterum filius, Non, ſi ruperis, par vnquam futura es. Horat. in Satyris.

## Solis menſa. 18

De diuitiis cuiuſdam liberalis domo, omnibus expoſita. In Æthiopia pratum quoddam omnium quadrupedum carne refertum erat. Quod & ſi dolo magiſtratus accidebat, indigenæ tamen exiſtimantes eam diuinitus copiam ſuppeditari, Solis menſam appellarunt.

## Æneus clauus. 19

Quicquid tale eſt, vt eo niti poſſimus, tanquam radice præſentiſſima, aduerſus reflatum omnem, alioqui nociturum. Natum à venatoribus, qui, ſiquidem in remotioribus ſuem aut ceruum ſtrauiſſent, ne putredo conſequeretur, æneum clauum infigebant, ad eam auertendam. Aes enim ſtypticum eſt, præſertim rubigo, adeò vt dicant in χαλκορυχία oculos opificum iuuari, palpebráſq; nudas pilis denuo veſtiri. Huc refer quæ de haſta Achillis referuntur.

## Geſtare hydna, hyenæ, & phocarum pelles. 20

De iis, qui aduerſus potentiorum vim præmuniti ſunt. Tubera enim, & pellis hyenæ, ac phocarum de cælo minime tanguntur. Vnde etiam velis inſuebantur olim, erantque, teſte Horo apud Ægyptios ſecuritatis ſymbolum.

## Proſopion habet, non proſopon. 21

In mulierem, obuelantem fucis deformitatem inſitam & ſenectutem, & veluti laruatam. Lucilius;

Μὴ τρίψω τὸ πρόσωπον, ἅπαν ψιμύθῳ κατάπλαττε



Ayuntamiento de Madrid

Ὡς τὸ προσωπεῖον, κ᾽ οὐχὶ πρόσωπον ἔχῃ.

Faciem totam pſimythio ne colline, ne perſonam videaris habere, non faciem. Simile Senecæ illud, Perſonam mauult, quàm faciem, id eſt, videri mauult, quàm eſſe.

## Proci Penelopes. 22

Viliorum diſciplinarum aſſectatores, quòd proci, cùm domina potiri non poſſent, ad ancillas diuerterent. Philop.

## Vnum quidem, ſed leonem. 23

Quoties adſtruemus virtutem, ac animi excellentiam ſpectandam eſſe, non vilem numerum. Ortum è fabulis. obiiciebat leænæ vulpes, in contentione de generoſitate, quòd ſemper tantùm vnum pareret, ſuus partus eſſet multiplex. Reſpondit leæna, ſe quidem vnum parere, ſed λέοντα: quo animali nullum validius aut ferocius.

## Panegyrica. 24

Quæcunque ex pluribus aggregata ſunt. Panegyrim enim Græci vocant inundinas, feſtóſque conuentus: vnde panegyrica oratio, quæ in huiuſmodi conuentibus haberi ſolita eſt.

## Lapis ſuper lapidem. 25

In imperitos. Rogatus Ariſtippus, qui melior euaſurus eſſet filius, ſi erudiretur: vt nihil aliud, certè, inquit, in theatro non ſedebit lapis ſupra lapidem.

## Litteræ mutæ. 26

De iis, qui partim litteris compti, ex ſe quidem perficere vocem nequeunt, id eſt, graues doctas & viro dignas confabulationes: at cum eruditioribus quaſi coëuntes conſpiratu conſono, ſunt plane veluti adiunctæ vocalibus mutæ.

## Mopſo certior. 27

De eo, qui mentis acumine ſingulari futura certò præuidet, & prædicit. Mopſi tanta fuit in diuinando præſtantia, vt ea bis terúe euentu conſequente comprobata, Calchantem Troia reuerſum, eiúſque cauſſas perquirentem, ſummo mœrore affecerit, ac tandem enecuerit.

## Amantium marſupia folio porri vinciuntur. 28

Πρασίου φύλλῳ τὸ τῶν ἐρώντων δέδεται βαλλάντιον. Amoris laqueis irretiti nihil fere temperant ſibi, ſed quidquid habent paſſim profundunt, nihil penſi habentes.

Ayuntamiento de Madrid

## Iracundia ieiuna. 29

Pro ea, quæ propenſa admodum ſit & procliuis, & ad omnem excandeſcentiam parata. Vt enim valetudinarij proniores ſunt ad iram, valentibus: ita ieiuni ſaturis: ratione ſcilicet bilis, quæ in ieiunis plurima eſt, vti in ægris.

## Lycia coma. 30

Promiſſa & comptior. Tradit Ariſtot. Lycios capillitium ſtudioſius fouere, & quidem, vt mulctam ſubire maluerint, quàm præcidere comam.

## Sulcus Aegypti Libyæ arenas non curat. 31

De loco non lato quidem, ſed fœcundo inſigniter & fructuoſo. Ægyptus magnitudine multum cedit vtrique Libyæ, ſed ita vt huius vaſtitas inculta ne illius quidem portiunculam aſſequatur. Vnde & illa dicta eſt, publicum orbis horreum.

## Minerua Phydiæ. 32

De re cultiſſima, & quæ excelſo, conſpicuóque loco oſtendi omnibus debeat. Cic. Fuit Athenis ad Acropolim Mineruæ ſtatua ex ebore à Phidia egregiè elaborata. Alibi dixit idem Cic. Phidiæ ſignum, pro re, quæ (vt Eraſmus interpretatur) primo ſtatim adſpectu omnium ſuffragiis approbatur.

## Eruditi oculi. 33

De iis oculis, quorum iudicium amuſſitatum, ac quodãmodo cenſorium in perpendendis diſcernendíſque rebus pernoſcitur. nec id in legendo ſolum, ſed etiam in ſpectanda pictura nobili, aut opere antiquis artificum nominibus pretioſo. Cic.

## Equus Troianus. 34

Sumit Cic. non ſolùm pro ſocietate in perniciem alicuius inita, ſed in bonam etiam frugem. Ex Iſocratis ſchola, velut ex equo Troiano innumeri principes exiere.

## Perdicis libido, & vafricies. 35

Pro, turpi, efferata, ac demũ pernicioſa. Perdix venator matris infando amore correptus, feruente vtrinque libidine, & retrahente noui facinoris verecundia, conſũptus eſt. Alij referunt ad perdicem auem, de cuius libidine ſupra



Ayuntamiento de Madrid

Perdicis inſtar, Centur.3. prouerb.13. Iunij. Vafricies eiuſdem in prouerbium abiit: ſiquidem deprehenſi ab hominibus, feſtucas pedibus capientes ſupinos ſe collocant, vt operti celebantur. Pullis in paſcua abductis ſi interuenit quiſpiam, ſibilo ſignificant, vt ſe reſupinos abiiciant, ibique ne palpatu quidem reperiri poſſint: vbi ille abijt, ſibilo admonentur denuo vt auolent, atque illud eſt ἐκπερδικίσαι. vide tomo 1. ἐκπερδικίσαι.

## Æſtiua ægritudo. 36

De mox deſitura, neque lancinatione diutina corpus emaciatura. Ratio, quòd ſucci per æſtatem fundãtur cito, & exſpirent, præſertim ſi vires conſtent.

## Valetudo ſenilis. 37

De proſpera ſatis, minusque morbis obnoxia: vel de ea quæ ſanari nullo modo poteſt. Nam, vt ait Hipp. ſenes ferè minus, quàm iuuenes ægrotant, attamen qui morbi iis acciderint, plerunque inſanabiles ſunt, & tota vita cõcomitantur.

## Septimani tragœdi. 38

Qui morbo, vel alia quauis cauſſa in delirium prolabuntur. Origo morbus Abderitas olim infeſtans. is adiunctam habebat feruentiſſimam febrim, ad ſeptimum vſque diem. interea deliria perpetua mentem agitabant, eáque ridicula. nam & ad Tragœdiam concitabantur, & iambica alta detonabant voce, Archeláum tragœdum, qui eodem tempore Andromedam Euripidis actitauerat, imitantes.

## Quod cani cum balneo commercium? 39

Tomo 1. Quid cani & balneo? In ineruditum multos emptitantem libros. Balnea ſi non ad delitias: certè ad infirmitatem humanæ naturæ leniendam inuenta ſunt. bruta iſtis nihil egent. Deinde τὰ θερμὰ λουτρὰ ἱερά, teſte Ariſtot. balnea calida ſacra, quia occultum naturæ opus, & latente ratione mirificum præſtant vſum ac fructum; ſulfurea inquam, & bituminoſa.

## Aſinus Ægyptus. 40

Pro eo, qui deriſui eſt omnibus, quemque omnes infectantur, conuellunt, lacerant. Apud Ægyptios aſini aliquando in præceps dabantur, quod ruffus foret Typhon

Ayuntamiento de Madrid

hoſtis Oſiridis, & aſini colorem præ ſe ferret. Vnde & Ochum Perſarum regem ipſis infeſtum aſinum vocabant.

## Mantis te vidit. 41

In eos, quibus faſcinator oculus mali aliquid obiecit. Mantis locuſtæ genus, virens colore, corpore prælongo, pedibus prioribus prælongis, quos & agitat aſſiduè, in ſtipulis enaſcens. hæc, ſi quod inſpexerit animal, protinus illi quippiã producit mali. Ariſtarchus in cõmen. Lycurgi.

## Autumnalis appetentia. 42

De ea, quæ apta eſt voracitati. Sub Autumnum oporæ, id eſt, fructus magna copia ſumpti ſtomachum vitiant, ilique mordacem quendam appetitum accerſunt. frigus etiã circumſtans maius, cogit intro calorem, vt hyeme ſolet, vnde fames naturalis maior, licet illa ſit pręter naturã.

## Amicus vt oleum plantis. 43

Oleum plantis infeſtiſſimum, vnde etiam illæ inoculationes ἐλεώδεις, non admittunt. Ironicè dicetur de iis, inter quos haud conuenit.

## Lucerna qui indigent, oleum affundunt. 44

Οἱ τῦ λύχνυ χρείαν ἔχοντες, ἔλαιον ἐπιχέουσι. Anaxagoræ eſt deſtinantis mori, ad Periclem ab inſtituto reuocantem: conueniet quoties recuſabimus immoderatos ſumptus & minimè neceſſarios.

## Sub manu. 45

Senec. Sub manu conſilium naſcatur. Sueton. Et quò celerius ac ſub manu annuntiari, atque cognoſci poſſet, De ſumma temporis celeritate.

OBSERV. GISEL.

Plauto Accuſandi caſus familiarior eſt. In milite. Negocium omne iam ſuccedit ſub manus. & in Perſa: Solet illa res rectè ſub manus ſuccedere.

## Stultorum theſaurus maledicentia. 46

De iis, qui ſola linguæ petulantia vlciſcuntur illatam, (vt ſibi videtur) iniuriam.

## Conclamare vaſa. 47

Pro, demigrare. Cic. Cæſ. Tralatio à conſuetudine militari, qui caſtra moturi ſignum dant, & vaſa conclamant,

Ayuntamiento de Madrid

ſeu conuaſant.

Sine corollario non recedere. 48

In auidiuſculos, quibus non ſatis eſt, quod iuſtum & æquum eſt, adipiſci, niſi quiddam amplius auferant, veluti auctuarium. Dictum corollarium à corollis, quod eæ, cùm maximè placuiſſent actores in ſcena, dari ſolebant. Cic.

Allienſis pugnæ dies funeſtior eſt, quàm vrbis captæ. 49

Vbi auctorem mali amplius deteſtamur, quam rem ipſam, qua affligimur. Apud alliam flumen Fabius cum exercitu Senonibus occurrens, triſtiſſimam accepit cladem, hoſtibúſque ad Romam capiendam iter aperuit.

Palæphatia papyrus. 50

Libelli, quibus fabellis inuoluta memorantur, quæque fidem non capiunt. Vide ſuprà, nouus iſte Palephatus, 96

Staterij paries. 51

Hôc admonebimus, verbis parcendum eſſe, ne redituras per iugulum voces imprudentiùs effundamus. Cic. teſtatur Staterium quendam ſua ætate ea effutiuiſſe, bonis viris ſubauſcultãtibus interpoſito pariete, quæ patefacta, in iudiciúmque prolata, miſerum rei capitalis iure damnarũt

Corinthus ſuperciliosa. 52

Κόρινθος ὀφρύεταί τε καὶ κοιλαίνεται, Corinthus ſuperciliis, curuitatibúſque laborat. Vbi ſignificabimus ſummam felicitatem aliquo incommodo vitiari, vt eſt ferè humanarum rerum conditio. Ager enim Corinthiorum obliquus, & aſper, vrbis eorum fortunam non conſequebatur, quæ ampliſſima fuit & opulentiſſima, ſiue viros innumeros ad ciuile regimen peritiſſimos, ſiue eximias opificum artes animo vertas, vnde & Græciæ emporium ea dicta eſt. Euſtath. Strabo.

Iouis Corinthus. 53

Vt Philoſtratus Antipatrum, qui Seuero Imp. ab epiſtolis erat, commemorat habitum fuiſſe Iouis Corinthum; quòd & potens eſſet, & Seuero, qui vice Numinis colebatur ab omnibus, in primis carus; ita licebit eodem prouerbiali elogio quemuis ornare, qui feliciſſimus ſit, ac prępotens, virgula quadam diuina oblatus: quique apud

Ayuntamiento de Madrid

principem, aut ciuitatem aliquam quammaximè auctoritate valeat & gratia. Natum inde quod Aletes Corintho ex Iouis Dodonæi oraculo potitus, cùm videret ciuitatem nobilem ac prævalidam, ſubiectam ſibi, eam appellarit Διοσκόρινθος, Iouis Corinthum.

# ADAGIA SELECTIORA ex opere Polydori Virgilij Vrbinatis.

## Tange montes & fumigabunt. 1

ITA Dauid fiducia plenus Dominum rogat, vt in imicos, licet montis inſtar ſuperbia elatos, ad nihilum redigat. Tralatio à torre, qui exſtinctus maximè fumat. Conueniet in eos, qui in ſumma virium & potentiæ fiducia aliquo incommodo affecti, animo planè deficiunt. Vulgus aliter. hôc enim ſignificat potentes non eſſe irritandos, quod ſtatim more facis accēſæ exardeſcant ira, ſæuiántque ſine modo.

## Aërem verberare. 2

De inani opera, cùm enim aër ictum non admittat, fruſtra laborat, qui ferit. Cor. 1. 9.

## Sagena ex omni genere piſcium congregat. 3

Chriſtus apud Matt. 13. eo innuit, varias & multas gentes per Apoſtolos ad euangelij cultum adductum iri, etiã malas, quanquam poſteà reiiciendas. Vulgus hodie etiam ad altiores hominum ordines transfert, quos videt promiſcua & inerte turba diffluere. Tractum à piſcatoribus, qui verriculis ſuis quoduis piſcium genus obuium capiũt.

## Neſciat manus dextra, quid faciat ſiniſtra 4

De iis, quæ ſecreto, & ſemotis arbitris aguntur. Matt. 6. Hinc ortum & illud,

## Neſcit quid ſit inter dextram, & ſiniſtram ſuam. 5

De eo, qui præ ætate, aut ſtultitia nullius eſt iudicii, & (verbi cauſſa) neſcit dextram multo valentiorem eſſe

Ayuntamiento de Madrid

ſiniſtra.Ioan.4.

Animæ eſurienti etiam amara dulcia videntur. 6

De hominibus bonæ frugis,& ſobriis, quibus ſitis,& fames condimenti loco ſunt:vel,de iis qui malis aſſueti minora incommoda pro commodis ferunt. Vulgus è diuerſo refert ad luxurioſos & voraces,qui famem anteuertentes omnia faſtidiunt præter delicatiora.Iob.6.

Canes muti. 7

In omnes,qui cùm pro re,& tempore loqui debeãt,metu aut gratia victi tacent.Eſa.56. Alluſum ad canes villaticos,coniuncta villæ ſolo adſpectu, ſonore, & latratu cuſtodientes.

Montes transferre,triturare. 8

Vtriuſque hyperboles vſus eſt in ſacris litteris:vnius quidem de fide incredibiliter efficaci.1.Cor.13.alterius,ad innuendum, ſuperbos, qui pectus habent inſtar montis tumidum poſſe conteri,& deprimi.Eſa.41.

Excolantes culicem,camelum glutiunt. 9

Matth.23.Væ vobis ſcribæ & Phariſæi hypocritæ, quia decimatis mentham & anethum, & cyminum, & reliquiſtis,quæ grauiora ſunt legis,iudicium & miſericordiam & fidem:hæc oportuit facere,& illa non omittere.Duces cæci,excolantes culicem, camelum autem glutientes. Quadrabit in ſuperſtitioſos, qui ſimulantes neſcire ſe in quo vera ſit pietas, cerimoniis duntaxat inhærent.Quæ voramus,minus deguſtamus: quæ verò liquantur & excolantur,planè palato ſapida ſunt.Culex parua beſtiola. decimas menthæ;camelus præcepta,fidem &c.notat.

Ait latro ad latronem. 10

Vbi rixæ incidunt inter duos crimine pares: vel, alter alterum paris delicti reprehendit. Luc.23. Sic quoties flagitij alicuius cauſſa inter aliquos coit amicitia, vel ex inimicis fiunt amici,conueniet illud ex eodem Luc.23. facti ſunt amici Herodes & Pilatus:hiſtoriæ origo nota.

Excutere puluerem pedum. 11

Dicemus eum, qui incœptum iter perficit: vel qui ne tantulum quidem mercedis ob ſuſceptum laborem acci-

Ayuntamiento de Madrid

pit. Matth. 10. iubentur Apoſtoli è domo, aut ciuitate, vbi excepti non fuerint, egredientes excutere puluerem pedum; vel in teſtimonium laboris, quo conſtaret prædicationem euangelicam eo vſque perueniſſe: vel in exprobrationem impietatis, vt è terra euangelium ſpernente ne vel pulueris aliquid ſecum ferrent.

## Iudas non dormit. 12

In eum, qui alicui mortem, vel fraudem machinatur. Notum eſt Iudam, dum alij diſcipuli ex mœrore dormirent, cum Iudæis de præceptore prodendo tranſegiſſe.

## Reges, viſitabis eos virga ferrea. 13

De eo, qui acriter ſe vindicaturum quorundam commiſſa; aut durè regnaturum eſſe minatur. Pſal. 2. & 88. A domitoribus iumentorum, ferocia animalia ferrato verbere coërcentibus.

## Laui manus. 14

Eo vtetur, qui negat ſe interponere in aliquod negotium, & per hoc de culpa, quam incurrere poſſet, cauet. Matth. 27. Tractum à more purgandi veterum per aquam.

## Ab Herode ad Pilatum. 15

Subaudi, remittitur; qui à iudice iniuſto ad iniuſtiorem: vel qui ab vno auxilium petens, ad alterum ire iubetur, quò ſic ludificetur. Luc. 23.

## Fruſtrà iacitur rete ante oculos pennatorum. 16

Cùm quis prudentem virum fruſtrà conatur decipere, aut circumuenire. Auis ſi rete ſemel viderit, nequicquam exſpectet auceps vt eam tegat, aut auis ſua ſponte in illud incidat.

## Funiculus triplex non facilè rumpitur. 17

Allegoria innuens concordia hominum res augeri, auctas diſcordia labefactari, vnde non abludit ſcitum commentum illud Cunguiſtæ Tartari, qui moriens & xij. ſuos filios ad animorum conſenſum cohortans, iuſſit in vnum faſcem compingi xij. tela, quem faſcem ſingulos in orbem iuſſit experiri, nū poſſent frangere: cùm nequirent, à ſingulis ſingula tela rūpi iuſſit: cóſque id exēplum imitari.

Ayuntamiento de Madrid

## Ceruus ad ſagittam properat. 19

De omnibus,qui imprudentes ſe eunt perditum,aut dolo ducuntur in interitum. Sumptum à venatoribus, qui priuſquam damas,ac ceruos canibus, ac clamore agitent, abdunt ſagittarios in ferarum ſaltus, à quibus poſteà acti & in diuerſum fugientes configantur.

## Ferrum ferro acuitur. 19

De iis,qui mutuo ſibi conſulunt, mutuóque conſilio euadunt ſapientiores,vti ferramenta mutuo attritu.

## Leo eſt foris: Leæna in itineribus. 20

Excuſatio eorum,qui metu perſecutionis, aut alicuius periculi muneri & officio ſuo deſunt: vel ignauorum, qui ſuæ deſidiæ,ſemper habent,quod prætexant.

## Argentum verſum eſt in ſcoriam. 21

De negotij alicuius parum proſpero ſucceſſu: vel de eo, qui ab adoleſcentia bonis ſtudiis imbutus, poſteà ſe luxui, inertiæ,aliiſque vitæ turpitudinibus dedit:quale eſt, quod de Sionis vrbe deploratur.Eſai.1.

## Cæcus parietem palpat. 22

In negligentes,& qui,quod legunt, non attendunt, ritu cæcorum,qui parietes quidem attingunt, cæterum quales ſint,videre nequeunt.Eſai.59.

## Paxillus infractus eſt. 23

In eum,qui præſidio,patrocinióque vetere deſtituitur, inſtar vitis, quæ amiſſis pali cui innitebatur adminiculis, humi deiicitur,atque extabeſcit Eſai.22.

## Conſuere puluillos ſub cubito. 24

Pro,alteri otio vacanti delicias facere, inſtrumenta libidinis afferre,malè agenti opitulari & blandiri. Capiti vt ceruical,ita puluillos cubito ſubiicimus,quo molliùs quieſcamus.Ezech.Hieronymus,Gregorius.

## Linire parietem luto. 25

Quo modo cibus ſine ſale dicitur,quod gratia,vtilitatéque caret:Ezech.13.ita ibidem, Linire parietem luto abſque paleis,eſt vnica virtute niti;aut externa tantùm probitatis indicia conſectari:aut denique dogmata ſua falſis comprobare.Ratio hæc, quòd luteus paries nihil habeat roboris,niſi paleis obfirmetur,quæ luto admiſtæ tenaciùs ſtringunt.

Ayuntamiento de Madrid

## Pullus de nido auolat. 26

De eo, qui opus aliquod pauidè aggreditur, ac errabundus quid agat, præ timore ñeſcit; qualis eſt ſtatus aufugientium. Eſai. 16. Pulli primùm exeuntes, nido trepiduli huc atque illuc volitantes, circumſtrepunt.

## Cibus alienis dentibus molitus nauſeoſus. 27

Quoties quis aliena opera parum grata vti cogitur: vel vbi quem pudet omnino aliena ſcripta mutuari; vti faciũt qui ſuum experiri volunt ingenium, ſibi tantùm fidentes, præterea nemini. Manſus cibus, quem nutriculæ infantium ori admouent; cui grandiori nauſeam non pariat?

## Stylo ferreo ſcribit. 28

De eo, qui, quod ait, mutare non vult: quòd litteræ ſcalpello ferreo inciſæ non facilè deleantur. Hierem. 17.

## Torris de igne erutus. 29

De eo, qui perdiu in aliquo verſatus malo, tandem de periculo vitæ eripitur, velut torris cùm ſemiuſtus de igne extrahitur.

## Serra gloriatur contra trahentem. 30

In eum, qui per ſe nihil valens, laudem eius rei, quam alieno auxilio confecit, totam verbis in ſe tranſmouet, nõ aliter, atque ſi ſerra de ſecto ligno glorietur, quod totum trahentis labori debetur. Eſa. 10. Non diſſimile illud eiuſdem, lutum contra figulum cogitat. vbi quis illum conatur lędere, quem in ſe vitæ & necis ius habere nõ ignorat.

## Torcular calcaui ſolus. 31

Contrarium priori, de eo qui egregium & laborioſum facinus nullis adminiculis, ſed propriis viribus conficit. Eſa. 63. Tractùm ab iis qui in lacu vuas premunt pedibus.

## Domos luteas habitare. 32

Huiuſmodi metaphoræ ſunt quamplurimæ, ſuntq́; preconibus ſacri verbi mirè vtiles, ad hominum ſuperbiam frangendam; brutum illud elementum, quo ſe circundatos norunt, ſæpè iiſdem ponendo ob oculos, eiúſque vilitatem amplificando. Iob. 4. Eodem tendit illud Pauli, Cor. 2. 4. Habemus theſaurum hunc in vaſis fictilibus.

## Non rudit onager, cùm herbam habet. 33

Non, inquit Iob, conditionem meam mihi deplorarem,

Ayuntamiento de Madrid

ſi rectè mecum, id eſt, cum anima mea ageretur. Onager ferus eſt aſinus, qui rudere non ceſſat, ſi pabulo careat. Quadrabit in eum, qui ad facinus aliquod, quod ipſi lucro ſit, non reclamat: vel qui, cùm ſit in lauta & bene aucta parte, ad aliorum felicitatem & vitæ delicias, vulgi & pauperum more, non oggannit, & quiritatur.

## Pallium breue vtrunque operire non poteſt. 34

Cùm innuemus vnam rem duobus non ſufficere. Tractum à marito pudico vxorem adulteram increpante, ac oſtendente torum coniugalem non poſſe capere duos viros. Eſai. 28.

## Lucerna ſub modio. 35

Virtus, ſcientia, ars, qua quis aliis, & ſæpe toti orbi prædacere, & mirificè prodeſſe queat, diſſimulata, tecta, aut ſolum aliquem in locum abdita. Modius menſuræ genus oras ſiue labra vndique æqua habet, eóque ſi lucernæ ardenti imponatur, mox omni eam aëris communione priuat, & exſtinguit. Matth. 5. Contrarium huic, Lucerna ſuper candelabrum. Virtus procul eminens, exque ipſo hominis habitu non aliter ſpectabilis, quàm lucernæ ardentis candelabro impoſitæ flamma. Poteſt & illi accommodari, qui, quod venale habet, oſtendit, id eſt, ſua omnia velut gloriabundus omnibus vbique oſtentat.

## Theſaurus in agro abſconditus. 36

Cum innuemus eruditionem non eſſe cuiquam obuiã, nec cuiuis eam facilè contingere, ſed, vt rem multo labore comparandam, eſſe abſconditam in agro, id eſt, in multa auctorum lectione: vel cùm ſignificabimus, optimum quod eſt hominis, in penitiore animi ſede latere. Precioſa res eſt integer animus, quo velut in adyto pectoris clauſo nihil perſpici eſt difficilius. Chriſtus Matth. 13. hoc voluit, cognitionem Dei eſſe ſupremum theſaurum, eſſéque abditum in penetralia ſacrorum librorum. Eiuſdem cum iſto generis ſunt illa, Bonus de bono theſauro cordis profert bona: Malus de malo theſauro cordis profert mala. Probus vir non poteſt improbè quidquam facere; A peſſimo verò nihil boni proficiſci poteſt. Cor in viſcera intima theſauri inſtar abditum, animi ſedes eſt, eóque eius virtutes

Ayuntamiento de Madrid

virtutes & vitia continentur. Matth.12.

## Fici cadunt in os comedentis. 37

De eo, cui res relicta non parta labore eſt, cuique magnę in dies hæreditates obueniant. Illi enim hiatu oris cadentes concuſſu alterius ficus excipit, neque eſt quod laboret è terra, aut arbore colligere. Nahum.3.

## Spinæ ſe inuicem complectuntur. 38

Scomma in malos, vt hæreticos, & improbitatis ſuæ ſibi conſcios, qui veluti ſpinæ ſemper pungunt: ij alius ad alium more ſpinarum adhæreſcunt, ſéque inter ſe defenſitant. Nahum.1.

## Expandere rete. 39

Rem aggredi, vnde quis lucrum faciat: vel quempiam dolis petere, vt turba aliqua implicetur, ſeu ſpolietur, ſeu pereat: tractum à piſcatoribus. Ezech.32.

## Canem mortuum vel pudicem vnum perſequi. 40

Dauid, lib. Regum, his verbis Saulem ſæuitia reprehendit, qui cùm ſit vir princeps, humilem hominem oppugnet; & canem mortuum, quem ne canes quidem attingunt, pulicémque, quos pedibus ſæpè terimus, (ita modeſtè vir ſanctus ſe extenuat) velit perſequi. Conueniet in potentes & validos, qui infirmos & pauperes diuexant.

## Mercenarius præſtolatur finem operis ſui. 41

In eos, qui non id, quod ſui eſt officij, faciunt; ſed lucro ſoli intenti ſunt, ídque vnum exſpectant. Iob.7.

## Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo. 42

Ita Ioel cap.1. denunciat Iudæis futuram cladem longè maximam, qua etiam iumenta fame peritura eſſent. Conueniet in ſceleratos, quibus vt vita eſt turpis, ita & mors. Natum à iumentis morbo vel fame debilitatis, ſuis in retrimentis exſpirantibus.

## Noli reſpicere poſt tergum. 43

Non tanto ſtudio inquirendum, quid ſit futurum cras. totum enim hoc dubium eſt, & incertum. Dictum fuit Geneſ.19. ab Angelis ad Lot, euitandi periculi cauſſa. Sumptum videtur à fugientibus, qui dum ſæpe reſpiciunt; & moram ſibi & periculum creant.



Ayuntamiento de Madrid

## Bos cognoſcit poſſeſſorem. 44

In gratum & agnoſcentem accepta beneficia. Norunt enim bubulcum,& à quo paſcuntur, boues. Poterit item argumento ſumpto à minori, torqueri in ingratos, quomodo à Chriſto dictum in Iudæos, quòd à boue intelligentia vincerentur. Eſaiæ.1.

## Arare boue & aſino. 45

Pro,officia malè diſtribuere:vt ſi quis conſulat in re graui leuiculum citharœdum,aut mulierem;aut ad dicendum ius Theologum iureconſulto, aut ad finienda ſacra iuriſperitum theologo copulet.Aſinus ferendis ſarcinis valet, bos trahendo aratro.Deuter.22.

## Cor. 46

Cor occœcatum habet, qui perpetuis in erroribus verſatur,mentis lumine exſtincto. Eſaias. 6. Profundo ſunt corde, qui prudentia vel ſapientia ſua nimium nituntur. Eſai.29.profunda ferè immenſa ſunt, neque ita oculis patent. Duplex cor,in quo nihil niſi tectum, ſimulatum, fictum. Eccleſiaſt. 2. Simplicia vndique videri, & tangi poſſunt; duplicia neque tota cerni, neque quaquauerſum adiri.Cor elatum, ſuperbum vanitatis plenum quacunque de cauſſa.Pſàl. 63. Cor magnum forte, audax, excelſum. Machab.2.ſumptum è vulgo, qui magna animantia fortiora putat, parua pauentiora,cùm,vt contrà docet Ariſt. in paruis fortior ſit calor,& parti ſufficiens; & in magnis, minor, & minus efficax.Cor leonis ſimiliter fortiſſimum, à leonis audacia & ferocia. 2 Reg 17. Habere cor, ſapere, intelligere: non habere cor, deſipere, minus intelligere.Hier.5. vide,Theſaurus in agro &c.Vnum cor,magna animorũm conſenſio.Hier.32. Cor diuiſum, ſtudiorũ voluntatũmque diſſenſus. Oſeæ.10. Prauum cor, mala & fraudulenta mens.Hier.17.Cor hominis immutat faciem, ex varietate vultus,qui in facie apparet, elucet omne animi arcanum. Eccleſiaſtic. 13. Cor regum inſcrutabile. diuerſum à priore. Nam regibus,quod lubet, licet:ideóque voluntates eorum vehementes, mobiles, ſæpè ſibi aduerſæ. adde quod fidem, rectum,honeſtum, ſæpe vtilitate metiantur.Prouerb.25 Hærebit etiam in infimæ ſortis homines lucello addictiſſimos.Secundum cor ſit, quic-

Ayuntamiento de Madrid

quid ſub manum ſuccedit,& ex animi ſententia. Sic Dauida Deus dicebat inueniſſe virum ſecundum cor ſuum. Act.13.

## Pater flagellis,ego ſcorpionibus vos cædam. 47

Verba ſunt Reg.12. Roboæ reſpondentis populo, qui multis incõmodis vectigalium,&c.à patre eius Salomone affectus cupiebat leuari. Conueniet vbi publicæ res principis cuiuſdam ſæuitia miſerrimum in ſtatum perductæ in multo miſeriorem,tyrannide ſucceſſoris,perueniunt. Torqueri poterit ad minora,vbi ſæuitatem excipit ſæuitia maior. Scorpio genus ſcuticæ,vt ſunt rubi aculeati, habentes in ſummitate glandes plumbeas,quò carnem lædant.

## Vmbras montium videre. 48

Leui auditione permoueri,paruáque pro magnis, & vana pro veris habere. Iudic.9. Mons magna eſt moles,eiúſq; vmbra ſole præſertim præcipitante longè maxima, vana tamen,minúſque extimeſcenda.

## Si laueris te nitro,maculata es, 49

Prouerbialis metaphora in hominem infamiæ nota inuſtum, qui ſe purgare nequeat. Similis, Aqua Tiberis aut Nili non id elueret. Deductum à fullonibus, qui veſtimenta poliunt, corúmque ſordes nitro etiam lauant. Hier.2.

## Terra lacte & melle fluit. 50

De terra amœna,& vbere. Apes enim non niſi in locis floridis & lætis abundant:vti armenta non niſi in irriguis, & pinguibus. Exod.3. Idem innuere voluit Moſes, cùm dixit Iudæos ſucturos eſſe mel de petra, & oleum de duriſs.ſaxo. felix enim ille locus, & affatim diues, vbi ſaxa mel & oleum ſudant. Torqueri poterit ad homines induſtrios,qui ſua diligentia ſterilem terram reddunt feracem: ſtupidum hominis ingenium doctrina expoliunt: ex rebus, quæ incommodæ & inutiles ſunt aliis, ſua comparant cõmoda.

## In ore leonis fauus mellis. 51

In inſidioſum blandiloquentem. Leonis potiùs eſt mordere,mactare,laniare, quàm mel ex ore fundere. Alluſio ad Iud. 14. vbi in interfecto priùs leone, Sanſon poſteà



Ayuntamiento de Madrid

in eius ore fauum mellis reperit.

Paries inclinatus. 52

In eum, qui affecta ætate, moribundus eſt. Pſal. 61. Paries vbi inclinari cœpit, futurum vt ſtatim ruat.

Coquere hœdum in lacte matris. 53

Crudelitatem crudelitati addere, vt ſi quis filium ante ora parentum morte mactet, quod tyranni ſæpè fecerunt. Deuteronom. 14. Tractum potius à loquendi more, quàm quòd ita coquendi carnes apud veteres fuerit conſuetudo.

Aioth Ambidexter. 54

Homo manu promptus. vide ſuprà Iun. 95. fuit Aioth Hebræorum dux à Deo conſtitutus, qui Moabitas vicit, eorúmque ſeruitute populum liberauit, læua perinde manu vtens vt dextera: torqueri poterit in furem, & vtraque manu egregiè rapacem.

Aedificant domos & non habitabunt. 55

In eos qui intempeſtiuè ea moliuntur, vnde nullum percepturi ſint fructum, vt ſi quis decrepitus Græcis aut Hebræis totum ſeſe det, aut iis artibus, quæ iuueni ad altiora viam ſternunt. Sophon. 1. Eodem è fonte metaphoræ fluxit; Hic cœpit ædificare, non potuit conſummare: In eos, qui à conſilio prudenter inito, aut recto vitæ inſtituto temerè reſiliunt: in omnes denique inconſtantes. Luc. 14.

Onager. 56

De ſordido, ruſtico, & hominum ſocietatis fugiente. Hier. 2. Onager ferus aſinus locis ſilueſtribus gaudet: animal ab homine alieniſſimum.

Panis filiorum non obiiciendus canibus. 57

In primis reſpiciendi nobis noſtri ſunt, ante alienos, Matth 15. Reſponſio eſt Chriſti ad Cananæam, qua teſtabatur, ſe Iudæis ſaluandis miſſum eſſe, non gentibus. Prouerbium prouerbio excipiens mulier, Catelli, inquit, edunt micas de menſa Dominorum ſuorum. Etiam infimæ ſortis hominibus benefaciendum, cùm & catellis ſua victus portio ſit adſignata.

Qui feſtinis eſt pedibus, offendit. 58

Ayuntamiento de Madrid

In rebus gerendis adhibenda primùm cogitandi ſollertia, deinde agendi moderatio.

### Tinnire aures. 59

Si quem videmus vana auditione terreri, ſcitè dicemus illi aures perſonare. ſūpta metaphora à metallis, quæ pulſata tinniunt.

### Coruus ab aquila relictis cadaueribus veſcitur. 60

In eos, qui ignaui, & deſides ex aliorum laboribus famam ſibi aucupantur. De aquila aui rapaciſſima, quæ ad populandum magno tractu vt ſatietur indiget Plin. 10. 3. ei ergo quod ex raptis in vorandis cadaueribus ſupereſt, imbelles aues, veluti coruus, edunt.

## EX PROVERBIORVM libro Petri Godofredi, Carcaſonenſis. I. C.

### Dioſcuri ſaluatores & aduocati ſalutiferi. 1

SCribit Ælianus Var. hiſt. 1. vulgatum hoc fuiſſe de Caſtore & Polluce Iouis filiis; qui quidem crediti ſunt periclitantibus in mari, tanquam Dij, quibus inſunt commiſerationes ærumnoſorum, aduenire auxiliaturi, & ſeruaturi eoſdem non ſceleſtos, ſed ſanctæ vitæ homines. Quadrabit in principes, potentes, & diuites liberalitate ſua benignitatem diuinam imitantes, præſertim, qui toto orbe diſiectas hac tempeſtate Camænas recipiunt, amant & fouent; item qui ob Chriſti amorem patria ſe abdicantes auxiliatrice manu tuentur & ſuſtentant.

### Planus ſemel crura fregit. 2

Porphyrio in epiſt. Horat. ortum eſſe monet ab inſigni quodam impoſtore, qui ſæpe fingens crus ſibi fractum: aliquando multos irriſit, quorum in vehicula tollebatur



Ayuntamiento de Madrid

tandem verè fracto crure, quaſi etiam tum luderet, neglectus eſt. Hæc eſt pœna hominis mendacis, vt, ſi quando cœperit verum dicere, careat apud omnes fide: quo de exſtat apologus apud Aeſopum elegantiſſ.

Abſens hæres non erit. 3

De iis, qui ob abſentiam ſuam quapiam vtilitate fruſtrantur. Tractum ab illis, qui cùm propinquitate quadam legitimam alterius ſucceſſionem ſperare poſſint, eadem, dum abſunt, oportunis obſequiis & delinimentis aliorum priuantur. Demoſt. Xenoph.

A caluo ad caluum. 4

Verbum fuit Caligulæ, cùm omnes reos poſtulatos in cuſtodia, tum fortè duobus caluis extremis exſiſtentes, ita et duci ad ſupplicium citra vllum diſcrimen, iuberet: quo inde notatum eſt indiſcriminatum quodque iudicium: vt, cauſſa quorundam medicorum arte, quam nihil minùs quàm nouerunt, peſſimè vtentium, omnium odium. Bud. Tranſitu ad Helleniſ. Equidem vt à caluo ad caluum iniqui eſt iudicis & præcipitis, eodem iure cenſere; ita à raſo ad raſum damnare, vel nota mulctare ignominiæ tum atratos, tum albatos præcipitis vtique famæ præiudicium ſequentes, non ſatis æquorum eſſe arbitror hominum &c. vide ſup. Iunij 88. Chiliad. 6. Idem adagium Polidori eſt. ſſ. additque ex Dionyſ. Caligulam ipſas cuſtodias recognouiſſe, ac tum reperiſſe duos caluos, alterum in ſummo carcere, alterum in imo.

Amyris furit, 5

Vide tom. 1. prou. Amyris inſanit. Cùm Amyris vna cũ reliquis legatis Sybariticis, Apollinem de communi rerum ſucceſſu conſuleretet; reſponſum, tum Sybaritas ruituros, cùm pluris facerent homines quàm Deos. Euenit deinde, vt ſeruus à Domino vapulans nequicquam ad Deorum aras confugiſſet: pòſt ad paternum heri monumentum confugiens liberaretur à plagis. Eo animaduerſo, Amyris locum mutauit, reliquis eum vt inſanum ridentibus. Demùm verò, cùm non multò poſt Sybaritæ à Crotoniatis cladem acciperent, prudentiæ nomine commendatus eſt. Docemur hoc exemplo, etiamſi aliis futuri ludibrio, curare tamen noſtra. Thomæus Var. hiſt. 2. vlt.

Ayuntamiento de Madrid

## Aſini ſepultura. 6

De iis, qui memoria hominum indigni ſunt: aut quia ignaui nihil laude dignum geſſerunt, aut potiùs quia peſſima quæque perpetrarunt. Hierem. 1.

## Aſini vellera quæris. 7

In inani labore ſeſe conficientes: vel in delicatos nullum ſuæ curioſitati modum præfinientes: vel denique in dominos auaros & rixoſos omnem à ſuis extorquendi occaſionem quærentes. Alexander Neapol. 5. 15.

## Caue tibi à cane muto & aqua ſilente. 8

Periculoſiſſima ferè ſunt, quæ latent, neque ſe oſtendunt: ideóque ab iis maximè timendum. A ſimulatoribus præſentem eſſe noxam nemo ignorat. Nobiles canes venaticos in regno Sophitis latratu abſtinere, feram cùm viderunt, teſtis eſt B. Hieronym. & vulgatum hodie, timidos latrare vehementiùs, quàm mordere. Sic altiſſima quæque flumina minimo ſono labuntur; vadoſa præſertim in rupibus, maximo. vide ſup. Canis clanculum mordens, prouerb. Iunii 94. Centu. 6.

## Cercopum forum. 9

Α᾿γορὰ κερκώπων. vide tom. 1. Cercopum cœtus: & hoc tomo, adag. Iunii, Cercops, 6. Centu. 38. Ex latronibus inſignibus, qui Cercopes dicti ſunt, profluxit adagium in ſceleſtos & improbos, fraudulentos conſultores, inſidiatores, peremptores hominum. Thomæus Var. hiſt. 3. 8. Athenis apud Helieam porticum celebre fuiſſe Cercopum forum, vbi res furto ſublatæ vendebantur.

## Cui bonus eſt vicinus, felix illucet dies. 10

Vulgare prouerbium eſt, quod & contrà effertur apud Iuris interpretes: Cui bonus non eſt, aut malus eſt vicinus, infelix contingit mane. Singularis eſt commoditas boni vicini; mali incommoditas omnium maxima. Vnde Heſiod.

Πῆμα κακὸς γείτων. ὅσσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ.
Tam noceat mal' vicinus tibi, quàm bonus proſit. Itē
Οὐδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτ', εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη,
Non vel bos pereat, niſi vicinus improbus eſſet.



Ayuntamiento de Madrid

## Dæmonem dæmone pellit. 11

In eum, qui prauo vel imprudens vtitur ad prauos corrigendos: vt qui certi criminis aliquos damnari iubet ab iis, quos ſibi conſcius eſt eodem crimine implicari. Euſeb. Cæſarienſis. Similia, Canis caninam non edit. Varro. Coruus coruo oculum non eruit. Annonius hiſt. Franc. 3. 26.

## De fumo ad flammam. 12

Gallus Cæſar, inquit Ammian. 14 de flamma ad fumum, hoc eſt, de letalium inſidiarum periculo & timore ad ipſam planè necem tetendit. Et Plato de Iuſto 8. populus, inquit, liberorum hominum fugiens fumum, in flammam ſeruilis dominationis incidit. Notatur iſto ſtulta temeritas, & calamitas eorum, qui à ſimultate, vel dubio, vel minimo malo in certum & ingens odium & malum proruunt.

## De tribu Leui. 13

Apud Iudæos Leuitarum tribui, Deo dicatæ nulla certa dedicata erat poſſeſſio, ſed varia victimarum portio. Hinc duplici ratione inoleuit, vt leues, inconſtantes, & proſtituti pudoris appellemus de tribu Leui, tum alludendo ad id quod dixi, tùm ad amphiboliam vocis, leui. Rebufus in comm. de Gall. ſacerd.

## Equus ſuo defraudatus pabulo, ignauus. 14

Eo innuit vulgus ingratis, aut iis, à quibus iuſtum præmium exſpectari non poteſt, meritò homines languidè, & non exactè operam ſuam præſtare. Qualis enim merces, talis merx.

## Famem peſtilentia ſequitur. 15

Quoties à malo malum oritur. Natum ab eo quod frequenter euenit. Nam in annonæ caritate, inſalubres cibi in vſum neceſſariò recepti, & peſſimum ſuccum generantes, peſſimorum morborum origo ſunt. Curtius 9. Galen. de cibis euchymis.

## Fames præter ſeipſam edulcat omnia. 16

Hoc dici ſolet, & refert enarrator Heſiodi, vbi is vocat epitheto proprio λιμὸν ἀτερπῆ, ſeu ἀτερπὸν, hoc eſt, ipſam famem iniucundam & moleſtam: quæ tamen iucundum reddit cibum, alioquin maximè aſperum & inuiſum.

Ayuntamiento de Madrid

## Figulus ollis anſas pro voluntate ponit 17

Vnuſquiſque ſuæ rei moderator eſt & arbiter, ſicque ſuo more vtens nulli iniurius eſt. Philelphus epiſt. 12. à Græcis mutuatus eſt. Eandem ferè metaphoram attingit Paulus Rom. 9.

## Fluuiatiles aues. 18

In nimium ruſticantes, & aquarum delectatione immodicè captos, quales fuêre Tarſenſes, quorum ciuitatem præterlabitur Cydnus fluuius, iuxta quem ii multo tempore conſidentes, quietæ aquæ pulchritudine velut ebrii facti tanquam fluuiatiles aues ociabantur, vt ad eos ſcribit quadam epiſtola Apollonius, teſte Philoſtrato. Similis eſt vita, quam ſuis Alcoranus promittit.

## Forum baiuli vicani. 19

In contemptum, ſuggillationem, & notam iudicii cuiuſque inepti, incompoſiti, & ridiculi: quale eſſe ſolet præfecti vicani, quem baiulum vocant, quod ipſi dignitas oneri potius ſit, quàm honori.

## In mari magni piſces capiuntur. 20

Induſtrioſis magna commoda conſectanda in magnis & amplis vrbibus, & vbi ingens populi confluxus. Mare, quia magnum eſt, & ſpatioſum magna alit animantia, maioráque homini commoda exhibet, quàm fluuius, quantumuis ingens, ſi mari comparetur, exiguus.

## Loqueris equo inſidens. 21

In ignaui hominis ineptam audaciam, qui videri vult magnanimus, fortis & patiens, ipſe in tuto collocatus, & liber, iis, qui in periculo ſunt, ac ærumnis ingentibus premuntur: non ſecus atque eques equo fretus facilè contemnit & fortitudinis admonet alium pedeſtri labore fatigatum.

## Luctuoſum ſaxum. 22

Ἀγέλαστος πέτρα. Res triſtitudine afficiens: homo moroſus, iniucundus, nunquam non mæſto & tetrico vultu. Natum à petra cui inſidit Ceres quæſitam nec inuentam deplorans filiam. Ouid. faſt. 4. Baptiſta Pius in Sidon. vide tom 1. irriſibilis lapis.

Ayuntamiento de Madrid

### Nemo vnquam benefactori bouem immolauit præter Pariam. 23

In eum, qui de ſe bene meritum inuſitato, & immodico honore afficit, quomodo multi aliis deuincti, etiam malam in rem iiſdem obſequi parati. Ortum à Paria, qui cùm ſenem quendam captiuum à latronibus redemiſſet, & ab eodem repentè ditatus eſſet, eidem bouem immolauit. Heraclides in Politiis.

### Multi ſacerdotes, & pauci ſacerdotes. 24

Hoc eſt, Multi in nomine, pauci in opere. Chryſoſt. Referetur eleganter ad omnes ordines. Plures enim vbique videri volunt & dici, quàm eſſe.

### Nunquam lagenam crateri impone. 25

Μηδέποτ' οἰνοχόην τιθέμεν κρητῆρος ὕπερθεν
Πινόντων. ὀλοὴ γὰρ ἐπ' αὐτῷ μοῖρα τέτυκται.
Ne cratera ſuper potantum pone lagenam:
Qui facit, eueniet mors illi cruda repente.

Non ſimul omnia effundenda, & aliorum libidini prodigenda, quæ habeas, ne ipſe egens deinde & famelicus pereas: quod ita etiam vulgò efferunt: Nunquam exuas te, antequam cubitum eas. Sic Godof. Tzezes ita interpretatur: Nunquam priuatum publico, partem toti, deterius meliori præfer. Vilior enim οἰνοχόη cratere eſt. Nam κρατὴρ vas quoddam erat, vt lebes, in ſympoſiis adhibitum, vino diluto repletum: οἰνοχόη verò, οἷον κύλιξ, aut quid ſimile, quo ex cratere bibituri hauriebant. Proclus eo admoneri putat, ne iratos verbis prouocemus magis & irritemus: & nugaces homines atque importunè garrulos tecto ne recipiamus. Aliis videtur Heſiodus deterrere omnes ab aſſiduis perpotationibus: ibi enim nihil aliud quàm crateri œnochoe imponitur. certè Moſcopulus genitiuum pluralem abſolutè ſumere videtur, his verbis, μηδέποτε πινόντων πάντων καὶ συμποσιαζόντων.

### Nundinis diſſolutis non eſt negotiationis commercium. 26

Τῆς πανηγύρεως διαλυθείσης οὐκ ἔστι πραγματείας ἐμπόρευμα. Ita ſecurum, deſidem, & oblata occaſione res ſuas oportunè agendi, procraſtinantem hominem monebi-

Ayuntamiento de Madrid

mus, ne ſi non agat cùm poſſit, non poſſit cùm volet. Damaſcenus in ſerm. de defunctis, intelligens, ſoluta hac fragili compage nullum futurum auxilii tempus, nullam profuturam aduocationem.

## Oleum in ore geſtat. 27

De eo, cui inhibitum eſt loqui, neque verbum fari licet. Alexander Neap. 5.15. OBSERV. GISEL. Miror à neutro originem prouerbii notatam eſſe. Addit Godofr. eundem muneribus ligatum & diuitiis fartum à Græcis dici bouem in lingua habere.

## Parua pluuia magnum ſedauit ventum. 28

Vt ventis etſi nihil violentius eſt, tamen iidem imbribus ſopiuntur, teſte Plin. ita facto vel modico cordati viri & verberibus, ſuperantur minæ vani hominis & verba quam tumuis tumida.

## Phocenſium deſperatio. 29

Vide tom.1.prou. Phocenſium execratio. vbi tamen vnde nobis amolitio prodierit, contra vocis Græcæ notionem, ſanè neſcio. Origo talis. Phocenſes primores aliquot Theſſalorum in ſuis vrbibus ad vnum omnes necarant. Hi contrà illorum obſides 250. in crucem ſuſtulerant. inde odium vtrinque immane; & bellum immanius. Phocenſes prius ſuos fines inuadentibus nullíque ætati parcentibus obuiam ituri, de ſuaſu Diophanti & conſenſu communi ſtatuunt ex vniuerſa Phocide omnem muliebrem ſexum & imbellem ætatem vna cum pretioſiſſimis quibuſque rebus collectam certo loco cum cuſtodibus relinquere; qui cuſtodes, ligni ingenti materia ad hoc parata, ſi viri in prælio inferiores eſſent, omnes communi incendio delerent. Conſentiunt ipſæ mulieres, ipſi pueri. Pugnatur, ſed meliore euentu. Nam Phocenſes vicere. Hæc ἀπόνοια Φωκέων. Plut. Pauſan.

## Piſcatur in aqua turbida. 30

De eo, qui dum alij inter ſe rixantur, ipſe ſibi & ſuis commodis conſulit: quem nihil morantur, ſed iuuant potius aliorum incommoda. Piſcatores turbidam aquam obſeruare ſolent, vt ex ea decipuli magis neſciam faciliùs captent prædam.

Ayuntamiento de Madrid

## Pyri finem facies. 31

Ita facinoroſum hominem deterrebimus, & ad meliorē vitæ rationem ineundam exhortabimur: ni faciat, futurum vt collum in laqueum inſerat, ſuſpendio vitam finiat, vt pendens de arbore, ſummáque acuminata parte veluti collo obligato matureſcit & conſummatur pyrum. Cynus in Cod.3, tit.32.l.32.

## Riſus cauponis. 32

De ſimulato riſu & ad fraudem compoſito, qualis eſt cauponis, qui eo vſque facilis eſt, & commodus, dum ſuo lucro, vt proſpiciat, locus ſit.

## Serpens eijciundus è dumo. 33

Quieſcens malum & latens periculum, ne quando nos incogitantes & incautos opprimat, palàm faciendum, & protinus conficiendum.

## Vbi vber, ibi tuber. 34

Nihil homini tam diuinitus datum, nihil tam proſperè ſuccedit, quin admixtum ſit aliquid difficultatis. Apul. Florid.4.

## Veſparum examen metuit Phrynicus, velut gallus gallinaceus. 35

Etſi gallinaceus pugnax ſit, & longè animoſus, adeóque leonem cantu terreat; tamen vel multitudini apum cedit. etiam licet Phrynicus tragicus Mileti captiuitatem fortiter ageret, Athenienſes tamen commoti & collachrimantes eum metuentem & perhorreſcentem eiecerunt. Conueniet in eos qui damnum patiuntur, ita ſcilicet vt ſubitò & præter ſpem à multis quatiantur. Ælian.13.

## Vnus lanius non timet multas oues. 36

Verbum eſt Alexandri, cùm minimo inſtructus exercitu pugnaturus eſſet aduerſus Darium multis myriadibus militum ſtipatum. vtemur in conſimili quoque, vt litteraria in ſcribendo vel dicendo in multos victoria fortiter ſperata.

Ayuntamiento de Madrid

# PROVERBIA QVÆDAM Caroli Bouilli Samarobrini, è quatuor eiuſdem Prouerbiorum vulgarium libris.

## Præſtat vineæ vlmum eſſe, quàm hederæ. 1

LAudabilius eſt à potente & copioſo homine ali, & promoueri bonos & multis vtiles futuros, ſiue eruditione ſiue alio vitæ genere; quàm improbos, aut ſaltem nihili homines meros numeros ſæpe natos in perniciem eius à quo aliti ſunt. Sic ſatius operam dare honeſtis & laudabilibus rebus, caſtigare bonos & Latinos auctores, quàm ſecus. Vlmus arbor ampla, ſpatioſa, ſolida fulcire ſolet vineas, nobilem & humano generi vtiliſſ. arborem: & hederas, ſterilem & neglectam, quæ vlmum ipſam nihil aliud quàm arrodit, & tandem enecat.

## Primo crede mulieris conſilio; ſecundo noli. 2

Cur felicia & proſpera vulgò ferantur mulierum conſilia ſubitò & repentè data, infelicia, vbi cogitatio multa, vel aliud præceſſit, multi quæſierunt. Mihi ita videtur, quod animi earum affectibus ferè præpediãtur: eorum aſſultum vbi mens in commune conſulens præuenit, ingenioſi aliquid profert. valent enim feminæ ingenio vt plurimum præ viris: obnoxiæ tamen affectibus eò in malam rem non rarò vtuntur.

## Furis paſſu progredi. 3

Pro, lentè, ſenſim & magno ſilentio promouere negotium, vt cum rem, quam molimur, eò vſque tegi volumus, dum non procul à fine & coronide abſimus, & impedientium conatus queamus eludere. Fures paſſu incedunt librato in aëre, vix ſummis digitis terram prementes, vnde furtim latenter, clam: furtiuum occultum, non vulgatum.

Ayuntamiento de Madrid

Scintilla etiam exigua in tenebris micat. 4

Quatulacunque dignitas, virtute, eruditione, factis, aut ſolo loco acquiſita ſtatim ſe prodit, & eminet in plebe hominum, præſertim inter eos, qui minoris ſunt ſortis.

Vaginæ quàm gladij plures. 5

Theca ſapientiæ anima eſt: ea qui carent, maiore ſunt numero, quàm qui ea præditi ſunt, & vbi debent, vtuntur.

Rota plauſtri malè vncta ſtridet. 6

De ijs, quibus aut muneribus, aut mercede, aut alia re minùs ſatisfactum eſt, iſti enim non deſinent moleſti eſſe prius, quàm, quod ſibi deberi putant, accipiant. Rotas per ſeminis vel ſeui inopiam arido, & rauco axium ſuorum volumine ſtridere norunt, qui non planè obſurduerunt.

Extra circinum & regulam neſcio quidquam. 7

Mathematicorum eſt, qui circino ad lineas circunducendas regula ad producendas vtuntur. Quadrabit, vbi quis ſe profitebitur nolle aliena à ſua arte aut inſtituto tractare.

Amicitia auarorum complexus ſphærarum. 8

Et hoc è Mathematis petitum. Sphæra vna vt impoſitam alteram ſibi inſidere non patitur, ſed ſtatim deuoluit: ita auarus auarum amicum non fert: dum ſibi vterque ſoli ſtudet; alteri, ſi poſſit cum ſuo commodo, obeſſe optat.

Surgentem auſcultare auenam. 9

Ruſticum prouerbium in deſides, & ignauos, qui ſomnolenti & in herbeſcente agro proſtrati diem deperdunt. Natum ex reſponſione cuiuſdam, qui rogatus de ſocio, quid egiſſet, auenæ, inquit, è terra enaſcentis motum arrectis auribus captauit. ridiculè cum ſenſim emergant herbæ, & omnem humanum ſenſum fugiant. Quadrabit in eos etiam, qui ad omnem auram, & ſpem, ſæpe ridiculam aures & animum arrigant.

Talos ſcabere. Talos prurire. 10

Quoties innuemus rem admodum raram, infrequentē, & ſpecimen temerariæ cuiuſdam mutationis. Pruriginis

Ayuntamiento de Madrid

ſtimuli excitari ſolent, vbi mollis caro eſt, & cutis; non autem, vbi exſanguis caro & cutis aſpera, niſi venturam frigoris aſperitatem, aut ſubitam eiuſdem ſolutionem portendant. Simile, ſcabere talos, *gratter ſes talons*, pro nouam mutationem rei aut temporis à minima re ridiculè & leuiſſime ominari, cauſſa eadem.

## Frigida aqua fruentem ollam adſpergere. 11

Pro, hilarem hominem inopino infortunij nuntio repente conſternare, & peſtifero mœrore conficere: quod vetant medici moderationem omnem adhiberi volentes. Sic vetant iidem calenti immodicè ab exercitatione corpori frigidam dari potionem, præſens ſcilicet ſæpiſſime venenum. Imitantur hos coqui, feruentes ollas ne frigida adſpergantur, aut frigido loco ſtatuantur, accurate cauentes rumperentur enim præſertim argillaceæ.

## Longo in itinere etiam palea oneri eſt. 12

Celtæ, *En longue voye paille poiſe*, Leuiſſimæ quidem paleæ: longa tamen in via graues fiunt, & moleſtæ. Sic hoſpes interdum initio gratiſſimus, tridui aut quatridui mora oneri eſt, ſiue, vt nos loquimur, *hy ſtinckt*, id eſt, putet, ſumpta tralatione à Marthæ verbis ad Chriſtum, iubentem monumento Lazari quadriduum mortui lapidem amoueri.

## Homo genibus elephantinis. 13

De ſuperbo, qui vix Deum, ne dicam hominem vllo honore ne aperti capitis aut genu flexi, afficere dignetur. Elephanti genua non plicant neque ſe incuruant. vnde cadentes ſurrigere ſe nequeunt: ab homine erigi debent.

## In mari balneandus. 14

Pro inſano, & parum ſui compote. Solent enim maritimi populi à rabido cane morſos ſemet atque iterum mari immergere, & pœne demergere, vt partim occulta marinæ aquæ vi, partim ipſa conſternatione natura à ſe venenum propellat. Sic deliros Belgæ etiam eleganter innuunt, *hy mach vuel naer Ronſe, of naer Gheel trecken*: quod ea loca Diuorum ægros ibi liberantium fama innotuerunt,

Ayuntamiento de Madrid

## Riſus profundior lacrymas parit. 15

Naturaliter euenit, vt nimius riſus lacrymas excutiat. ſæpè etiam nimiam cordis dilatationem compreſſio excipiens fletum riſui intermiſcet. Sic lætiſſimas interdum res maximè aduerſæ turbant & interuertunt.

## Fidere vnius noctis glaciei. 16

Pro, inconſultè & temerè ignoto homini & peregrino confidere. ea res enim non multo ſæpè felicius cedit, quã audacia hominum ſe tenellæ glaciei committentium.

## Culex lychno ſe cõmittens aduritur. 17

Simile priori. Spe inani & futili alicuius boni multi miſerè luduntur, & in præcipitium ruunt. Culex ſpecie nitentis flammæ illectus, velut colludens aliquandiu circumuolitare ſolet: poſtea tamen aduſtus miſerum ludo finem imponit.

## Vacuum vas altiùs pleno vaſe reſonat. 18

Minimè dites, eruditi, fortes, aut alia re præditi, maximè loquaces & iactabundi, vt plurimum, ſunt. Et qui omni animi ornatu nudiſſimi ſunt, omnino ei, quin bonis & ſibi diſſimilibus detrahant & obloquantur, ſibi temperare non poſſunt.

## Adoniæ conuiuium. 19

De inani & ſtulta exſultatione: qualis fuit Adoniæ, qui Dauidis filius ad regnum aſpirans omnibus regiis filiis (Salomonem excipio) epulum dedit planè regium, vbi ſe ſalutari & proclamari regem iuſſit: miſer, qui mox prælato Salomone deluſus præclara ſpe ſua excidit.

## Solem, ventũ aduerſum, auerſum habere. 20

Pro, iniquo & inauſpicato vti rerum ſucceſſu: vel contrà. Milites vbi vel fato quodam, vel hoſtili arte eo adducuntur, vbi iis infeſtis ſolis aduerſi radiis oculorum acies præſtringatur, & hebetetur, infeliciter ferè pugnant. Sic viatores, vbi vento obnitendum eſt, minimo progreſſu & maximo labore quid efficiunt. Contrà quando ſe res habent, facilia omnia, & ſecunda.

## Qui plura ambit, malè adſtringit. 21

In eos, qui plura, quàm vires ferre queant, affectant, & in ſuos humeros recipiunt, more ruſticorum, qui dum

manipulos

Ayuntamiento de Madrid

manipulos plures aut maiores quàm brachiorum complexus ferunt, non arctè adſtringunt, excidere denuò patiuntur. Trahi poterit ad omnes, qui animum diuerſis ſtudiis diſtrahunt, & nullam ſcientiam aut artem intactã relinquunt, irrito ſcilicet conatu, communibus iocis digniſſimo. Exſtat in hanc ſententiam elegantiſſimum Iunij emblema, in eius opere decimum & ſextum.

## Demandere calamum. 22

Pro elaborare aliquid, & accuratè, ſenſimque expolire: vel, ſummo cum labore, & multo tempore aliquid efficere. Solent ij, qui minus prompta ſunt memoria, aut felici ingenio, inter ſcribendum, tantiſper dum cogitant, & meditantur, calamum arrodere. vide ſup: Demorſos ſapit vngues: appendice Chiliad. Eraſmi. Simile, ſapit puluillos. De re multum diúque præmeditata.

## Puluillum conſulere. 23

Pro, negotium in alterum diem differre, vt maturo conſilio, quod ſecuriſſimè noctu capitur, eodem poſtea redeatur. Simile, Nox dabit conſilium.

## Vlulare cum lupis. 24

Dicuntur, qui in loco & tempore norunt ſimulare & diſſimulare, & omnibus fieri omnia. Veri illi Prothei ſeu Polypi quouis rege ſunt beatiores, dum ab omnibus gratiam ineunt, omnes tamen interea pro ludo habent: ſibi verò ſapiunt maximè, in eo vno conſtantes. Huc illa etiam è vulgo referas, Hinnire cum equis, Rugire cum leonibus, balare cum ouibus &c.

## Exigua aqua maiori interdum ſupernatat. 5

Non quidquid exile & paruum ſtatim à magnis deſpiciendum. Fluuij enim exigui, qui in mare feruntur, marinæ tamen aquæ ſupernatant. Dictum eſt eius, qui Diogenem emerat, cúm hic venditus, & rogatus quid ſciret; reſponderet dominari ſe didiciſſe.

## De gallo in aſinum. 26

*Saillir du cocq à l'aſne*, Celtis eſt, caſu, vel aſtu ſermonem de re aliqua, ad aliam toto genere diuerſam repente & ſine cauſſa transferre.

## Ignis cineribus alitur ſuis. 27

Ayuntamiento de Madrid

De homine conſtante & æquanimi in aduerſis rebus, cui bonorum amiſſio non ſolùm non animum deiicit, ſed etiam accendit & inflammat, ad fortiùs impetui fortunæ reſiſtendum. Cinerum quiſquilias, igni, vbi alimentum deeſt, fouendo, & conſeruando officium præſtare quotidie experimur. Quin & carbones Iuniperi ignitos, ſuis cineribus obtectos ferunt integro ignem inditum alere.

## Diem humeris protrudere. 28

Hoc ita Celtæ: *Bouter le iour à l'eſpaule*. De otioſis, & totas dies ad apricum ſolem oſcitantibus, quibus grauius nihil eſt & moleſtius ipſa Solis mora. quare vt tranquillæ noctis aduentu tædia ſua propellant, diei finem vnicum optare videntur: ideóque finguntur diebus vim quandam velle inferre, & totis humeris eos ab Orizonte protrudere.

## Aperi burſam, aperiam buccam. 29

*Ouure ta bourſe, i'ouuriray ma bouche*. Ea verba tribuunt Celtæ rapacibus, quorum curua nimis ſunt & adunca inſtar aquilarum labia, & ora, quæ non amor proximi, ſed ſolus nummorum numerus & aperit & claudit: vt ferè ſunt cauſſidicorum: de quibus illud noſtrum:

Aurea cauſſidicus loquitur ſuffartus ab auro.
Bulgam claude tuam: claudet & hic labium.
Plurima diuitibus medicus: ſed ſcribit egeno;
Pro nihilo, infelix, accipe nil, & abi.

## Abſque oleo pingere. 30

Pro, friuolum quid moliri, quod breui interitu artificis operam & ſpem fallat. Pictores, priùs quàm ad colores pergant oleo liniunt tabulas cuius viſco & tenaci glutino quodammodo vinciantur colores, & durent.

## Pons à tergo abruptus eſt. 31

Quoties monebimus in ſola virtute, & animi robore ſpem eſſe, neque ſubſidia alicundè amplius expectari, imòne effugia reſtare: ac proinde aut rem cum laude cõficiendam eſſe: aut alioqui turpiter pereundum. Solent pugnaturi in ſumma deſperatione militi equos adimere pontes aliáque effugia eripere, quo, niſi turpiter cædi malint, animoſiùs in hoſtem procurrant. Tale fuit ſtratage-

Ayuntamiento de Madrid

ma Heluetiorum: tale item Caroli Martelli, cùm ſecundam cum Agarenis pugnam depugnaturus eſſet.

## Crocum edit. 32

De ridiculo, qui leui de cauſſa effuſum in riſum ſoluitur. Crocum tradunt medici cor dilatare & aperire, eoque homini hilari & læto irrepreſſa mouere labia, & ſtolidum craſſumque riſum etiam inuito exprimere. Sunt etiam qui ſcribant libram croci ſumptam, poſſe ita cor dilatare, vt erumpentes præ riſu lacrymas vita ſequatur.

## Elephantina olfacere promuſcide. 33

Pro, imminentia pericula diu ante prouidere. Diuerſum, Indigete elephantina promuſcide, pro, inopem eſſe conſilij, nihil proſpicere, nihil cauere, tardo eſſe ingenio, & læto in præſens, ignaro, quod vltra eſt, curare. Elephanti quod olfactus ſenſu valeant, probolcidib. debent.

## Iulio & Cæſare conſulibus. 34

Iulius, teſte Suet. in Conſulatu cùm collegam haberet M. Bibulum; eum obſiſtentem ſibi vi è capitolio & foro abegit. Vnde cùm hic poſtea tanquam priuatus domi ſe contineret; ille duorum vicem obiret: quidam Conſules eius anni hoc modo deſignabant: Iul. & Cæſ. C O S S. vnde etiam illud:

Omnia Conſulibus ſunt Iulio & Cæſare facta:
Nam Bibulo fieri Conſule nil memini.

Torqueri poterit vel idem hoc, vel quid ſimile ad huius exemplum lepidè efformatum, in eum, qui arroganter & præter officium ſuum munij alicuius aut negotij adminiſtrationem ſibi ſumit: ſiue id permittat fieri ſocij ignauia, ſiue metus.

## Frigidior ſalamandra. 35

De iis, qui, vel parciſſimè ſumptus faciunt: vel in deliberando, aut negotio ſuſcipiendo tardiſſimi ſunt. Salamandra animal lacerti magnitudine nūquam niſi magnis imbribus proueniens, & æſtate dificiens tanti algoris eſt, vt tactum ignem haud ſecus quam glacies exſtinguat. Plin.

## Ades tritico, dum molitur, tuo. 36

Prouerbium illud Celtarum, *Soys à ton bled mouldre, ſi tu*



Ayuntamiento de Madrid

*ne veulx perdre plus que le pouldre* : omnes mouet, vt diligentes in negotiis ſint ſuis : nunquam, quæ ipſi efficere poſſunt, per alienos exſequi ea curent, præſertim in quibus fiducia ſæpe fallit. vnde Italus, A nemine vt fallaris, fide nemini.

Dumum cædam, vt tuæ ſint aues. 37

Cùm ab Anglis obſeſſi Aurelij ſeſe Burgundo, qui Anglorum in caſtris agebat, dedere vellent, non Anglis: indignatus rex Anglorum Burgundo, Dumum, inquit, cædam, vt tu capias aues? Abſit. Hoc reſponſo offenſus Burgundus cum Gallis pacem inire ſtatuit: inita tamen ea, crudeliter & perfidè ad Confluentem Sequanæ à cognato mactatus eſt. Vtemur eodem prouerbio, quoties nos alii laboris præmio fraudare conantur. Ortum ab aucupibus, qui vt aues irretiant, iiſque potiantur, noctu ad ignis ſplendorem dumos concutiunt, & turbant.

Rotundæ, quàm quadratæ, menſæ præſtat accumbere. 38

Quoties loci, ordinis, honorum æqualitatem inæqualitati præferemus. Quadratæ enim præſertim oblongæ menſæ diſtinctos habere videntur accubitus, quoſdam ſupremos, quoſdam imos, alios medios. Rotundæ eam diſtinctionem ignorant. Hinc non abludit prouerbium quo paſſim curã, affectationem, fucum damnare, ſimplicitatem cõmendare Galli ſolent, Rotundè loqui, rotundè ſe gerere: *parler rondement, ſe comporter rondement.*

Poculo imparato, amouet obicem dolio. 39

De iis, qui mera imprudẽtia præſens damnum incurrũt, non præparantes ea multò ante, ſine quibus negotium, quod in manibus eſt, expediri nequit: vulgatum eſt apud Celtas: *Il tire la broche, deuant que le pot ſoit preſt*: prius, quàm ad manum ſit œnochea, aut crater, ſeriam relinit, & vinum temere effluere ſinit.

Ne iterula quidem arcani conſcia. 40

Cùm è Metello Senatore quidam diligentius multa exquireret: Si interiorem, inquit, tunicam horum ſcirem eſſe conſciam, protinus eam igni exurerem. Hinc Celtæ: *Ta chemiſe ne ſache ta guyſe*. Taciturnitas vix vnquam

Ayuntamiento de Madrid

damno eſt, loquacitas fere ſemper.

## Parietes amicitiæ cuſtodes. 41

Nihil verius experimur, quàm nimiam frequentiam parere contemptum, inde odium: éóque nihil melius paruo aliquo interſtitio, quod priuatos litium fomites exſtinguat.

## In centro & circumferentia contendere. 42

Pro, decertare in rebus æquè arduis, & pari laude dignis. Ortum à duobus pictoribus, de præſtantia contendentibus: quorum primus arrepto penicillo abſque ope circini, manu ſeſe in aëre ſolidè librante, circuli circumferentiam pinxit, ita apte vt nuſquam à veræ rotunditatis æqualitate omnium iudicio erraret: Alter deinde ſolo penicilli acumine centrum in medio circulo ita rectè deſignauit, vt regula non potuerit rectius. Contentio nondum finita eſt, & licet prioris opus, plus diligentiæ & artis deſideraſſe nobis videatur; tibi tamen, amice lector, quo minus aliter iudices, nihil prohibet.

## Ad clitellas natus. 43

De duris & ſtupidis ingeniis, qualia ſunt aſinorum: quos tam decent clitellæ & viliſſima munia, quàm litteræ deformant, & dehoneſtant.

## E cucumere bibere. 44

Pro, peregrinari, extera loca viſere. quòd pauperibus viatoribus lagena propria ſit cucumer ſole exſiccatus.

## Ad perditam ſecurim abijcere manubrium. 45

De effeminatis, & qui ad leuem fortunæ ictum deſperant, & ita animum deiiciunt, vt ſtatim aut ſibi vim adferant, aut quod reliquum eſt, furore quodam perciti è manibus abiiciant, ſine vlla priſtinæ fortunæ ſpe. Galli dicũt, *Ietter le manche apres la cognee.*

## Ferrum, cùm igni candet, tundendum. 46

Arripienda, quæ datur occaſio, & rei bene gerendæ tempus non prætereundum. Si quocum contraxeris, fac traditio ſubſequatur ſine mora, ne matrimonij quidem ſponſio longius extrahenda: pueri præcipuè, dum tenerum eſt ingenium, optimis imbuendi. Galli dicunt: *Il faut battre le fer, quand il eſt chaud.*



Ayuntamiento de Madrid

Eme lectum viri obærati. 47

Agellius refert Auguſtum, cùm publicâ auctione militis obæratiſſimi ſupellex diuenderetur, iuſſiſſe emi ſibi eiuſdem lectum, & ad ſe deferri. Rogatus à familiaribus, cur lectum ſolum: Cætera, inquit, abundè mihi ſuppetunt: ſomno tantùm, in tantis imperii moleſtiis, indigeo: cum ſi dulciſſimum & omnium curarum expertem militi tot tantiſque nominibus debenti præbuerit hic lectus; præbebit, credo, & mihi. Obortus eſt riſus: & ſecutum prouerbium, Eme lectum viri obærati, vbi remedium perpetuis vigiliis, & ſollicitudinibus quæreret.

# ADAGIORVM IOANNIS VLPII Franekerenſis Friſij Epitome.

## De ſcammate egredi. 1

DE ſcammate egredi apud D. Hieronymum legitur, pro eo quod eſt de propoſito digredi. σκάμμα locus certaminis eſt, in quo congrediuntur Athletæ, foſſa plerunque aut ſaltem lineis cinctus.

## Hercules in Lydia. 2

Dicitur in eum qui cultu indecoro & ſibi neutiquam accommodato vtitur. Vlpianus.

## Teſtudo volat. 3

De re abſurda aut impoſſibili dicitur. Claudianus lib. 1. aduerſus Eutropium (qui cum eunuchus eſſet tamen Romæ factus fuit conſul) multas huiuſmodi ἀδυνάτων ſpecies adfert:

Iam teſtudo volat, profert iam cornua vultur,
Prona petunt retro fluuij vada, Gadibus ortum
Armenij dixere diem, iam frugibus aptum
Æquor, & aſſuetum ſyluis Delphina videbo.

## Ornamentum in luto, dignitas in indigno. 4

Vt minimè conuenit ornamentum aliquod in luto iacere, ita parum dignitas homini inſulſo & indocto, qui honorem & titulum ſuum defendere non poteſt. Saluianus.

## Pica Syrenem imitans. 5

Ayuntamiento de Madrid

Simile eſt illi, Sus Mineruam docet. de iniqua dicitur comparatione & abſurda imitatione. Stultè enim pica Syrenas imitatur, garrula potius & obſtrepera quàm canora. Galenus.

## Myricæ citiùs poma ferent. 6

Si quis idem ſperat; laturas pòma Myricas
Speret, & è medio flumine mella petat.

Prouerbialia hæc ἀδύνατα apud Ouidium leguntur.

## Eburneis raſtris ſolum vertere. 7

## Ligonibus aureis terram fodere. 8

Pro re inſigni & præclara abuti; vt ſi quis eruditione pollens, ea in rebus vanis, inutilibus & famoſis abutatur. Prudent. in Symm.

## Ars amat fortunam, fortuna artem. 9

Τέχνη τύχην ἔστερξε, καὶ τύχη τέχνην Ariſtoteles eo vſus eſt indicare volens, ſummam eſſe affinitatem inter artem & fortunam, & alteram ab altera adiuuari.

## Quorſum opus amicis, ſi modò faueat Deus? 10

Ὅταν δ' ὁ δαίμων εὖ διδῷ, τί δεῖ φίλων; Hunc ſenarium tanquàm vulgò celebrem citat Ariſtoteles, vbi agit de homine beato, anne ille etiam egeat amicis. Qui putant eum omnia in ſe ſufficienter habere, nec ideo vllis opus habere amicis, hunc ſenarium adferunt. Contrarium tamen Ariſtoteles concludit: Veri enim amici eſt dare potiùs beneficium quàm accipere, virtutiſque proprium eſt benefacere, & pulchrius amicis benefacere quàm alienis: opus ergo amicis.

## Amicus cum vitiis ferendus. 11

Conuenit cum eo, quod eſt apud Eraſ. Mores amici noueris non oderis: non enim, inquit Chryſoſtomus, fratres tantùm ſumus, ſed & membra & corpus vnum.

## Amore fruſtra, odio ne ſis fruſtra. 12

Innuit apud omnes homines quærendam eſſe gratiam, & amicitiam, quouſque ſine noſtro fieri poſſit damno; ſed nullum temerè ſuſcipiendum eſſe odium, ſi non aliqua inde ad nos profectura ſit vtilitas. Chryſoſtomus hoc dictū minimè in Chriſtianis probat, qui liberè alter alterum



Ayuntamiento de Madrid

admonere debent, neque odij cauſa tacere. Vult autem tũ memores eius dicti nos eſſe, quãdo lingua noſtra videtur prouolatura in conuicia & maledicta.

Amicus Plato, magis amica veritas. 13

Φίλος πλάτων, ἀλλὰ μᾶλλον ἡ ἀλήθεια. Iſtud ſeu prouerbiũ, ſeu apophthegma, innuit nullum hominem tam carum nobis eſſe debere vt in illius gratiam veritas vllo ſupprimatur modo. Galenus.

Caritate ſeptum eſſe oportet. 14

A nequitia, rapina & ſceleribus virum bonum abeſſe oportet: caritate autem [ vt inquit Saluianus ] & beneuolentia, non armis ſeptum eſſe.

Vter. 15

Prouerbialiter homo faſtuoſus & ſuperbus à Græcis μολγὸς vel ἀσκὸς vocatur, quod ſcilicet in modum vtris inflatus tumeat. Ariſtophanes.

Μή μοι ἀθηναίους αἰνεῖτε, μολγοί εἰσιν.

Ne mihi Athenienſes laudate, vtres ſunt.

Neſcit ſeipſum. 16

Contrarium eſt Delphico oraculo; Noſce teipſum. Competit in ſuperbos, arrogãtes & homines inflatos. Nõtatur etiam Philautia, quod vitium, homines vel talpa cæciores in propriis erroribus reddit. Chryſoſtomus.

Aſinus de Aeſopi puteo. 17

Aſinus de Aeſopi puteo modo venis, & iam exclamas. In eum vſurpari poteſt, qui recens in aliquem locum venit, & ibi mira inter ignotos iactat. Tertullia.

Plus verrere quàm ſerere. 18

In auaros dicitur, qui nulla re exſatiari poſſunt. Plinius.

Vicinum ſemper inuenies. 19

Vtcunque exturbet quis poſſeſſionibus ſuis vicinos & proximos, nunquam tamen ſolus ſupra terram habitare poterit; quamlibet enim cuncta peruadat, vicinum tamen ſemper inueniet. Dici poteſt in auaros, qui omnia ſibi ſubiicere conantur, vicinorum domos & agros. Saluianus.

Mappam mittere. 20

Mittere mappam, eſt certaminis incipiendi ſignum dare, in qua ſententia Suetonius in Nerone vſus eſt. vide ſup.

Ayuntamiento de Madrid

Iunij prou.67.Centur.4.

## Proletarius ſcriptor. 21

Qui in plebe Romana tenuiſſimi pauperrimíque erant, neque amplius quàm M.D. æris in cenſum deferebant, proletarij ciues appellabantur. Trahitur & hoc vocabulum latiùs vt dicatur proletarius ſcriptor:proletarius homo,pro homine infimi ſubſellij, & auctore paruæ eruditionis,& infimæ claſſis.Gellius.

## Minuunt præſentia famam. 22

Quod abſens terrori eſt, præſens ſæpe contemnitur. Claudianus. Plus nominis horror,

Quam tuus enſis aget.minuunt præſentia famam.

Quod præſens eſt ferè contemnimus, abſentia verò & peregrina admiramur, & magno ſtudio æmulamur.

## Balneum ingreſſus depone odium. 23

Εἰς βαλανεῖον εἰσελθὼν, μὴ ζηλοτυπήσῃς τὸν συμβαίνοντά σοι εἰς τὴν μάκτραν,id eſt, ingreſſus balneum, ne certes odio cum eo,qui pedem habet tecum in eadem pelui. Sententia ad multa applicari poteſt : nempe in communibus locis,templis,theatris, balneis, conuiuiis, manibus nullum exercendum eſſe odium.Iul.Pollux.

## Acum & filum ſumens,rupturam conſue. 24

Ῥαφίδα καὶ λίνον λαβὼν, τόδε ῥῆγμα σύῤῥαψον: acum & filum ſumens,rupturam conſue.Dici poterit, vbi quem volumus adhortari,vt ſtudeat paci, & argumenta colligat, modóſque excogitet,quibus inter offenſos animos concordiam reſarciat.Idem.

## Talis quiſque eſt,quales quibus cum familiaris. 25

Τοιοῦτός ἐστιν, οἷσπερ ἥδεται ξυνών. Senarius eſt Euripidis, quo indicatur familiarium vitam & mores, in eum quoque tranſire,qui eorum conſuetudine fruitur. Vnde etiam dicitur: cum bonis bonus eris,cum peruerſis peruerteris.

## Aliud homini,aliud humanitati ſatis. 26

Digna hæc ſententia Varronis eſt, quæ prouerbiis annumeretur, qua pulſat eos qui conſuetudinem potius ſequuntur in loquendo quàm certas rationes.Humanitatem

Ayuntamiento de Madrid

autem hic ponit pro curioſitate, ac ſi diceret: Natura quidem paucis contenta, ſed quod huic ſufficit, non ſatis eſt curioſitati.

## Inſuere in ſaccum vel culeum. 27

Inſuere in ſaccum vel culeum, vulgò dicimus pro circumuenire aliquem vel ludere.

## Pulchra apud pueros ſimia. 28

Pulchra [inquit Galenus] ſemper apud pueros eſt ſimia, nos admonens illuſionem eſſe ridiculam puerorum hoc animal illudentium. Poterit autem iſtud prouerbium quoque ad locum, ſecus iudicandi, commodè transferri.

## Quaſi locum in balneis occupare. 29

In publicis locis primum occupans, ſolet plus iuris habere. Vnde & iureconſultus: Qui prior tempore, potior iure. Ad hunc morem alluſit Tertullianus, vbi dicit: Sed quia prior eis venit, & prior virtutum documenta ſignauit, idcirco quaſi locum in balneis, ita fidem occupauit, poſteris quibuſque præripuit. vide ſup. prouerb. Braſſicani, Quaſi locum in balneis.

## Primus ſecundus tertius. 30

## Primus medius nouiſſimus. 31

Prouerbia Græcorum ſunt in eos, quos laudibus efferunt. Sic Iſocrates laudat Alcibiadem: Τοιαύτῃ δ' τὴν ἀρετὴν, ὥστε καὶ πρῶτος, καὶ δεύτερος, καὶ τρίτος γενέσθαι. Theocritus quoque Idillio xvij. Ptolemæum laudans dicit eum virorum primum, medium & nouiſſimum, Ἀνδρῶν δὲ ἂν πτολεμαῖος ἐνὶ πρώτοις λεγέσθω, καὶ πύματος, καὶ μέσος, ὁ γὰρ προφερέστατος ἀνδρῶν. Virgilius:

Nulli pietate ſecundus, id eſt, primus in pietate.

## Spicilegium relinquere. 32

In varias trahi poteſt ſententias. Qui opus aliquod inſigne edidere, tale tamen, cui aliquid adiici poſſit, ſpicilegium reliquerũt, vt Eraſmus meſſuit adagiorum meſſem; Vlpio & poſteris ſpicilegium tantum reliquit. Dicitur etiam alicubi ab Eraſmo in auaros Eccleſiarum paſtores, qui vices quidem ſuas aliis delegant, ſed ipſi percipiunt fructus, vicariis nihil aliud relinquentes quàm ſpicilegium demeſſa omni ſegete. Huc facit Antigoni Apoph-

Ayuntamiento de Madrid

thegma qui cum ſuis pecuniam imperaſſet, & quidam diceret, non talis erat Alexander, ἐκεῖνος [inquit] ἐθέριζε τὴν ἀσίαν, ἐγὼ δὲ καλαμῶμαι, hoc eſt, Ille demeſſuit Aſiam, ego ſpicas lego.

## Terram & aquam poſcere. 33

Γῆν καὶ ὕδωρ αἰτεῖν, hoc eſt, Terram & aquam poſcere, & γῆν καὶ ὕδωρ διδόναι, id eſt, Terram & aquam dare, Græci dicunt pro bellum alicui inferre, & bellum cum aliquo ſuſcipere. Aeſchines.

## Non hodie aut heri inſtitutum. 34

De more aliquo veteri qui omnibus notus eſſe debet, vel de lege ex antiquo inſtituto. Sophocles.

## Ad Sirenum ſcopulos conſeneſcere. 35

Pro, in re aliqua ad ſenium vſque demorari, aut miram quandam in ea percipere voluptatem, non ſecus ac ſi Sirenes ipſas canentes audiamus. Agellius. vide ſuprà. Apud Sirenas, aut Lotophagos hærere.

## Adamante notare. 36

De his quæ in perpetuam memoriam ſeruātur. Claudia.

Iret adhuc in verba dolor, niſi Iupiter alto
Cœpiſſet ſolo: voces adamante notabat Lene Iouis.

Verba finguntur adamante notari, tanquam Deus nihil loquatur, niſi ſerium dignúmque quod in perpetuam memoriam conſeruetur. Apud Hierem. 17. legitur: Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtilo ferreo in vngue adamantino.

## Sparſis redemerunt crimina nummis. 37

Multos pecuniæ perdiderunt, anſámque ad omne ſcelerum genus dederunt: deinde omnium malorum ſeminarium & radix, auri eſt & argenti fames: quòd qui ſagaciori animo perpendunt, reiectis & contemptis pecuniis in huiuſmodi vitia non incidunt, & ſparſis nummis crimina redemiſſe dicuntur. Saluianus. Simile quiddam apud Plutarchum de Philoxeno legitur, qui cùm opulentiſſimam domum hæreditate nactus eſſet, & delicias ac voluptates indigenarum conſideraſſet; Μὰ τοὺς θεοὺς, εἶπεν, ἐμὲ ταῦτα τὰ ἀγαθὰ οὐκ ἀπολεῖ, ἀλλ' ἐγὼ ταῦτα, hoc eſt, per deos, inquit, bona hæc me non perdent, ſed ego illa.

Ayuntamiento de Madrid

## Nummum quærit peſtilentia, duos illi da & ducat ſeſe. 38

Admonemur hoc prouerbio, vt lites & fora iudicialia quàm poſſumus maximè fugiamus, & potius peſtilentiæ.i. peſtilenti & pernicioſo homini poſcenti nummum, duos demus, quàm propter vnum litem cum eo conteſtemur, perdituri aliter in primis tempus, dein animi tranquillitatem, innocentiam & amicitiam. Auguſtinus.

## Sapientia in exitu canitur. 39

Indicat finem vitæ ſpectandum eſſe: laudari enim penitus anteactæ vitæ prudentia non poteſt, niſi bono fine claudatur. cui affine eſt illud Solonis: Finem vitæ ſpecta. figuratius tamen dicitur ſapientiam in exitu cani. Saluianus.

## Multum nauigauit aquæ. 40

Πολλὰ θέει πλευχρός. De eo, qui multas regiones peragrauit: & μεταφοειχγῶς de eo, qui multarum rerum experientiam habet. Ariſtophanes.

## Familiaris dominus fatuum nutrit ſeruum. 41

Qui timeri, obſeruari, coli vult à ſeruis ſuis, rariùs cum iis loquatur, rariùs congrediatur, nulla ludicra cum iis exerceat: nimia etenim familiaritas contemptum parit, & vt Plinius ſecundus inquit, Mitium dominorum apud ſeruos ipſa conſuetudine, metus exoleſcit. Bernardus.

## Vbi vber ibi tuber. 42

Indicat opulentiæ comitem eſſe faſtum & ſuperbiam. Apuleius. Terentius in Hecyra: Quia paululum vobis acceſſit pecuniæ, ſublati animi adſunt. vide ſuprà idem prouerb. Godofredi.

## Conclamare vaſa. 43

Eſt ſignum mouendi dare. Militare olim inſtitutum erat, vt cornicis ſignum darent, quoties eſſent mouenda caſtra: id Cæſar vocat conclamare vaſa: nam tum quiſque cogebatur colligere vaſa ſua, itineríque ſe apparare.

## Pro aris & focis. 44

Crebrò apud Romanos ſcriptores reperitur, pro aris & focis, quod idem ac ſacra & prophana defendere. Originem habent ex ſacramento militari: inter cætera enim mi-

Ayuntamiento de Madrid

lites etiam iurabant ſe pro aris & focis pugnaturos. Gellius.

## Gradum figere. 45

Sumuntur ab Athletis crebræ metaphoræ, vt gradum figere: conferre gradum: de gradu cedere: in gradum redire: de gradu pellere: de gradu primo præludere: eodem gradu occurrere. Gradum figere, eſt conceptam ſemel ſententiam acriter defendere, & in ea perſiſtere, vel, vt Cicero ait, argumentum ſuum premere: quater eo ita Tertull. vſus eſt, vt notauit Iunius, vide ſup. Centu. 3. 36. prou. Gradum conferre, quod Cicero & Quintilianus dicunt pedem conferre, eſt initium diſputationis facere & cominus aggredi. De gradu recedere, à ſententia recedere. In gradum redire, ad ſententiam & propoſitum reuerti. Eodem gradu occurrere, pro, eodem telo & argumento obuiam ire.

## Vinculis Hippocratis alligare. 46

Quæ argumentis fortiſſimis roborata ſunt, vel ſcripturarum teſtimoniis, Hippocraticis vinculis alligata dicuntur. Hieronymus.

## Vt ſportulam furunculus captare. 47

Cùm quis per fraudem quod ſibi non debetur amplectitur, & alienum ad ſe trahit, vt ſportulam furunculus captare dicitur. Tertull. Natum ab amiculis & clientibus Romanorum potentiorum, à quibus manè ſalutabantur, & per vrbem incedebant ſtipati, quibus viciſſim ſub veſperam dabant honorarium aliquod munuſculum, ſportulam videlicet. Inter hos autem clientes & amiculos, cùm iam dandum eſſet munus, alii clam ſe immiſcebant, vel ab abſentibus ſeſe ſubmiſſos mentiebantur, quos furunculos vocabant.

## Totam ſpirare Arabiam. 48

Τὴν ὅλην ἀραβίαν ἀποπνέειν, id eſt, Totam Arabiam ſpirare, eſt, vnguenta pretioſa, vt olim in vſu veterum fuit, aut, vt nunc, moſchum olere. Arabia ponitur pro odoribus & vnguentis, continens pro contento. Lucret.

## Calathum Sycaminorum in malis habere. 49

Ariſtoteles εὐήθης αὐτὸν εἶναι συκαμίνων ταλάρῳ. Id eſt,

Ayuntamiento de Madrid

Videris eſſe ipſum Sycaminorum calathum. In eum dicitur, qui faciem & mala hypopio aut ceruſſa fucarit, quem ὑπωπιασμένον Græci vocant.

## Perſonam non faciem gerit. 50

Οὐ πρόσωπον ἀλλὰ προσωπεῖον φέρει. Dici poteſt in homines perfrictæ frontis, quos nihil pudet, & maximè in mulieres meretrices, quæ faciem ſtibio & ceruſſa fucant. Iul. Pollux. vide ſup. Proſopion habet, non proſopon: prou. Cœlii Rhodigini.

## Tabernariam exercet fronte. 51

Καπηλείαν ἀσκεῖ προσώπῳ. Superiori ſimile eſt, & in eoſdem dicitur. Pollux.

## Formoſus ſine pulchritudine. 52

Ὡραῖος ἄνευ κάλλους. Non diſſimile ſuperioribus, in eos dicitur, qui pigmentis exoticam formam adſciuerunt. Ariſtoteles.

## Omni fune remiſſo. 53

Πάντα κάλων ἀνείς. Id eſt, Omni rudente remiſſo. Contrarium eſt eius quod habet: Πάντα κάλων σείειν, hoc eſt, Omnem mouere rudentem: hoc autem ſignificatur ſumma diligentia, illo vero ſumma omniſque negligentia & ignauia. Pollux.

## Sine perſona laſciuire. 54

Demoſthenes: Ἐν ταῖς πομπαῖς ἄνευ τοῦ προσωπείου κωμάζειν. In pompis ſine perſona aut larua laſciuire. Dicitur in eos qui nihil non palã & apertè facere audent, quibus impudentia ipſa loco προσωπείου, id eſt, perſonæ aut laruæ eſt.

## Per eandem lineam ſerram reciprocare. 55

In vanum laborare dicitur auctore B. Rhenano. Ioanni autem Vlpio competere videtur in eum qui ſemper idem argumentum tractat & eandem cantilenam canit. Sumptum à ſectoribus lignorum, qui partes trabium ſecandas prius ſolent lineis diſtinguere: qui ſi ſemper hæreant in eadem linea, rarò quicquam abſoluent. Tertull. vide ſup. 49.

## Ad ſcamma producere. 56

Hoc eſt, In certamen prouocare. Ab Athletis ſumptum eſt, cuiuſmodi multa in libro ad martyres apud Tertullia-

Ayuntamiento de Madrid

num ſunt, σκάμμα quid ſit vide in adagio, De ſcammate egredi.

## Ferrum virum attrahit. 57

Ελκει τὸν ἄνδρα σίδηρος. In omni re & ad omnem rem multum valent oculi. Sic viſa ſolum femina ad amorem accendit, viſi inimici mouent dolorem, ferrum viſum trahit ad bellum. Tertullianus Græco dixit hemiſticho, quod alicubi apud Homerum legitur.

Ελκει δέ τε ἄνδρα σίδηρος. i. ferrum verò virum trahit.

## Eloquentia malè ſine moribus diſcitur. 58

Antiqui morum probitatem ſemper antepoſuerunt facundiæ. Orator, inquit Cato, vir bonus dicendi peritus.

## Vinalia ſine vino expediri non poſſunt. 59

Varro in libri de lingua Latina præfatione. Multa, inquit, ſocietas verborum, nec vinalia ſine vino expediri, nec curia calabra ſine calatione poteſt aperiri: quibus dictis prouerbialibus ſeſe excuſat, ſi in libris ſuis quædam adferat, quæ abſurdiora videantur. Non enim poteſt fieri vt ille, qui nominum origines conatur explicare, non interdum dicat, quod ab omnibus non probetur.

OBSERV. GISEL.

Dicta hæc prouerbialia putat, cùm nihil minùs quàm prouerbiale aliquid, Varronis verba præ ſe ferunt. Loquitur enim de tractatione impeditiore etymorum. Sequens item ex editionibus corrigendum, vt habet Iunius, ſuprà.

## Volſellis pugnare cum gladio. 60

Qui fragilia argumenta ad rem quampiam probandam adferunt, dicuntur volſellis cum gladio pugnare. Idem vide ſup. apud Iun. Centu. 3. prou. 4.

## Bene conſulit ſed male facit. 61

Senarium prouerbialem ex Anaxandrida Ariſtot. citat: ἡ πόλις ἐβούλευθ', ᾗ νόμων οὐδὲν μέλει, hoc eſt, Vrbs conſulit, cui nulla legum cura eſt. Dicitur in omnes qui recta quidem conſulere norunt, recta autem facere nolunt.

## Soracus malorum. 62

Κακῶν σώρακος. Id eſt, Malorum corbis, dicitur eadem prouerbiali forma qua ἀγαθῶν ἢ κακῶν ἅμαξαι, id eſt,

Ayuntamiento de Madrid

Bonorum vel malorum plauſtra, pro ingentibus & malis copioſis. Ariſtophanes : χαχῶν τοσούτων σύνελέ μοι τὸν φόρμον, id eſt, breuibus malorum ipſum mihi corbem refer.

## Tanquam ſuper ſpinas incedere. 63

Ω῞σπερ εἰ ἐπὶ τῶν ἀκανθῶν ἐπιβαίνοντες, id eſt, Tanquam ſuper ſpinas incedentes, dicuntur à Luciano equites, qui obtortis cruribus & contractis equitant.

## Ex cubitis cenare. 64

Ἐπ' ἀγκῶνος δειπνεῖν. Dicitur in delicatos & aulicos qui quiduis ſibi permiſſum putant & decens.

## Γνωχομύτος. 65

Significat Grammaticulum, vel Rhetorculum, vel potius rabulam forenſem, qui litteras ob nihil aliud quàm ventris cauſſa & ad quæſtum ſcire videntur.

## Oreſtis ſomnium narrare. 66

Is dicitur, qui abſurda loquitur. Sic Galenus Theſſalo inſultat : Quieſce dum miſerrimè in ſtratis tuis : nanque haud vides quæ te putas noſſe probè. Oreſtis mihi ſomnium narras Theſſale.

## Κριόμυξοι. 67

Vide ſup. prou. Verueceus : quod eſt 92. Iunii Centu. 5. Licebit & in impudentes interpretari, quod ſcilicet more arietis tanquam cornibus quemlibet impetant, qui mos ferè indoctorum eſt. κριὸς enim idem, quod aries. Galen.

## Pituitam à naribus allio & cepe detergere. 68

Vſurpatur à Galeno aduerſus ſtupidos, demonſtratiuæ methodi & dialecticæ imperitos, nec non deprehenſos & argumentis conuictos. Adſimile eſt illi quod ab Eraſmo traditum eſt, Naribus trahere.

## Ne Mercurius ipſe quidem cum Muſis ſanarit. 69

Et hoc à Galeno in ſtupidos dictum legitur, & omnium rerum ignaros.

## Sua fronte. 70

Sua fronte proponi dicitur, quod liberè & apertè, non autem coactè aut occultè. Tertull.

Romana

Ayuntamiento de Madrid

### Romana libertas Latina libertas. 71

Summæ libertatis olim erat populus Romanus, vt qui nulli ſubeſſent regi, principi, aut Imperatori: ipſi verò infinitis nationibus reginis & regibus imperarent. Nonnihil tamen inter Romanam & Latinam libertatem intereſt: plus enim Romana, iuris minus Latina habet. Saluianus.

### Quicquid licet, minùs deſideratur. 72

Quicquid, inquit D. Hieronymus, licet minus deſideratur: ergo è contrario, quod non licet, fomentum accipit deſiderii. Ouidius:

Quod licet, ingratum eſt: quod non licet, acrius vrget.

Et alibi: Nitimur in vetitum ſemper, cupimúſque negata.

Omnium rerum, inquit Plinius, cupido langueſcit, cùm facilis occaſio eſt.

### Litterarum radices amaræ, fructus dulces. 73

Indicat aditum ad litteras eſſe difficilem, multiſque laboribus & vigiliis conſtare; ipſarum verò poſſeſſionem iucundam & dulcem. Hieronymus. Idem expreſſit Horat. in arte Poëtica.

Qui cupit optatam curſu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer, ſudauit & alſit.

### Introite, nam & hîc dij ſunt. 74

Laudabile Heracliti dictum: Introite, nam & hîc dii ſunt: admonet vt libros quàm familiariſſimos nobis reddamus, ſtudiáque colamus, ex quibus omnia arcana myſteria licebit haurire, & non deos tantùm videre, ſed etiam cum iis familiariſſimè colloqui dabitur. Gellius.

### In communi piſce non inſunt ſpinæ. 75

Ἐν ξυνῷ ἰχθύϊ ἄκανθαι οὐκ ἔνεισι. Videtur competere in helluones & gulæ nepotes, qui fraudatis aliis appoſita, quique, priuſquam ſortiti ſunt, communia deuorant, abſumunt. Plutarchus.

### Εὖ κακῶς. 76

Græci ſine connexione pro eo, quod eſt mediocriter, perinde atque ſi Latinè dicas, bene malè: quò licebit quo-



Ayuntamiento de Madrid

que vti, indicare volentibus nobis vitam humanam, partim ex proſperis & lætis, partim ex triſtibus & aduerſis conſtare. Euripides. vide ſuprà, prou. Bona mala, in appendice. Chiliad.

## Beta ſapientum. 77

Τῶν σοφῶν βῆτα. In eum competit, qui in aliqua re, nec primus nec infimus eſt. In Eratoſthenem dictum fuiſſe auctor eſt Strabo, vt qui non primas ſed ſecundas inter doctos teneret. Theocrit.

## Omnis virtus eſt mediocritas. 78

Vetus Academia dixit virtutes omnes, quadam mediocritate eſſe moderata. Cicero.

## Vt Ædituus reſponſa numinis prædicat. 79

Prouerbium in eum competit qui aliquid abſens & memoriter dicit. Æditui enim vt à numine oracula acciepiebant, ſic ore conſulentibus referebant, non ex ſcripto. Macrob.

## Qua in re clarus quiſque eſt, ad eam properat. 80

Ει ᾧ βέλτιςος δοκεῖ εἶναι, αὐτὸς ἑαυτȣ͂ ταῦτα διατείβει. In quo quiſque ſibi excellentiſſimus videtur, in eo verſatur Ariſtot.

Sic Ouid. Scilicet eſt cupidus ſtudiorum quiſque ſuorũ.
Tempus & aſſueta ponere in arte iuuat.

## Quot ilicis folia. Quot fluctus inſulæ. 81

Hyperbolæ prouerbiales, quæ de immenſo numero, vel magna multitudine dicuntur. Plutarchus:

Ὅσσοι ὕδωρ χεῦ' ἁλιζόνος, ἢ ἄμφι πέταλα. Hoc eſt,
Quot quercus foliis, quot fluctibus inſula abundat.

Leguntur etiam & tales hyperbolæ apud Homerum:

Οὐδ' εἴμοι τόσσα δοίη, ὅσα ψάμαθός τε κόνις τε. Id eſt,
Non ſi tanta daret quot arenis littus abundat.

Ouidianæ hyperbolæ de immenſo numero hæ ſunt:
Gargara quot ſegetes, quot habet Methymna racemos
Æquore quot piſces, fronde teguntur aues;
Quot cælum ſtellas, tot habet tua Roma puellas.
Et alio loco.
Quot lepores in Atho, quot apes paſcuntur in Hybla:

Ayuntamiento de Madrid

Gærula quot baccas Pallados arbor habet,
Littore quot conchæ;tot ſunt in amore dolores.

Ariſtoteles huiuſmodi hyberpolas pueriles vocat, quòd ſcilicet pueros & homines iracundos deceant, non graues viros.

## Deorum dona ſæpe non dona. 82

Citantur ab Ariſtotele hi ſenarii:

Πολλοῖς ὁ δαίμων οὐ κατ' εὔνοιαν φέρων
Μεγάλα δίδωσιν εὐτυχήματα, ἵνα
Τὰς συμφορὰς λάβωσιν ἐπιφανεστέρας. Id eſt,
Multos deus non beneuolenti pectore
Ad ſumma rerum protrahit faſtigia,
Vt inde grauius poſtea miſeri cadant.

Indicant, ſummæ felicitatis plerũque comitem eſſe inſignem calamitatẽ,nec temerè eſſe;ſi quãdo homines nimia rerum omnium proſperitate vtantur. Bene Claudianus:

--Tolluntur in altum
Vt caſu grauiore ruant.

## Ἀμπελουργεῖν, φορμορραφεῖν. 83

Eſt putare, vel in modum ſtoreæ aut ſportæ conſuere. inde,qui in anguſtias aliquas pelluntur,& in maſſam quandam inducuntur, prouerbialiter dicuntur φορμορραφεῖσθαι. Æſchines.

## Determinare foſſam. 84

Hoc eſt, Concludere aliquem intra circulum, vel certum aliquod ſpatium, extra quod egredi non debeat: Sic vſus Tertullianus:Hanc tibi foſſam determinauit ipſe qui te non vult aliud credere, quàm quod inſtituit, ideoque nec quærere.

## Oculis clauſis agere vel perſtringere. 85

Dicuntur qui indiſtinctè & nullo iudicio agunt,& minimè cernentes quid facere oporteat.Auguſtinus:Quæ tandem vis,niſi cęcitas & vanitas animi cogit hominem clauſis ( vt dicitur ) oculis, tanquam in alterum iacere;quod cùm in eum iecerit,continuo redeat.

## Cera & ære nobilis. 86

Cera & ære nobilis dicitur cuius nomen & ſcriptis & ſtatuis celebratum eſt. Romani maiorum egregia facta & litteris mandabant, & in foro ſtatuis honorabant.



Ayuntamiento de Madrid

In cereis autem tabellis olim ſcribere ſolebant, & ex ære ſtatuas formare.

### Hippodromica bona. 87

Ita vocat Chryſoſtomus, bona huius mundi, quæ more celeris equi cito diſcurrunt,& tranſuolant.

### Sub tunica & ſinu. 88

Quod occultè, non palam fit, id hodie prouerbialiter dicitur fieri ſub pallio. Tertullianus paulò elegantius exprimit, Sub tunica & ſinu. vide ſup. Iunii prouerb. 35. Centu. 3.

### Sub pallio condere. 89

Præcedenti adſimile, de eo quod clam & occultè aſſeruatur, non autem palam oſtenditur. Galenus.

### Ἔξω κακόν. 90

Id eſt: Malum foras. eadem forma dicitur qua, ἔξω βούλιμον, id eſt, Foras famem. Tertull. Vti licebit quoties deprecari malum aliquod aut infortunium volumus, vt etiam exclamare ſolemus: dii meliora. Sic enim Græcorum εὐφήμιαν circumloqui Cicero ſolet.

### Felix & fauſtum ſit lumen. 91

Varro auctor eſt, Græcos cùm lumen infertur, dicere ſolitos, φῶς ἀγαθόν, id eſt, fauſtum ſit lumen.

### Elige vitam optimam. 92

Ἑλοῦ βίον τὸν ἄριστον: ἡδὺν γὰρ αὐτὸν ἡ συνήθεια ποιήσει. Id eſt, Elige vitam optimam, hanc enim iucundam reddet conſuetudo. Pythagoræ ſententia ad virtutem commonentis Plutarchus.

### Cum aquila eſſe queas, inter graculos primas ne opta. 93

Conuenit cum ſuperiori Pythagoræ dicto. Optima autem ſemper ſectanda ſunt, citra quæ deficere laudabilius eſt, quàm in vilioribus ſuperare. Nazianze.

### Lydia arena. 94

Λύδιον ψῆγμα. Id eſt, Lydium pſegma, de re pretioſa & auri plena dicitur. Baſilius. eſt ψῆγμα arena, ex qua aurum expurgatur, quæ apud Lydos copioſa eſt. Statius: Viue Midæ gazis, & Lydo ditior auro.

### Pythiæ Myſi talenta. 95

Ayuntamiento de Madrid

De theſauro maximo & diuitiis ampliſſimis.

## Hortus altera ſuccidia. 96

Succidium dicitur lardum ſuillum. ponitur hîc pro carnario, cuius vicem hortus implet: nam vt Plinius inquit, expedita res & parata ſemper, neque egent igni qui hortos habent. Crudis enim cibis facilè veſcuntur & coctu facilibus. Seneca.

## Ad ſolarium verſari. 97

Dicitur in aſſentatores, & paraſitos, & amicos illos ollares, qui curioſè ſolent vmbram ſolarii obſeruare & tempus cœnæ inde diſcere. Cicero.

## Suaue me ſuffocet. 98

Paraſitorum & Gnathonum prouerbium eſt: de his, qui gulæ, luxui & deliciis dediti ſunt, commodè dici poterit, ſuaue eos ſuffocare. Chryſoſtomus.

## Da mihi hodiernum, tu ſume craſtinum. 99

Hoc eſt, fruar ego hac vita, tu futura. Dictum, quod in ore habere ſolebant homines voluptatibus addicti. Chryſoſtomus.

## Sal patriæ pluris faciundus eſt, quàm hoſpitis menſa. 100

Dictum Æſchinis, quo ſignificatur, plus deberi patriæ & ciuitati, quàm amicis aut vlli neceſſitati.

## Centum viri vnum pauperem ſpoliare non poſſunt. 101

Paupertas omni caret metu, intrepidè vbique verſatur, nullos metuens fures, nullos latrones. vnde Horatius:

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Maxima paupertas propugnatione defenditur, quam nullus rex, nullus Imperator vincere poteſt. Chryſoſtom.

## Qui honorat, ſeipſum honorat. 102

Vulgò dicitur honorem non eſſe apud honoratum, ſed apud honorantem. Ariſtot.

## Expumicare. 103

Pro, expurgare & expolire in vſu fuit. Vſus enim pumicis eſt in chartis læuigandis, & ſordibus detrahendis. Tertull. Similia ferè ſunt: exaſciare, edolare: interpolare colo-



Ayuntamiento de Madrid

phonem imponere,ad vmbilicum ducere.

## Studium generat ſtudium, ignauia ignauiam. 104

Vbi ſemel bonum opus cœptum eſt, reſumendum eſt, donec habitum conſequamur: quem vbi ſemel cōſequuti fuerimus, non erit quod ipſum deſerere poterimus, cuiuſque enim rei dulcedo cui aſſueti ſumus trahit. Chryſoſto.

## Ne hoc quidem malè. 105

Οὐδ' ὅυτως κακῶς. Id eſt, Ne ſic quidem malè. Quo licet vti vbi res licet præter ſpem aut inſtitutum, nō infeliciter tamen ceciderit. Plutarchus. Originem habet à priuigno, qui cùm aberrans à cane quem lapide petebat, percuſſiſſet nouercam, ὄυδ' ὅυτως κακῶς dixit.

## Ratio ſapienti pro neceſſitate. 106

Prouerbialis ſententia qua docetur, ſapientem nihil metu adactum aut neceſſitate, ſed conſilio omnia facere. Plinius Iunior.

## Quod dubites, ne feceris. 107

Bene (inquit Cicero) præcipiunt, qui vetant quicquam agere, quod dubites æquum ne ſit an iniquum, æquitas enim lucet per ſe: dubitatio autem cogitationem ſignificat iniuriæ.

## Nihil deſperandum & nulli rei fidendum. 108

Nemo deſperet quod non habet, nemo confidat iis quæ habet.

Seneca in Thyeſte:
Nemo confidat nimium ſecundis:
Nemo deſperet meliora lapſis.

## Bonum ſeruat caſtellum, qui cuſtodierit corpus ſuum. 109

Conuenit cum eo quod dicit Sapiens: Omni cuſtodia cuſtodi cor tuum, quia ex ipſo vita procedit. Bernardus.

## Indigentia mater ſanitatis. 110

A medicis ſumptum, qui parſimoniam & ciborum parcitatem commendant. Chryſoſt. ad animam trahit, qui non corpora ieiunio ſolum roborari, ſed & animam à vitiis expurgari docet.

## Domi militiæque. 111

Ayuntamiento de Madrid

Pro quo Græci dicunt ἐν εἰρήνῃ καὶ πολέμῳ, Id eſt, In pace & bello. de eo dicitur qui & ſemper & nuſquam non vtilem ſeipſum præbet. Æſchines.

## Eodem iugo vrgeri. 112

Pro eadem neceſſitate dicitur, ſumpta metaphora à iumentis iugalibus. Tertulli. poteſt etiam dici tanquam in eodem periculo verſari, vt in eodem luto hærere: in eadem naui eſſe.

## Mulum de aſino pingere. 113

Dici poteſt quando exemplar & res efficta non multum inter ſe diſtant: vel quando ineptiæ ineptiis repræſentantur, vel mendacia mendaciis aſtruuntur. Magna ſimilitudo inter aſinum & mulum eſt. Tertullianus.

## Repente tanquam procella. 114

Hoc vtimur, cùm ſignificare volumus, aliquid ſubitò eueniſſe, εἶτ' ἐπὶ τέλει τῷ χαιρῷ ῥήτωρ ἐξαίφνης ἐκ τῆς ἡσυχίας ὥσπερ πνεῦμα ἐφάνη, Id eſt, Deinde ſubito rhetor illo tempore ex tranquillitate, ceu procella venti apparuit. Demoſthe.

## Vltra pedem. 115

Ὑπὲρ τὸν πόδα. Vltra pedem, id eſt, Vltra vulgarem modum & viuendi conſuetudinem. De ſumptuoſis dicitur.

## Sufflaminare. 116

Vſus eſt Hieronym. pro cohibere, compeſcere & retardare: nam ſufflamen retinaculum eſt, quo vna rotarum religatur, ne currus in præceps ruat, ſi quando via eſt pronior. Vnde Iuuenalis:

Ipſe rotam ſtringit multo ſufflamine Conſul.

## Tempore pacis cogitandum de bello. 117

Ἐν εἰρήνῃ μελετέον τὰ πολεμικά. Admonet prouerbium in tempore de neceſſariis proſpiciendum eſſe. Lucianus.

## Panis prior prora. 118

Πρότερόν ἐστι τὸ ἀρτύειν τὸ φυράσαι, Id eſt, Confectio panis prior eſt ipſa prora. Vti licebit tum quum perſuadere volumus, vt id quod maximè neceſſarium eſt, anteponatur ei quod minus: tum vt ordine res quæpiã agatur. In



Ayuntamiento de Madrid

hunc ſenſum tanquam adagio vſus eſt eo Demades rhetor, quum Athenienſes iuberent triremes è naualibus producere, eáſque milite complere, deficientibus interim pecuniis bellorum neruis. Lepos dicti in hoc ſitus eſt, quod licet prora anterior & prior pars nauis ſit, tamen aliud prius eſt expediendum in bello nauali, vt ſcilicet de victu & commeatu proſpiciatur. Plutarch.

## Mithrij pœnas ſuſtinere. 119

Mithrij pœnas ſuſtinere, pro grauiſſimas pœnas ſufferre dicitur. Nazianzenus.

## Pharus. 120

Eleganter vſurpatur hæc dictio Pharus à Tertulliano, eo modo, quo à poëtis Ara, arx, portus, anchora, & ſimilia. Fuit Pharus altiſſima Ægypti turris, quæ nocturnis ignibus naues ad portum dirigebat.

## Intra quatuor eſſe. 121

Ἐντὸς τῶν τετλάρων εἶναι, Pro eo quod eſt, intra ianuã eſſe, in ædibus, vel in tuto, familiaris loquendi modus apud Græcos. Iul. Pollux. Simili ſchemate etiam dicitur, Intra quadrangulum eſſe, pro eo, quod intra propriam domum, vel in tuto.

## In portu dormire. 122

Ἐν λιμένι καθεύδειν. Hoc eſt, in tuto & extra omne periculum eſſe, & tranquillam agere vitam. Cryſoſt.

## Ager quàm multos habuiſti & quàm multos habiturus es dominos. 123

Citatur à Chryſoſtomo ex his, quæ vulgò dicuntur: quod & ad domos, pecunias, veſtes, ornamenta, & terrena omnia rectiſſimè dici poteſt: indicat quæ huius ſeculi ſunt relinquenda eſſe, ſolam vero virtutem & rectè factorum conſcientiam nobiſcum ad ſupercæleſtem illam vitam commigrare.

## Manuarium æs. 124

Manuarium æs, videtur vocare Agellius illud, quod in commune confert is, qui in certaminibus luſibusque factus eſt inferior.

## Briarei manus iniicere. 125

Hoc eſt, furaces & violentas. Hinc qui iniuſtam opu-

Ayuntamiento de Madrid

lentiam colligunt, & facultatibus præda & rapinis partis ditantur, dici poſſunt Briarei manus iniicere. Briareus gigas fuit, cui centum brachia & manus fuiſſe dicuntur, ſæuiſſimus & immanis pyrata. Nazianze.

## Fluuij curſus non detorquendus. 126

Sentit prouerbium, naturæ non debere fieri vim, ſed ad quod vnumquodque natum eſt, eo adhibendum. Idem. Huic vicinum eſt quod Eraſmus habet: Equitandi peritus ne cantet.

## Κωμῳδοτραγῳδία. 127

Comodotragodia, res dicitur ex lætis ſimul & triſtibus conſtans. Haud illepidè, ſic appellatur vita humana quæ nunc proſperis, nunc aduerſis rebus vtitur. Item & matrimonium. Porphyrius.

## Pauca malè parta, multa bene comparata perdunt. 128

Multum affinis hæc Chryſoſtomi ſententia Plautinæ eſt: Malè partum malè diſperit.

## Ad oculos magis quàm ad veſicam pertinet. 129

De re dicitur, quæ voluptatem magis & oblectationẽ, quàm lucrum creat. Veſica ponitur pro pecuniarum receptaculo: nam porcinæ & bubulæ veſicæ in eum vſum à veteribus haberi ſolebant. Varro.

Ayuntamiento de Madrid

# GILBERTI COGNATI

## Nozoreni parœmiarum συλλογὴ, iis tantùm locis, vbi cõmodè fieri potuit, circumciſa; multis verò auctorum exemplis emendatiùs productis expolita.

### Aliud in titulo, aliud in pyxide. 1

DE iis, qui eruditionem, pietatem, fortitudinem, candorem & omne genus virtutes lingua oſtentãt; intus reuera indocti, impij, imbelles, proditores, & omnibus modis improbi. Sumptum à pharmacopolarum pyxidibus quæ venena habent; cùm titulo remedia promittant. Kalophantas videtur Plaut. Curcul. appellare. quos Græci χρηστολόγους, qui vt Saluſt. ait, aliud clauſum pectore, aliud lingua promptum habent, diſſimiles Amphiarao apud Æſch. de quo Senarius; οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει. Rectè proin Achilles Vlyſſi Iliad. 9.

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν·
Ὅς ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει.

### Diſſoluti, diſcincti. 2

Incompoſitos & animo diſſipato ac vago, nihil penſi habentes, ignauos denique molles & diſſolutos corde vocant. Proueb. Eccleſiaſt. Sic deliciis fractos, & incoërcitos, Quinctil. vocat ſolutos & fluentes. Seru. itẽ Æneid. 8. diſcinctos Afros, ait exponi poſſe militiæ inhabiles, quomodo vſus eſt Perſ. aut certè inefficaces. Omnes enim qui militãt cĩcti ſunt: vnde ſtrẽnui, præcĩcti dicũtur & εὔζωνοι.

### Hiantia ſepulchra. 3

De iis, qui obſcœna, tumida, crudeli, maledica, impia ſunt lingua, quíque cadauerosæ animę ſuæ halitu, ita nonnunquam inficiunt auditorum animos, vt pleriſque contagio peſtifero mortis periculum creent. Pſalm. Sepulcrum omne cadauer intus cælat. Si opertum eſt, & picturis ac ornamentis variè ornatum; religioſè colitur: ſin apertum,

Ayuntamiento de Madrid

fugiunt omnes, qui ſapiunt, ne peſtilentiam hauriant. Hinc Chriſtus Phariſæos vocat ſepulchra dealbata, qui introrſum eſſent turpiſſimi, ſpecioſi, vt Flaccus ait, pelle decora.

## Optima citiſſimè pereunt. 4

Ω' κύμορος δή μοι τέκος ἔσσεαι, οἷ' ἀγορεύεις.
Inſtant fata tibi, mi gnate, ita verba profaris.

Sic Thetis Iliad. 8. præſagire ſe ait ex Verbis Achillis, non longe ab eo mortẽ abeſſe, cùm nimis auidè ad bellum fatale deproperaret, cõueniet, vbi quem ob nimiã virtutẽ non diu in vita ſuperſtitem fore auguramur, optima enim citiſſimè abolentur. Hinc Horat. lib. 2. Sat. 1.

Quiſquis erit vitæ, ſcribam, color. ô puer, vt ſis
Vitalis, metuo, id eſt, viuax, ob ſatyricam libertatem.

Ita Nannius Miſcell. 4.

## Κόρσης. 5

Qui Athenis primùm radi ſe paſſus eſt, *κόρσης* conuicii nomine dictus fuit, παρὰ τὸ *κείρεσθαι*. Cõueniet in omnes qui pudenda metamorphoſi animum feminæ induti, corpus etiam, mores, & geſtus omniaque ſua ad muliebrem molitiem componunt: Heliogabali ſcilicet, maioribus noſtris diſſimillimi, quibus monſtri ſimile erat, ſolo habitu feminam mentiri.

## Καλαμαία μάντις. 6

Locuſta ſtipularis: propriè, quæ meſſem deſtinatam agricolis intercipere conſueuit, arrodens ſtipularum ſummitates, famem vbi magno ſunt numero, prænuncians. Vide ſup. Rureſtris Locuſta: Iunij adag. 20. prou. 5. & Mantis te vidit. Adag. Cœlij Rhodigini. Tralatè, puella alieni patrimonii depaſtrix. Theocr. in Meſſorib. Sic Terent. Eun. 1, 2. Sed ipſa egreditur noſtri fundi calamitas:

Nam quod nos capere oportet, hæc intercipit.

Vbi ſine dubio ad Theocr. locum alludit Terent. vt annotauit Nannius Miſc. 1. Intercipere eſt, cùm, quod alteri deſtinatum eſt, antequam ad eum perueniat, ab altero atripitur. Fundus, patrimonium eſt, aut eius potius funda-

Ayuntamiento de Madrid

mentum.Meretricem ergo ſeruus dicit, grandinis inſtar, comminuere calamos & ſata fundi ſui, vt Donat. vel locuſtæ ſtipularis inſtar reditum patrimonij arrodere, & intercipere.Eodem referas,quod Græci, καταφαγεῖν οὐσίαν, γῆν καταφαγεῖν, dicant, quod Latini bona, patrimonium comeſſe, ſeu comedere,obligurire.Menand.Cic.Næuius, Horat.

## Macte virtute. 7

Oratio,more interiectionis, affectum gratulantis, & alienam virtutem approbantis deſignans.Virg.Liu.4. Hor. ſat.2.Mactus magis auctus,teſte Feſto, non quaſi mactactus,id eſt,ſpectatus,vt notat Henr. Steph.adag. Mactata hoſtia lenior. Sic Græci, βάλλ' οὕτως. Homerus. Nann. Miſc.3.

## Homo multùm demiſſus,pinguis. 8

Horat.lib.1.ſat.3. Sincerum cupimus vas incruſtare.[recta,honeſta, cum virtute coniuncta, per improbiſſimam calumniam praua, turpia,vitioſa nominare] probus quis Nobiſcum viuit: multum demiſſus homo: illi ( Nann. miſc.3.vnde hæc ſumpſit Cognatus, legit è vet.l.homo ille eſt.)Tardo, cognomen pingui [Turneb. Aduerſ. 19. 4. pinguis, malit] damus.Hoc loco Horat. innuit, vt ſentit Turneb.Nann.& cum eo Cogn.licet aliter Lambinus:innuit inquam probos & modeſtos ignominioſè vulgò appellari demiſſos,id eſt,minimè erectos animo, & alacres: tardos,&,vt prudentiores ferè ſunt,cunctabũdos dici pingues,id eſt,nullius ingenij, vtpote quorum mens aruinæ tota immerſa videatur.Licebit itaque & nobis quod tum vſitatum erat,vſurpare.Et de iis,qui ſe omnino ad diuinæ voluntatis cognitionem attollere nolunt,dicitur Deut.32. Hier.5.Matth.13.Act.28.Incraſſati,impinguati, & dilatati ſunt.Sic pinguis Minerua,& παχύπεῤῥοι,eadem ſignificatione dicitur vt habes tom.1.

## A caluo ad caluum. 9

vide ſup.prou.Godof.

## Senex. 10

Eo nomine apud Comicos & Celtas,eum, quem virum appellare dedignantur,negligentes,auerſantes & deteſtãtes hominem annis grauem,& de quo facilis ſit victoria, nominant.finguntur enim Comici ſenes,creduli & obli-

nioſi. Terent. multis locis. Cic. in Catone & Lælio.

### Erit melius. 11

Solennis oratio, cùm ſub denunciatione periculi admonebatur quis, vt deſiſteret. Ter. Adel. 2. 2. Liu. 3. Nannius Miſcell. 2.

### Nequam. 12

In homines vitiis perditos, vt alea, libidinibus, perpotationibus, prodigis obſonationibus, quíque reuera nihili ſunt, & nullius frugis. Sic in Euangelio Dominus ſeruum nequam dicit non callidum, ſed ignauum, & nullius bonæ rei. Huc refer, quòd apud Cat. Ter. Cic. Liu. ludus iocúſque vſurpetur pro re abiecta & parui pretij, quæ merito contemni ac ludibrio haberi poſſit. vt, Græcis iuſiurandum iocus eſt, teſtimonium ludus, exiſtimatio veſtra tenebræ: pro flacco. Item, Ludum iocúmque dices fuiſſe in Eunucho. Eadem ſignificatione videtur Demoſt. ἐν τῇ πρὸς Λακρ. π. dixiſſe, ὕθλον, καὶ φλυαρίαν: quod παιδιὰν Aeſch.

### Agitatur vento. 13

Inſtabilis eſt, inconſtans, huc illuc arundinis & vndarum more à vento mouetur. Matth. 11. Ad Eph. 4. Polyd. 15.

### Aërem ferire. 14

vt ſup. aërem verberare: prou. Polydori Virgil.

### Inflatum ſaliunt oues ad vtrem. 15

Atque inter pocula læti
Mollibus in pratis vnctos ſaliere per vtres.
Nec non Auſonij Troia gens miſſa coloni
Verſibus incomptis ludunt, riſúque ſoluto.

Virg. Georg. 2. De ἀσκωλιασμῷ, quò in ἀσκωλίοις ſeu Bacchi feſto, vnctos vtres, & inflatos in medio theatri poſitos vno pede inſiliebant, vt delabentes riſum excitarent: multa ex Athen. notat Cælius 54. Transferri hi verſus bellè poterunt ad mercenarios, & ventrioſos, vt Plautus loquitur, Tityros, qui oues ſuas diuini pabuli fame adactas, næniis tantùm pucrilibus & merè anilibus; aut inani & ſolo rythmorum & organorum ſonitu alunt; cæterò ab infima vulgi fæce nihil differentes, ſiue ingenium & eruditionem, ſiue mores & vitam ſpectes.

Ayuntamiento de Madrid

## Fugere nemine perſequente. 16

Dicuntur, qui pueriliter trepidant, vbi nihil omnino ſit periculi: aut quauis de cauſſa expaueſcunt. Fugietis, inquit Moſes, nemine perſequente: terrebit eos ſonitus folij volantis, & fugient, vt fugere à gladio ſolent homines, & cadetis nemine perſequente. Leuit. 26. Pſal. 13. Prouerb. 28. Interpretatur Polyd. de illo, quem ſcelerum conſcientia mordet, & publici oculi metu patriam non ſemel mutat.

## Non odi. Odi & amo. 17

Quæ figura eſt, cùm non vulgare ſignificat, præcipuum & ratum, non triuiale, ſummum & exactiſſimum; eadem eſt, non odi, id eſt, vehementer amo: & Paulus, Non erubeſco, id eſt, imò glorior & iacto me de Euangelio Chriſti; quemadmodum alibi dixit ſine figura, Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini &c. Item cùm hominis vitia & mores odimus: ingenium verò & eruditionem, vel formam & venuſtatem amamus; Odi te & amo dicimus. Catull. in Leſbiam, Marull.

## Panis ſine ſale. 18

Cùm vita verborum veritati non reſpondet Iob. Ezech. 13. Palladius in hiſt. Lauſiaca: Cephala item, vbi addit vitam orationi diſſimilem, eſſe ſpicam, quæ à vento interit, quæ habet quidem figuram, ſed alimento caret.

## Iuuenis. 19

Iunior, aliquando contemptum notat, non ætatem, vt presbyter ſeu πρεσβύτερος honorem. Hinc in Pſalm. Adoleſcentulus ſum ego, & contemptus.

## Indeſinenter. 20

Quaſi, continenter, dies & noctes, hyperbolicos pro, magno ſtudio magnáque aſſiduitate: Græci νωλεμὲς, pro iugiter, à νω, priuatiuo, & λείπω ſeu λαμπάνω.

## Græcis & Barbaris, ſapientibus & inſipientibus. 21

Dictum à Paulo, pro, nulli non ſc. debeo miniſterium meum, niſi ſi quis repellat. Vrit eo Iudæos, qui gentes à ſalute excludebant. vide ſup. in appendice Chiliad. Eraſm. Nec Deus nec homo, id eſt, nullus &c.

Ayuntamiento de Madrid

## Faciat tibi dominus, ſicut Ephraim, & Manaſſe. 22

Geneſ.48. Iacob filius Ioſeph benedicens, adeò, prædixit vtrunque magnum futurum, vt eorum felicitas locum faceret prouerbio in Iſraële; quorum alteri ſecunda omnia vellent imprecari.

## Quaſi theſaurum draco. 23

Vide ſup. prouerb. Braſſicani, Quaſi theſaurum draco. Nota eſt fabula de malis Heſperidum, & aureo vellere.

## Caput ſerpentis conterere. 24

Pro, malas cogitationes initio vincere, aut non admittere. Palladius in hiſt. Lauſ.

## Ἀπογυμνάζεσθαι. 25

Pro, accingi ad certamen. Nazianz. in Encom. Cypriani.

## Sardanapalus. 26

Homo ſtupris & ſegnitie perditiſſimus. Iuſtinus Sardanapalum appellat abſolutæ infamiæ, & turpiſſimi exempli, vide tom.1. idem prou. tit. INTEMPERANTIA.

## Omnia iudicia abſolutoria eſſe. 27

Eo innuere ſolebant, pœnitenti eſſe parcendum, re etiā nondum integra. Nam ſi quis reus poſt litem conteſtatam obtulerit actori quod petiiſſet, eíue ſatisfecerit, abſoluendum eſſe Iuſtin. ſanxit §. fin. Inſtit. de perpet. & temp. act. Plaut. in Pſeud. dictum non abſimile videtur aliò vertiſſe.

S I. Fatere. PS. δικεῖν, ἵνα χ' ἀυλὸ ἐῤῥυέναι.

S I. Fatetur. dixi Callipho dudum tibi.

Id eſt, iudicetur, vt & idem abſoluatur. Videtur prouerb. de iis qui ſecuri accuſationis iudicium ſubeunt. Neque diſſimile illi quod etiamnum inter Græcanicas ſententias exſtat: κατηγορεῖν οὐκ ἔξεστι καὶ κρίνειν ὁμοῦ. niſi quod hoc poteſt ſimpliciter accipi, eundem accuſatorem & iudicem eſſe non oportere.

OBSERV. GISEL.

Hactenus Gilb. Locus tamen Plauti, vt hoc velut tranſiens admoneā, quem Gilb. adducit, maculoſiſſ. eſt, & Græca à ſciolis, vt ἐπ' ἀχερὲν γλῶσσαν ἦλθεν interiecta ſunt. quare etiam doctiſſ. Camerarius lacunam reliquit addita

nota, cùm tamen è veſtigiis ſui vet. lib. eam ſic expleri poſſe annotet.

S I. Ita, quas meo gnato des, quî amicam liberet.
Fateri δεῖ καὶ τοῦτ' ναί. PS. καὶ τοῦτ' ναί.
C A. Fatetur. S I. dixin Calipho dudum tibi.

Eleganter profectò, vt dubites, an quid verius reperiri poſſit. Illud verò hinc liquet, quàm temerè illi ſe quaſi ridendos præbeant, qui neglectis caſtigationibus diligentiſs. & probiſs. hominum è popularibus tantùm exemplis ſuas συλλογὰς concinnant, & iis omne nomen ſuum & laboris præmium concredunt.

## Ad agnatos, & gentiles deducere. 28

Vide ſup. prou. Braſſicani, Ad gentiles & agnatos deducendus. Colum. 1, 3. Var. 1, 2. Cic. Tuſcul. 3. Vlpianus l. D. 27. tit. de curat. fur. &c. cap. 1. vbi furioſi & prodigi eandem proponit conditionem. Prodigi qui ſint. Cic. Off. 2.

## Ex vtroque latere. 29

Iuſtinianus, l. fin. Cod. 5. tit. de cur. fur. Et iuris auctores ex vtroque latere magnum habuere certamen. Sic Vlp. lib. 3. D. tit. de procuratoribus.

## Nihil ad ius. 30

Cic. in Top. Admonet autē hic locus, vt quæratur, quid ante rem, quid cū re, quid poſt rem euenerit. Nihil hoc ad ius, ad Ciceronem inquibat C. Aquilius Gallus noſter, ſi quis ad eum quid tale retulerat, vt de facto quæreretur. Refert quoque Aquilij dictum in vita ipſius Rutilius. Senſit autem Aquilius, inquit Eraſmus, aliud eſſe officium iuriſconſulti, aliud oratoris.

## Vltro citróque. 31

Vide tom. 1, prou. Eraſmi, Vltrò citroque. hinc illinc, vtrinque. Vlp. D. 2. tit. de edendo: Rationem autem eſſe Labeo ait vltro citro dandi, accipiendi, credendi, obligandi, ſoluendi ſui cauſſa negotiationem, &c. Idem Vlp. D. 50. tit. de verb. oblig. c. 19.

## Bos in lingua. 32

Vide tom. 1. Idem Adag. Eraſmi. Scribit Plutarch. Theſeum nota bouis nūmum ſignaſſe. Pollucis de verſu Homeri ſententiam, quam adfert Eraſ. adagio. Bos in lingua, probat

Ayuntamiento de Madrid

probat Paulus D.18. tit.de contrah.empt. Addam hoc ex Eraſmo efferri ita adagium, βῦς ἐπὶ γλώσσῃ βέβηκεν, bos in lingua incedit. Aeſchyl. βοῦν ἀφωνίας ἐπὶ γλῶτταν βεβλημένος, boue ſilentij eius linguam occupante. Philoſt. In Scopel.

## Ἀντιπελαργεῖν. 33

Vide tom.1. Explicatum idem ab Eraſmo. Promerentibus gratiam in tempore referre, id ſtatutum iure Rom. vt Vlp D.25.tit.de agnoſc.vel alend.lib.vel par. Docet Ariſt. Oecon.1,3, ciconiam eundem nidum repetere, genitricis ſenectam vt educet. Eleganter de naturæ vi infundentis liberis parentum amorem. Val.Maximus, 5, 4.

## Nuncium remittere. 34

Loquendi forma frequens in diuortiis & repudiis. Plaut. Truc.

Ego adeò iam illi remittam nuncium affini meo.
Dicam vt aliam conditionem filio inueniat ſuo.

Vlp.D.24.tit.Soluto matr.qu.&c.Item D. 23. tit. de iure dotium.

## Poſteriores prioribus potiores. 35

Multis fermè in rebus fauor nouitatis ſuperiorum obliterat gratiam, Modeſt.D.1.tit.4.de conſt.pr.c.vlt. αἱ μεταγενέστεραι διατάξεις ἰσχυρότεραι τῶν πρὸ αὐτῶν εἰσιν, conſtitutiones tempore poſteriores potiores ſunt iis, quæ ipſas præceſſerunt.

## Αὐτοφυές. 36

Quod ita per ſe natum eſt, nulla arte fucatum, cuiuſmodi Virg. in Pollione finxit: Nec varios diſcet mentiri &c. Vlp. D.32. tit. de leg. & fideicomm. c. 70. Si cui lana legetur, id legatum videtur, quod tinctum non eſt, ſed αὐτοφυές.

## Zonam deponere vel amittere. 37

Dicitur, qui vel adminiſtratione ſua functus eſt, vel cui ob delictum adempta. Iuſt. in Nou. conſt. περὶ ἀθεμιτογαμιῶν, de pœna poſt dam.nupt. &c. καὶ ἔστωγε αὐτῷ ἡ ποινὴ μὴ διπλώσεως μόνον ἀλλὰ καὶ ζώνης ἀφαίρεσις καὶ ἐξορία, &c. Sic Imp. Hon. & Theod. C. 3. tit. vbi de ratiociniis tam publicis &c. vide tom 1, prou. Zonam perdidit.



Ayuntamiento de Madrid

## Non plaga ſed contumelia concitauit. 38

Saturninus D.48. tit. de Pœnis, hæc adfert ex Demoſt. οὐ γὰρ ἡ πληγὴ παρέστησε τὴν ὀργὴν, ἀλλ' ἡ ἀτιμία· οὐδὲ τὸ τύπτεσθαι τοῖς ἐλευθέροις ἐστὶ δεινὸν, καίπερ ὂν δεινὸν, ἀλλὰ τὸ ἐφ' ὕβρει. Non enim plaga iram concitauit, ſed ipſa facti indignitas: neque tam ingenuis graue eſt cædi [quanquam eſt graue] quam per contumeliam cædi. πολλὰ γὰρ ἂν ποιήσειεν ὁ τύπτων ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὧν ἔνια ὁ παθὼν οὐδ' ἂν ἀπαγγεῖλαι δύναιθ' ἑτέρῳ, τῷ σχήματι, τῷ βλέμματι, τῇ φωνῇ, ὅταν ὡς ὑβρίζων, ὅταν ὡς ἐχθρὸς ὑπάρχων, ὅταν κονδύλοις, ὅταν ἐπὶ κόρρης. ταῦτα κινεῖ, ταῦτα ἐξίστησιν ἀνθρώπους ἀηθεῖς, ὄντας τοῦ προπηλακίζεσθαι.

## Præſtat poſſidere, quàm perſequi. 39

Caius D.6. tit. 1. de rei vendic. c.24. Is qui deſtinauit petere, animaduertere debet, an aliquo interdicto poſſit nanciſci poſſeſſionem: quia longè commodius eſt ipſum poſſidere, & aduerſarium ad onera petitoris compellere, quã alio poſſidente petere. Idem etiam Vlp. D.45. t. de fideiuſſ. & mand. c.15. Neque abſimile quod Ariſtot. Polit. 5,3. monet; fruendum igitur præſentibus commodis, ne abſentiũ cupidine excruciemur.

## In paruulis nulla culpa. 40

Martian. D. 40. tit. de fideicomm. lib. In paruulis, inquit, nulla deprehenditur culpa. Non mirum: facilè enim, qui vſu rerum deſtituti ſunt, falluntur. Hac ratione pueros Plut. lib. de educ. liberorum, plagis & verberibus nunquã vult cogi.

## Conſcientia crimen prodit. 41

Sua quemque fraus & ſuus error maximè vexat, ſuum quemque ſcelus, amentia & malæ cogitationes agitant, afficiunt, terrent. Cic. pro Roſc. Amerino. Paullus D. 40. tit. 9. Qui & à quibus manum.

## Patere legem quam ipſe tuliſti. 42

Ad hoc vulgatum prou. adluſiſſe videtur Paullus D. 42. tit. de leg. & fideicom. c.23. Decet imperatoriæ maieſtati eas ſeruare leges, quibus ipſe ſolutus eſſe videtur. & Claudian.

In commune iubes ſi quid, cenſeſue tenendum,

Ayuntamiento de Madrid

Primus iuſſa ſubi. tunc obſeruantior æqui
Fit populus: nec ferre vetat, cùm viderit ipſum
Auctorem parêre ſibi.

## Dicis gratia. 43

Fieri dicitur, quod perfunctoriè & luſoriè fit. Vlp. D. 29. tit. 5. de ſenatuſc. Sill. cap. 1. ſub finem. Excuſantur ſerui, qui auxilium tulerunt ſine dolo malo: nam ſi finxit ſe quis auxilium ferre, vel dicis gratia tulit, nihil hoc commentum ei proderit. Sic Caius D. 13. t. 6. commod. c. 4. Arnobius l. 4. initio. Quos item Lampridius vocat milites oſtenſionales, Tranquillus imaginarios, quòd oſtentationis gratia titulũ haberent militũ; eos Caius dicis gratia, Cic. in Verrẽ dicis cauſſa appellat. Nõ abludit Varro l. 6. ſub finẽ. Et dicis cauſſa fiebant quædã, neque itẽ facta neq; idẽ dicta. Soſipater l. 1. inter patrios caſus, dicis, nominat; adítque nullo alio caſu inflecti. Plin. 28. Et ſunt condita auguria quid loquenti cogitantiúe id acciderit, inter exſecratiſſima ſi pontifici accidat, dicis cauſſa, epulanti, in mẽſa vtique id reponi, adoleríque ad larem piatio eſt. Modeſtinus vertit, ὁσίας vel ἀφοσιώσεως χάριν. Dion. 37. Idem ὁσίας ἕνεκα vocauit.

## Digito oſtendere. 44

Paullus D. 12. t. ſi cert. pet. c. 6. Nihil, inquit, refert proprio nomine res appellentur, an digito oſtendantur, an vocabulis quibuſdam &c. παιδεία Luciano, τοιαῦτά σοι περιθήσω τὰ γνωρίσματα, ὥστ' τῶν ὁρώντων ἕκαστος τὸν πλησίον κινήσας δείξει σε τῷ δακτύλῳ, οὗτος ἐκεῖνος, λέγων ἂν &c. ita te ornatum & inſignitum dabo, vt quiuis te intuitus, proximè ad ſtantis latus ſodiat, & dicat, hic ille, &c.

## Ὀψιμαθής. 45

Cic. epiſt. 9. 20. ὀψιμαθεῖς autem homines ſcis quàm inſolentes ſint. Hor. At magnum fecit, quod verbis Græca Latinis Miſcuit, ô ſeri ſtudiorum. Notantur hîc ij, qui ab alio vitæ genere detriti iam & retorridi ad litteras ſeriùs accedunt: qui raró ad verum iudicium ſenſúmque diſciplinarum perueniunt: imò ſi natura ſint garruli & ſubarguculi, inepti oſtentatores euadunt, Gellius 15, 30. Vide Nann. Miſc. quartum extremum.

## Ducere funem. 46



Ayuntamiento de Madrid

Pro, principem eſſe & auctorem. ductum à comica ſaltatione, quam Græci κόρδακα appellant. Vnde in Ariſtoph. nebulis, οὐδ᾽ κόρδαχ᾽ εἵλκυσε. & Terent. Adelphis. Tu inter eos reſtim ductitans ſaltabis. Solebat in his choreis, qui præſultor erat, funem ducere & moderari, quem alij eodem fune apprehenſo præeuntem ſequebantur. Virgil. Æneid.2. Funéque manu contingere gaudent. Vide Nann. Miſc.4.

## Voces iactat inertes. 47

Virgilij eſt Æneid.10. vnde & illud huic ſimile deſumitur, Dat ſine mente ſonum. In eos, qui lingua magis, quàm viribus pollent. Temperandum à magniloquentia & iactantia, quam Nemeſis nunquam ſinit impunitam: quod idem monet hoc prouerbium, μῦ μεγάλα λέγε. Torquetur eadem hemiſtichia aptè in malos interpretes, qui in reddendis verbis ſententiam corrumpunt.

## Παχυμερέστερον. 48

Sup. Pingui Minerua, craſſa Minerua. Vox ſumpta eſt ab exacta partium diuiſione, cùm ſingulæ ſeorſum excutiuntur. Gell. 14, 1. Vlp. D.15.t. de peculio, cap. Quam Tuberonis. idem valet λευκότερον, quòd albus color plurimũ habeat lucis.

## Plus dat, qui tempore dat. 49

Iuſtin. Inſtit.3. t. de fideiuſſ. Non ſolum autem in quantitate, ſed etiam in tempore minus vel plus intelligitur. Plus eſt enim ſtatim aliquid dare; minus eſt poſt tẽp⁹ dare.

## An ſit bonus vel malus vicinus. 50

Vide tom.1, Aliquid mali propter vicinum malum & ibi Eraſmi Chil. & ſup. prou. Godofredi, Cui bonus eſt vicinus, felix illuxit dies. Caius D.18.t. de contrah. empt. 35. Si quis in vendendo prædio confinem cælauerit, quem emptor ſi audiſſet, empturus non eſſet, teneri venditorem dicimus. Sic Pompon. D.38.t. ſi quid in fraud.13.

## Primo gradu. 51

Paullus D.38 t. de grad. aff. 10. Gradus dicti ſunt ad ſimilitudinem ſcalarum, locorúmque procliuium, quos ita ingredimur, vt ad proximum, id eſt, in eum, qui quaſi ex eo naſcitur tranſeamus &c. Hinc ibidem, primo gradu cognationis ſunt &c. Sic Cic. Off.1. gradus officiorum: &

Ayuntamiento de Madrid

De nat.Deorum.1.gradus rerum vocat.

## Plura ſunt negocia, quàm vocabula. 52

Vlpian.D.19.t.5.de præſcript.verb. 4. De fingendis nouis vocabulis præclarè Cic.l.de finib.3.circa principium.

## In ima cæra. 53

Sic Suet.in Iulio 83.quomodo Cic.Verr.3. extrema cæra, pro, vltima ſiue ima tabulæ ſeu teſtamneti parte. Sic extremus liber, extremum volumen, pro vltuma eius parte. Vitruu.10,34.& 1,6.

## Marcialis affectio. 54

Paull.D.24.t.de donat. inter vir.31. Non coitus matrimonium facit, ſed Marcialis affectio, id eſt, quod alibi dicit Vlpian. conſenſus pudicus. Refert Plutarch. in præceptis connub. Marciam Catonis filiam minorem, rogatam, cur à morte mariti nollet iterum nubere, reſpondiſſe non inuenire ſe virum, qui ſe magis velit, quàm ſua Quæ ducitur dotis cauſſa conductum habet concubinum veriùs, quàm coniugem.

## Κατὰ πόδα. 55

Iuxta pedem. Sumptum à calceo, qui accommodatè ſingulos articulos pedis exprimit. Scitum illud Pauli Æmilij nouum calceum oſtendentis, Vos, inquit, videtis bellum ac nouum eſſe calceum; verum, qua parte pedem torqueat meum, id ego demum ſentio.tom. 1. prouerb. Ad pedem. vbi adde illud Platonis comici, ὡς ἔστι μοι τὸ χρῆμα τοῦτο περὶ πόδα. Iuſtin.Cod.1.t.de vet.iure enucl. 2.§. penult. cauit, ne quiſquam commentaris in leges ſcriberet, niſi tantùm, inquit, ſi velint eas in Græcam vocem transformare ſub eodem ordine, & eadem conſequentia, ſub qua voces Rom.poſitæ ſunt, hoc eſt, quod Græci dicunt κατὰ πόδα, ad pedes eorúmque veſtigia. Cùm docemus aliquem, nihil de ſuo addere, ſed aliena recitare, alienísque veſtigiis inſiſtere.

## Plerunque manus, ipſa re præſtat. 56

Caius t.de verb.ſig.l.mulieris, & l. qui inſulam, §. quidem hoc. Plerunque plus in manus pretio quàm in re eſt. Manum pro arte, & manupretium pro, vt vocant, manu factura, vſurpant, Solinus, Cic. Verrina 3. circa finem, & in eum locum Pedianus, Vitruu. 9. Plin. 34. 7. 35. 2. 33. 2.



Ayuntamiento de Madrid

29, 1. Varro de ling. lat. 4. Sic Ouid. Met. 2. Materiam ſuperabat opus.

### Auctoritatem defugere. 57

Valet, cùm ipſe rei alicuius faciundæ auctor fueris, eiúſque euentum in te receperis, id inficiari poſtea, & fateri nolle, eam auctore te factam. Plautus Pænulo. Terent. Eunuch. 2, 3. verſu penè vltimo: quem locum elegantiſſimè reſtituit & explicuit ſua annotatione Muretus, à quo hæc ſumpta videri poſſent, niſi ea, quæ Muretus Chæreæ tribuenda eſſe cenſet, ipſe Gilbertus malè meo iudicio, Parmenonem ea pronunciare adderet.

### Ictidis pellis. 58

Prou. apud Germanos in viliſs. quodq; & maximè fœtidum ſcortum. Nam ἴκτις, muſtela ſilueſtris cùm grauiter exarſerit, malè olet.

### Σχῆμα καὶ τριώβολον. 59

Sup. Figura & triobolus. Centu. 8. prou. 14. Iunij. vnde hæc deſumpta ad verbum. tantum additur, ex Plut. Lyſandro triobolon ex vna parte habuiſſe Iouis effigiem: itémque homines nullius pretij dictos triobolares. tom. 1, Homo trioboli.

### Γοργιαῖον. 60

Sup. Explicatum à Iunio, prou. 44. Centu. 7. Ab huius viri ſtudio Theſſali γοργιάζειν dicebant τὸ ῥητορεύειν, oratorem agere. Philoſt. in epiſt.

### Καταβομβεῖσθαι. 61

Inſtar examinis apum condenſari, more auium cateruatim conuolare. Agath. 2. de Narſete militem ſuum exercente: τροχάζειν ἀνασκευάζων, καὶ ὑπὲρ τῶν ἵππων ἐν κόσμῳ ἀναπάλλεσθαι, ἐς τε πυῤῥίχην τινὰ ἐνόπλιον ἐλελίζεσθαι, καὶ θαμὰ τῇ σάλπιγγι καταβομβεῖσθαι τὸ ἐνυάλιον ἠχούσῃ, faciens eos in orbem diſcurrere, & in equis decenter velitari, & in ſpeciem armatæ cuiuſdam Pyrrichæ circumuehi, & confeſtim tuba claſſicum canente ad ſigna turmatim cogi. Sic Terent. Heaut. & Cic. pro Milone gregem ancillarum dixit infinitam multitudinem. Soph. in Trachiniis, προσελθόνθ' ὧδε σὺν πολλῷ στόλῳ.

### Caluis & comatis pilos velli moleſtum. 62

Hôc Bion apud Senecam innuebat, tantundem vulneris

accipere tenuioris fortunæ hominem è iactura exigua, quantum locupletem in magnarum facultatum carptu.

## Tinctura Cyzicena. 63

De ineluibilis turpitudinis nota. διὰ τὸ τίλημα. Auctor etymol.

## Straton Pathicus. 64

De homine delicato. Straton, quo iuuentam mentiretur, ridiculè, imò flagitiosè radi ſe quotidie paſſus eſt: vnde ita de ipſo Ariſtoph. εὐνοῦχος ἡμῖν ἦλθες ἐξυρημένος, Eunuchus huc ades raſus nouacula.

## Æs triplex. 65

Horat. Car. 1.3. & æs triplex circa pectus erat, pro, ferreus erat. Notat Acron tractum ab vſurariis, quorum auaritia ſpe lucri vel commercii inuentum ſit nauigium.

## Patiens pulueris atque ſolis. 66

In hominem ad ferendos labores habilem. Hor. Od. 8. ſic Zenodot. Neque compluitur, neque ſole aduritur. Sall. hiemem & æſtatem iuxta pati, humi requieſcere. Similia quædam in Priapæis.

## Fretis acrior Adriæ. 67

In eum qui aſperis eſt moribus & iracundo ingenio. Hor. Od. 33.

## Valet ima ſummis mutare. 68

Per hoc ſummam Dei omnipotentiam intellige. Hor. Od. 34 Cognatum, ὁ θεὸς τὰ μὲν ὑψηλὰ ταπεινοῖ, καὶ τὰ ταπεινὰ ὑψηλοῖ. Simile exordium eſt apud Heſiodum.

## Πελαμυδοῦνται. 69 vide ſup. prouerb. Iunii 86. Centu. 4.

## Claudicat. 70

De ſcriptis, quæ pedibus ſuis non conſtant. Quinctil. 10. In comœdia maximè claudicamus. Cic. de Oratore 3. Vt in verſu vulgus ſi eſt peccatum, videt; ſic ſi quid in noſtra oratione claudicat, ſentit. Idem in Oratore, Ex quibus præclarè videmus eam orationem claudicantem dici, quæ pedum obſeruatione ſoluta diſſipata & abrupta fluat. Idem in Bruto, Actio paulùm tum vicio vocis, tum etiam ineptiis claudicabat. Ibidem etiam claudicantem in parte vocat orationem, quæ ex quinque notiſſimis partibus vna deſtituitur. Dicuntur item claudicare vtroque



Ayuntamiento de Madrid

homines lubricæ fidei, & incertarum partium.

### Sarabaitæ. 71

Videntur ab Hieronymo & Auguſtino accepti pro his, qui vultu externíſque moribus ſeueri, in receſſu & domi flagitia omnia, & quod lubet deſignant. Tractum à ſacerdotiis Ægyptiis eo nomine, qui in rupium cauernis degebant, ſuillis & bubulis exuuiis amicti, funibus quaſi zonis adſtricti, pedibus nudi, cruore conſperſi ſub feſto ſcenopegiorum Hieroſolyma adibant, ibi inopiam & abſtinentiam ſuam omnibus ingerebant, barbam coram populo acriter vellebant, cælo demiſſos putares; interea numinis hoc aſtu emunctis reuerſi luxu & laſciuia diffluebant.

### Διαζῶται κότυος. 72

Sup. Cotyos contubernalis, Iunii prouer. 29. Centu. 1. Præter duo loca Syneſii adducta à Iun. producit Cogn. tertium in epiſtola ad fratrem, vbi quendam flagitioſæ vitæ dicit κοτυττῇ νεωκορεῖν, Cotyttus editimum eſſe.

### Βουπαλεῖος μαχή. 73. vide ſup. Iun. Centu. 5. prou. 52.

### Βουπάλειον στύγος. 74

Etiam ſup. Iun. vt ſuprà, prouerb. 53. Lubet Leonidis verſus, quos etiam Iunius adducit, hîc ſcribere; ſunt enim venuſti:

Ὦ ξεῖνε, φεῦγε τὸν χαλαζεπῆ τάφον,
Τὸν φρικτὸν ἱππώνακτος, οὗ τε χ' ἁ τέφρα
Ἰαμβιάζει Βουπάλειον ἐς στύγος.

Hoſpes ſepulcrum grandiuans diris fuge; Vbi ferus Hipponax iacet, cuius cinis etiamnum in odium Bupali iambos iacit.

### Femina. 75

Ita, vulgari conuicio, audiunt etiam apud Celtas viri flagitioſæ mollitiei.

### Tonderi pecus, non radi debet. 76

Tiberii reſponſum ad Æmilium Ægyptium prætorem ita narrat Dion: κείρεσθαί μου τὰ πρόβατα, ἀλλ' οὐκ ἀποξύρεσθαι βούλομαι.

Huc torqueas, vt neges rem eſſe exactius quàm ſat eſt, & moroſius excutiendam, & ad viuam cutem relecandam. vide tom. 1. Boni paſtoris eſt tondere pecus, non deglubere.

Ayuntamiento de Madrid

Τρὶς ἓξ βάλλει. 77. Ter ſex iacit: ſup. Iun. Centu. 5. prouerb. 62.

Speculator apud Æſchylum conſpicatus in tenebris, facem capti Ilii indicem, τὰ, inquit, τῶν δεσποτῶν γὰρ εὖ πεσόντα θήσομαι, Τρὶς ἓξ βαλούσης τῆσδέ μοι φρυκτωρίας, feliciter cecidiſſe heriles res dabo, Fax iſta quando iecerit ter ſex mihi. Attuli verſionem Iunii, quòd videtur melior.

## Dædaleis ferri remigiis. 78

Vide tom. 1. prou. Eraſ. Dædaleum remigium. Plautus Amph. Non ocyus quiui, ſi me Dædaleis tuliſſem remigiis. Virg. quoque Æneid. motum alarum in auibus remigium dixit. Volat ille per aëra magnum Remigio alarum. Sic Lucret. 6. Remigii oblitæ, pennarum vela remittunt. Æſchyl. Agam. στροφοδινοῦνται πτερύγων ἐρετμοῖσιν ἐρεσσόμενοι. Accipitres, de iis loquitur, alarum remis remigantes in gyrum circumuolant. Metaphora hac Quinctil. negat in agendo velle ſe vti: tam eſt poëtica.

## Seruiles in animo pilos habere. 79

Stupidum & vecordem ita deſcripſit Plato; ἔχων τὰς ἀνδραποδώδεις ἐπὶ τῆς ψυχῆς τρίχας. Sic Lyſis Pythagoricus ſpiſſum atque hirtum vepretum illorum animis innaſci ait, qui non purè & ritè diſciplinis inaugurantur.

## Temporibus ſeruire decet. 80

Temporibus ſeruire decet, qui tempora certis
Ponderibus penſauit, eum ſi bella vocabunt;
Miles erit: ſi pax, poſitis toga veſtiet armis:
Hunc fora pacatum, bellantem caſtra decebunt.

Lucan. ad Piſonem. Cic. de finib. 3. Quæque ſunt vetera præcepta ſapientum, qui iubent tempori parere, & ſequi Deum, & ſe noſcere, & nihil nimis. Vbi pro parere legitur etiam, parcere.

## Κύβος. 81

Pro ancipiti euentu, vt alea Latinis. Æſchyl. in 7. ad Thebas. ἔργον δ' ἐν κύβοις ἄρης κρινεῖ, Mars belli incertus rem indicabit.

## Ebrius. 82

Quomodo μεθύειν valet interdum πληρῶσθαι, compleri, vt Theocr. in Dioſc. ἔστη δ' πληγαῖς μεθύων; conſtitit offertus & ebrius plagis: eodem modo, ebrius, teſte Nonio transfertur, vt ſit, quacunque re expletus. Varronis locum omitto: perperam enim hîc adducitur, vt ex veteris ſui libri ſcriptura Iunius noſter docuit: cum adito. Ebria cœna Plauto eſt, opipara, adiicialis, copioſa. Legitur & veſtis oſtro ebria, quæ purpuræ florem imbibit, quam murice ſaturatam vocat Martial. Non diſſimiliter dixit Hor. car. 1. Cleopatram fuiſſe dulci fortuna ebriam, id eſt, clatam ſecundis rebus, & ſui parum compotem, more ebriorum. Et Anacreon quendam amoris œſtro veluti extra ſe poſitum, vocat μεθύοντα ἔρωτι, quomodo etiam in Apoll. Philoſtratus. Scitum illud Petronii, quod de adulatore ſcripſit, qui à ſtolido principe ad ampla euectus, prioris vitæ ſordium oblitus reliquos præ ſe deſpicit:

Vilis adulator picto iacet ebrius oſtro.

## Integer ſanguis. 83

Demiphon apud Plaut. Adoleſcens cùm ſis, tum, cùm eſt ſanguis integer, rei quærendæ tunc conuenit operam dare. Anchiſes apud Virg. 2. Vos ô quibus æui Sanguis, ait, ſolidæque ſuo ſtant robore vires, Vos agitate fugam. In ſanguine integro & puro vitalis eſt vigor, calor, & corporis robur. Hinc Empedocles vim animi facit ſanguinem circa præcordia.

## Πρῶτον οἰκεῖον, ὀρεκτόν. 84

Ita Græci ferè vocant, quod naturæ eſt aptum, accommodatum & per ſe expetitur. Cic. de fin.

## Vulpinari non decet, nec vtrique parti illudere. 85

Οὐκ ἔστιν ἀλωπεκίζειν Οὐδ' ἀμφοτέροις γίγνεσθαι φίλον. Eſt Praxillæ poëtriæ Sicyonæ, inter ea, quæ παῤοίνια inſcripſit. In adulatores competit, qui vt tectiùs imponant, ficte rem gerunt, & diſſimulanter.

## Κωμικὸς μάρτυς. 86

Teſtis, qualis in fabulis inducitur, ſcil. ſubitus & opportunus. Illîc ita inducuntur, vt, cùm poſtulat res alicuius teſtimonium, repentè appareant, & præſto ſint. Cic. epiſt. fam. 2. 13. vide ſup. prouer. Iunii, Comicus teſtis: & ipſum ibi

Ayuntamiento de Madrid

Iunium, qui hanc Calcagnini explicationem improbat, & ex Camerario & Victorio meliorem concinnat.

## Serui comici. 87

Eadem hîc, quæ modò, latêre videtur ratio. Plaut. Capt. Nunc res certa eſt, eodem pacto, vt comici ſerui ſolent, coniiciam in collum pallium, primo ex me hanc rem vt audiat. vide Nonium, Còmmictilis.

## Mulieres ſcenicæ. 88

Afranius etiam, apud Nonium, videtur idem ſecutus, aque loco, in quo fabulæ ipſæ ſpectantur, formato nomine appellaſſe mulieres ſcenicas: Quàm beatæ ſcenicæ videntur mihi mulieres, quæ iurgio & beneuolentia terrent deſubito viros.

## Τρίψαι μέτωπον. 89

Perfricare os ſeu frontem, pro, abiecta verecundia & impudenter aliquo in negotio ſe gerere. Strab. 13. ἐχρῆν δὲ καὶ τοῦτο πλάττειν ἀποτριψαμένους τὸ μέτωπον, καὶ μὴ χωλὸν ἐᾶν ἕτοιμον πρὸς ἔλεγχον ἅπαξ ἤδη ἀποτετολμηκότας, Oportuit enim eos & hoc fingere, parumper ſibi frontem perfricantes, nec claudum quidquam & reprehenſioni obuium relinquere, cùm ſemel auſi fuiſſent. Ita & Athenæus l. 5. de impuro Athenione, qui è philoſopho per plebis fauorem Athenis tyrannus euaſit, agens.

## Pygmæi vel Thiodamas cum Hercule. 90

Ammianus 22. laudans Iuliani Imp. conſtantiam, blateronum aulicorum dicteria & iniurias contemnentis, Fruſtrà, inquit, virum circumlatrabant immobilem occultis iniuriis, vt Pygmæi vel Thiodamas agreſtis homo Lindius cum Hercule. De Pygmæis vide Emblema apud Alciatum eorum, qui imbecillitatis ſuæ non conſcii maiora viribus attentant. De Lindio ita habet. Cùm Hercules famelicus in Thiodamantem, vbi arabat, incidiſſet, alterum ex iugo bouem iugulat & deuorat. Illo maledicta & conuicia conuiciis aggerente, hic omnia cachinno & riſu excepit. Sunt qui bis ab eo bouem deuoratum putent, ſemel apud Lindum vrbem, & iterum apud Driopas, qui Thiodamantis bos fuerit.

## Hæc tela texitur. 91

Ayuntamiento de Madrid

Pro, ita nunc agitur, ea viuendi ratio inſtituitur, eò res reditura eſt. Cic. de Oratore 3. Doleo (inquit Craſſus) illos viros (Graccos accipe) in eam fraudem in rep. eſſe delapſos: quanquam ea tela texitur, & ea in ciuitate ratio viuendi & poſteritatis oſtenditur, vt eorum ciuium, quos patres noſtri non tulerunt, iam ſimiles habere cupiamus innuit inſtare reip. interitum. Sic Plato in Phædone, ab eadem re ſimile ducens, & de animo ſapientis, voluptatum & ægritudinum vincúlis ſoluto agens, ait nolle eum ita rurſus implicari, idque agere, quod exitum non haberet, perindéq; eſſet, ac Penelopes telam quãdam tractare: πάλιν ἂν ἐγκαταδεῖν καὶ ἀνήνυτον ἔργον πράττειν, πηνελόπης τινὰ ἐναντίως ἱστὸν μεταχειριζομένην.

## Narciſſi opes. 92

De ſummis & infinitis. Iuuenal. 14. nec Perſica regna
Sufficient animo, nec diuitiæ Narciſſi.

Plin. 33. opulentos & diuites recenſens, & facta Crœſi, Craſſique mentione: Multos, inquit, poſtea cognouimus in ſeruitute liberatos opulentiores, paritérque tres Claudi principatu, Pallantem, Calliſtum & Narciſſum.

## Firmo & maximo progreſſu. 93

Pro, magnis itineribus, & vt Celtæ idem efferunt, *à grande iournee*. Põpeius in q. epiſtola ad Domitium. Cic. Cæſar.

## Amor fit ira iucundior. 94

Plut. in ἐρωτικῷ: Vt, cùm è nubibus exiit ſol, ac poſt caliginem denique fit feruentior, ita amor cùm interceſſit ira aut ſuſpicio, pace facta iucundior eſt, & acrior. Plaut. Amph.

Verùm iræ ſi quæ fortè eueniunt huiuſmodi;
Inter eos rurſum ſi reuentum in gratiam eſt;
Bis tanto amici ſunt inter ſe, quàm prius.

Non eram his verſibus farturus noſtram epitomen, niſi libuiſſet admonere, vt in prologo Eunuchi, verſu 2. omiſſa eſt particula, plus, ita hîc particulam, magis ſubaudiendam eſſe, aut poſitionem alioquin, comparandi vim habere, quod admodum rarum.

## Voluptas malorum eſca. 95

Ἡδονὴ μέγιστον κακοῦ δέλεαρ. Quod ea homines capian-

Ayuntamiento de Madrid

tur, vt hamo piſces. Plat. Timæo. Cic. Catone. Plaut. Mercatore.

## Non putaui. 96

Donatus in illud Andriæ Ter. Hæc ego putabam &c. Putare, inquit, eſt eius, qui ſimplicitate pectoris errauit. Cic. pro Ligario: Nunquam hoc modo, Ignoſcite iudices, errauit, lapſus eſt, non putauit, ſi vnquam poſthac. ad parentem ſic agi ſolet Polyb. 10. de Marello ab Hannibale cæſo: τὸ μὴ γὰρ λέγειν, ὡς οὐκ ἂν ᾤμην, τίς γὰρ ἂν ἤλπιζε τὸ γενέσθαι μέγιστον εἶναί μοι δοκεῖ σημεῖον ἀπειρίας στρατηγικῆς, καὶ βραδυτῆτος. Enumerat eadem Plut. de tranquillitate additque, οὐκ ἂν προσεδόκησα, hæc non exſpectaram.

## Piſces magni paruulos comedunt. 97

Polyb. 15. de tyrannis. ὥστε προσοφλεῖν τὸν λεγόμενον τῶν ἰχθύων βίον, ἐν οἷς φασὶν ὁμοφύλοις οὖσι τὸν τοῦ μειόνος ἀπώλειαν τῷ μείζονι τροφὴν γίνεσθαι καὶ βίον. Varr. Menippeis:

Qui pote plus, vrget: piſces vt ſæpe minutos
Magnus comeſt, vt aues enecat accipiter.

Vide ſup. Piſcium vita: Centu. 9. prouerb. 2. Iunij. & Iunij Animaduerſ. quibus hæc accepta referenda ſunt.

## Gutta cauat lapidem. 98

Non tantum 4. Faſtorum, ſed multis etiam aliis locis hanc ſententiam habet Ouid. ſignificans ea temporis diuturnitate omnia abſumi. expreſſerunt eandem alij, Tibull. 1, 4, Propert. Lucretius bis. debetur verò teſte Simplicio Ariſt. phyſic. 8. Chærilo. πέτραν κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχίῃ. vbi κοιλαίνει, vertunt cauat, excauat, pertundit, exedit, terit. vide tom. 1, Vitiat lapidem longum tempus.

## Pro incerta ſpe præmia certa 99

Salluſt. Cat. de Allobrogibus loquens. In bello verò Iugurthæ cùm ait Metellũ Boccho ſuaſiſſe ne certa pro incertis mutaret, reſpexiſſe videtur ad hoc Heſiodi, Νήπιος, ὃς τὰ ἕτοιμα λιπὼν ἀνέτοιμα διώκει. Quanquam idem apertius videatur vertiſſe Plaut. Pſeud.

Certa amittimus, dum incerta petimus, atque hôc euenit
In labore atque dolore, vt mors obreptat interim.

Addam & hoc Philemonis, quo voluit, nos, ſi abſen-

Ayuntamiento de Madrid

tium ſpe, præſentibus non fruamur, his quidem noſtra-pte culpa, illis verò per fortunam priuandos eſſe.

Ἐὰν δ' οἷς ἔχομεν, τοῖς γε μηδὲ χρώμεθα,
Ἃ δ' οὐκ ἔχομεν ζητοῦμεν: ὧν μὲν διὰ τύχην,
Ὧν δὲ ἑαυτοὺς ἐσόμεθα ἐστερημένοι:

Vide hîc adag.39. Præſtat poſſidere, quàm perſequi, & tom.1. Præſentem fortunam boni Conſule, & ſequẽt.

## Cena terreſtris. 100
## Cena ſine ſanguine. 101

Cvm Hegio Plautinus in Capt. dixiſſet paraſito victũ ſuum eſſe aſperum, atque iſte contrà rogaret num ſenex eſitaret ſentes, reſpondit ſenex ſuam cenã terreſtrem eſſe, ex multis nempe oleribus. Paraſitus verò apud Athenæum 6,5. huiuſmodi cenam, cuius ornandæ cauſſa nullæ ſint cæſæ animantes, negat habere ſanguinem. Verſus elegantiſſimos adſcribam.

Ὅταν με καλέσῃ πλούσιος, δεῖπνον ποιῶν,
Οὐ κατανοῶ τρίγλυφ', οὐδὲ τὰς στέγας,
Οὐδὲ δοκιμάζω τοὺς κορινθίους κάδους·
Ἀτενὴς δὲ τηρῶ τοῦ μαγείρου τὸν καπνόν.
Κ' ἂν μὲν σφοδρὸς φερόμενος, εἰς ὀρθὸν τρέχῃ,
Γέγηθα, καὶ χαίρω, καὶ πτερύσσομαι·
Ἐὰν δὲ πλάγιος καὶ λεπτὸς, εὐθὺς νοῶ
Ὅτι τοῦτό μοι τὸ δεῖπνον, ἀλλ' οὐδ' αἷμ' ἔχει.

Ad cenam vbi me diues inuitat, nihil Triglypha ſpecto tecta, vel Corinthios Cados: at obſeruo coqui fumum: is ruat Si latus in rectum frequénsque; gaudeo, Exſulto & alas concutio: ſi debilis Feratur obliquuſúe, cognoui ſtatim Cenam futuram iſtam mihi ſine ſanguine. Apud eundem Athen. quæ dicat Alexis 8,6. & Diphilus in mercat. 6,2.

Τί τ' ἀλλότριον ἄνθρωπε βασκανώτατε κακὸν ὀξυδερκεῖς, τὸ δ' ἴδιον παραβλέπεις. 102

Plutarchi eſt lib. de Secur. in curioſum & philautum: in quem idem penè ita Hor. Sat. 1,3.

Cùm tua peruideas oculis malè lippus inunctis
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quàm aut aquila, aut ſerpens Epidaurius?

Ayuntamiento de Madrid

Vbi παραβλέπειν. dixit peruidere, id cæcutire, tranſire oculis, non attentè contemplari. Nann. Miſc. 3. ſub finem.

Τραγῳδεῖν. 103

Extulit Demoſth. pro Cteſiph. eodem ſignificatu, quo Cic. pro Milon. tragœdias excitare, pro tumultum mouere ſiue rixas.

## Cynicus. 104

Dicax, & qui ſcurrilibus iocis delectatur, quibus Diogenes cùm delicatos homines increparet, canis dictus eſt. Cic. ad Atticum. 2. loquens de Piſone.

Στωμύλματα. 105

Ἐπιφυλλίδες ταῦτ' ἐστὶ καὶ στωμύλματα, Epiphyllides ſunt hæc & ampullæ meræ. Ariſt. Ranis, dixit in inſulſos blaterones, poëtarum nomine, quod ſuperbè arrogabant, indigniſſimos.

Βραδύς. 106

Βραδὺς ſiue βαρδὺς per metatheſim, idem, qui μοχλός, hebes, ignauus nunc dicitur, olim tamen ſapientem ſignificabat & ingenioſum. Teſtantur Celtarum philoſophi, à Bardo Diuydis filio quinto Celtarum rege, muſicorum & poëtarum introductore cognominati bardi, poſtea tamen abutentium culpa in contrarium ſenſum vox detorta eſt, vt & illæ, ſophiſta, tyrannus, hoſtis, muſicus &c. Fortaſſe cùm Bardus etiam ipſis Gallis olim cantorem ſignificarit, ob leuitatem muſicorum, migrauit in alienũ ſignificatum, quomodo apud eoſdam poëta pro leuiſſimo homine vſurpatur.

## Curſu vitæ 107

Pro quacunque vitæ conditione. Cic. pro Mil. quemcunque curſum fortuna dederit, ſecum ſe ablaturum eſſe dicit. Virg. Æneid. 4. Vixi & quem dederat curſum fortuna peregi.

## Ferreus. 108

Vide ſup. Iunij prou. 44. Centu. 6. Ariſtoph. Acarnamb. ἴσθι νῦν ἀναίσχυντος ὢν σιδηρεῦς τ' ἀνήρ, ſcis nunc impudentẽ te eſſe & ferreum, & impudentem virum. Sic Virg. 10. & 12. ſomnum vocat ferreum, quaſi mortem duram & inuictam. Hom. Iliad. 11. ὣς ὁ μὲν αὖθι πεσὼν κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον.

Ayuntamiento de Madrid

## Galba. 109

Aſſerit Tranquill. Seruium apud Gallos olim appellatũ fuiſſe Galbã, id eſt præpinguem : ſiue, vt rectè annotat Ægid. Tſchud. in Rhetica ſua, *kalf*, id eſt vitulum bene ſaginatum : quod etiam hodie vſurpamus, vt hominem obeſum & geminum, vitulum vocemus.

## Verpus. 110

Sic Maranum & Iudæum hodie vulgò denotamus. Verpus enim, cui mentula præputio nudata eſt, vt Hebræis. Iuuenal.

## Maſſilienſes mores. 111

Pro optimis & probatiſſ. Plaut. Caſina, Cic. pro L. Flacco. Maſſilianam peregrinationem pro Attica diſciplina gratia ſuſcipiebant olim Romani. vide ſup. Nauiges in Maſſiliam: appendice ad Eraſmi Chiliad.

OBSERV. GISEL.

Hanc explicationem qui cum illa infrà, prou. 308. concordarit, idem etiam iungat vulpes, &c.

## In fumum abiit. 112

Sic Itali & Galli rem notant repentè è manibus elapſam, & Plaut. Trinũmo de argento decocto dixit, ὄιχεται. ſup. prouerb. Braſſicani, Ratio apparet, ſed argentum ὄιχεται.

## Cheſippus. 113

Homo imbecilli conſilij, & nullius induſtriæ. Eodem nomine à Zenone vocatus fuit contumeliæ cauſſa Chryſippus. Cic. de nat. Deorum.

## Amor tuſſiſque non cælatur. 114

Peruulgata hæc vox prouerbij vim habere videtur: vterque enim hic morbus, vnus animi, alter corporis etiam inuitis nobis ſeſe prodit : ſimile quid habet Athen. lib. I.

## Murgiſo. 115

Apud antiquos pro inerti & deſidioſo vulgò ferebatur.

## Omne nimium non bonum. 116

Vulgò omne nimium vertitur in vitium. πᾶν δὲ πολὺ πολέμιον τῇ φύσει: καὶ ἡ πλησμονὴ, ἡ λιμὸς, οὐδὲ ἄλλο ἀγαθὸν οὐδὲν, &c.

Ayuntamiento de Madrid

ὅλη, ὅ, τι ἂν μάταιον τῆς φύσεως ᾖ. Plautina Adelphaſium in Pœnulo: Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus ex ſe. Item. Non enim poteſt quæſtus conſiſtere ſi eum ſumptus ſuperat, ſoror, Eò illud ſatiu' ſt ſatis quod ſatis eſt, habitus plus quàm ſat eſt.

## Neminem in os vultumque reſpicit. 117

Ita ſignificant Itali ſeuerum aliquem aut nimis durum hominem.

## Athleta, 118

Qui eximius eſt & præſtans in aliquo artificio. Varro de re ruſt. 2. Vos qui eſtis Epiroticij, pecuarij athletæ, Itẽ 3. Vos athletæ comitiorum, &c. Timæus apud Athen. ἀλλὰ καὶ τῆς ἄλλης ἀδικίας καὶ βδελυρίας ἀθλητὰς ἐποίησεν, aliûs iniuſtitiæ & execrationis primos reddidit.. Demoſt. contra Ariſtog. ἐξ ὧν πάντες ἀθληταὶ τῶν καλῶν ἔργων ἐγένοντο, vnde omnes rerum præclarè geſtarum principes exſtitere. Halicarn. de verborum iunctura. ὑπολειπτέον γίνεσθαι περὶ τοῖς ἀθληταῖς τοῦ ἔργου, ab eius rei peritis fieri exiſtimandum eſt.

## Si non hominum, ſaltem Solis vos pudeat. 119

Ἀλλ' εἰ τὰ θνητῶν μὴ καταισχύνεσθ' ἔτι
Γένεθλα, τὴν γοῦν πάντα βόσκουσαν φλόγα
Αἰδεῖσθ' ἄνακτος ἡλίου. Creon in Œdipode. Solem priſci putabant & honeſtis hominum rebus exhilarari, & eorundem turpibus ſceleribus contaminari: eóque etiam illum, quem nemo poſſet fallere, annumerabant ijs rebus, quæ ſanctitatis plenæ reuocare hominem à ſceleribus deberent. Demoſth. de falſa legatione: καὶ οὔτε τὸν ἥλιον ᾐσχύνονθ' οἱ ταῦτα ποιοῦντες, οὔτε τὴν γῆν πατρίδα οὖσαν, ἐφ' ἧς ἕστασαν, οὔτε ἱερὰ, οὔτε τάφους, &c.

## Ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται. 120

Etiam læſus ſanatur, vel, à nullo alio ſanari poteſt vulnus, niſi ab eo, qui inflixit. Verbum eſt apud Suet. Claudij Cæſaris ad Britannicum: cùm eum ſibi obuium complecteretur: innuentis eo, ſe remedium ei malo, quo Britannicum affecerat, inuenturum, ſublaturũque eſſe Neronem. Tractum ab Achille, qui eadem haſta, qua Telephum vulnerarat, poſtea eum perſanauit. Quo etiam reſpexit Plutarch. περὶ τοῦ ἀκούειν, loquens de morſu quodam, qui in



Ayuntamiento de Madrid

animis ingenioſorum adoleſcentium à philoſophia excitatur, poſſe nempe morſum à ratione ipſa, quæ ipſum inflixit ſanari non minùs ac plagam illam Telephi; ὡς γὰρ μόνον ὥς φησι, ὃ τηλέφου τραῦμα ἀριστοῖσι λόγχης θέλγηται ῥινήμασιν, ἀλλὰ καὶ τῷ ἐκ φιλοσοφίας ἐμφυομένων εὐφυέσι νέοις δηγμὸν αὐτὸς ὁ τρώσας λόγος ἰᾶται.

## Viſus fidelior auditu. 121

Theodoretus in ſua hiſtoria: Viſum, inquit, fideliorem auditu referunt, auditui tamen fit quoque fides, dum ex eorum, qui dicunt, veritate ea, quæ dicuntur, iudicat. Sic Plaut. Truculento: Pluris oculatus vnus, quàm auriti teſtes decem. Et Iuſtinian. Inſtitut. 3. oculatam fidem rem oculis ſubiectam appellat. Lucian. item de ſcriptione hiſtoriæ; μάμιμαι γὰρ ὦτα ὀφθαλμῶν ἀπιστότερα.

## Excidit. 122

Excidiſſe verbum ex ore metaphoricos, cùm id elapſum potius temerè, quàm cogitatè emiſſum ſit, Cic. dixit ſæpè.

## Phagones. 123

Qui ita Græcè dicuntur, Latini eos vocarunt edones, nempe homines gutturis ventriſque vitio deditiſſimos. Varro περὶ ἐδεσμάτων: οἱ ῥ᾽ ἀπομυῶσιν edones Romani, vt turba intendant annonam: ſed propter phagones ficedulam pinguem aut turdum niſi volantem non video.

## Strutio. 124

Homo ancipitis fidei, ambabus partibus ſatisfacere volens. Strutio cùm fera partim ſit, partim auis; pugna inter beſtias & volucres excitata vtriſque ſuam opem pollicita eſt, vt vtris victoria contigiſſet, ipſa eſſet ſalua: capta tamen eſt, & ſuo exemplo eorum exitum, qui ſimulato officio duos diuerſos ſibi deuinciunt, oſtendit. Homerus Martem ideo vocauit ἀλλοπρόσαλλον, quòd nunc his, nunc illis faueat.

## Tua res agitur, paries cùm proximus ardet. 125

Horatij eſt poſteriore epiſtola ad Lollium, admonentis eo, munire ſe quemuis debere aduerſus imminens periculum, quod pares ipſi & ſimiles miſerè afflixit. Liuius 31. Cùm traiecturum velut ex continentibus tectis, in alte-

ram tam propinquam coloniam eſſet, quid tandem prætori faciendum fuiſſet? Salluſt. apud Soſip. 2. Non tu ſcis: ſi quas ædes ignis cœpit acriter, haud facilè ſunt defenſu, quin & comburentur proximæ. Eodem ſimili vtitur quidã legatus apud Polyb. 11.

## Deme ſupercilio nubem. 126

Vide ſup. 55. Vbi notat Iunius apud Philoſtr. Iuniorem, ξυνοφῆ ὀφρῦν, ſupercilium nubilum vſurpari, pro triſti; idque hîc adducto exemplo è Phœniſſis Eurip. cõprobatur: ἀλλὰ γὰρ χρέοντα λεύσσω τόνδε δεῦρο συνοφῆ.

## Telephus. 127

Mæſtos homines, quique ob magnum aliquod acceptum à fortuna vulnus tacent & terram intuentur, olim Telephi ſimiles eſſe aiebãt. Alexis in paraſito: δειπνεῖ τήλεφος δ' ἄφωνος νεύων μόνον τοὺς ἐπερωτῶντας τί. Supra Iun. Centu. 1. prouerb. 79. Vultum demittit tanquam Telephus,

## Ἀγάλματα ἀγορᾶς. 128

Ita cum contemptu Eurip. in Electra vocat homines ſpecie tantùm corporis inſignes, & ſuperbos, nulla virtute inſtructos. Idem apud Athen. 10. λαμπροὶ δ' ἥβῃ καὶ πόλεως ἀγάλματα φοιτῶσι &c. Nos quoque vulgò, de inepto homine magiſtratum, vt fit, gerente, dicimus perinde eſſe, ipſe conſideat cum reliquis, an ipſius locum ſuppleat pileus.

## Ἐν ἀτόμῳ. 129

In momento, ſeu ſpatio temporis indiuiduo, & inſecto, vulgò, *en vn moment*. de ſumma feſtinatione.

## Ῥαβδάττειν. 130

Græcis idem valet, quod ſurſum & deorſum curſitare: id etiam vulgò dicitur de quopiam, qui nulli labori parcens rem ſuam procurat anguſtam.

## Orcini. 131

Plut. in Antonio commemorat accepiſſe Antonium interfecti Cæſaris commentarios, & ex eorum auctoritate, (adſcripſerat ille iis quæ volebat) ſimulabat ſe aliis magiſtratus tribuere, alios ab exilio reuocare, alios vinculis liberare. διὸ τούτους ἅπαντας ἐπισκώπτοντες οἱ ῥωμαῖοι χαρωνίτας ἐκάλουν: ἐλεγχόμενοι γὰρ εἰς τὰ τοῦ νεκροῦ κατέφευγον

ὑπομνηματισμούς, quare iocantes Romani Charonitas appellabant, quòd ſi quid illis eſſet obiectum, ad mortui confugerent commentarios. vide ſup. Idem teſtatur Suet. in Auguſto 35. Senatores quoſdam indigniſſimos & poſt mortem Cæſaris per gratiam & præmium allectos vulgò vocatos fuiſſe Orcinos. Ita enim legit R. Conſtantinus, à quo hæc accepta ad verbum. Ex his videntur Latini Charontem portitorem inferorum etiam Orcum appellaſſe.

## Frigus inducit. 132

Mendacia inſulſique ſermones frigus afferre dicuntur, cuius frigoris tanta vis eſſe dicitur aliquando, vt extinguere poſſit quoduis incendium. Fr. Floridus ſucciſ. lect. 1. Omnes ſales, omnemque leporem amitteret, & Alpina glacie eſſet frigidius. Demetrius de eloquentia, orationis frigidæ quoque mentionem facit, dicítque oſtentationis eandem, quæ frigoris, rationem eſſe.

## Carognia. 133

Χαρώνεια apud Laërtium, in Zenone & Geographos barathra quædam, & Plutonia fœdos odores exhalantia. Hinc Celtæ, quod fœtet cadaueris modo, dicunt, *charogne*: & hominem nihili, indignum qui in vllo ſit numero, vocant vulgò carognia, tanquam cadauer beluæ alicuius eiectum, à vitiorum fœtore.

## A te ſudor abeſt, abeſt ſaliua mucusque. 134

Ita Cat. Furij extremam paupertatem exagitat, quẽ beatum facit, quòd his morbis non eſſet obnoxius, quos epularum copia & luxus ſolent excitare, cùm ne eſſet illi quidem quo latrantem ſtomachum placaret; tantùm abeſt, vt copia cibi ſudorem illi aut pituitam euocaret.

## Tonitrus imbrem antecedit. 135

Sapiens ille, qui peſſimæ vxoris maledicta cùm fortiter tuliſſet, poſtea ab eadem aqua commadefactus eſt, nónne inquit, prædixeram, ὅτι Ξανθίππη βροντῶσα καὶ ὕδωρ ποιήσει; Xantippen, vbi tonuiſſet, aqua pluituram eſſe? Vtemur & nos vbi minas excipiunt verbera: & Celtæ, *Tant tonne qu'il pleut.*

## In mundo. 136

Pro, in promptu, paratum. Plaut. in Pſeudolo, Piſtrinum in mundo ſcibam, ſi id facerem, mihi. Idem in Pœnulo & ſæpè alibi. Tractum à mundo muliebri: ſolent enim illæ, quæ ad corporis cultum faciunt, præſto habere: Vel à minantium more, qui furem aut improbum terrefacientes, in ea ſæpè verba erumpunt; Meminiſti ne inueniri carcerem, compedes, carnificem? vide Feſtum.

## Ne hilum. 137

Minimum, ne tantillum quidem. Cic. Tuſc. 1. Tum illud quod Siſyphus verſat Saxum, ſudans nitendo, nec proficit hilum. & Lucill. 30. apud Nonium. Propriè hilum, parũ illud nigrum, quod in ſummitate fabæ adhæret. Simile, ne gry. Ploch. Michael in dramate: ὁ μὴ δὲ τὸ γρῦ προσλαλῶν εἰδὼς ἔτι

## Digni pilo. 138

Ἄξιοι τριχός: ἐπὶ τῶν εὐτελῶν καὶ μηδενὸς ἀξίων παρόσον ἡ θρὶξ οὐδενὸς ἀξία, in viles, & nihili dignos: pilus enim nullius eſt pretij

## Πλάττεσθαι τρόπον. 139

Latinè quod dicunt, fingere vultum, incèſſum, mores, id ita expreſſit Lyſias oratione ſuper Ariſtophanis pecunia, πρὸς Διομνήστον: ἐνθυμεῖσθε δ᾽ ὅτι ὀλίγον μὲν χρόνον δύναιτ᾽ ἄν τις πλάσασθαι τρόπον τὸν αὐτοῦ: ἐν ἑβδομήκοντα δὲ ἔτεσιν οὐδ᾽ ἂν εἷς λάθοι, πονηρὸς ὤν. Cic. pro Cælio, loquens de Catilina: Verſare ſuam naturam & regere ad tempus, atque huc illuc torquere & flectere; cum triſtibus ſeuerè, cum remiſſis iocundè, cum ſenibus grauiter, cum iuuentute comiter; cum facinoroſis audacter, cum libidinoſis luxurioſè viuere. Ariſtot. in magnis ethicis 2. ſimili oratione aſſentatorem deſcribit, quem ἄρεσκον Græci, Celtæ Curialem vocant.

## Caput fricare. 140

Indicamus eo ſollicitudinem animi, & moleſtiam: caput enim ferè ſcabimus, cùm dubij & incerti ſumus, quid nobis ſit agendum. Luc. Piſo apud Cic. reprehendens C. Cæſarem generum cupidum triumphi: Ita, inquit, ſunt perſcriptæ ſcitè & litteratè, vt ſcriba ad ærarium, qui eas retulit, perſcriptis rationibus, ſecum ipſe, caput ſiniſtra manu perfricans, commurmuratus ſit. innuit perturbatum



Ayuntamiento de Madrid

fuiſſe & animi incertum. Aeſchines. περὶ παραπρεσβείας: καὶ πείψας τὴν ὀργὴν ἐπισημαινομένων τοῦ δήμου καὶ διδεγμένων τοὺς παρ' ἐμοῦ λόγους, &c.

## Sanguinis plenus. 141

Ferus, & iracundus. Lydus in Bacchid. Plauti. Nihil moror diſcipulos mihi eſſe iam plenos ſanguinis, Valens afflictat me vaciuum virium?

## Sanguine caret. 142

Timidus eſt, ac nullius animi. Æſchines, innuens Demoſthenis ignauiã: καὶ ταυτὶ λέγει ἔφη οὐκ εἰκάζων, ἀλλ' ἀκριβῶς εἰδὼς ὅτι αἵματος ἐστιν ἡ ἀρετὴ αἰτία, αὐτὸς οὐκ ἔχων αἷμα.

## Bene eueniat, vertat. 143

Pomponius apud Nonium, Nil petituræ bene eueniat, Ita ſit, & tibi bene ſit, qui rectè ominas. Eſt igitur, Bene eueniat, vox rectè ominantis, & ſecundum euentum optantis. Elegans de eo locus eſt apud Cic. lib. 7. ad Att. vbi Carneadem hanc ominationem ſpurciùs accipientem cũ Epicuræis comparat. Theocr. Thyõ, ὤφελε καὶ χαρεῖν κατὰ νοῦν τεὸν, ὧν ἐπιθύμεις αἰσχίνα.

## Spes alit. 144

Tibull. Spes alit agricolas. Eurip. Phœniſſ. αἱ δ' ἐλπίδες βόσκουσι φυγάδας ὡς λόγος. Æſchill. Agam. οἶδ' ἐγὼ φεύγοντας ἄνδρας ἐλπίδας σιτουμένους. Siti in aduerſis rebus pendent ab inani aliqua, longinquaque ſpe, eaque quaſi viuunt.

## Aprilis piſcis. 145

Ita Galli mœchum appellant: quoniam menſe Aprili ſcombri, quos macquerellos recentior ætas vocauit, maximè ſint in deliciis.

## Tale ingenium, qualis oratio. 146

Bacchidis eſt ad Antiphilam in Heaut. Terentij. Nam mihi quale ingenium haberes, fuit indicio oratio. Quòd ita Græci: ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται. Vbi χαρακτὴρ, nota, quæ inurebatur corpori animalium ad genus indicandum, eleganter, ad hominis ingenium & mores transfertur, & nos ſic melioris vel deterioris notæ homines dicimus. γνωρίζεται valet, nota quadam & tanquam indicio cognoſcitur: vnde γνωρίσματα in Græcorum fabulis, ſunt monumenta, & cætera, quibus quis diu ignotus agnoſcitur.

Ayuntamiento de Madrid

### Κατὰ ςαθμήν. 147

Theodorit. in Heracl. αὐτὸς γὰρ μάλα ῥεῖα κατὰ ςαθμὴν ὤνησας: & quidem facilè valdè ad amuſſim perpendiſti: id eſt, abſolutè & perfectè. Nam & alibi ea, quæ exquiſita cura ſunt elaborata, ad amuſſim & ad vnguem facta dici notatum eſt.

### Recoctus. 148

Senem recoctum vocat Cat. in quodam hendec. veteratorem inſignem, qui longo vſu didicerit quid diſtent æra lupinis. Sic Hor. 2. Sat. 5. recoctum ſcribam. Celtæ, *vng vieux routy*. Coctum enim alioqui quidquid vetus. Perſ. Vt ſolidum ramale prægrandi ſubere coctum. Virg. 11. de telo; ſolidum nodis & robore cocto: quod ad roborationem artis ingenio quæſitam torquet Donat. Sic apud Perſium: incoctum generoſo pectus honeſto, id eſt, duratum & in virtutum actione probè exercitum. Nec aliter dixit Quinctil. 12. Ciceronem ſe Moloni rurſum formandum & recoquendum dediſſe. Acroni recocti ſcribæ ſunt, qui ſæpius pro conſulibus miſſi ad prouincias vſu exercitatiores euaſerant; vt Donat. veteratorem deducit à multarum rerum gerendarum vetuſtate.

### Comæ venuſtate vel Abſolona vincentes. 149

Καὶ τὸν ἀβεσσαλὼν αὐτὸν εἰς τρίχωσιν νικῶντες. Zezes in Omnig. hiſt. de Abſolone Dauidide comæ venuſtate omnes mortales ſuperante vide 1. Reg. Achilleas etiam comas vt prolixas & denſas celebrat Martial. de Menogene Paraſito loquens. & certè Philoſtrat. in Heroicis ita de Achille: τὴν μὲν δὴ κόμην ἀμφιλαφῆ αὐτῷ φησὶν εἶναι καὶ χρυσοῦ ἡδίω, καὶ εὐσχήμονα, ὅπῃ καὶ ὅπως κινοίη αὐτὴν ἢ ἄνεμος, ἢ αὐτός. Quāquam eidem iuueni tribuit ſparſam & prolixam cæſariem, ἐπισκιῶνιόν τι καὶ θυμοειδὲς φρύαγμα, velut vmbraculum quoddam frōtis, & magni animi, quò ferociat magis, incitamentum.

### In gradum reponere. 150

Pro, deiectum reſtituere. Gradum, valere exiſtimationem & honoris locum, vulgare eſt. vide Marcell. D. 23. t. de ritu nupt. 49. Affine, Terentij illud Andr. 4, 1. Cupio, reſtitue in quem me accepiſti locum. & illud Vlpiani D. 43. tit. ne quid in loco pub. 2. Qui in priſtinum



Ayuntamiento de Madrid

locum reducit,&c.

## Nube pari. 151

Coniunge te, vtere paribus tibi. Vide Marcellum loco d. Obſeruandum eſt quod inferioris, &c. Ouidij Deianira ad Herc.

Tam malè inæquales veniunt ad aratra iuuenci
Quàm premitur magno coniuge nupta minor.

## Artificium omne incrementum recipit. 152

Martian. D. 32. tit. de leg. & fideicomm. 65. Cùm omnes adhuc diſcere poſſint, & omne artificium incrementum recipiat: quod magis obtinere debet, quia humanæ naturæ congruum eſt. Pompon. D. 40. t. de fideic. libertat. 20. Nam ego diſcendi cupiditate, quam ſolam viuendi rationem optimam, quam ſolam diſcendi rationem optimam in LXXVIII. annum ætatis duxi, memor ſum eius ſententiæ, quam dixiſſe fertur: κἂν τὸν ἕτερον πόδα ἐν τῇ σορῷ ἔχω πρὸς μαθεῖν τι βουλοίμην &c. Similem Solonis ſententiam habes in Catone Ciceronis Anton. Auguſt. emendat. 1, 8.

## Publica priuatis potiora. 153

Valerius 2, 1. de Fabio patre ad filium Coſ. Publica inſtituta priuata pietate potiora iudico. Eodem pertinent, quæ ſcribunt de iure publico non ſequēte ius poteſtatis ecc. neque cautionibus remittendo Hermog. D. 36. t. ad Senat. Trebell. 14. & Vlpianus D. 26. t. de adminiſtrat. &c. 5. Et Cic. pupillorum cauſſam ideo communem omnium cauſſam vocat in Verr. 3.

## Libertas res inæſtimabilis. 154

Adeò libertas res eſt inæſtimabilis, vt etiam pecunia lui non poſſit. Vlpian. D. 40. t. de ſtat. libert. 9. Iuſtinia. Inſtitut. 1. t. quibus ex cauſſ. Paull. de diuerſis reg. iuris. & ibidem Caius. Euripides apud Stob. τὸ ἐλεύθερον ὄνομα παντὸς ἄξιον.

## Mediam viam eligere. 155

Vbi paribus vtrinque rationibus diſtrahimur, tutiſſimū eſt medium inter duo extrema amplecti: id enim ſimpliciſſimum. Iuſtinian. in Inſtit. ſæpius, & nominatim l. 3. t. de agnat. ſucc. §. cæterum.

Ayuntamiento de Madrid

### Conueniunt rebus nomina ſæpè ſuis. 156

Iuſtinian. vbi donationes ante nuptias, quæ poſt nuptias accidebant, iubet vocari propter nuptias: dicit id à ſe fieri, quòd nomina conſequentia rebus eſſe ſtuderet.

### De ſtatu mentis deturbare. 157

Pro, commouere & deiicere. Vſurpauit ex Demoſthene Saturninus D. 48. t. de pœnis. Sic qui ira corripiuntur, dicuntur de poteſtate aut mente exire, id eſt, de conſilio & ratione.

### Prope eſt. 158

Pro, quaſi, ferè eſt, interprete Alberico. Papin. D. 39. tit. 6. de mortis cauſſa don. 42. Quod ab alio, nomine ipſius, præſente eo datur, prope eſt, vt ab ipſo datum intelligatur. Mutauit id Haloand. in, propriè eſt. Multa huius generis ad modeſtiam vſurpant Iuriſc. vt penè eſt, parum eſt, &c.

### Μονομερῶς. 159

Apud Paull. D. 36. t. 1. c. 81. pro, peremptoriè & ſine replicatione vſurpatur. Appellatione facta, cùm Phœbus ſolus egiſſet, μονομερῶς victus eſt, quia ei vel eis, verba vtroſque fratres complecterentur, &c.

### Copa. 160

Mulier vaga, à ſaltatrice Copa, Mæcenatis liberta, quæ ob mollitiem malè audiebat. de ea exſtat Vergilij epigramma.

### Coruum miſimus. 161

De his, qui curaturi negotium diutiùs hærent in via: à coruo Phœbi miniſtro, de quo fabula Faſt. 2. apud Ouid. vel à coruo Noë. Geneſ. 8.

### Syri aduerſus Phœnices. 162

Σύροι πρὸς φοίνικας. De duobus, qui hoc vnum aſtutè agunt, vt dolis ſe mutuo circumueniant. Syri ob aſtutiam olim malè audierunt, vt & Phœnices.

### Campas dictis abigi. 163

De iis dixit Plaut. Trinummo qui verba non curarent, ſed rem ipſam. Solent enim Campæ, id eſt vermiculi, ſecũdum Catonem, æſtatis tempore olera & arbores infeſtantes, nobis erucæ, quibuſdam carminibus exſtingui.

Ayuntamiento de Madrid

## Hirci cuculus. 164

Ita Itali eos notant, quibus vxores ſunt impudicæ: vel quòd hirci zelotypia non afficiantur: vel quòd eos vxores tanquam hircoſos auerſentur, qua poſteriore ratione hircos accipit Cat. & hircoſos ſenes Plaut. Mercatore. Nos proſtitutores ſuarum vxorum cuculos vocamus vulgò: quod cuculus ferè in hypolaidis ſeu currucæ nidũ oua transferat: quanquam ea ratione currucæ potius dicerentur, quòd alij in ſuum nidũ oua congerant: & adulterium, quaſi ad alterius thorum. Plautus in Perſa, & Trinummo.

## Eruca. 165

In turpem & ſalacem maritum: nam & ea herba ſalax eſt, teſte Virg. in Iuuenil. Macro, Ouid. de Arte 2.

## Sedet. 166

Negligentes, & cunctanter aliquid obire. Cic. in Piſonem, non dicam malè ſentienti, ſed ſedenti, cunctãri, dormienti, in maximo reip. motu conſuli? Demoſt. 1. Philip. καὶ κύκλῳ πανταχῆ μέλλοντας ἡμᾶς, καὶ καθημένους περιστοιχίζεται. Plaut. Pœnulo. Rem in pauca confer: ſitiunt qui ſedẽt. Virg. 12. Sedeant, ſpecténtque Latini. Vbi ſedere etiam ignauæ ceſſationis eſt.

## Bambalio, Batalus, Bacelus, Babalus. 167

De loquaculo, & blaterone, qui multa, eáque inania confuſè, nec ſatis diſtinctè loquitur. Hinc celtè, *Bauard, babillard, & baueur*. Primum nomen impoſitum fuit M. Antonio, qui teſte Cic. Phil. 3. homo cùm eſſet nullo numero, propter hæſitantiam linguæ, ſtuporémque cordis cognomen ex contumelia traxit. vide ſuprà prou. Braſſicani, Bambalio. Adamantius vetus Gramm. Atque bambalo φαμιστὴς ἀπὸ τοῦ βαμβαλίζειν. Græci batalum mollem appellant, bacelum ſtultum, Babalum loquacem, Plaut. Pſeudolo: Bombax dixit.

## Πομπικός. 168

Ita Attici Heraclidem Ponticum immutato paulùm nomine vocabant, ab inceſſu delicato, cultu corporis, & veſtitu. Celtæ etiamnum tales *pompeux* vocant. Quæ in pompa ferebantur, ſplendoris & magnificentiæ plena

Ayuntamiento de Madrid

erant. Prochicus Dramate. ὑπὸ φρονηματισμοῦ ἀρχικοῦ ἐξαλ-μένος, pompaticè & regali ſuperbia elatus.

Διαστρέφειν ὀφθαλμόν. 169

Illud Græcorum Cic. in Lucullo reddidit, torquere oculum, & alioqui Latini διάστρεφον ὀφθαλμοὺς ſtrabum vocant.

Δόρκας. 170

Lucr. 4. Neruoſa & lignea Dorcas. innuit amantes ſuas puellas, ligno arido & exſucco corpore, ὑποκορίζοντας appellare Dorcades, à beſtiola duriſſima cute, & verè lignea.

## Ne gleba agri illi relicta ad locum ſepulturæ. 171

De homine, cui à ſummis diuitiis & copiis ad ſummam paupertatem vel ad reſtim potiùs res rediit. Humabant enim mortuos in agris veteres. Liuius 11. Cic. pro Roſcio. Æſchines de Timarcho loquens, Ariſtoph. in ἐκκλησιάζ.

Διοπετής. 172

Cic. 1. de finib. Tum verò ſi ſtabilem ſcientiam rerum tenebimus; ſeruata illa, quæ quaſi de cælo lapſa eſt ad cognitionem omnium regula ad quam omnia iudicia rerum dirigentur, nunquam vllius ratione victi ſententia deſiſtemus. Vbi ſine dubio notat Epicuri librum περὶ κριτηρίου, ἢ κανόνων, quem, eius ſectatores adeóque omnes cùm ſuſpicerent, & non humano ſed diuino ingenio confectum eſſe vellent, διοπετῆ, de cælo lapſum dicebant: ideóque eundem idem Cic. de nat. Deor. cæleſtem appellat. Plut. aduerſus Colop. οὐ γὰρ κολώτῃ μὲν ἄξιος ἐφαίνετο καὶ χρέος ὁ χρέος, ὅτι τοῖς διοπετοῖς ἀνήγαγε κανόνας. De cælo igitur venire, ſeu cadere, teſte etiam Agell. 15, 15. dicuntur, qui virtute, prudentia, moribus excellant: vnde Iouis filij, quanquam apud Minucium qui repentino & inopinati apparent, de cælo etiam cadere dicantur, vt liquet ex Tibull. 2, 3. Vid: Eraſmi adagium. Terræ filius. Huc refer ancilia Numæ, & Magnam Dianam Epheſiorum διοπετῆς. Actorum 19.

Χειρὶ, καὶ ποδὶ, καὶ πάσῃ δυνάμει. 173

Æſchines contra Cteſiphontem: μήτε αὐτοὶ τὴν ἱερὰν γῆν

ἐργάζεσθαι, μήτε ἄλλοις ἐπιτρέψειν, ἀλλὰ βοηθεῖν τῷ θεῷ, καὶ τῇ γῇ ἱερᾷ, καὶ χειρὶ καὶ ποσὶ καὶ πάσῃ δυνάμει. vide ſup. Omni voce: prouer. appendicis in Eraſmi Chiliad. & Manibus pedibúſque.

Μολυβδίνη μάχαιρα. 174

Eo notare ſolent Græci iudicium ſiue aliquid aliud infirmum. Eadem voce vſus eſt Diogenes illo apophthegmate: οὐκ αἰσχύνῃ ἐξ ἐλεφαντίνου κολεοῦ μολυβδίνην ἕλκων μάχαιραν;

Titani. 175

Homines ſæuo ingenio & immani, qui iuſiurandum fidemque violant, imò non magiſtratibus tantùm, ſed ipſis etiam Diis repugnant, & veluti bellum indicunt. Cic. de legib. 3. Noſter verò Plato Titanum è genere ſtatuit eos, qui, vt illi cæleſtibus, ſic hi aduerſantur moribus. Plaut. item in Perſa.

Præter plorare nihil relictum. 176

Vox eſt peruulgata Celtarum, quam expreſſit Hor. Sat. 2. 5. inueniétque Nil ſibi legatum præter plorare, ſuiſque. Et Græci, quem à ſe contumelioſè dimittunt, plorare iubent. Cic ad Q. fratrem: ἀλλ' οἰμωζέτω; nos modò valeamus. Hor. Sat. 1. vlt. tu Tigelli, Diſcipulorum inter iubeo plorare cathedras. Ariſt. Pluto: ἐγὼ μὲν οἰμώζειν λέγω σοι· & κλάειν ἔγωγέ σοι λέγω. Lucian. plurib. locis, & primo ſtatim dial. mortuorum.

Per nebulam, caliginem videre, audire. 177

Pro, incertè, obſcurè, non planè. Cic. Philip. 2. Quod videbam equidem per caliginem. Duriùs videtur dictum à Plauto in Capt. Nunc edepol demum in memoriam regredior, audiſſe me quaſi per nebulam, Hegionem meum patrem vocarier. Neque multò aliter in Pſeudolo. Nebula ſenſum oculorum impedit: non ita aurium. i. migratio igitur in poſteriore eſt ab oculis ad aures. Eleganter etiam Cic. ad Atticum: In ſtrepitu videor exaudiſſe: pro, non firmiter. Nam & multorum ſtrepitus & clamor facit vt non certò quæ dicuntur queant intelligi.

Strenuis abundè dictum puta. 178

Marius in extrema concione apud Sall. Plura dicerem, ſi timidis virtutem verba adderent: nam ſtrenuis abundè

Ayuntamiento de Madrid

dictum puto. Huc illud Soſiæ Terent. dictum puta: nempe vt curentur rectè hæc. & Antiphonis: Ah dictum ſapienti ſat eſt. vide Manutii annot. in Cat. vbi hanc ſententiam monet deſumptam à Demoſth. περὶ συντάξεως.

Ἀρχιτέκτων ἐπιβουλῆς. 179

Conſultationis architectus. Demoſth. contra Dionyſiod. καὶ ἡμεῖς ἐπειδὴ τάχιστα ἐπυθόμεθα τὸ γεγονός, ἐκπεπληγμένοι τῷ πράγματι, προσῆμεν τούτῳ τῷ ἀρχιτέκτονι τῆς ὅλης ἐπιβουλῆς. tralatio à ſtructorum principe, qui reliquis ædificandarum domorum fabris imperat. Sic Cic. pro Cluentio: Et illi, qui Fabricii libertum, quia miniſter in maleficio fuerat; patronum, quia conſcius, condemnaſſent; ipſum principem atque architectum ſceleris abſoluerent? Idem pro Roſcio: Omnium architectum & machinatorem vnum eſſe Chryſogonum.

## Quicquid in buccam venerit. 180

Temerè, negligenter, nullo delectu ſententiarum habito. tom. 1. 181. Plat. 8. de Rep. οὐκοῦν κατ' Αἰσχύλον ἔφη, ἐροῦμεν, ὅτι νῦν ἦλθ' ἐπὶ στόμα. Sic & Plut. ἐρωτικῷ. Aliter paullo Halicarn. de comp. verb. εἰ μέλλουσι μὴ πᾶν, ὅτι καὶ ἐπ' ἀκαιρείμαν γλῶσσαν ἦπος ἔλθῃ, λέγειν, μηδὲ ἐκῇ συνθήσειν τὰ προστυχόντα ἀλλήλοις

Ὑπορρεῖν. 181

Influere: de rebus aurium ſenſui ſubiectis, tralatione ab aquis. Plat. 4. de Rep. οὐ γὰρ ἐργάζεται ἔφη ἄλλο γε ἢ κατὰ μικρὸν εἰσοικισαμένη ἠρέμα ὑπορρεῖ πρὸς τὰ ἤθη τε καὶ τὰ ἐπιτηδεύματα. Cic. de leg. 2. Aſſentior Platoni, nihil tam facilè in animos teneros atque molles influere, quàm varios canendi modos.

## Digito attingere. 182

Pro, leui iniuria aliquem attingere, ſi iniuria eſt dicenda, cùm detrimenti nihil, ignominiæque importatur. Cic. Lælius, ſi digito quem attigiſſet, pœnas dediſſet. at Cinna collegæ ſui conſulis Cn. Octauii præcidi caput iuſſit. Plaut. in Perſa. Licinius apud Agellium. Itidem ἅπτεσθαι vſurpant Græci. Ariſt. de ortu. φαμὲν γὰρ ἐνίοτε τὸν λυποῦντα ἅπτεσθαι ἡμῶν, ἀλλ' οὐχ αὐτοὶ ἐκείνου. Item verbum θιγεῖν: quomodo Latini tangere. Virg. Nec ſolos tangit Atridas Iſte dolor. quanquam in Terent. Eunucho etiam ſuma-

Ayuntamiento de Madrid

tur, pro acriter mordere, pungere, exiſtimationem acutè lædere. Quid Gnato? quo pacto Rhodium tetigerim, &c.

Καὶ τυφλῷ δῆλον. 183

De rebus manifeſtis. Polybius 16. Vulgaris hyperbole Latinis, & pleriſque nationib.

## Sed quis cuſtodiet ipſos Cuſtodes. 184

Hac poëtæ cuiuſdam Latini ſententia ſignificabimus, non omnibus cuſtodibus fidendum eſſe. Plat. de Repub. 3. de ebrio agens magiſtratu: γελοῖον γὰρ δὴ ὅς τὸν γε φύλακα φύλακος δεῖσθαι. Cic. Diuinatione Verr. Cuſtodem, inquit, Tullio me apponite. Quid? mihi quàm multis cuſtodibus opus erat, ſi te ſemel ad meas capſas admiſero? qui non ſolum ne quid enuncies; ſed etiam ne quid auferas, cuſtodiendus ſis. Idem Philipp. 3. cùm ſe Antonius vrbis cuſtodem futurum dixiſſet: O præclarum cuſtodem! ouium, vt aiunt, lupum.

Ἔναυλον ἔχειν. 185

Significat aliquid ex audito ſonore vel cantu reſtare in auribus quòd quaſi idem inſuſurret, diutiúſque illîc maneat. Plut. de lectione poëtarum. πρὸς ταῦτα δὴ πάλιν παρασκευάζωμεν εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς ἔχειν ἔναυλον, ὅτι ποιητικῇ μὲν οὐ πάνυ μέλον ἐστὶ τῆς ἀληθείας, in auribus ſemper obſtrepentem hanc vocem habere, & quæ continenter eandem ſententiam renouet. Plato de leg. 3 Ariſt. ſectione probl. 12. ὡς ἔναυλον εἶναι τὴν δύναμιν, ἐάν τις αὐτῆς πληρωθῇ, καὶ μὴ ταχὺ ἐκλείπῃ τὴν αἴσθησιν. Cic. Leptam noſtrum cupio delectari iam talibus ſcriptis, vt ſi abeſt maturitas ætatis, tamen perſonare aureis eius huiuſmodi vocibus non eſt inutile.

## Medium ferire. 186

Arbitri eſt, qui, cùm ſententiam fert, æquo vtrinque momento & interuallo diſcedit. Cic. de fato: Chryſippus tanquam arbiter honorarius medium ferire voluiſſe. Plat. de leg. 5. ἐγὼ γὰρ αὐτός σοι συγχωρῶ τὸν λύπης τε καὶ ἡδονῆς ἀκέρατον βίον φεύγειν δεῖν πάντως, μέσον δέ τινα τέμνειν ἀεί. Idem in Protagora: & epiſt. ad Dionis propinquos.

## Dignus qui ranis miniſtres. 187

Pherecrates apud Athenæ. 10. ἔρρ᾽ ἐς κόρακας, βατράχοις οἰνοχοεῖν σε δεῖ. Eodem vulgò vtuntur, vbi miniſtri vinum

Ayuntamiento de Madrid

nimia aqua diluendo eius vim perdunt.

Ὑδαρές. 188

Aquoſum : tralatè, tenue, infirmum, leue. Ariſt.polit.2. ἐν δὲ τῇ πόλει τὴν φιλίαν ἀναγκαῖον ὑδαρῆ γίνεσθαι διὰ τὴν κοινωνίαν τὴν τοιαύτην. Celtæ etiam vulgò aliquas res, quæ multum ſuarum virium amiſerunt, & valdè tenues ſunt, dicunt, *annacquate* : vt ſolem etiam obſcuriorem, nec vt ſolet, fulgentem.

Σκληρὸν ἦθος. 189

Vt Latini tralatione à corpore ad animum durum faciunt hominem, qui neque pudore, nec precibus mouetur: Ita Græci fecerunt σκληρὸν ἦθος.

Κατεσθίειν δακτύλους. 190

Cùm cibi ſuauitatem, & auiditatem eorum quibus apponendus eſt, oſtendemus. Ariſtoph. apud Athen. 4. ἐπεὶ παρέθετες αὐτοῖς ἰχθῦς, ἢ κρέας, κἂν μοι κατεσθίωσι, καὶ τοὺς δακτύλους ἐθέλω κρέμασθαι διχῶς. Plaut. Pſeudolo. Vt quiſque quid conditum guſtauerit, ipſos ſibi faciam vt digitos prærodat ſuos. Celtæ aliquem dicunt delectari cibo *iuſques à leſcher ſes doigs.*

OBSERV. GISEL.

Κατεσθίωσι fortè, ita legas. μὴ κατεσθίωσι καὶ τοὺς δακτύλους, ἐθέλω, &c.

## Mala beſtia eſt. 191

Vox frequens Italis, Gallis, Plauto in Bacchid. & Pœnulo, Catullo in Rufum. Lucianus in Rhet. præceptore, Belucum pro, beſtiæ ſimilem, dixit.

Ὁμόσε βαδίζειν. 192

Cominus cum hoſte congredi. vſus eſt Plut. in Theſeo tralatè à rebus bellicis. Idem valet ὁμόσε χωρεῖν, teſte eodem περὶ ἀδολεσχίας : ὁ μὲν γὰρ στωικὸς Ἀντίπατρος ὡς ἔοικε μὴ δυνάμενος, μηδὲ βουλόμενος ὁμόσε χωρεῖν τῷ Καρνεάδῃ μετὰ πολλοῦ ῥεύματος εἰς τὴν στοὰν φερομένῳ, &c. Dicitur & ὁμόσε χωρεῖν τῇ ἀληθείᾳ, conferre pedem cum veritate, propiùs accedere ad virtutem.

Πάλαισμα. 193

Aſtuta ratio vincendi aduerſarium, qua vtebantur pugiles in certaminibus. tralatè, callidum aliquod ac vafrum conſilium. Æſchin. contra Cteſiph. μὴ δ᾽ ἀγνοεῖσθ᾽ ὅτι πάλαισμα τοῦτ᾽ ἐστὶ δοκαστικεῖον. Xenoph. ἀπομνημ. 2.

Ariſtoph. in βατράχοις.

## Fumus pulchriorem ſequitur. 194

Vulgatum hoc prouerbium expreſſit paraſitus Ariſtophontis apud Athen. 6. ὑπομένω πληγὰς ἄκμων, καὶ κονδύλους, πλάττει δὲ τελαμῶν', τοὺς δὲ καλοὺς παρᾶν καπνός. Plagas patior ipſe incus, atque condylos: Telamonque fingo: fumus & pulchros probo.

### Εάσωμεν εὕδειν. 195

Plat. in Phædro: Τισίαν τε καὶ Γοργίαν ἐάσωμεν εὕδειν, ſinamus quieſcere: cum contemptu quodam dixit Xenoph. ἀναβασ. 1. ἐμοὶ οὖν δοκεῖ οὐχ ὥρα εἶναι ἡμῖν καθεύδειν, οὐδ' ἀμελεῖν ἡμῶν αὐτῶν. ſignificans non ceſſandum eſſe.

### Πολεμεῖν χρόνῳ. 196

Valet, veteri opinioni repugnare, & ab eo, quod diu creditum eſt, liberè diſſentire. Plut. in Theſeo: οἱ δὲ μεταῦθις συγγραφεῖς ὁμόσε τῇ φήμῃ βαδίζοντες, καὶ τῷ πολλῷ χρόνῳ κατὰ συμφωνίαν πολεμοῦντες &c. itidem in Oſiri & Iſide. fortaſſe etiam dicebant Græci πολεμεῖν φήμῃ eodem ſenſu: nam apud eundem Plut. Sympoſ. 5. 7. eſt βοηθεῖν φήμῃ, peruulgatam opinionem adiuuare & ſtabilire. ἔφη τὰ μὲν γινόμενα τῇ φήμῃ θαυμαστῶς βοηθεῖν· τῷ δ' αἰτίας ἀπορεῖν, ἀπιστεῖσθαι τὴν ἱστορίαν δικαίως De faſcino loquitur.

## Tollit ſupercilium. 197

De irato, & minitante alteri malum. Vultus enim index animi. Cat. in Ianuam: quem dicere nolo Nomine, ne tollat rubra ſupercilia. Diphilus idem tribuit mærenti & triſti, ὅταν inquit ταπεινὸν μεγαφρονεῖν ποιῇς λόγος: τὸν τὰς ὀφρῦς αἴροντα συμπιθεὶς γελᾶν, &c. In Priapeorum initio contractum ſupercilium ſeueritatis nota eſt.

### Εἰσῆλθέ μοι θεῖον. 198

Vlyxes apud Eurip. Cyclop. ita conſilium vocabat, quaſi à Deo immiſſum, quo vltus eſt Polyphemum. Ita Dolon Iliad. 10. ἕκτορ ἐμ' ὀτρύνει κραδίη καὶ θύμος. fingit cogitationem ab animo excitari. Vtrunque Virg. 9.

Dii ne hunc ardorem mentibus addunt
Euryale? an ſua cuique Deus ſit dira cupido?
Aut pugnam aut aliquid, &c. Mens agitat mihi, &c.

Sic Georg. 3. de furore equorum: & mentem ipſa Venus dedit: vt mentem dare vel iniicere, ſit excitare deſiderium alteri,

Ayuntamiento de Madrid

alteri, vel impellere. Cic. in Catilinam. Idem pro Milone. Hic Dii immortales mentem dederunt illi perdito & furioſo, vt huic inſidias faceret. Suprà dixerat, mentem iniecit & amentiam, quod Græci ἐμβαλεῖν ſiue ἐμποιεῖν νοῦν. Demoſth. Philippica. 1. & Iſocr. ad Philipp. Macedonem.

Χέρσος. 199

Inculta & ignaua terra. tralatè virgines perpetuæ, nuptui non traditæ: item, ſteriles, & quæ non concipiunt. Soph. Oedip. Χέρσους φθαρῆναι κ' ἀγάμους ὑμᾶς χρεών.

## Album colorem ab atro non diſtinguit. 200

Vulgatum de eo, qui non corporis luminibus, ſed animi caret: neque vllo ingenii acumine præditus eſt.

Λέγειν καίρια. 201

Pro, ſententias vtiles ſapientéſque edere; illæ namque opportunæ ſunt, ac tempori aptæ. Æſchylus bis in trag. ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας. Item in coëphoris: σιγᾶν θ' ὅπου δεῖ, καὶ λέγειν τὰ καίρια.

Γράφειν ἐν φρεσίν. 202

Pro, condere in animo quippiam atque illic firmiter collocare, vt ea, quæ litteris conſignamus. Æſch. Prometheo: ἣν ἐγγράφου σὺ μνήμοσιν δέλτοις φρενῶν. Pind. Olymp. 10. τὸν ὀλυμπιονίκαν ἀνάγνωτέ μοι ἀρχεστράτου παῖδα, πόθι φρενὸς ἐμᾶς γέγραπται. innuens memoriam eius fore ſuo in animo ſempiternam. Cic. ſæpè id dixit, inſculpere in mente. Ter. Andr. Etiam nunc mihi ſcripta illa dicta ſunt in animo Chryſidis.

## Oculi dolent. 203

De re moleſta & odioſa, oculis moleſta. Ter. Phorm. 5. II. Vin primum hodie facere, quod ego gaudeam Nauſiſtrata, & quod tuo viro oculi doleant? Sic in Plaut. Aſin. Pater intemperans, cum amica filii accubans: Num quid nam, inquit, tibi moleſtum eſt mi gnate, ſi hæc inde mecum accubat? Pietas pietas, reſpondet filius, oculis dolorem prohibet, &c. Græci contrà oculorum ægritudinem vocant id quo viſo frui non licet. Sic Alexander de puellis Perſis captiuis, teſte Plut. ὡς εἰσὶν ἀλγηδόνες ὀμμάτων αἱ περσίδες.

Τὸ ἐμὸν γ' ἐμοὶ λέγεις ὄναρ. 204

Idem quod ego de hac re ſentis. Plát. de Rep. 8. τὸ σὸν



Ayuntamiento de Madrid

ὄναρ σοι διηγοῦμαι. Cic. ad Att. 6. vlt. Monebas de Q. Cicerone, filio, vt eum quidem neutiquam relinquerem, τὸ μὲν ὄναρ ἐμοί. eadem omnia quaſi collocuti eſſe vidimus; non fuit faciendum aliter. Soph. Electra, ὡς ὁ μακρὰν ἐν, ἀμμένω τὸ μὲν φρενῶν ὄναρ αἰωρούμενον.

Εἰς τέφραν γράφειν. 205

De rebus quæ ſubito diſſipantur, nec ſtabilitatis aliquid aut conſtantiæ habent. Cat. eadem ſcribit in vento & aqua. vide ſup. 94.

## Labefactare munere. 206

Durum & offirmatum flectere & delinire, quo modo dicimus, expugnare pudicitiam Cat. in Ruff. Non, ſi illam raræ labefactes munere veſtis. Non diſſimiliter Græci. Herod. 8. de præfectis claſſium ſociorum in fide retentis pecunia. οὗτοί τε δὴ πληγέντες δώροισι ἀναπεπεισμένοι

## Præſentia atque viua. 207

Soph. in illo Trachin. ἣ μοι χρόνῳ τῷ ζῶντι καὶ παρόντι νῦν ἔφασκε, &c. tempus præſens & viuens dixit quod inſtaret. Cic. etiam veteribus exemplis opponit præſentia & viua, ſumpta nempè ab iis qui etiam tum viuerent. Et pro Seſtio cauſſam dixit viuere, quæ antea cùm commodè defendi non poſſe videbatur, veluti mortua iacebat.

Χρόνου φείδου. 208

Breui & ſapiente hoc dicto volebant veteres, tum quia breuis eſt vita, tempus fruſtrà in rebus inanibus conſumẽdum non eſſe: tum parcendum eſſe quotidianis ſumptibus: ne, ſi fortè vita contingat longior, res ad vitam neceſſariæ deſint. Clemens ſtrom. 1. Cic. de fin. 3. Vetera præcepta ſapientem iubent tempori parcere &c. Et Theophraſtus apud Stob. 3. tempus dicebat eſſe πολυτελὲς ἀνάλωμα.

## Velitari. 209

Primas iactare haſtas. Cic. de Orat. 2. Atque eiuſmodi proluſio illa debet eſſe, non vt Samnitum, qui vibrant haſtam ante pugnam, quibus in pugnando nihil vtuntur, ſed vt ipſis ſententiis, quibus proluſerunt, vel pugnare poſſint.

## Alcinoi apologus. 210

Ariſt. Rhet. 4. ἔτι μὴ πεπραγμένα δεῖ λέγειν ὅσα πεπραγμένα οἶκτον ἢ δείνωσιν φέρει· παράδειγμα ὁ ἀλκινόου ἀπόλογος, ὅτι

θεὸς τὴν πηνελόπην ἐν ἐικοσι ἔτεσι πεποίηται, &c. quæ geſta non ſunt, ſi commiſerationem aut indignationem faciunt, perinde vt geſta narranda: huius exemplum Alcinoi apologus, quid apud Penelopen xx. annis eſſet factum, &c. Vtemur cùm narramus quædam, quæ poſſunt in immenſum extolli figmentis additis. Ita de Penelopa finxerunt quidam, quid per xx. annos illos, quibus exciſa fuit Troia, & errauit Vlyxes, fecerit. Huc referas librum de Chriſti vita in Ægypto maiorem ipſis bibliis, verum Alcinoi apologum.

## Cribro vaticinans. 211

Stultè de rebus occultè diuinans: à diuinationis genere, quod ſuſpenſo, circumactóque cribro peragebatur.

## Florent fabæ. 212

Vulgò hoc nomine fabarum flores laborant, quod ſtultitiam pariant. cauſſam eius ſtatuit L. Lemnius grauem & fumidum inde halantem vaporem: eius Occulta naturæ miracula vide lib. 2. cap. 7.

## Κερασβόλος. 213

Homo duræ ceruicis, quíque nec leges neque vllum animi cultum recipit. Plat. Semina verò κερασβόλα & ignis iniuriæ inuicta reſiſtere γεωπονικῶν 14. legitur, nec aqua macerata tenereſcere, Etymolog. auctor eſt.

## A Dorio ad Phrygium. 214

Inter nullos modos minùs cõuenit quàm inter Dorium, & Phrygium, vt ſi ab illo tranſeas in hunc, protinus offendantur aures, præſertim in genere diatonico. Id quomodo fiat explicat ſatis latè Gilbertus ex iis, quæ in hanc ſentẽtiam ſuis aliquando Henr. Glareanus dictauerat. Sed cùm in autographo noſtro locus hic mendo non vacet, vt innumerabiles alii, conſultò præterii illum, & ad alia perrexi.

## Περιαυτολόγοι. 215

Glorioſi homines de ſe loquentes, ſuáque iactantes.

## Atticè dicere. 216

Eſt, ornatè, appoſitè, eleganter & vno quoque dicendi genere probato diſſerere. Cic. in Oratore, & de claris oratorib. Lucian. in Demonact. Erant enim Attici limati, preſſi, & emuncti, nihil inane & redundans ferebant. Vnde Plin. epiſt. 4. laudans Hadriani epiſtolam dicit ipſas



Ayuntamiento de Madrid

Athenas non tam eſſe Atticas.

## Figulinam de dolio diſcere. 217

Vide tom. 1. 150. Theon ſophiſt. in prooemio progymn. agens de iis, qui nullis exercitiis præparati ſe ad forum conferrent. καὶ τὸ πάντων ἀγροικότατον, ὅτι οὐδὲ οἷς προσῆκόν ἐστιν, ἐγγυμνασάμενοι, ἐπὶ τὰς δικανικὰς καὶ δημηγορικὰς ἴενται ὑποθέσεις, τὸ δὴ λεγόμενον κατὰ τὴν παροιμίαν, ἐν πίθῳ τὴν κεραμείαν μανθάνοντες.

## Noctes atque dies patet atri ianua Ditis. 218

Illud Virgilianum ex Æneid. 6. quo mors omnibus communis ſignificatur, ita exprimit Arrian. 1, 24. τὸ δὲ κεφάλαιον μέμνησο, ὅτι ἡ θύρα ἤνοικται, ianuam appellans exitum è vita.

## Callipedes. 219

Græco prouerbio dicuntur, qui inter biennium cubitum vix præceſſerint, hoc eſt, in rebus agendis tardi.

## Craſſipedes. 220

Παχύδερμοι, qui pingui ſunt, illotáque cute, & habentur pro fatuis ac rudibus. Cælius 3. antiq. Lection. cap. 5.

## Noctu vrgenda conſilia. 221

Theon progymn. τίς οὐκ οἶδε λόγον, ὅς φησι δεῖν ἐν νυκτὶ βουλῆς ἔχεσθαι; ὁ δὲ σοφὸς Σοφοκλῆς τί μαθὼν εὐφρόνην ἀπεκάλει τὴν νύκτα; οὐχ ὅτι τὸ φρονεῖν ὡς μάλιστα τότε τοῖς ἀνθρώποις παραγίνεται; cui ignotum tritum prouerbium, Noctu vrgenda conſilia? An non quod tum, vt cùm maximè, vis mentis in hominibus exerceatur? Idem alibi repetitur ab eodem.

## Cantio Bæotica. 222

Vide tom. 1. Bæotica cantilena ex Eraſmicis Chiliadib. Monet Gilbertus aliam huius adagii originem afferre Euſtath. Iliad. 2. eam tamen ipſe tacet: tantùm addit, Conſtare, Thebanos olim fuiſſe Muſices ſtudioſos, vel illo Alcibiadis atteſtante, Cantent Thebani, qui loqui neſciunt: Ariſtophanis quoque interpretem modis harmoniarum Lydiis, Doriis ac Phrygiis annumerare Bæoticos.

## Exſtinguitur magis, quàm Sol Heracliti. 223

Ayuntamiento de Madrid

Vide ſuprà, in appendice Chiliad. Eraſmi. Et hîc ad Eraſmica tantum addit, apparere, ſcripſiſſe Heraclitum ſolem cùm occidit, Oceanóque mergitur, nō aliter quàm ignem exſtingui: eundem tamen ſub ortum redaccendi. Neque hoc ipſum probat. Adſcribam verba Platonis è ſexto de Repub. quibus ſignificat eos, qui ſenes & fracti, ſe ad philoſophiam conferunt, deficere vt plurimum in ipſo progreſſu, neque deinde, ſolis Heraclitei inſtar, ad ſe redire. ἀποσβέννυνται πολὺ μᾶλλον τοῦ ἡρακλειτείου ἡλίου, ὅσον αὖθις οὐκ ἐξάπτονται.

## Scelera non habent conſilium. 224

Quinctil. 7. de coniectura loquens: Præterea cur potiſſimum illo loco, illo tempore, illo modo ſit aggreſſus, &c. an etiam ſi nulla ratione ductus eſt, impetu raptus ſit, & abſque ſententia. Nam vulgò dicitur, ſcelera non habere conſilium.

## Rimoſus. 225

Qui commiſſa non retinet. Hinc Parmeno Terentianus ſe arcana proditurum minitans, plenus, inquit, rimarum ſum. tralatio à vaſis rimoſis, quæ fundunt. Græcis κλατειώδης.

## In ſinum deſpuere. 226

Εἰς δὲ βαθὺν τὶς κόλπον ἀπέπτυσεν. In epigrammate quodam εἰς ἀγάλματα θεῶν. τρὶς εἰς ἑὸν ἔπτυσε κόλπον, ter in ſuum deſpuit ſinum. Theocr. 24. Geſtus eſt abominantis.

## Αἰσχροκερδὴς καὶ μικρολόγος. 227

Pro, turpis lucri cupido, ſordido, & quem minima quæque mouent. Ariſtot. mag. mora. 1. Item Plut. probl. ἵνα μηκέτι μικρολογῇ πρὸς τοὺς θεούς, ne vltrà ſordidè agas cum diis, parcens nempe turi. Valet idem φειδωλός. Multa huiuſmodi Eraſmus adag. Cumini ſector.

## Palea. 228

Ita veteres olim appellabant res tenues ac nullius momenti, aut vtilitatis, & olim Alexandria ad Tanarum in Statyelis vrbem cùm condita eſſet, paleæ nomen per contemptum à vicinis accepit. Conradus etiam imperator cùm coronam regni Italici alibi quàm Mediolani à vicinis accepiſſet, corona paleæ redimitus ferebatur. Quin & Ariſtoph. τοὺς γὰρ μετοίκους ἄχυρα τῶν ἀστῶν λέγω, paleam



Ayuntamiento de Madrid

inquilinos eſſe dico ciuium.

Νοῦς ὁρᾷ, καὶ νοῦς ἀκούει, τ᾽ ἄλλα δὲ
πέφυκε τυφλά. 229

Mens videt, mens audit, alia ſed ſunt cæca. Epicarmi eſſe teſtatur Plut. de fortuna Alexandri 11. Meminit eiuſdem Ariſtot. probl. 11. 33. Habent quidem ſenſus ſinguli ſuam vim: eos tamen adeò mens adiuuat atque ornat, vt ſola imperare videatur: & reliqua verè ſurda, cæca, inania deforment potiùs & morentur eos, quibus mens & virtus non adeſt.

Dulcedo cuncta intelligendi ſuperat ceteras voluptates. 230

Themiſtius βασανιστῇ: Ἐγὼ δὲ ἐβουλόμην περιτετράφθαι μοι τὰς πήρας, ἵνα τὰ ἐμαυτοῦ μόνοι ὁρῴμην. τὰ τῶν ἄλλων δὲ μὴ δυναίμην. οὐκ ἔστι γὰρ φασι, γλυκερώτερον, ἢ πάντ᾽ εἰδέναι, καὶ ἐγὼ φημι τ᾽ ἀγαθά. Rectè corrigis Themiſti.

Oleribus verba facere. 231

Itali eo diuerbio ſignificant, fruſtrà pertinacem hominem ab alio moneri: tam enim auſcultare illum, quàm certa quædam olera, præſertim quorum caput terra contectum eſt, cùm ad ipſa quis verba facit. In Plauti Mercatore adoleſcens,

Non ego, ait, idem facio, vt alios in comœdiis
Vidi facere amatores: qui aut nocti, aut die,
Aut Soli, aut Lunæ miſerias narrant ſuas:
Quos pol ego credo humanas querimonias
Non tanti facere, quid velint, quid non velint.

Sic apud Cic. queſt. Tuſc. 3. Medæa cælo & terræ miſerias ſuas memoratur narrare.

Mortuus rurſus eris id, quod prius. 232

Ὦ λάχης, λάχη, ἐπεὶ ἂν ἀποθάνῃς αὖθις ἐξ ἀρχῆς ἔσῃ. Veſpaſianus apud Suet. dixit in Ceryllum, qui cùm liber eſſet, vt pro ingenuo agnoſceretur, ſe Lachetem vocauit: illam nominis mutationem illi nempe non profuturam, cùm omnino ius patroni in eius bonis maneret. Exſtat carmen idem apud Stobæum adſcriptum cum aliis multis Menandro.

Νηστείας ὄζειν. 233

Vide ſup. Ieiunium olet: prouerb. Iunii 67. Centur. 5.

Ayuntamiento de Madrid

Ieiunia anima porrectum ſuauium meritò apud Cecilium comicum, recuſat maritus. Hinc Martialis inter maleolentia numerat ieiunia Sabbatariorum, id eſt, Iudæorum: graui enim illi ſunt halitu, ſed non fortaſſe ob ieiunia.

## Chironia vlcera. 234

Appellant Euſtath. & Ægin. veluti Chironiæ medicinæ peritiſſimo indigentia. Gal. in Methodo verò, quod eiuſmodi primus ſanarit Chiron. ea maximè accidunt pedibus & cruribus duáſque habent calentes oras, tumentéſque modico dolore.

## Τὸ ἐν χρῷ ξυρεῖν. 235.

Ad viuum vſque radere, profunditus abolere. Sophocles. In Aiace tamen pro mordicus pungere, & inſidendo mordere. ξυρεῖ γὰρ ἐν χρῷ ὥστε μὴ χαίρειν τινά. Radit cute tenus, abſit omne vt gaudium: vide ſup. Adag. Iunij. 36. Centu. 6. Sic radere aures, ieiunam & aridam tralationem dixit Fabius, & veritatem mordacē Perſius. Quin & corraſio auarorum multis illatam iniuriam præ ſe fert.

## Volſellis non glad. &c. 236

Vide ſup. idem Iunij prou. 4. Centu. 3.

## In toga. 237

Rebus pacatis. Cic. Off. 2. In L. Piſonem. Et in Catil. 2. Atque hæc omnia ſic agētur Quirites, vt res maximæ minimo motu me vno togato duce ſedentur.

## Barbata eminus ſalutanda. 238

Italorum eſt, qui feminæ, præter naturam, barbatæ occurſum ominoſum putant.

## Binis tonderi, &c. 239

Vide ſup. Iunij Centu. 4. prou. 97.

## Μυροβρέχοι. 240

Qui delibutos vnguentis capillos habent, molles nempe & luxui dediti. Sic. Cic. pro Roſcio, capillum compoſitum ac delibutum faſtus & mollitiei ſymbolum notat.

## Criſpiores apio. 241

οὐλότεροι σελίνων. Epigrammat. Lucian. in amoribus, σέλινον οὐλαπτὶ σκέλη φορεῖ, apium criſpa crura habet. Ariſtot. Rhetor. 3.

## Area. 242.



Ayuntamiento de Madrid

Transfertur ad amplitudinem materiæ. Ouid. Faſt. 4.

Quæ decuit primis ſine crimine luſimus annis:
Nunc teritur noſtris area maior equis. & Triſt. 4.
Et patet in laudes area magna tuas.

## Cumæi anni 243

Pro infinitis. Ouid. de Ponto. 2.

Sic pater in Pylios, Cumæos mater in annos
Viuant, & poſſis filius eſſe diu. Prop. ſimiliter.
At me ab amore tuo deducet nulla ſenectus,
Siue ego Tithonus, ſeu tibi Neſtor ego.

## Caluior tranquill. 244

Vide ſup. Tranquillitate caluior Centu. 6. prou. 70. Iunij.

## Ouo depili nudior. 245

Adſcribam Niciæ carmen non inuenuſtum, ſup. prouerb. Iunij, Ouo nudior, aut glabrior.

Τὴν κεφαλὴν βαπτίζων τις ἀπώλεσε τὰς τρίχας αὐτὸς·
ϗ δασὺς ὢν λίαν ᾠὸν ἅπας γέγονεν.

## Gallinacei lactis hauſtum polliceri. 246

Fr. Floridus epiſt. ſucciſ. lect. fumoſæ lucubrationum inſcriptiones ijs ſunt relinquendæ qui lectores dulcia vtilibus miſcentes erudire pariter ac delectare, & gallinacei lactis hauſtum in receſſu polliceri queant.

## Διώκειν δρόμῳ τὰ πετεινά. 247

Sequi curſu volucres. fruſtra quid conari. Diſſimile illud Phalerei de Elocutione. Θέειν ἀνέμοισιν ὁμοῖοι, æquabant curſibus auras.

## Qui medicè viuit, viuit miſerè. 248

In vtentes victu ſuperſtitioſo et nimis exquiſito torquet vulgus: non iniuria. Sanis enim mediocritas ipſa regula eſt.

ADDITIO GISEL.

At cur ſuperſtitioſe viuere, eſt medicè viuere? an non medici, modũ vbique laudant, & ſanitatem illi tanquam filiam tribuunt? Errat ergo vulgus hac acceptione, qui, quam viuendi rationem, ægris medici indicunt, indici etiam putant ſanis. Mihi verò hoc auctores huius prouerbij voluiſſe videntur, miſerum eſſe, qui aut per naturæ conformationem aut cauſſam extraneam ea eſt valetudine, quæ tota

Ayuntamiento de Madrid

à docti & diligentis medici cura pendeat, vt eſt valetudo eorum qui cerebri, hepatis, ventriculi aut alius principis partis intemperie laborant, item eorum qui calculo, podagræ obnoxii ſunt, de quib. Gal. lib. de ſanitate tuenda vlt. Atque iſtorum conditio verè miſera eſt, & miſeranda, quod leui in alteram partem momento intemperiem augeant, & morbum familiarem ſibi accerſant.

### Vitis & braſſica. 249

Ἀμπελὸς καὶ κράμβη. De rebus adeo ſibi mutuo aduerſantibus, vt non niſi cum alterius internecionem pax coire poſſit.

### Σκιαμαχεῖν. 250

Cum vmbra pugnare, ridiculum, inane, inutile.

### Durior adamante. 251

Huius lapidis vis eſt inenarrabilis & indomita, eáque re illo inexorabile & inuictum ſignificamus. Fr. Floridus apol. in calumniatores linguæ Latinæ Val. Maximum quouis adamante dicit haberi duriorem & in orationis ſtructura quouis ſaxeto aſperiorem. Theocr. Æpolo: καὶ κε μὴ ἴσως ποτίδῃ ἐπεὶ οὐκ ἀδαμάντινα ἐντί. Siracides. 16. τὸ φῶς αὐτοῦ καὶ τὸ σκότος ἐμέρισε τῷ ἀδάμαντι. In quem locum ita Camerarius: Hoc dicit, immutabiles vices lucis & tenebrarum, neque infringi poſſe. Sic in oraculo apud Herod. ἀδάμαντι πλάσσας, firmum & infractum reddens: & Agathias de Zenone τοῦτ' ἀδάμαντι μένει manet firmum ac durat. &, ἀδαμάντινα δεσμά, vincula, quæ rumpi nequeant.

### Arena ſine calce. 252

C. Caligula Senecam commiſtiones meras componere, & arenam ſine calce eſſe dicebat.

### Gergeſeni. 253

Ita Theologis dicuntur, qui vt eſt Matth. 8. non ferunt vt Chriſtus ſuos fines inuiſat. Item, qui, vt eſt 1. Timoth. 4 ſanam doctrinam relinquentes ad ſuas libidines ſibi magiſtros cumulant, auribúſque prurientibus & à vero auerſis ad fabulas ſe conferũt: qui denique, vt ibidem eſt priore cap. auari ſunt, arrogantes, voluptatis magis quàm Dei amantes &c.

### Mileſia ſtragula. 254

Μιλήσια στρώματα, pro delicatiſſimis: ab optimis lanis

Ayuntamiento de Madrid

Mileſiæ regionis. Theocr. in Syracuſ. tapetas ſomno molliores vocans ſubdit, φαίη ἂν μίλητος, ϗ ὁ τὴν σάμιαν καταβόσκων; ſic Miletus dixerit, quíque incolunt Samum. Imo quicquid molle, parumque virile velint intelligi. Mileſium appellant.

## Lac auium fert Samus Ionica. 255

Hoc inde natum, quòd, Samus Ionica olim vſque adeò fuerit fortunata: infelix tamen fuit, cùm in ea Syloſon tyrãnidẽ ſuam exerceret. tõ. 1, Opera Syloſontis ampla regio.

## Αἰγυπτιάζειν. 256

Ægyptium agere: pro, occulta præſtare. præſtantes enim, vt in alio prouerbio eſt, in contexendis machinis Ægyptij. Euſtath. in Dionyſium.

## Ἀνεπαρίασε. 257

Id eſt; μετεμελήθησε, facti pœnituit, fœdifragus eſt. Ex eo, quod Parus vna Cycladum pacem, quàm cum Milciade pepigerat, non ſeruauit.

## Calauriam pro Delo. 258

De permutantibus æqualia. Neptunus Calauriam cum Latona permutauit accepta Delo, vt & pro Pythone Tænarum accepit.

## Capra cinnamomum. 259

Vide ſup. Iunium Centu. 6. prou. 19.

## Arabicus tubicen. 260

In garrulos homines & loquaces: vel tuba alióue inſtrumento canendi imperitos. Arabicus tubicen fertur pro drachma tubam inflaſſe, pro quatuor verò tacuiſſe.

## Bœotica ſus. 261

Ita vulgò Bœotos vocabant, teſte Pindaro, quod non eſſent mente admodum agiles.

## Caunius amor. 262

De iniuſtè amantibus, vel de læſis ab iis, quorum iniuſto amore eſſent capti. Caunus vrbs fuit Cariæ, à quodam Cauno ſic dicta, cuius amore capta Biblis ſoror cùm eſſet repulſa; mortem ſibi laqueo conſciuit.

## Ciuitatem, domum venti perſpirant. 263

De ciuitate vel domo deſerta ad ruinam tendente. idem Celtæ vſurpant.

## Sub vnam Myconum. 264

Ayuntamiento de Madrid

Παιθ᾽ ὑπὸ μίαν μύκονον, omnia ſub vnam noxam aut condemnationem. De iis, qui vna ſententia condemnantur. In Mycono vna Cycladum aiunt ſepultos eſſe excellentiſſimos Gigantum ab Hercule interfectos.

## Hylam vocare. 265

De vocantibus non audientes. Theocr. Eidyll. 13. quod Hylas inſcribitur. Iuxta Cium Myſium fluuium, cui ciuitas adiacet item Cius dicta, à nymphis raptus fuit Hylas puer Herculi cariſſ. Deſcribit fabulam elegantiſſimè Apollonius in fine primi Argonauticon, & Propert. 1, 20.

## Corycæus audit. 266

De his qui ſecreta explorant. Natum ab inſula quadam & portu, qui eſt prope Teum inſulam & Erythras, vbi piraticam exercebant. indę Corycæi, ſpeculantes mercatores.

## Lydi mali, ſecundi Ægyptij, tertij Cares. 267

Lydi propter improbitatem malè audiunt.

## Παρὰ λύδιον ἅρμα θέειν. 268

Præter Lydium currum currere dicuntur, qui aurigandi arte ſuccumbunt. Euſtath. in Dionyſ.

## Tenedius vir. 269

De auſterè iudicantibus. Tenedis olim cùm quis de magno flagitio accuſaretur; quidem ſecurim geſtãs eidem aſſiſtebat, quem oportebat obiecti criminis conuicto ſtatim plagam infligere letalem.

## Ad manticam res redijt. 270

De eo, cui nihil plane reliquum.

## Frondes fructuum expertes. 271

Theologicum prouerbium de iis, qui ore Deum ſe ſcire profitentur, eundem verò factis negant.

## Azymus 272

Sincerus, verus, non elatus, ſine iniquitate.

## Quæ ignoramus, aſpernuntur. 273

Laz. Baifius: ferè fit, vt facile aſpernemur, quæ ignoramus: teſte enim Ariſtot. Nemo eorum quæ ignorat bonus iudex. Et vulgò ſcientia non habet inimicum præter ignorantem.

Ayuntamiento de Madrid

## Nudato Petro Paulum tegere. 274

Hoc Celtæ in eos, qui ſic è præſentibus malis extricant ſe, vt aliis grauioribus impediantur.

## Pigris ſemper feſtum. 275

Ἀεργοῖς αἰὲν ἑορτή. Theocr. Natum à Tarentinis potentibus quidem, ſed luxu perditis, apud quos plures olim feriæ propter otium & delicias inſtitutæ celebrabantur, quã profeſti dies.

## Thaſus bonorum. 276

Quaſi θάσος multitudo ſiue denſitas. ortum à Thaſo inſula Ægæi maris aurifodinis quondam celebri, quæ ob fertilitatem Cereris granarium dicta eſt. Alij ita efferunt, Datus bonorum: veluti & hoc, ἀγαθῶν ἀγαθίδες.

## Caracallæ nummi. 277

In blandos vultu, animo virulentos, eóſque omnes, qui aliud præ ſe ferunt, aliud tegunt. Habuit, teſte Dione, Ant. Caracalla in vſu nummos adulterinos: plumbúmque argẽtatum, & æs inauratum pro argento vel auro Senatoribus ſuis dedit.

## Cauponariæ mulieres. 278

Nominant Hebræi vna eadémque voce meretricem & cauponariam mulierem: quaſi eiuſdem generis ſint. Vulgatæ enim ſunt pudicitiæ, quæ in cauponis ſeruiunt. Conſtant. l. quæ adult. C. ad legem Iul. de adult.

## Fronti nulla fides. 279

Hoc Iuuenalis 2. vulgatiſs. hodie eſt, vt & illud, Hypocriſeos magni ſunt receſſus.

## Sarmentarij. 280

Inter maledicta conuicia, quibus Ethnici Chriſtianos exagitabant, memorat Tertull. appellatos fuiſſe Semiſſios & Sarmentarios: quod ad ſtipitem dimidij aſſis reuincti ſarmentis additis concremarentur, de quo meminerunt etiam Euſeb. Auguſtin. Dicebantur & Aſinarij, quòd iidem Chriſto illudentes, illum velut in pergula prætereuntibus depictum oſtentarent, aſininis auribus, pede altero inungulatum, ac togata ſpecie cum libro in manibus hoc abiecto titulo, quaſi is Chriſtianorum foret Deus ὀνόχωλος.

Ayuntamiento de Madrid

## Chamæleontem imitati. 281

In adulatorem : qui cùm in mille formas ſe poſſit vertere, verus tamen & ſincerus eſſe non poteſt, inſtar Chamæleontis, qui omnium colorum ſimilitudinem exprimit, præterquam albi. Plut. de diſcr. adulatoris & amici. Paraſitum viua ſpecie expreſſum vide in Eunucho Terentij. 2, 2.

## Manus porrigendæ non confuſis digitis. 282

Videtur eo Diogenes voluiſſe, omnia eſſe aperto animo & ſimplici facienda, non autem fucato & duplici: Vel non oportere, eſſe rapacem, nam qui aliquid in vola abdunt, manum non extendunt: Vel denique orationem debere eſſe planam, apertam, non conciſam, confuſam & obſcutam. Laërt.

## Ἐκλεκτικοί. 283

Laërt. in proœm. lib. 1. ἔτι δὲ πρὸ ὀλίγου ἐκλεκτικοὶ τις αἵρεσις εἰσήχθη ὑπὸ ποτάμωνος τοῦ ἀλεξανδρέως ἐκλεξαμένου τὰ ἀρέσαντα ἐξ ἑκάστης τῶν αἱρέσεων, haud ita pridem Eclecticorum quædam ſecta à Potamone Alexandrino inuenta eſt, qui de ſingulis ſectis, quæ ſibi placuerunt, ſelegit. Talem ſe ferè præſtitit Cicero: talem etiam Horatius, qui ita de ſe epiſt. 1.

Nullius addictus iurare in verba magiſtri;
Quo me cunque rapit tempeſtas, deferor hoſpes:
Nunc in Ariſtippi furtim præcepta relabor &c.

Appellantur eadem ratione tales etiam ἀναλογητικοί.

## Ἐλύσατο μίτρην. 284

Soluit zonam, id eſt, virginitatem amiſit vnde ἄμιτροι puellæ innuptæ. Rationem verò ſoluendæ zonæ eſt legere in ſcholiis Apollonij. Aliquãdo λύειν μίτρην eſt eripere virginitatem, ἐνεργητικῶς. Muſæus: ὡς ἡ μὲν τοιαῦτ᾽ εἶπεν, ὁ δ᾽ αὐτίκα λύσατο μίτρην, virginitatem eripuit. Apud Apollon. eſt parere: ὃ δή μούνῳ μίτρην πρῶτον ἔλυσα καὶ ὕστατον, quem vnicum peperi.

## Fabulæ Mileſiæ. 285

Sermones nec veri, nec veriſimiles, nec in aliquem vitæ vſum parati & congruentes, ſed tantùm ad voluptatem & extrahendum tempus vel in conuiuiis, vel in cœtibus fœ-

Ayuntamiento de Madrid

minarum: vt ſunt amatoria omnia, hiſtoria Heliodori, Aſinus Apulei &c. Scripſit Ariſtides librum μιλησιακῶν. Miletus Ionica etiam aliis prouerbiis ſuum luxum & delicias prodidit.

## Iyngem habet. 286

vide ſup. Iunium, Centu. 4. prou. Iynges, 92.

### Ex στώακος καὶ πιλαίας. 287

Ex porticu & tabula. De re commentitia: quoniam in porticibus & tabulis depingi fabulæ ſoleant. Plut. in lib. de particula ei inſcripta foribus Delphici templi.

## Dimicare pro carnibus. 288

Plut. libello contra Coloten. καὶ τὸν περὶ τῶν κρεῶν ἐπάξειν, ſubaudio, πόλεμον, & pro carnibus dimicandi afferes neceſſitatem. Ariſtoph. in ranis, νεναυμάχηκα τὴν περὶ τῶν κρεῶν. tom. 1, Lepus pro carnibus.

## Piſtillum ornatum. 289

vide ſup. Piſtillum exornatum, prou. Iunij 35. Centu. 9.

## Ludere inter mærentes. 290

Phalereus de elocut. τὸ γὰρ ἐν πενθοῦσι παίζειν, κατὰ τὴν παροιμίαν, τὸ τοιαῦτα ἐν τοῖς πάθεσι κακοτεχνεῖν ἐστί, malo artificio in mouenda & excitanda perturbatione vti.

## Mel ſatietatem gignit. 291

Halicarnaſs. in comp. Herodoti & Thucydidis: Satietatem enim gignit, ait Pindarus, etiam mel & res Venereæ. Iam verò & illud in animo reputaui, quàm iucunda ſit res & ſuauis in hiſtoria ſcriptionis varietas & immutatio. Hũfredus de nobilit. Quicquid nimium eſt, ingratum & iniucundum eſt, eiúſque omnis in fruendo, voluptas amittitur. Theoc. Megar. καὶ εὐφροσύνης κόρος ἐστί.

### Κενοφθαλμίζειν. 292

vide ſuprà Iunij 35. Centur. 9.

### Καπάκρατος. 293

Καπάκρατος prouerbij quadam figura, ſimpliciter & prorſus, ſignificat.

### Ἐν τετράδι γεγενῆσθαι. 294

Quarta Luna natos dicimus, quibus ſiniſtra, parúmque auſpicata ſunt omnium rerum initia: Vel quòd illi, qui ſeneſcente luna, aut poſt huius dodrantem naſcuntur, partim ob ſideris defectum, partim ob enitentis debilitatem

Ayuntamiento de Madrid

ægrè atque laborioſè in lucem prodeant, ſintque poſtea dubia ſemper & vacillante valetudine; addo etiam in rebus incipiendis imprudentes & infelices: Vel quòd concepti vtero deſtituto humore, quo fœtus alitur, & firmatur, non poſſint omnibus numeris ſuis perfici; quod ferè euenit iis, qui quarta luna arentíque vulua, vt eſt Eſdræ 4, 5. concipiuntur. In vita Ariſtophanis: διὸ καὶ ἔσκωπτον Ἀριστώνυμος τε καὶ Ἀμειψίας τετράδι λέγοντες αὐτὸν γεγονέναι κατὰ τὴν παροιμίαν ὡς ἄλλοις πονοῦντα· τὰ μὲν πρῶτα γὰρ διὰ Καλλιστράτου καὶ Φιλωνίδου καθίει δράματα.

Ἀρχαϊκὸν, καὶ ἀρχαῖον. 295

Pro ſimplici & agreſti. Hor. epiſt. 1. Si potes Archaicis conuiua recumbere menſis, id eſt, rudibus, impolitis, quas priſci illi homines poſſidebant, non citriis, neque marmoreis. Ita Nan. miſc. 4. Illi tamen aduerſatur Turneb. aduerſ. 1, 24. qui hoc Horatij loco Archiacis legendum eſſe cenſet ex lib. vet. om. & interpretum ſcholiis.

Nullus equus tam eſt effetus, támque exhauſto corpore, quin menſe Maio hinnitum edat. 296

Ver prima anni pars prouerbium hoc nobis peperit, quo innuimus neminem tam eſſe ſenem, quin in amœniſſimo illo anni tempore aliquid ineſſe iuuenilis animi teſtetur, aut aliqua hilarioris erectioríſque mentis indicia proferat.

Aurum ex ſtercore colligendum. 297

Id ipſum eſt, quod Plinius olim dicebat, nullum librum tam eſſe malum, quin parte aliqua prodeſſe queat. Eóque non quis dicat, ſed quid dicatur conſiderandum. Aurum enim ſiue in fictili vaſe adſeruetur, ſiue in magni pretij arca, æquè aurum eſt, eiuſdémque eſt momenti & pretij.

Aſtra inclinant, ſed non vrgent. 298

Vulgatiſſimum hoc hodie eſt, ſimile illi Ptolomæi dicto: Sapiens dominabitur aſtris. Deus enim omnipotens eſt, omniáque operatur in omnibus: per medicum curat, per agricolam meſſem procurat, &c.

Lydia arena. 299

Λύδιον ψῆγμα. De re non vili aut contemnenda. Baſi-

Ayuntamiento de Madrid

lius ad nepotes. Multum auri in Lydia prouenire, vel ſolus Charon Luciani teſtari poteſt.

## Aquæ furtiuæ dulciores ſunt. 300

Extat inter Hebræorum prouerbia non diſſimile illi ſenario, γλυκεῖα ὀπώρα φύλακος ἐκλελοιπότος, dulce pomum, cùm abeſt cuſtos. His oſtendemus impunitate malos ad peccandum prouocari: & occaſionem furem facere. Plautus Pœnuli prooemio: Dum ludi fiunt, in popinam pediſequi Irruptionem facite: nunc dum occaſio eſt.

## Κέρκωπες, κερκώπη, παιπάλημα. 301

Simpliciſſima & veriſs. videtur origo iſtius adagij à moribus & ingenio gentis Lydiæ, quæ Cercopum nomen habuerit, & fuerit natio vafra impoſtorum & mendacium: quo accommodes facilè, quæ apud Plautum in Milite nominatur regio Aſtutiarum. Quanquam cùm animantis quid ſignificet κέρκος, ſiue ſimiarum generis, cum fortaſſè qui κερκοπίθηκος, ſiue vitium vaſtatricem beſtiolam, ſiue gallum etiam & murem agreſtem: venit in mentem & à ſpecie atque ſimilitudine tam oris, quàm ingenij ſiue naturæ eius, quod inter hæc malitioſa verſutia præſtat, ſumptam eſſe appellationem: & de ſimiis quidem ſuſpicari aptiſſimum fuerit vt ſi quemadmodum Homericũ κυνώπης & ſimilia. Quæ ex Cic. Cælius affert, non item probo. Κερκώπη etiam de loquacibus dicitur & garrulis; non de taciturnis, vt quidam putant, ἀπὸ κερκώπης quam cum turture obſtrependo comparant Grammatici, quámque Athenæus facit τέττιγι καὶ τεττιγονίῳ ὅμοιον ζῷον. παιπάλημα & ipſum quaſi ad minutias quaſdam exquiſitæ fraudis & dolicrudeliſſimi tranſtulerunt, vt Ariſtoph. qui hæc coniunxit velut eiuſdem notionis, σόφισμα, κύρμα, εἴμμα, παιπάλημ' ὅλον. Idem ſignificare videtur apud eundem in Nubib. παιπαλή. vnde apud Homerum Phœnices πολυπαίπαλοι, malitioſi, & callidi, ea enim gentis illius natura, Tralatio ea, quod verſutia non facilè circumueniatur, ſed diuerticula reperiat per quæ elabatur: παιπάλημα enim propriè, quod multos exitus habet, & oſtia quibus excipiatur: Vel quòd non craſſa quædam & quaſi rudior calliditas ſignificetur, ſed munitiſſima & exquiſitiſſima: παιπάλη enim farina tenuiſſimè cribrata. Aeſchines contra Demoſthenem fingit

ſingit neſciuiſſe ſe anteà quid ſibi vellent, Cercops, παιπάλημα, παλίμβολος & ſimilia, ſed tum è vita & moribus Demoſthenis didiciſſe ſe ea, & explicare poſſe. παλίμβολος, qui verſutior ſit quàm rota figularis ſecundum Plautum, planè lubrico vir ingenio. Κερχώπειον παιπάλημα, fraus, aſtutia omnino veteratoria & egregiè callidè contexta. Syneſius de Prouid. 1.

## Sublata lucerna nihil diſcriminis inter mulieres. 302

Λύχνου δ' ἀρθέντος γυνὴ πᾶσα ἡ αὐτή. Omnes in tenebris æquè formoſæ.

## Hallex. 303

Indignus qui vir cenſeatur, éſtque virifer quidam potiùs quàm planè vir. Plaut. Pœnulo: Tune amator etiam audes eſſe hallex viri, aut contrectare quod mares homines amant?

## Τραγίζειν. 304

Hirquitallire, ſiue hircum olere. De iis qui malo odore infeſtantur ab alarum fœtore, qui caper, capra, & τράγος appellatur. Horat. Catull. Et, quia malus odor ille rarò quemquam inuadit, niſi qui rem cum mulieribus habere per ætatem queat: aut, quia tum maximè fœtent hirci cùm coitum appetunt, teſte Theoph. περὶ ὀσμῶν: eò factum, vt τράγος pro re venerea vſurpetur, & τραγίζειν, ſeu τραγᾶν pro laſciuire, catullire, in Venerem ruere, pubeſcere. Hipp. quanquam etiam pro, hircinam vocem æmulari, vſurpetur.

## Menſæ Siculæ, Aſianæ, Perſicæ, Italicæ. 305

Prælautæ & opiparæ. Plat. Polit. 3. συρακουσίαν τράπεζαν, καὶ σικελικὴν ποικιλίαν. Item epiſtol. ad Dionis propinquos. Lucian. dialogo Simili & Polyſtrati. Athen. 12. Macrob. 7.

## Αὐτοληκύθοι. 306

Viles & nihili homines. Lycophron & eius interpres, Athen. 18. Αὐτολήκυθοι, inopes, ſcurræ, mendici, paraſiti, ad omnia obeunda ſe abiicientes. Demoſt. in Cononem. καὶ καλοῦσι τοὺς μὲν ἰθυφάλλους, τοὺς δ' αὐτοληκύθους. Lucian. in Lexiphane.



Ayuntamiento de Madrid

## Dardaniæ artes. 307

Pro magicis. Columel. 10. A Dardano inſigni, vt aiunt, mago, cuius commentariis diligenter perlectis longè doctiſſimus euaſit Democritus. Plin. 30, 1. Euſeb. ἐυαγγελ. προπαρασκ. 3.

## Mores Maſſilienſes. 308

Pro mollibus. Aiunt enim ipſos Maſſilienſes delicato mulicbríque cultu vſos, ac molles & effeminatos exſtitiſſe. Athen. Plaut. Caſina: Vbi tu es, qui colere mores Maſſilienſes poſtulas? vide ſup. 117. & an melius Eraſmo Plauti locum iſte perponderit, ipſe iudica.

## Senex Acherunticus, capularis. 309

Pro decrepito, vicino morti ſiue Acherunti & capulo. Plaut. in Mercat. & Milite. Itáne tibi videor Acherunticus & capularis. Item in Caſina: Hunc Acheruntem præmittam priùs.

## Φοινικίζειν. 310

Phœniciſſare, à ſpurciſſima Phœnicum libidine, quam Græci meritò ἀρρήτων μίξιν nominant. Plut. in Cæſare. Lucianus in Apophrade: πρὸς θεῶν εἰπέ μοι, τί πάσχεις, ἐπειδὰν ταῦτα λέγουσιν οἱ πολλοί, λεσβιάζειν σε καὶ φοινικίζειν. vbi λεσβιάζειν etiam eſt more Leſbiorum capitibus illudere, & è contrà ore morigerari.

## Torium digna ſequi potiùs quàm ducere funem. 311

Illo Hor. epiſt. 10. ſignificauit pecuniam debere heri imperium ſequi, non ipſam imperare. Tralatio à choræis, in quibus præſultor funem ducit, quem eodem fune apprehenſo præeuntem ſequuntur. Terent. Adelph. & ibi Donatus. Alij tralationem malunt eſſe à machinationibus.

## Ne eruditum quidem puluerem attigit. 312

De valdè humilibus, ſtupidis & imperitis. Cic. de Nat. 2. Sed ſi hoc non videtis; quia nunquam eruditum puluerem attigiſtis. & Tuſc. 5. Ex eadem vrbe humilem homunculum à puluere & radio excitabo. Huc refer, quòd Ariſtippus facto naufragio geometrica ſchemata in litore deſcripta aduertens, hominum veſtigia ſe videre exclamauit. Item illa Ariſtoph. in Neb κατὰ τῆς τραπέζης κα-

Ayuntamiento de Madrid

παλαίσεις λεπτὴν τέφρην, κάμψας ὀβελίσκον, εἶτα διαβήτην λαβὼν, ἐκ τῆς παλαίστρας θοιμάτιον ὑφάλει. Cic per puluerem eruditum mathematicas diſciplinas intellexit: quibus addiſcendis cùm ingenui adoleſcentes olim plurimum operæ ponerent; in gymnaſiis præſto erat ſemper abacus puluere conſperſus, in quo lineas virgula deſcriberent, ac figuras ducerent, cùm vellent, & vti vellent, ſtatim delendas.

Ἐμβεβρόντηται, ἐμβεβροντημένοι. 313

Propriè, quorum mens aut ictu fulminis, aut incredibili eius pauore obſtupeſcit. Xenoph. ἀναβασ. γ: & ἑλληνικῶν δ. Tralatè verò, ſtupidus quiuis ex cauſſa, & mentis impos. Lucian. Icaromeni. εἰσῄει δ' ἵμερος ἀχανὴς, καὶ ὑπὸ τῆς μεγαλοφωνίας ἐμβεβροντημένος Moſiopulus: καὶ ὁ ἐμβεβροντημένος. ὁ ἔξω φρενῶν, ἀπὸ τοῦ ἐπὶ τὸν τυφῶνα καταφερομένον σκηπτῶν. Demoſth. item περὶ ϛεφάνου. Hos Latini attonitos vocant, teſte Celſo, quorum nempe & corpus & mens ſtupet, ſiue ex ictu fulminis, ſiue alieno ex morbo.

## Diurnum petere. 314

Dixit Seneca controuerſ. 2. pro, panem mendicare, quod inertium eſt & ignauæ vitæ hominum, quos tanquam inſulſos & ad nullam rem vtiles aliter bliteos appellamus, de alieno nempe in diem viuentes.

## Striges. 315

Nomen inditum olim maleficis mulieribus. propriè aues inauſpicatæ. Pompeius, Plin. 11, 39. de quibus item coquus in Plautina Pſeudolo:

Ei homines cenas coquunt ſibi: cùm condiunt;
Non condimentis condiunt, ſed ſtrigibus
Viuis conuiuis inteſtina quæ exedent, &c.

Σοφός. 316

Romani cùm aliquem laudare vellent, quòd doctè omnia & prudenter dixiſſet feciſſet, σοφὸν, ſapientem, id eſt, doctum, ſcitum, bonum, vtilem appellabant, vel mox adclamabant, σοφῶς, ſcitè, doctè, acutè, ſapienter. Hinc P. Atilium Sempronium σοφὸν, cognominarunt, ob maximam ſcientiam, & in ciuili iure prudentiam. Pomponius de origine iuris, Cic. in Lælio. Quin & eadem ratione Iudæi ſuos doctores olim, teſte Hieronymo, σοφοὺς appelli-



Ayuntamiento de Madrid

tabant:& Græci ἑπτὰ σοφοὺς, Thaletem, Solonem &c. Solus Pythagoras in hoc ſapientiſſimus, ſapientiæ amatorem primus ſe profeſſus eſt: contrà atque multi ambitioſi, qui laudatores etiam falſa prædicaturos conducunt, dicti ob id σοφοκλεῖς, ſiue Laudiceni, quaſi cena pacta laudari ambientes. Apud Theocr. eidyll. 14. ἔπαιξέ τις, ὡς σοφὸς, εἶπεν.

### Optimus. 317

Præcipuus inter omnes honoris titulos is eſt, qui à virtute ipſa ſumitur: qui titulus non cuiuis olim tribuebatur: Scipioni Naſicæ autem ab ipſo Senatu attributus eſt, ob ſingularem animi probitatem. Pompon. de orig. iuris. Plin. 7.

### Indulgere genio. 318

Valet apud Perſium, obſequi animo, relaxare curas, voluptati operam dare. vnde Iuuenal. 4. Genialis agatur Iſte dies. & Virg. Georg. 1. Inuitat genialis hyems, curáſque reſoluit. vide in eum locum Seruium. Huius contrarium eſt, Cum genio belligerare. Plaut. Trucul. Sed iſti cum geniis ſuis belligerant parcipromi.

### Aphrodiſeum iuſiurandum. 319

Venereum, pro vano, & nullius momenti: quoniam eiuſmodi ſit amantium adiuratio, quibus peierare frequentiſſimi moris eſt vel impune. Catull. in nuptiis Pelei:

Nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt.
Sed ſimul ac cupidæ mentis ſatiata libido eſt;
Dicta nihil metuere, nihil periuria curant. & mox:
Nunc iam nulla viro iuranti fœmina credat.

quod ita imitatur Ouid. Faſt. 3. Nunc quoque nulla viro, clamabo, fœmina credat. Vide eundem Ouid. de arte 2. & Tibullus ex collaudatione Pauſaniæ apud Platonem in ſympoſio, eleg. 1. lib. 3.

Ne iurare time. Veneris periuria venti
Irrita per terras, & freta ſumma ferunt.

### Neptuni ſeu maris filij. 320

Feroces, immanes, alieni ab omni humanitate, & tanquam in mari geniti. Gel. 15, 21. Plut. An ſit ratio in beſt. In marinis nullus gratiæ ſenſus, amor nullus, nec ingenij ſuauitas: rectéque Homerus ait, Glaucum te genuit, de

Ayuntamiento de Madrid

immãſueto & omnis ſocietatis experte: quòd beneuolum nihil aut mite gignat mare.

## Ipſo è rogo carpere cenam. 321

Catul. de Rufa. Sæpe quàm in ſepulchretis vidiſtis ipſo carpere è rogo cenam. extremæ mendicitatis ſignum. Simile habes in Terentij Eunucho 3, 2. Epulas in rogum cõiicere ſolebãt, locúmque in quo illę comburerentur culinam vocabant. Feſtus, Muret.

## Albus vel ater. 322

Hominem probis moribus album dicimus; improbis nigrum. vnde illud Catulli in Cæſarem: Nec ſcire vtrùm ſis albus an ater homo: ſcitè vſurpabimus ad contemptum indicandum. Albus color purus, & minimè inquinatus. Plut. probl. 25. Et nitidum colorem tribuit viro bono Plato in Phædro: vt etiam Socrates apud Xenoph. De eius factis & dictis 3. & Medea Ouidiana metamorph. 7.

## Omnia omnibus annuit. 323

In valdè ſenes, in quibus caloris naturalis inopia imbecillitatem, & inde tremorem efficit, ita vt caput perpetuo motitantes omnia omnibus annuere videantur. Catul. in nuptiis Manlij & Iuliæ, & ibi Muret. Idem nos hodie efferimus de iis, qui vino aut ſomno victi eundem capitis geſtum repræſentant.

## In vento & rapida aqua ſcribere. 324

Catull. inconſtantiam notans feminei amoris, duas res elegit quæ perpetuò fluant, eámque naturam habeant, vt in iis nihil imprimi poſſit.

Dicit: ſed mulier cupido quod dicit amanti,
In vento & rapida ſcribere oportet aqua.

Sic Ouid. in Phyllide, Leandro, eleg. 4. eleg. 7. Virgil. Æneid. 10. & Seruius in illud Aeneid. 9. ſed auræ Omnia diſcerpunt. Quæ, inquit, inutiliter iubentur, dicitur ea ventus diſcerpere; & nubibus irrita dantur. Theocr. κζ. ἴσκον τοιάδε πολλά· τὰ δ' εἰς ὑγρὸν ᾤχετο κῦμα πνοίη ἔχοισ' ἀνέμοιο, dicebant talia multa: ea verò in humidos fluctus abiit auferens ventus. & Æneid. 11. partem volucres diſperſit in auras, id eſt negauit. Vide tom. 1. In aqua ſcribis.



Ayuntamiento de Madrid

## Fabula nunc ille eſt. 325

In omnium ore & ſermonibus verſatur. Horat. Tibull. 2,3 Neque diſſimiliter admodum in Plauti Pſeud. Simo: Ita nunc per vrbem ſolus ſermo eſt omnibus. Theocr. 12. πᾶσι δ᾽ ἀνὰ στόματος, μετὰ δ᾽ ἠϊθέοισι μάλιστα.

## Σκυρία δίκη 326

Affecti exſilio apud Athenienſes in Lemnum fugiebant, aut Scyrum. vnde olim σκυρία δίκη, de acri rigidóq; iudicio Artemidorus à Theſeo dictum tradit, quo capite poſtulatus aufugit in Scyrum, vbi ſacris initiatus eſt.

## Ἀλφεσίβοια. 327

Puellæ elegantioris formæ, quæ propter pulchritudiné reperiunt procos, qui ipſis dent magnam dotem, & boues dotis nomine: eo enim pecore veteres in æſtimandis rebus, nondum introducto nummorum vſu, vtebantur. Vxores à viris dotem accipiebant, aliter atque hodie. Fuit autem Ἀλφεσίβοια Phlegei fluminis filia, quam Alcmęon donato illo monili, quod Eriphylæ matri detraxerat, in vxorem duxit. hinc illud epitheton elegãtioris formæ puellis.

## Vulturius aut coruus. 328

Hereditatum captator, heredipeta. Dinarchus Plautinus in Trucul.

Illud eſt. vide vt iam quaſi vulturij triduo
Priùs prædiuinant, quo die eſuri ſient.
Illum inhiant omnes: ille eſt animus omnibus.

Eodem tendũt Calliclis verba ad Megaronidem in Trinummo.

## Nec mulieri nec gremio credendum. 329

Illa enim incerti & leuis eſt animi: in gremio verò poſita, cùm in obliuionem venerint exſurgentium, plerumque decidunt. Feſtus.

## Ἀχρειόγελως. 330

Inſigniter fatuus: riſu enim inepto nihil ineptius. tom. 1. Stultior Melitide. & alio loco, Stultior Moricho.

## Τύπῳ περιλαβεῖν. 331

Reddit Cic. formam rei adumbrare, aut rem informare. De orat. perf. ſemel atque iterum. Tralatio, à picturis primùm obſcuriùs adũbratis, deinde poſteà illuſtriùs expreſſis. Ariſt. Ethic. 1. Eodem ſenſu Cic. ad Att. 4. τινὶ παχύτερον

[Greek] ſαειν πυκαδῶς, ne iſtuc hoſpes planè veniam, id eſt, præſentem reip. formam mitte ad me rudi quadam forma adumbratam, &c.

## Nec Dij ſiuerint. 332

Μὴ γένοιτο, abſit. Deus auortat, Deprecatio veterum, præſertim Plauti in Mercatore: Ne Dî ſirint.

## Demiſſis manibus fugere. 333

Docet Ariſt. lib. de ingreſſu anim. eos citiùs currere, qui demiſſis manibus currunt: καὶ οἱ θέοντες θᾶττον θέουσι παρασείοντες τὰς χεῖρας. Plaut. in Epid. Imò ſi audias meas pugnas, fugias dimiſſis manibus domum. & in Pſeudolo:

Vbi omnes patinæ feruent; omnis aperio.
Is odos demiſſis pedibus in cælum volat.
Eum in odorem cenat Iuppiter cotidie.
BA. Odor demiſſis pedibus? CO. peccaui inſciens.
BA. Quid eſt? CO. quia enim dimiſſis manibus volui dicere.

## Alieno more, nutu, arbitratu viuere. 334

Ariſto. Rhet. 1. ἐλευθέριον γὰρ τὸ μὴ πρὸς ἄλλον ζῆν. & Ethic. 4. καὶ πρὸς ἄλλον μὴ δύνασθαι ζῆν. ſeruile enim renera eſt.

OBSERV. GISEL.

Subſtitue ex Rob. Conſtantino in πρὸς, vnde hæc ſumpta videntur: καὶ μὴ πρὸς ἄλλον δύνασθαι ζῆν, ἀλλ' ἢ πρὸς φίλον. δουλικὸν γάρ. Loquitur de ingenuis, quique à mancipiorum natura longè abſunt. Contrarium: Sibi viuere, id eſt, ſua libertate frui. Ouid. Triſtium 3. Eleg. 4.

## Nepos. 335

Nequam & diſſolutus: propterea quod qui pueri patre mortuo in aui tutelam veniunt, tales ferè euadant: plus enim, quàm patres, aui indulgent: &, ſi ſeueriores ſint, propter imbecillitatem ætatis à pueris patrio metu ſolutis facilè contemnuntur.

## Plauſtrum perculit. 336

Prouerbium ruſticum de iis, qui negotium aliquod euerterunt, & perturbarunt. Meminit Donatus in illud Eunuchi: Perculeris iam tu me? id eſt, impellendo perturbaueris. Et Plaut. Epid. Perii, plauſtrum perculi, id eſt,



Ayuntamiento de Madrid

euerti & perturbaui rem falſa emptione. Percellere enim euertere eſt, & ad terram deiicere.

### Poſtremi. 337

Homines diſſoluti, abiecti, nequitiæ & libidini dediti. Cic. Cat. 2. Poſtremum genus eſt non ſolùm numero, verùm etiam genere ipſo atque vita. & alibi: Nihil ſcitote eſſe poſterius, nihil nequius. Item: Vt poſtremi homines alienis pecuniis locupletarentur.

### Regiè & regaliter. 338

Pro, crudeliter & ſuperbè. Cic. in Rullum: Hoc quantum iudicium quàm intolerandum, quàm regium ſit, quem præterit? Pro Rabirio: Regum autem ſunt hæc imperia, animaduerte & dicto pare. & præter rogitatum ſi quærare: & illæ minæ; Si te ſecundo lumine hîc offendero, morieris. Plochirus Dramate: ὑπὸ πομπικῆς ἀρχικῆς ἐσταλμένος, pompaticè & regali ſuperbia elatus.

### Hæreditas ſine ſacris. 339

Qui in bona ſuccedebat, ſacra gentilicia celebranda illi erant, non exiguo quandoque ſumptu: eóque, qui ſolidam hæreditatem ſine detrimento aſſequũtur, aut quibus commoditas aliqua ſine ſumptu obiicitur, iis hæreditatem ſine ſacris obuenire aiunt. Plaut. in Capt. & in Trinumm. vide Eraſm. adagio. ſine ſacris hæreditas.

### Vellùs aureum. 240

Χρυσόμαλλον δέρας. De iis, qui ex rebus parui prætii pretioſiſſima quæque eliciunt: vel de iis, qui artem parandæ habent pecuniæ, vt hodie permulti. Ab eo deductum, quòd ex argento viuo, quod Græcis ὑδράργυρος, Chæmicis Mercurius dicitur, conflari aurum exiſtimatur. Pellis ſcilicet aurea dicitur contractione Mercurij pellem arietis factam eſſe auream. Aurea autem pellis methodus eſt chemiæ, id eſt chryſopœiæ vel chryſopraxiæ, id eſt, auri conficiendi, vel chryſographiæ, id eſt, auri deſcribendi, quæ membrana continetur, propter quam, vt plurimi, faciendam, Argonautas ad Colchos nauigaſſe traditum eſt. Suidas: Vellus ipſum liber erat in pellibus deſcriptus, continens artem, quo videlicet pacto per χημείαν aurum conficiatur, & perinde cõuenienter aureum dicitur vellùs, quòd auri confectio per ipſum fiat. χημεία, argenti & auri ap-

Ayuntamiento de Madrid

paratus eſt, cuius artis libros cum Diocletianus Imp. inquiſiuiſſet, eam ob rem combuſſit, quod ii cauſſa eſſent, vt Ægyptii quotidie pecuniarum copia audaciores noua aliqua in ipſum Diocletianum molirentur: qua re crudeliùs & immitiùs contra eos vſus eſt.

## Romulus. 341

Quoties aliquem ſignificabant olim à Romuli virtutibus longè abeſſe, Romulum nominabant. Perſ. num Romule cæues? Cat. in Cæſarem: Cynæde Romule hæc videbis & feres? Sall. in Cic. Oro te Romule Arpina. Muret. in Cæſarem Catulli.

## Vir ſacer. 342

Feſtus: Homo ſacer is eſt, quem populus iudicauit ob maleficium, neque fas eſt eum immolari; ſed, qui occidit, parricidii non damnatur: nam lege tribunicia prima cauetur; Si quis eum, qui eo plebiſcito ſacer ſit, occiderit, parricida ne ſit: ex quo quiuis homo malus atque improbus ſacer appellari ſolet. Plaut. in Pœnulo: Vendit præſenti argento homini, ſi leno eſt homo, Quantum hominum terra ſuſtinet ſacerrumo. Sic idem Rudente, Afranius fratribus, Turpilius Demetrio, Virg. Æneid. 2.

## Ipſa olera olla legit. 343

In eos, qui cùm ad aliorum libidinem antea proſtitiſſent, aut etiam proſtarent, quærerent ipſi quoque, vbi libidinem exercerent ſuam. Cat. in Mentulam. Tale eſt Terentii illud in Eunucho: Tute lepus es, & pulpamentum quæris? Muret. vide infra Turneb.

## Oculis carius. 344

Oculorum ſenſus nobis omnium cariſſimus. Vt præclarè diſputat Ariſt. De ſapientia 1. ideo oculorum in exprimenda vi amoris crebra fit mentio. Imò Plautus oculitus amare dixit pro eo, quod eſt, ſingulariter amare, & oculiſſimum oſtium, oculiſſimum hominem, pro cariſſimo. Muret. in illud Cat. Quem plus illa oculis ſuis amabat. vide ſuprà, Plus oculis ſuis, Iun. Centu. 3. prou. 64.

## O factum bene. 345

In proſperis, & lætis rebus dicitur, vt contrà vbi aliquid nunciatur quod nolumus, vel vbi quid infeliciter

Ayuntamiento de Madrid

euenit: O factum malè. Exempla crebra apud Plaut. Terent. Cat. Idem valent, Bene narras, Malè narras. Muret. in paſſere Leſbiæ.

Mellitus. 346

De omni eo, quod ſuaue eſt, & amabile, quod Græci μελίτηρον dicunt; vt de puella, puero, paſſere &c. Muret. ibidem: Plaut. Pœnulo: Obſecro hercle vt mulſa loquitur.

Canis. 347

Catull. in quandam. Ruborem ferreo canis exprimamus ore. Sic apud Terent. Canis & os durum impudentiam ſignificant. Muret. vide ſup. Cane impudentior, Iun. Centu. 8. prou. 99.

Viuamus. 348

Quoties aliquid ad fruendas nobiſcum voluptates cohortabimur: eſtque per poëtis familiare, & inter pocula vſitatum, Viuamus, pro, genialiter viuamus. eam enim demùm vitam vocant poëtæ quæ voluptuaria eſt. Muret. ad Leſbiã Catulli exempla adducit ex Martiale, Cecilii Hymnide, Lucillio, Virgil. Plauto: & elegantiſſimum illud ex Varrone περὶ φιλονικείας, Properate viuere pueræ quas ſinit ætatula ludere, eſſe, amare, & Veneris tenere bigas.

Aranearum plenus. 349

De loco inani. Cat. ad Fabullum. & ibi Muret. Afran. apud Feſtum: Plaut. Aulul. anne quis ædes auferat?

Nam hîc apud nos nihil eſt aliud quæſti furibus:
Ita inaniis ſunt oppletæ atque araneis.

Veluti prati vltimus periit flos. 350

Catull. ad Fur. & Aur. de amore ſuo erga amicam. Qui illius culpa cecidit, velut prati Vltimus flos prætereunte poſtquam Tactus aratro eſt. Vltimos flores prati vocamus, qui ſunt proximè viam: ii autem ferè aut viatorum pedibus, aut curruum prætereuntium rotis obteri ſolent. Reſpicit autem Catull. in illo Tactus aratro, ad vetus prouerbium, quo cùm aliquid planè periiſſe indicare volebant, dicebant, Tam periiſſe, quàm extremam fabam. Vide Feſtum. Muret.

Flos. 351

Quod in quacunque re pulcherrimum puriſſimumque

Ayuntamiento de Madrid

eſt. Enn. de Cethego: flos inlibatus populi ſuadæque medulla. Plaut. Caſina: Ea tempeſtate flos poëtarum fuit. Simonides: ἐσβέσθης γηραιὲ Σοφόκλεες, ἄνθος ἀοιδῶν. Sic Lucan. Catull. Cic. alii.

## Superfluens. 352

Ita vocantur, qui, vt vulgò loquimur, continere ſe in ſua pelle præ ſuperbia non queunt. atque hoc vitium notatum ab Homero in iuuenibus, cùm eos dixit eſſe ὑπερφιάλους. metaphora à vaſis nimium plenis. Muret. in illud Catulli in Cæſarem: Et ille nunc ſuperbus, & ſuperfluens, &c.

## Sinapi callidior. 353

De inſigni veteratoris aſtutia efferunt Celtæ: quod ſinapi ignea vi ſua nares & cerebrum penè priùs apprehendat, lacrymas excutiat, quàm ſapiamus. Vnde feſtiuè Ariſtoph. in Equit. Cleonem ita percitum rugoſa caperatáque fronte, vultúque rubicundo, truci adſpectu, oculis velut emiſſitiis lumen vltrò citróque iaculantibus, furorem hominis demonſtrans ſinapi conſpexiſſe dixit, quaſi indignabundum excandeſcentemque virum innuens: κἄβλεψε νάπυ, καὶ τὰ μέτωπ᾽ ἀνέσπασεν. Aſtaphium in Truc. Plauti: Si ecaſtor hic homo ſinapi victitet, non cenſeam tam eſſe triſtem poſſe.

## Sardonius riſus. 354

De riſu nullo ſalubri ſenſu digno: ortum ab herba quæ apud Sardos apii ſimilitudine nata comedentes cum profuſo riſu humanis rebus exigit. Pauſ. Quantum arbitror, inquit Apuleius, ſi quis eam guſtarit ieiunus, ridendo exanimabitur. vide tom. 1. Riſus Sardonius, vbi tam accuratè omnia ille, vt hæc reuera ſuperflua.

## Nihil agere. 355

De inani & fruſtranea alicuius opera efferunt iureconſ. vt Attilius apud Plin. epiſt. ad Fundanium: Satius, otioſum eſſe quàm nihil agere. Iuſtin. in Inſtit. 1. Quibus ex cauſſis manum. Paull. de tutela & rat. detrah. Martian. de liberis & poſthumis hered. &c. Caius de duobus reis inſtit. Plaut. ſæpiſſimè: Nihil agis.

## Non reſpondet opinioni calculus. 356

Iuſtin. tit. Quib. ex cauſſ. manum. Et ſanè ea eſt

Ayuntamiento de Madrid

hominum philautia, vt vniquique facilè quàm maxima videantur: & plus ſæpe ſit in opinione quàm calculo. Vbi Fr. Balduinus: Vbi in ea re peccauimus, ſit errore opinionis &c. minorem cenſum extollentis, & ita magnificantis, vt plerunque non reſpondeat opinioni calculus.

## Πειθὼ ὁμηρική. 357

Obedientia Homerica, Cùm affectus rationi obtemperant. Vſus Plaut. de coër. irac. alludens ad Locum Homeri Odyſſ. υ.

Ὣς ἔφατ᾽ ἐν στήθεσσι καθαπτόμενος φίλον ἦτορ,
Τῷ δὲ μάλ᾽ ἐν πείσῃ κραδίη μένε τετληυῖα
Νωλεμέως. & paulò pòſt. στῆθος δὲ πλήξας &c.

## Θεοφόρος. 358

Communis vox interpretum ſacrarum litterarum. Vnde Ioh. Damaſcenus, Theophorus, Ignatius item, &c. Cyrillus II, 27. tradit diuinum appellari θεοφόρον Euangelium in ſe per gratiam habentem.

## Cedro dignum. 359

Quicquid iudicamus immortalitatem mereri. Hæc arbor natura cariem non ſentit, eóque libros à tineis conſeruat, & commoda ſimulacrorum materia eſt, vide tom. I. Digna cedro.

## Nebrida fert. 360

De eo, qui natura eſt timidior & vini amans. Bacchus enim ab Indica expeditione rediens id genus pellium Nebridum geſtabat.

## Extremam imponere manum. 361

Abſoluere ſuis numeris aliquid, & finire. Virg. Aen. 7. Nec minùs interea extremam Saturnia bello Imponit regina manum. Effertur etiam, Summum manum addere. Sumptum ab ædificatoribus, qui abſoluto ædificio faſtigiū ſolent aliquod imponere.

## In limine portus eſſe. 362

Pro extra periculum eſſe, & in tuto. Virg. 7. Nam mihi parta quies omniſque in limine portus. Sumptum à nauigantibus. Georg. I. Ceu preſſæ cùm iam portum tetigere carinæ.

## Sera vota. 363

Ayuntamiento de Madrid

Idem eodem l. Votisque Deum venerabere ſeris. reſpexit ad illud, ῥέθῳ δέ τε νήπιος ἔγνω, vel, ἁλιεὺς πληγεὶς ἔγνω. Itē Georg. 4. Venimus huc lapſis quæſitum oracula rebus.

## Rerum reliquit habenas. 364

Gubernationem & imperium. tralatum ab aurigis, qui equos habenis regunt; quibus diſſolutis, illi diſſoluti euagantur nullo moderante. Virg. Æneid. 7. de Latino: Rerūmque reliquit habenas. Dicitur de eo, qui afflictiſſimis in rebus ſpem aut conſilium abiicit, & officium ac munus deſerit.

## Telum ira facit. 365

Ibidem Virg. innuens furorem arma miniſtrare. Baſil. ad nepotes: τῇ τραγῳδίᾳ γὰρ οὐ πιστευτέον ἁπλῶς λεγούσῃ, ἐπ' ἐχθροὺς θυμὸς ὁπλίζει χέρα, Tragœdiæ non credendum dicenti, In inimicos armabit ira manum.

## Ille velut pelagi rupes immota reſiſtit. 366

Ex Virg. 7. vbi Latini conſtantia amplificatur vſurpauit Macrob. 6, 3. cap. Saturnal.

## Oſcè loqui. 367

Liuius auctor eſt primùm ab Oſcis fabularum ludos celebratos: atque inde à iuuentute parodia conſertis Atellanis Romam inuecta. Vnde Oſcè loqui, ſumptum videtur ab impuris fabularum generibus, quæ in Italia ab illis primum & inuentæ & actæ fuere. vnde etiam obſcænè dicta quidam putant turpia appellata.

## Saturni hoſtia. 368

De immani crudelitate: quoniam Saturno humanis hoſtiis ſacrificari mos aliquando irrepſit per Pelaſgos, qui ſedibus ſuis pulſi, in Latium appulſi erant.

## Diis ſecundis. 369

Idem quod ventis ſecundis: proſpero & felici ſucceſſu. Virg. Geor 2. Æneid. 7. & 8. Plaut. Rudente. Hinc diuerſum illud Plauti in Pœnulo: Nam ego hodie infelix Dîs meis iratiſſimis Sex agnos immolaui &c. Theoc. in Char. dixit difficiles eſſe Muſarum vias abſque Ioue, id eſt, niſi Deus adſpiret & iuuet.

## Noua lux effulſit. 370

De inſperata felicitate, ſiue bonorum affluentia. Virg.

Ayuntamiento de Madrid

Aen.9.& Æn.12 Diſcuſſæ vmbræ,& lux reddita menti eſt, id eſt, lætitia, præſens conſilium,& ſubita felicitas Nox & tenebræ in ſacris capiuntur pro multitudine afflictionum & malis ingruentibus. Cic. Receſſus ſolis quaſi triſtitia quadam contrahi terram; acceſſus autem autem lætificat. etenim oriente ſole cælum videtur apperiri, ſicut occidẽte claudi. Plaut. Perſa: Tu ſtultiloque neſcis quid inſiet boni: Nequicquam tibi fortuna faculam luciferam allucere volt.

## Nodus ineſt. 371

Robur & firmamentum. Ductum ab arboribus, quæ, qua parte ſunt nodoſæ, difficulter cuneis perrumpi poſſunt. Æneid.10.

Primus Abantem
Oppoſitum interimit pugnæ nodumque moramque.

## Cælo animum ferre. 372

De iis qui magna de ſe prædicant, ſéque inaniter venditant. Æneid.10

Dixerat ille aliquid magnum, vimque affore verbo
Crediderat, cælóque animum fortaſſè ferebat.

Alludit ad illud: Cælum manibus contingere. Virgilio hæ hyperbolæ ſunt perfamiliares. Æeneid.11. & cælum territat armis. Et, Non replenda eſt curia verbis, Quæ tutò tibi magna volant. Item: Proinde tona eloquio ſolitum tibi. Paulò poſt: An tibi Mauors Ventoſa in lingua &c. Hæc Turnus in Drancem lingua in conſilio pollentem, cetera imbellem. Sic Therſitæ loquacitatem caſtigat Vliſſes Iliad.2.

## Caniciemque ſibi & longos promiſerat annos. 373

Stultorum eſt, ea ſibi promittere, quæ in nullius hominis manu ſunt, ſed à Deo pendent, vt multos annos, cùm ne de hora quidem certi ſimus. Virgil.

## Animo nunc huc, nunc fluctuat illuc. 374

Ancipitem hominis animum & conſilij incertum indicabimus hoc Virg. verſu ex 11. Æneid. quo expreſſit verbum Græcum μερμηρίζω, quod eſt, in diuerſas partes conſulere, ſolicitè cogitare.

## Aufidus Hadriam retrò fugit. 375

Ayuntamiento de Madrid

Hoc Virgilij Æneid. 11. admonet Seruus efferri de re neque veriſimili, neque conſiſtente. Alluſum ad parœmiã, Surſum verſus ſacrorum fluminum feruntur fontes: cùm præpoſterè hoc fieri velit ſignificare. Aufidus amnis ex mõtibus Hirpinis & Canuſium præterfluit.

## Nullũ cũ victis certamen & æthere caſſis. 376

In eos qui victos aut vita functos inſectantur, & lacerant. Aeneid. 11. Innuit Planci ſententia, Cum mortuis non niſi laruas luctari.

## Ἐντὸς τῶ βέλους. 377

Intra telorum iactum. De iis qui periculis obnoxij poſſunt videri. Sic qui in tuto conſiſtunt, ἔξω τῶν βελῶν, extra, telorum iactum eſſe dicuntur. Virg. ibidem. Iamque intra iactum teli progreſſus vterque Conſtiterat.

## Niuis ritu. 378

Χιόνος δίκην. Ibidem: Fundunt ſimul vndique tela Crebra, niuis ritu: cælumque obtexitur vmbra.

## Fulminis in morem. 379

Hac hyperbolica collatione atrocitatem rei alicuius amplificant etiam hodie Celtæ: *Comme la foudre*. Ibidem. Excuſſus Aconteus.

Fulminis in morem, aut tormento pulueris acti.

## Siluis te feras agitare putaſti. 380

Facetus ibidem iocus eſt in hominem, qui iis armis inſtructus in pugnam cum aliquo deſcendit, quibus faciliùs terreri poſſint feræ quàm bellatores. Idem vulgò Celtæ vſurpant.

## Tollitur in cælum clamor. 381

Hac hyperbole idem vtitur, 10. 11. 12. alibi ſæpe imitatus in ea Ennium lib. 17. Tollitur in cælum clamor exortus vtriſque: & Hom. Iliad. 15. φωνὴ δὲ οἱ αἰθέρ' ἵκανεν.

## Alterum contingit, alterum negatur. 382

Aeneid. 11. Voti ſuccedere partem
Mente dedit, partem volucres diſperſit in auras, id eſt, negauit, in ventum abire iuſſit, fruſtrà orauit. Erit vſui. quoties è duobus naturæ beneficiis alterum contingit, alterum recuſatur: vt ſi cui forma, opes, generis ſplendor, negata ſint, adſit ingenij laus, & retrò.

## Hactenus habui, potui, fui. 383

Ayuntamiento de Madrid

Deſperantis formulæ, auctoribus vſitatiſſ. Virg. Æneid.2. fuimus Troës, fuit Ilium & ingens Gloria Teucrorum. Item 11 Hactenus Acca ſoror potui. indicat Camillaſe iam ampliùs non poſſe quicquam. Item. 4. Vixi & quem dederat &c. Terent. Heaut. imò habui Chreme. Plaut. in Rudente. Iem in Perſa: Omne ego pro nihilo eſſe ducto quod fuit, quãdo fuit, Tanquam hominem quando animam efflauit. quid enim queras qui fuit? Cicero ſignificans coniuratos extremo ſupplicio affectos eſſe, vixerunt, inquit. Eurip. Hecuba: κἀγὼ γὰρ ἦν ποτέ.

## In te omnis domus inclinata recumbit. 384

Virg, 12. De eo cui tota domus innititur, quem familiæ columen vocat Terent. Phormione. Eraſmus quadam epiſtola ad Cognatum: Quærunt, inquit, tui parentes columnam, in quam domus &c.

## Inferos cælo miſcere, & terram mari. 385

Pro, omnia perturbare, confundere; nihilque non facere. Virg. 12

Non ſi tellurem effundat in vndas
Diluuio miſcens, cælumúe in tartara ſoluat.

Ipſum etiam ſimplex verbum miſcere eódem ſenſu vſurpant auctores.

## Dextera nec tua te graiûm fortiſſime Creteu Eripuit Turno. 386

Quoties denotabimus fortiſſimos quoſque in bello cadere, quos ſua virtus & armorum fiducia ſæpè fallit. Virg. ibid. Dexteram pro potentia accipiunt ferè ſemper ſacræ litteræ.

## Onus Atho aut Ætna grauius ſuſtinere. 387

Eur. Herc. fur. ἃ πόνος μοὶ φίλον γ' ἄχθος, ὃ δὲ γῆρας ἀεὶ βαρύτερον αἴτνας σκοπέλων ἐπὶ κρατὶ κεῖται. Hinc ſumpſit Cic. initium ſuum in Catone maiore. vide ſup. 87. Athus Teſſaliæ, vel, vt alij volunt Theſſaliæ eminentiſſ. quippe qui in trecenta vſque ſtadia vmbram eiaculetur: cuius incolæ in vertice ſolem orientem tres horas priùs conſpiciunt, quàm maritimis regionibus proximi accolæ: non mirum ergo ſi in prægrauis ponderis ſignificationem trahatur.

Her-

## Hercules. 388

Varro teſtatur omnes Hercules dici poſſe, qui res magnas geſſerint: atque id vulgari conſuetudine etiam Celtæ vſurpant.

## Ioues, Iunones. 389

Omnes regum primogenitos, Ioues appellari: & omnes reginas regum primogenitas, Iunones: vrbium conditores, Saturnos, auctor eſt Xenoph. in Aequiuocis.

## Οὐκ ἄνευ θεοῦ. 390

Auctoris ſummi omnipotentiam, & in humana imperium illa teſtantur. σὺν τῷ θεῷ πᾶς ϰ γελᾷ ϰ ὀδύρεται. Cum Deo quiſque flet & ridet. οὐ θεῶν ἄτερ, non ſine Diis, Pind. Pythiis 5. Non ſine Dîs animoſus infans, Hor. Od. 3, 4. Ponuntque ferocia Pœni Corda volente Deo, Virg. Aeneid. 1. Poſtquam res Aſiæ &c. viſum ſuperis, Aeneid. 3. οὐκ ἀθεεὶ τῶτα διέρχομαι ὑγρὰ κέλευθα, non ſine Deo haſce humidas tranſeo vias, Europa apud Theocr.

## Magnus. 391

A rerum geſtarum magnitudine multi nomen merito, inuenerunt, vt de fortiſſimo Troianorum Virg. 6. Hectoris hic magni fuerat comes. De Alexandro, Pompeio, Carolo teſtis fama publica & libri omnes.

## Diuinus, Deum fieri. 392

Cic. epiſt. 1. ad Q. fratrem: Nam Græci quidem te ita viuentem intuebantur, vt quendam ex Annalium memoria, aut etiam è cælo diuinum hominem eſſe in prouinciam delapſum putent, id eſt, hominem ex Deo natum, & ſingularibus donis, quæ in quoſuis non cadunt, præditum. Plato in Menone, ait Lacones virum bonum laudantes dixiſſe: θεῖος οὗτος ἀνήρ. Baſil ad Nepotes, θεὸν γενέσθαι dixit, pro diuinis honoribus affici, vt de Auguſto Tityrus Virgilian.

## Contrahit & demittit animum. 393

Dolet, triſtatur, animum deiicit. Cic. eadem epiſt. Dicitur tralatè animus contrahi per ἄλογον συστολὴν, & quaſi in anguſtum adduci, quando ingratam rem auerſatur. tum enim reuera cordis villi conſtringuntur. Contrà dicitur effundi, cùm iucunda & bona quæ offeruntur, quaſi expanſis villis excipere conatur. Sic demittitur animus eodem modo quo caput, vbi quis triſtis incedit. Cic.

u

Ayuntamiento de Madrid

pro Cluent. At C. Fabricius à ſubſelliis demiſſo capite diſceſſerat. Item pro domo.

## Mutuum ſumpſiſti. 394

Etiam hodie in fures dicitur. Sueton. in Cæſare, 51. Aurum in Gallia effutuiſti; hîc ſumpſiſti mutuum, id eſt, Quod aurum hîc ex ærario ſumpſiſti mutuum, nempe vt fures ſolent nunquam redditari, hoc in Gallia turpiter cũ magnatum feminis inſumpſiſti.

## Fuci. 395

Qui ex ſudore & ſanguine aliorum ſua comparant commoda, ſuis indulgent voluptatibus. Fuci enim, apum laboribus ac melli inſidiantur. Hinc à Io. Viue ſumpta metaphora lib. 2. de Subuentione pauperum: Tanquam fuci fruentes alienis ſudoribus. Plinius nat. hiſt. lib. 11. c. 11 Fuci, inquit, ſunt ſine aculeo, velut imperfectæ apes, ſerotinus fœtus, & quaſi ſeruitia verarum apum. hos peſtilentes apibus dicit, quòd nihil operantes abſumant aliarum apum induſtriam.

## Nouus homo. 396

Nulla maiorũ commendatione, aut imaginibus claros, ſed rebus præclarè geſtis nobilitatos, nouos homines dixerunt. Appianus, καλοῦσι δὲ καινοὺς τοὺς ἀφ᾽ ἑαυτῶν, ἀλλ᾽ οὐ τῶν προγόνων γνωρίμους. Id eſt, Romani eos vocant nouos, nõ qui ex maioribus, ſed qui ex ſeſe claruerunt: vt contrà, Gentiles homines, linguæ vulgares dicunt, à gentis origine, quorum maiores ſeruitutem non ſeruierint, nec capite deminuti ſint. Nec enim minùs profectò noui, quàm antiqui gentiles laudandi, ſi recto pede rectáque via huc ad honores perueniant. Illi ſiquidem alienis quaſi plumis ornati incedunt, hi ſuis virtutibus: illi, vt hedera & vitis, alienis nituntur adminiculis; hi, vt trochus piſcis ipſe inire ſe dicitur & cõcipere, ſic primi ſunt generis, nominis, honoris, auctores ſuis poſteris. Apud Romanos enim infame nouorum hominum erat vocabulum, Ciceroni nõ ſemel obiectum, & à Salluſtio nominatim probro datum quòd homo nouus Arpinas eſſet, ac reperticius, accitus, & paulò antè vrbi Romæ ciuis inſitus. Sed vtinam hac ætate omnes Cicerones haberemus, qui labore induſtria, eloquentia, ingenio ſibi aditum ad honores conſequendos patefacerent. Plinius vocat, ſubitas imagines, & nouam

Ayuntamiento de Madrid

nobilitatem, quæ, cùm creſcat ipſa, & aſcendat per ſe propiùs ad eam laudem abſolutionis videtur accedere, quàm ſanguis antiquus, putidus & putrefactus vetuſtate, vt etiã dixit Gregorius Nazianzenus in hanc ferè ſententiam:

Probrum eſt malum vocari, non ignobilem:
Genus eſt eorum qui diu ſunt putridi.

Ecce σεσηπότας vocat, id eſt putrefactos, qui iam diu in ſepulchris mortui iacuerunt, ac corrupti, quibus quidem ſe oriundos prædicant. Cicero quoque imagines vetuſtas & bene antiquas Piſonis, ridiculè fumoſas appellauit. Inane eſt itaque hoc nomen antiquæ nobilitatis, ſi nulla res alia nobilem faciat, præter antiquam ſtirpem, & ſtultæ ſtẽmatum ac inanes imagines.

## Aſperius nihil eſt humili, cùm ſurgit in altum. 397

Hic Claudiani verſus prouerbij vice frequenter celebratur, atque de iis dicitur, qui antè deſpicatiſſimi & imbecilli homines, nemini nocere potuiſſent: his eneruatis & exſanguibus, quouis Iro pauperioribus cùm opes, cùm magiſtratus & honor tanquam gladius eſſet datus, non ſolùm pungere ſuopte ingenio cito didicerunt, ſed acie auctoritatis bonos ciues, ſe meliores ac ſanctiores, atque nobiliores, vulnere inflicto contrucidant. Deinde cùm velut muſcæ famelicæ accedunt, quo ſaturent inexplebilem habendi cupiditatem, ex ſanguine & miſeriis pauperum comparant, quam non habent, opulentiam. Ita cæca fortuna vt illos promouit, ita promotos facit cæcos quoque: cui non ſatis eſt malos prouexiſſe, niſi auctoritate armatos reddat nocentiores. Huic non diſſimilis eſt verſus vetuſtiſſimus: Cùm ſurgunt miſeri, nolunt miſeri miſereri. Sic honores mutant mores.

## Lapides ad filum. 398

Baſilius ad nepotes cap. 6. iubet ad honeſtarum artium præſcriptum, mores & ſtudia noſtra applicari & corrigi, perinde quaſi lapides iuxta doricum prouerbium, ad filum vel Leſbiam regulam dirigentes, κατὰ, inquit, τ̀ δωρικὴν παροιμίαν, τὸν λίθον ποτὶ τὴν σπάρτον ἄγοντας. Exſtat trochaicus apud Plutarchum, in libro de Profectu, eiuſdẽ ſententiæ, πρὸς στάθμην πέτρον τίθεσθαι, μήτι πρὸς

πέτρᾳ στάθμην, id eſt, lapis amuſſi eſt applicandus, non amuſſis ad petram.

## Mente agitare coquos. 399

Speciem habere videtur prouerbij, atque in eos detorqueri poſſe, quibus ſemper animus iuxta Comicum, eſt in patinis, quíque nulli rei præterquam vino & frugibus perdendis nati ſunt. Baſilius ad nepotes ca. 12. ὥς ἔιγε, τραπεζοποιούς τινας καὶ μαγείρους περινοοῦντες, &c. nam qui ſemper cenas atque coquos mente agitant. Non diſſimile refert ex Platone veteris comœdiæ poëta Athenæus, ὑμῖν γὰρ οὐθέν, καθάπερ ἡ παροιμία, ἐν τῷ καπήλῳ νοῦς ἐκεῖναί μοι δοκεῖ, id eſt, Nihil enim, ſed vt prouerbium habet in popina mihi videtur mens eſſe.

## Pythiæ Myſij talenta. 400

Prouerbij ſpeciem habere videtur, & illi confine eſſe Tantali talenta, Crœſi opes. Dicitur enim vtrũque de immenſis opibus. Diuus Baſilius ad nepotes c. 15. τὰ πυθίου τοῦ μυσοῦ, &c. At nobis niſi Pythiæ Myſij talenta, &c. Porrò meminit Cicero cuiuſdam alterius Pythij Syracuſani libro tertio Officiorum.

## Ἀρχιλόχου ἀλώπηκος. 401

In eos dici exiſtimo, qui pro re nata conſilium expeditiſſimè capiunt. vide ſup. Iunium Centu. 5. prou. 91.

## Mathuſalæ viuacitas. 402

Mathuſalę viuacitas prouerbii vice habetur, de qua meminit quintum caput γενέσεως, & Baſilius Magnus ad nepotes, ſub finem, παρ' ἡμῶν μαθουσάλα.

## Obſonare pollucibiliter. 403

Plautus pollucibiliter in Moſtellaria, & pluribus aliis in locis, pro opiparè vſus eſt. Nam de eſculentis & poculentis, Herculi decimam dabant: idque polluceri; &, conſecratum quod fuerat, polluctum dicebatur. Camer. Grumio Tranioni conſeruo:

Nunc dum tibi lubet, licétque; pota, perde rem,
Corrumpe herilem filium, adoleſcentem optimum,
Dies noctéſque bibite, pergræcamini,
Amicas emite, liberate, paſcite
Paraſitos, obſonate pollucibiliter, &c.

Ayuntamiento de Madrid

## Ἀστεροπαῖος. 404

Hom. Iliad. φ ἥρως ἀστεροπαῖος ἐπεὶ περιδέξιος ἦεν. vide ſup. prou. Iunij, Aſteropæus, ambidexter. Hoc idem tribuit Timocrates apud Athenæum Larenſimo conuiuarum principi.

## Grauiſtellus. 405

Plautus licentia vſitata ſibi in fingendis nominibus in Epidico alluſit ad pondus telluris, quod dicitur ab Homero Iliad. σ. & Odyſſeæ υ ἄχθος ἀρούρης, atque ita iocatus eſt in obeſum. Sed quis eſt hæc muliercula, & illic grauiſtellus qui venit? Sex. Pompeius, hunc locum in Grauaſtello adducere videtur. Camerarius.

## Obſipat aquam. 406

Plautus in Ciſtellaria, Obſipat aquulam, aſpergit, id eſt, recreat me. In Curculione adoleſcens poſtulat aqualem cum aqua, cum ſimularet paraſitus ſe in laſſitudine animum relinquere, & interrogat, Vin' aquam? In trinummo Charmides: adimit animũ mihi ægritudo Staſime, tene me. Staſ. Vis ne aquam tibi petam? Ch. Res quum animam agebat, tum eſſe offuſam oportuit. vide tom. I. Aſperſiſti aquã & Camerar. in Plautum.

## Velim, nolim. 407

Cùm contra ſententiam animi noſtri fit aliquid. Plautus in Ciſtellaria & ſæpè alibi pro hoc vſus fuit q, Ingratiis. ὑφεῖν, In Curculione Phædromus:

> Quo Venus Cupidóque imperat, ſuadétque amor.
> Si media nox eſt, ſiue eſt prima veſpera:
> Si ſtatus condictus cum hoſte intercedit dies:

Tamen eſt eundum quò imperant ingratiis. pro ingratis, id eſt, inuitis; vt gratiis gratis. In Rudente: Has hirundines ex nido vult eripere ingratiis. In milite glorioſo: Imò vi atque inuitam ingratiis, niſi voluntate ibis, rapiam te domum. Non diſſimilis eſt apud Græcos, præſertim hiſtoriographos, crebra hæc loquendi formula, ἄγεσθαι καὶ φέρεσθαι: cùm quis alieno arbitrio tractatur, nimirum violentè id quod in bello accidere ſolet. Camerar.

### OBSERV. GISEL.

Vſum vocabuli, ingratiis, vulgò incognitum obiter illuſtrabo. Plaut. Caſina: Quid tu ſi nolis, filiuſque e-

tiam tuus, Vobis inuitis atque amborum ingratijs Vna libella liber poſſum fieri. & in Mercatore: Tuam amicā. CH. Nimium multum ſcis. EN. Tuis ingratiis. id eſt, te inuito, ambobus volentibus nolentibus. Eſt autē ingratiis, rei nomen μονόπτωτον, vt gratiis, promptu, aſtu, ſponte, impete, &c. Plauto maximè ſine vlla adiectione, vſitatiſſimum: item Terentio duobus aut tribus locis. faciunt vt certò id eſſe credamus, ipſa verſuum certa inuiolatáque ratio, & vnanima doctiſſimorum quorumcunque hominum conſenſio. Nam quod quidam, vt aduerbium ſuum, ingratis, nobis reddant acceptius, auſi ſint adſerere, vocem, ingratiis, contra vet. libros apud Terentium & Plautum poſitā eſſe: perſuadeant hoc Garamātibus ſuis nuper nobis ſi Diis placet, cum multis aliis monſtris primum natis: nam de nobis nulla ipſis ſpes eſſe poteſt, quandiu verſus iamiam laudatos pro Plautinis agnoſcemus, præſertim cùm non ſimus neſcij, qua nota geminatum, ij in veteribus libris, vbique ſoleat exarari. Fidem verò Ioachimi Camerarij, hominis, etiam inuidia teſte, vnius hominum integerrimi, liceat iiſdem in dubium vocare, quādo omnia ſolis licent.

## Ἀπνευςί. 408

Ductim aduerbium, Priſcianus ex Plauto In Curculione annotauit & interpretatus fuit ἀπνευςί, quod ſignificat in bibendo auiditatem & copiam, id eſt, vno ſpiritu: vt notat Camerar. Lena apud Plautum:

Inuergere in me liquores tuos Sino ductim.

## Oſſa atque cutis. 409

Prouerbialis hyperbole de macilentia, vt Apollonius 2. Argon.

Πίνῳ τέ οἱ αὐςαλέος χρώς,
Ἐσκλήκει, ἐπὶ οἱ ἢ σὺν ὀςέα μοῦνον ἔεργον.

Plautus in Captiuis; Ego, inquit Paraſitus, qui tuo mœrore maceror,

Maceſco, conſeneſco & tabeſco miſer.
Oſſa atque pellis ſum miſera macritudine, &c.

Camerar.

Ayuntamiento de Madrid

Κωμῳδεῖσθαι. 410

Priſcis temporibus de comœdię licẽtia κωμῳδεῖσθαι vulgò dixere eos, qui probris inceſſerent: nam hi nominatim aut improbos aut inimicos ſuos perſtringebant; principũ etiam virorum vitam & mores reprehendentes: hodię dicuntur Satyrici.

Sumptus cenſum ne ſuperet. 411

Et hoc peruulgatũ eſt omnibus gentibus, Italis maximè. Anteraſtilis Adelphaſio ſorori ſuæ in Plauti Pœnulo: Pro herili, inquit, noſtro quæſtu ſatis bene exornatæ ſumus. Non enim poteſt quæſtus conſiſtere, ſi eum ſumptus ſuperat ſoror. Eò illud eſt ſatiu'ſt ſatis, quod ſatis eſt, habitus plus quàm ſat eſt. Hanc prouerbialem & planè auream ſententiam doctiſſimus & omni literarum genere ornatiſſimus vir D. Hieronymus Niger Patauinus, ſupra ianuam domus ſuæ incidi ac inſcribi curauit: hanc in domo ac veſtibulis & in cubiculis etiam vidimus: nec inuenimus emblema pulchrius, vel auguſtius, quod coërcet ſtudium voluptatis, & vitæ ſuauis ac delicatæ, & in primis ſumptus immodicos: ad quos cùm opus ſit pecunia, celeriter obruuntur debitis ſeruientes cupiditatibus ſuis.

Vlyſſes. 412

Plautus in Pſeudolo, Vlyſſem Simonis ſeruum Pſeudulum totum ex mendaciis atque dolis compoſitum vocat. Viſo, inquit Simo, quid rerum meus Vlyſſes egerit: iam ne habet ſignum ex arce Ballionia. Idem paulò poſt: Superauit dolum Troianum atque Vlyſſem Pſeudulus. Vlyſſem enim Homerus vbique callidum, aſtutum, vafrum, verſutum ac diſſimulantem ſimulantémque fingit: vnde eundem ſtatim initio Odyſſeæ πολύτροπον appellat, & Iliad. penultimo: ἂν δ' ὀδυσσεὺς πολύμητις, Conſilio hinc pollens & fraude Ithacenſis Vlyſſes.

Liuor ſumma petit. 413

Eſt ea Inuidiæ natura, vt ſumma & excellentia petat. Ouid. lib. 1. de remedio amoris: Liuor ſumma petit, perflant altiſſima venti. Idem lib. 2. Metamorph. Summa petunt dextra fulmina miſſa Iouis. Hoc epitheto, ſumma, vſus videtur, vt alluderet ad hoc: cùm inquit: Et ſumma



Ayuntamiento de Madrid

papauera carpit.Rarò autem fieri ſolet, vt ſumma felicitas careat inuidia.

## Viuis fama negatur. 414

Rarò accidit,vt viuentes famam conſequantur,iuxta illud Martialis:Eſſe quid hoc dicam,quod viuis fama negatur: quo vtemur quotieſcunque viui merita laude fraudantur.dies enim fatalis,ſiue mors,de ingeniis rectiſſimè iudicat:nam multa,& præcipuè motus vel inuidia impediunt,quo minus rectè de hominibus,dum viuunt,iudicetur:poſt mortem verò iudicia liberiora & ſinceriora ſequuntur.Videtur Martialis alluſiſſe ad Ouidij iſtud , quod elegia decimaquinta & vltima libri primi habetur:

Paſcitur in viuis liuor,poſt fata quieſcit:
Tunc ſuus ex merito quenque tuetur honor.
Ergo etiam cùm me ſupremus adufferit ignis,
Viuam,pársque mei magna ſuperſtes erit.

Sic Propertius libro tertio :

At mihi quod viuo detraxit inuida turba,
Poſt obitum duplici fœnore reddet honos.
Omnia poſt obitum fingit maiora vetuſtas:
Maius ab exſequiis nomen in ora venit.

Idem quoque Ouidius de Ponto 3. & 4. Triſtium 4. & hinc ſibi fortaſsè immortalitatem ex carminibus ſibi pollicetur in fine Tranſmut.Cùm volet illa dies &c.qui locus etſi de ingenij fama intelligi poſſit ; videtur tamen Ouid. ibi Platonicorum dogma ſecutus,animæ immortalitatem aſſeruiſſe:cuius veræ opinionis duces ante ſe habuit, eiuſdem tamen ferè ætatis, viros duos eximios,Ciceronem ac Maronem,vt pudeat,quoſdam inueniri Chriſtianos;qui in re,fide noſtra certa,dubitationem mouere audeant : quæ apud plurimos Ethnicos , quibus Chriſtus nullam fecerat fidem,indubitata fuit.

## Tenebras inducere rebus. 415

Tenebræ per tranſlationem pro cuiuſcunque rei obſcuritate. Quinctil. 10,1.Menander omnibus eiuſdem operis auctoribus abſtulit nomen,& fulgore quodam ſuæ claritatis tenebras obduxit.Sic apud Cic. 4.Acad. Obducere tenebras clariſſimis rebus.Ibidem: Offundere tenebras alicui rei. Pro Deiotaro : Familiam abiectam & obſcuram,

Ayuntamiento de Madrid

è tenebris in lucem vocauit. Ouid. 2. metamorph. ſine tranſlatione dixit: Tenebras inducere rebus. vbi paulò antè dixerat: Nubes inducere terris. Nubes etiam per tranſlationem reperitur.

### Ἀλαζών. 416

Alazones Græco prouerbio dicuntur oſtentatores, vani, arrogantes, ſuperbi, gloriatores, iactabundi, inſolentes, præferoces, & vltra modum vſitatum elati, qui plura promittunt, quàm poſſint præſtare: quod vitium Vlpianus, Demoſth. interpres vocauit ἀλαζονίαν, atque huic contrariam eſſe εἰρωνείαν ait, quę quod facere poteſt, eleuat ac minuit. Tale genus hominum producitur nobis à Plauto & Terentio in Pyrgopolinice glorioſo milite & Thraſone. Plautus: Ἀλαζὼν Græcè huic nomen eſt comœdiæ. Id nos Latinè glorioſum dicimus.

### Δίκης ζυγῷ. 417

Hoc Pollucis ad Commodum Cæſarem dictum admodum vulgare, Libræ in morem, locum habet ſuum ac proprium; quando admonemus, vt res expendens ac librans examine, in neutram partem plus iuſto propendeat, nec à recto deflectat. Eáque virtus principibus ac iudicibus aptiſſima & accommodatiſſima eſt, quorum vita omnis & actiones in omnium hominum commodis tuendis cernũtur potiſſimum. qua ſi præditi ſint, virtutum omnium facilè principem conſecuti ſunt, qua & cæteros vincent, & ſeipſos.

## Leo in luſtro. 418

Dauid leones in luſtro vocat, inſidiantes inopi, & rapiẽtes pauperem, trahentéſque in retia. Hi ſunt illi Gigantes in terra, Nephilim dicti. Hi ſunt Horei, Raphaim, Emim, Enakim, & Nimrodi & poſteri, de quibus paſſim ſacrę litteræ: quos porrò Hieremias, quaſi lupos rapientes prædã incitat, effundentes ſanguinem, ac ſectantes lucra.

## Villani. 419

Gallicæ nobilitatis vulgus villanos, viles dicunt, ignominioſo vocabulo, cuius tamen verbi etymologiam ac notionem ipſi ignorant. Villani enim ſunt omnes, qui gẽtiles homines, id eſt ingenui, ab ipſa gentis origine non ſunt: adſcriptitij tamẽ à villa dicti, quod villæ ac colonariæ

Ayuntamiento de Madrid

conditioni addicti aut ipſi ſint, aut eorum maiores fuerint. Talia multa ſunt verba gentilium, veræque ampullę, etiam in colonos ac proximos, quos ſuos & amicos ac fratres ac vicinos iuſtius ſalutarent. Sed id vitium eſt ſuperbiæ.

## Curſu præuertere ventos. 420

Virgil. 7. Æneid. ſub finem, & duodecimo, hyperbolicè per comparationem, ventos equo ſiue curſu præuertere dicit. Illi, inquit, æquore aperto.

Ante Notos, Zephyrúmque volant.

Et paulò pòſt: Vel æquo præuertere ventos.

Decimo: Fugit illa per vndam,

Ocyor & iaculo, & ventos æquante ſagitta. Æneid. 5. gemina hyperbole. Niſi curſus velocitatem admirabilem amplificat à natura ventorum & fulminis, quorum celeritas excedit omnem admirationem: Niſus, inquit, Emicat & ventis & fulminis ocior alis. Theocr. Eidy. 8. μή μοι γᾶν πέλοπος, μή μοι χρύσεια τάλαντα εἴη ἔχειν, μὴ δὲ πρόσθε θέειν ἀνέμων. i. Non regnum Pelopis, non auri talenta Opto habere, & curſu ſuperare ventos. Daphnidis ſunt gnomica: Quiſque ſit contentus ſua ſorte. Sis aſinus, quẽcunque aſinum ſors aſpera fecit. Qui ſortem placidè ferre ſcit, ille ſapit.

## Viuite, valete. 421

Renunciãtis ſunt, non, bene precãtis. Valerius Catullus: Cum ſuis viuat, valeátque mœchis. Virg. in Pharmaceutria: Omnia vel medium fiant mare, viuite ſyluæ. id eſt, valete: Quale eſt Tibullianum illud: O valeant ſyluæ, deficiántque canes. Et apud Terentium: Valeant qui inter nos diſcidium quærunt.

Sic & ſalutem litteris dixit, qui ſtudia deſeruit. Amator apud Theocritum Eid. 28, ἄρτι δὲ χαίρειν τοῖσι τεοῖς προθύροις ἐπιβάλλομαι, id eſt, iam verò valere tuis veſtibulis denuncio.

## Fata viam inuenient. 422

Aptè in parœmiæ ſpeciem detorqueri poteſt; quoties indicabimus, citra noſtram induſtriam & conſilium, diuina prouidentia, ineuitabilia diſcuti, aut certè mitigari. Virg. 3. Aeneid. Fata viam inuenient, aderítque vocatus Apollo. Reiectio denunciationis triſtis eſt, cui opponit fatorum

Ayuntamiento de Madrid

prouidentiam,& præſentem numinis opem, quod inuocatum, obſcenam famem eſt mitigaturum.

Idem 10.Aeneid. Sua cuique exorſa laborem,
Fortunámque ferent: Rex Iuppiter omnibus idem.
Fata viam inuenient.

## Aderit vocatus Apollo. 423

Hoc quoque vtimur, quando oſtendimus Deum inuocantibus adeſſe,& omnia aduerſa mitigare: is enim ἀποτρόπαιος καὶ ἀλεξίκακος dicitur. Idem Georg. 4. Audítque vocatus Apollo. Ad quod Ouidius viſus eſt alluſiſſe cùm ait: Sæpe vidi Iouem cùm ſua vellet mittere fulmina thure dato ſuſtinuiſſe manum.

## Rex Iupiter omnibus idem. 424

Huius etiam hemiſtichij vſus frequẽs eſt, cùm deum ſua ſe æquitate exitum cuiuſque rei permiſſurum fatis neutrarúmque partium ſtudia ſecuturum denotamus.

## Volat. 425

Omnia, quæ magno impetu feruntur, aut immittuntur, volare dicimus metaphoricè vt famam volare dixit. Virg. Aeneid. 3. 8. 11. Et volatile ferrum, Aeneid. 4.& 8. appellauit decenter ſagittam, quæ arcu impulſa celeriter fugiat, celeritatem adaugentibus quibuſdam quaſi alis additis, vt volare videatur. 10. Dixit, telúmque intorſit in hoſtem: Inde aliud ſuper, atque aliud figítque, volátque Ibidem: Veſano talia latè Dicta volant Ligeri. 11. Sed non replenda eſt curia verbis: Quæ tuto tibi magna volant,&c. Lucr. 1. Iaciátque volatile telum. Idem 4. Ante fuit multo, quàm lucida tela volarent. Virg. 4. Georg. Sed viua volare, Sideris in numerum, atque alto ſuccedere cælo.

## Oculis limis & taurinè tueri. 426

Eſt odientis ſignum, vt inquit Plato. Nicander in Alexipharmacis, Δοχμαῖς δὲ κόρῃσι ταυρόδια λεύσσων, taurinúmq; tuens obliquo lumine. Vnde, toruæ bouis epitheton apud Virgilium, quòd præcipua frontis aſperitas in hoc pecore appareat. Vnde toruitas, vt Pompeio placet, quaſi taurorum acerbitas, ducta. Virg. 6. Aeneidos:

Talibus Aeneas ardentem,& torua tuentem
Lenibat dictis animum. Vbi nomen pro aduerbio toruè, figura poëtis Græcis & Latinis frequẽtiſſima: nã & ipſe

Ayuntamiento de Madrid

dixit in Bucolicis: Tranſuerſa tuentibus hircis. Leæna quoque ab oculorum ſæuitia, quæ ſumma in ea eſt, torua dicitur à poëta. Ex quo Ariſtoteles leonem charopon vocat, quem Catull. cæſium appellauit, id eſt glaucum, quia glaucis oculis præditum hoc animal aſpectu horribili apparet: quales & Bellonæ oculi ſunt, quæ ideo perpetuo epitheto *γλαυκῶπις ἀθήνη* ab Homero dicitur. Hinc & Hercules mortalium ferociſſimus, Charops cognominatus eſt, quaſi iracundè intuens. *χαρά* etenim Græcè, ira Latinè dicitur. Quo epitheto, vt militibus congruo, toruus Abas Virgilio dicitur: toruuſque Procuſtes Naſoni. ſicut de æquè horribilis Polyphemi oculo, Quod torua ſub fronte latebat. Et de immani Cyclopum genere: Cernimus adſtantes nequiquam lumine toruo Ætnæos fratres. & quæ alia ſimilia apud poëtam leguntur. Conuenit cum altero, Titanicus adſpectus. Lucianus in Imaginibus, bouinos oculos vocauit, pulchros & nitentes.

## Toſcani. 427

Hoc nomine apud Venetos cenſentur præpoſteræ, & nunquam ſatis damnatæ Veneris ſectatores.

## In ſuo regno eſſe. 428

Hoc frequens adhuc hodie in Gallici populi ore verſatur, cùm dicunt, *il eſt en ſon Royaume*. Nam plerunque agricolæ ſibi regum fortunas ſuperare videntur, cùm illis proprio agello frui licet, procul negociis, proculque diſcordibus armis. Huc pertinet poëtæ illud, O fortunatos nimiùm, bona ſi ſua norint, Agricolas. & item Horatii illud: Beatus ille qui procul negotiis, & quæ ſequuntur, quæque Cicero in libro de Senectute, in laudem rei ruſticæ perſequitur. Apud quem & illud in Oratore metaphoricè legitur: Niſi hîc in tuo regno eſſemus, non tuliſſem. Quin & apud Horatium in epiſtola ad Mæcenatem:

Ad ſummam ſapiens minor eſt Ioue, diues,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum,
Præcipuè ſanus, niſi cùm pituita moleſta eſt.

Melibœus ergo ex affectu, apud poëtam, Sua regna vocat, pauperis tugurii culmen, agellumque ſuum. Ad Virgilii ſanè locum alludit Quinctilianus, qui in declamatione pauperis agentis contra diuitem de apibus veneno in-

Ayuntamiento de Madrid

terfectis ſic inquit, Hoc mihi paruulũ terræ, & humilis tugurii ruſticum culmen æquitas animi regna fecerat, ſatiſque diuitiarum erat, nihil amplius velle. Ad hoc item prouerbium alludit Virg. in Moreto, hoc verſu, Ergo aliam molitur opem ſibi prouidus heros.

## Quo fata trahunt, retrahuntque, ſequamur. 429

Cùm ſignificamus, neceſſitati fatali parendum eſſe: etenim quod fatis ſemel placuit, id nemini licet euitare. Virg. 5. Æneid.

Nate dea, quò fata trahunt retrahuntque, ſequamur.

Porrò autem quam neceſſitatem dicat, aut quæ fata innuat ſequenda, addit, Quicquid erit, ſuperanda omnis fortuna ferendo: conſulit Nautes Æneæ præſentem neceſſitatem boni conſulendam: & in aduerſis, contra ea quæ euitare nequeas, optimum remedium eſſe tolerantiam dicit, qua quidem ſuperatur omnis aduerſitas: non læditur is, qui contemnit: proinde vincit. Similem ſententiam Eraſmus præceptor noſter ex Hom. odyſſ. 5. in ſuas Chiliadas retulit, quam etiam interpretatus eſt.

## Rore paſcitur. 430

Si hoc referamus ad prouerbium, transfertur ad ingenium, ſiue ſtylum ieiunum & aridum, aut per ironiam in hominem vehementer obeſo corpore. Theocritus in Nomeo Batto: μὴ πρῶκας σιτίζεται ὥσπερ ὁ τέττιξ; Nunquid rorem depaſcitur vt cicada? Cicadas autem rore ali, teſtis eſt Plinius lib. 11. c. 26. Ore carent, ſed habent in pectore fiſtuloſo quiddam aculeatum, linguis ſimile, eo rorem lambunt. cùm excitatæ ſubuolant, reddunt humorem: quod ſolum argumentum eſt illas rore paſci. Neque enim ad excrementa corporis vllum foramen eſt. Virg. in Daphnide:

Dum iuga montis aper, fluuios dum piſcis amabit,
Dumque thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ, &c.

Hæc ſunt τὰ ἀναγκαῖα, id eſt neceſſaria, & prouerbii ſpeciem habent, quibus indicare licebit, quod in vita perpetuum nobis futurum intelligi volemus. Itidem Virg. Æneid. 4. Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos reget artus.

Ayuntamiento de Madrid

## Ruit cælo nox. 431

Abiit Homeri hemiſtichium in prouerbium : ὀρώρει δ' οὐρανόθι νύξ. non de nocte naturali, ſed cùm lux diei oculis mortalium nubibus ſubtrahitur.

## Salue æternum, æternumque vale. 432

Verbum hoc manſit etiam in vulgi vſu, ſumptum à vetuſtate, quæ mortuos ita ſuo more ſalutabat: Salue & vale. non quòd ii valere, aut ſalui eſſe iam poſſent, ſed quòd ab eis ſemel recedebant, quos ampliùs viſuri non erant. Virgilius Æneid. 11. Salue æternum mihi maximè Palla, Æternúmque vale. Anchiſes Æneid. 2. de ſe deſperatum eſſe volens ſignificare, alludenſque ad hunc morem: Sic, ô ſic poſitum, affati diſcedite corpus. hoc eſt, Iterum atque iterum conclamate, Vale extremum.

## Conclamatum eſt. 433

Solebant corpora aqua frigida ablui primùm, quòd vitalis ſpiritus incluſus non raró fallere ſoleat, deinde per interualla ter conclamare. quòd ſi ne tum quidem ſpiritus ſe proderet, quaſi rebus deſperatis, rogo imponebantur. Hinc in parœmiam abiit, Conclamatum eſt : cùm ſignificamus, nihil ſupereſſe ſpei. Itaque iubet Anchiſes apud Virgilium, ter ſe affatos, è Troia faceſſere.

## Miſerebitur hoſtis. 434

Hyperbole prouerbialis eſt apud Virg. Æneid. 2. Non enim temerè hoſtis commouetur miſericordia. Eraſmus noſter huic affinia hæc habet, vel hoſti miſerandus. Quod vel ipſe Momus probet, & ex eodem Virgilii libro : Quis talia fando, &c. Argumentum à maiori ductum : ſi hoſtis miſerebitur, multò iuſtius Troiani & liberi.

## Sanguis meus. 435

Italæ mulieres hanc blandam eloquutionem adhuc hodie retinent : pueris enim cùm blandiuntur, ita eos compellant, *ſangue mio*. Et Virg. Æneid. 2. Proiice tela manu, ſanguis meus.

## Ad ſidera vſque notus. 436

Virgil. Buc. Daphnis vſque ad ſidera notus.
Daphnimque tuum tollemus ad aſtra. Daphnin ad aſtra feremus.

Ayuntamiento de Madrid

Vare tuum nomen ſublime ferent ad ſidera. Æneid. 1. Et 12.

Ille quidem ad ſuperos Succedet fama, viuuſque per ora feretur. Hæc omnia per hyperbolen, cuiuſmodi ſunt & illa:

Imperium Oceano, famam qui terminet aſtris.
Imperium terris, animos æquabit Olympo.

Nam ſidera, aſtra, olympus pro eodem iſtis in locis accipiuntur.

## Paganus. 437

Apud Romanos autem gentem illam Martiam, quicunque ſacramento militiæ ſoluti eſſent, Pagani, in eorum odium, quaſi ruſtici appellabantur: reliqui verò ſtipendia facientes, Milites honeſto nomine cenſebantur. Hinc apud Iuriſconſultos, Teſtamentum paganum, quod à Paganis ſecundum obſeruationem iuris communis fit: & militare, quod iure & beneficio militari conditur: vt Inſtitut. de militari teſtamento traditur: & ſimpliciter in Pandectis, eodem titulo: Pari ratione maiores noſtri rectè Paganos dixerunt, quicunque militiæ Chriſtianæ addicti non eſſent, exceptis Iudæis, qui ſuo nomine ſatis premuntur.

## Arte Pelaſga. 438

Virgilius 2. Æneidos, pro fraude planè Græca duobus in locis vſus eſt: Ignari ſcelerum tantorum, artíſque Pelaſgæ. Et,

Ille dolis inſtructus, & arte Pelaſga. Pelaſgi autem populi ſunt Græciæ vetuſtiſſimi qui ex Arcadia oriundi, & à primo Arcadiæ rege nomen adepti, indifferenter pro quibuſuis Græcis accipiuntur. Virg. ibidem: Quem falſa ſua proditione Pelaſgi Demiſere neci.

## Vas vacuum detergere. 439

Hoc prouerbiali figura videtur dici à Theocrito in Syracuſiis: *μὴ μοι κενεὰν ἀπομάξῃς.* id eſt, ne mihi vas vacuum detergas, de eo, cuius offenſionem ac iram contemnimus, quemque nobis, etſi velit, tamen nocere non poſſe exiſtimamus. Eraſmus noſter comminantis, aut timentis alapam, eſſe ait, ſed tamen in medio relinquit.

Ayuntamiento de Madrid

OBSERV. GISEL.

Omiſſa ſunt hoc loco in Cognati apographo vndecim Adagia, ne quis noſtra culpa id accidiſſe exiſtimet.

## Cyclaminum effodias ad Halenta. 440

Cyclaminum ex Halenti fluuio effodere prouerbiali figura iubebantur, qui craſſa pituita laborarent, atque inde craſſo ſenſu præditi erant, vt cerebro rectius valerent. Theocritus in viatoribus: ἐυθὼν τὸν κυκλαμίνον ὄρυσσέ νιν εἰς τὸν ἄλεντα. id eſt, Vade ad Halenta, atque inde Cyclaminum effodias. De Cyclamino & eius viribus Gal. lib. 7. Simplic. medic. Dioſcor. lib. 2. cap. 158. Sententia igitur hæc eſt: Pete tibi alicundè remedium, quo cerebrum purges, vt rectius mente valeas, iam enim inſanire videris.

## Nauigare par mare. 441

Idem Theocritus in Thyonico eidyllio 14. Nauigabo, inquit, per mare. hoc prouerbio mediocritatem quandam ſignificans.

OBSERV. GISEL.

Adde: πλωσοῦμαι χ' ἐγὼ διαπόντιος, οὔτε κάκιστος. Ex Vvinſemio hoc tranſſumpſit ad verbum, vt reliqua de hoc genere.

## Canes nutrire. 442

Prouerbiale apud eundem poëtam in Viatoribus, in ingratos, qui magnis beneficiis affecti, malam gratiam referunt. Hi enim canibus & lupis conferuntur. Nam plerunque etiam læduntur ii, qui catulos luporum enutriunt. De canibus autem ſumptum eſt ex Actæonis fabula: Nutri canes, inquit Comates, vt te deuorent. Qui autem canem alit peregrinum, & in ingratum collocat beneficium, perdit operam.

OBSERV. GISEL.

Viatoribus. adde: θρέψαι καὶ λυκιδεῖς, θρέψαι κύνας ὥς τύ φάγωντι.

## Mala mens. 443

Apparet prouerbiali figura ab eodem Theocrito in Thyonico dictum fuiſſe, de malitia, quæ diſſimulari atque celari non poteſt, ſed vltrò erumpit, ac ſe oſtendit & prodit. Sic & apud Terentium eſt: Mala mens, malus animus. Moſchus de amore fugitiuo: κακαὶ φρένες ἀδὺ λάλημα. Οὐ

Ayuntamiento de Madrid

μα. Οὐ γὰρ ἴσον νέα καὶ φθέγγεται· ὡς μέλι φωνά. id eſt, mala mens, dulcia verba. Non enim idem ſentit, quod ſonat: vox illi dulcis vt mel. Item paulò pòſt, γυμνὸς μὲν τὸγε σῶμα, νόος δέ οἱ ἐμπεπύκασται, Corpore quidem nudus, at mens illi tecta eſt. hoc eſt, multis dolis inuoluta ac velut cataphracta.

## Calculum à linea mouere. 444

Idem in Cantoribus hoc vtitur prouerbio, καὶ τὸν ἀπὸ γραμμῆς κινεῖ λίθον. ſumpto à ludo calculorum, in quo vnus certus calculus, quem regium vocant, in ſua linea immotus adſeruatur, neque inde mouetur, niſi in extremo diſcrimine. Cùm ergo ſignificatur quiſpiam omnia experiri, neque quicquam intentatum relinquere, tunc is prouerbiali figura, calculum à linea mouere dicitur, quaſi dicas, extrema ipſum conari.

## Lychnus in Prytaneo. 445

Idem in Piſcatoribus taxans iudicum Athenienſium auaritiam ac rapacitatem: Lychnum in Prytaneo, inquit, Aſphalion ſemper prædam habere ferunt: hoc eſt, venales habere ſententias iudices: & ſicut piſcatores piſcibus capiendis vnicè intenti ſunt, ita iudices vndecunque captant largitiones. Quid faciat aliquis miſer piſcator aliud, qui de nocte vigilat, nec facilè dormire poteſt, quàm vt de ſua piſcatione & præda cogitet, cùm Lichnus in Prytaneo, id eſt, iudices Athenienſes, ſemper prædam, largitiones & munera adpetant? Hæc illis venatio, & captura piſcium eſt. Cùm igitur de præda ſollicitè cogitantem, ſomnus me tandem oppreſſiſſet, accidit vt, ſicut canis de offa, ſic ego de piſce aureo ſomniarem. Fuit enim in Prytaneo, quod Pauſanias teſtatur in Atticis, πῦρ ἄσβεστον, id eſt, perennis ignis. Erat autem Prytaneum Athenis domus publica, vbi benemeriti ciues ſumptu publico alebantur: & conuenire ſeniores, atque iudicia exercere ſolebant, dictũ quaſi πυρῦ ταμεῖον id eſt, granarium ciuitatis. Eum locum ſemper prædam habere, Aſphaliõ ait. Fuit & in arce Athenis Lichnus, teſte eodem Pauſania, ex auro à Callimacho ea arte fabrefactus, vt cùm ſemel oleum infunderent, toto id anno ſufficeret, neque ante eundem diem anni completi aliundi nfundere opus erat, quamuis continuos dies ac no-


Ayuntamiento de Madrid

ctes is arderet. Hæc, niſi fallor, ad verbum ex Vvinſemio.

OBSERV. GISEL.

Lychnum in Prytan. τὸ δὲ λύχνον ἐν πρυτανείῳ φαντὶ γὰρ αἰὲν ἄγχαι τὸ δ' ἔχειν.

## Conando Græci Troia potiti ſunt. 446

In Syracuſiis annus dixit: Conando Græcos Troia potitos fuiſſe, & omnia perfici conando, qua prouerbiali figura ſignificatur, conando, & experiendo, quantumuis etiam ardua, perfici poſſe ἐς Τροίαν πειρώμενοι ἦλθον Ἀχαιοί.

## Fac nidum vnum vna in arbore. 447

Habetur in Eidyllio 35. & frequens hodie in populi ore verſatur, quum fit ſermo de non temerè mutandis veteribus amicis. Amicos enim ſubinde nouos amplecti, veteribus neglectis, turpe eſt. Inconſtantia in amore nihil crebrius, neque vulgarius eſt in communi vita πολυφιλία, id eſt, ſubinde mutare amicos, veteres faſtidire, & nouos amplecti: id olim perinde probroſum atq; infame habebatur, vt ſi qua mulier ſubinde alios atque alios viros admitteret.

OBSERV. GISEL.

Verba Græca hæc: ποίησαι καλιὰν μίαν ἐν ἑνὶ δενδρείῳ.

## Sternutauerunt amores. 448

Ex Thaliſia Theocriti apparet prouerbiale dictum fuiſſe, quòd aliqui de ſigno bono, alii de aduerſo & malo intelligunt. Amores ſternutauerunt, hoc eſt, ſternutando ſignum præbuerunt, quòd eſſet amaturus, ipſum euenit. Σιμιχίδᾳ μὲν ἔρωτες ἐπέπταρον.

## Bilis in naribus. 449

Idem in Thyrſide de Pana. Eſt amarulentus, inquit Æpolos, & illi ſemper acerba bilis in naribus ſedet. Prouerbiale, de homineblioſo & iracundo. Qui abundant flaua bile, iracundi ſunt, hic enim humor mobilis eſt, & acutus: quare facilè irritatur & efferueſcit.

## Ne aceti quidem ſatis. 450

Milon apud eundem in Operariis: Ex πίθω ἀντλεῖς δηλον, ἐγὼ δ' ἔχω οὐχ ἅλις ὄξους. E dolio tu quidem hauris, ſed mihi vix ſat aceti eſt. Prouerbiale, in eum qui extremè inops eſt, & viciſſim antitheſis eius, Diues & abundans, atque è pleno dolio vinum hauriens. Quaſi dicat: Amor

non conuenit homini pauperi, & mercenario, ſed diuiti, viuenti in ocio, luxu atque omnium rerum abundantia.

## Cælum, menſes & annos efficere non deſijt. 451

Prouerbium eſt, quo ſignificatur adhuc ſupereſſe ſpem, & nondum omne tempus quod melioris fortunæ ſolet occaſionem adducere, exactum eſſe. Theocr. in Charitib. Neque adhuc cælum motu ſuo menſes & annos efficere deſiit. id eſt, Erunt adhuc tempora, cùm res magnæ ab Hierone atque aliis principibus gerentur, quæ materiam ſcribendi ſuppeditabunt.

## Canis etiam Hecate terretur. 452

Hoc quoque paſſim vtimur & vſu compertum eſt, canes etiam ferociſſimos & audaciſſimos luna atque nocturnis ſpectris admodum terreri, tremere, atque ad homines ſe fuga recipere, & intra crura hominum ſeſe abdere. Hinc Theocr. in Pharmaceutria dicit, & ad Hecaten ſubterraneam catulos tremere. τᾷ χθονίᾳ θ' ἑκάτᾳ, τὰν ϰ̀ σκύλακες τρομέοντι, &c.

## Horis conſecratus. 453

Quicquid venuſtum, gratum, & tempeſtiuum veniret, id horis conſecratum ferebant. Prouerbiale igitur de re valde venuſta & iucunda eſt, quod idem in Thyrſide, poculum Horarum in fontibus collutum eſſe dicit, ὡρᾶν ἐκπλυθέν τι ἐπὶ κράναισι δοχαῖς.

## Carmen deductum. 454

Virgilius in Sileno: Deductum dicere carmen, dixit pro tenui, exili & humili dicendi charactere, velut Eidyllia, hoc eſt, exiles & ſeparatæ imagunculæ, quales ad vſum obſignandarum literarum in gemmis aut auro ſculpi ſolent, tranſlatione petita à lana. Quinctil. 8.2. Macrob. Saturn. 6. Et ſimiliter vocem deducere, tenuem & tinnulam reddere, vt pleniùs teſtibus ab eo citatis probatur. Hinc deducere, pro imminuere & detrahere, vnde & deductio pro imminutione, Pediano Aſconio auctore. Et Paulus 50. titulo de verb. & rerum ſignificat. Bona intelliguntur cuiuſque, quæ deducto ære alieno, ſuperſunt. i



Ayuntamiento de Madrid

Venuſta autem metaphora videtur inſinuari, ne quid ſupra vires audeamus. Primùm igitur in faciliori argumento experimentum noſtri faciemus, atque tenui carmine præludemus, dum vires corroborentur & grandeſcant, ne in dolio (vt fertur) figulinam diſcamus.

## Comaſtes. 455

Vox eſt Eidylliorum ſcriptoribus vſurpatiſſima, qua etiam paſſim vtimur, pro his qui cantu puellis blandiuntur, & earum amorem captant. Introducitur à Theocrito Eidyllio 3. amator quidam Amaryllidis puellæ amore incēſus, quē Comeſtam vocat Lucianus in amoribus: τοὺς γε μὴν ὀνομαζομένους παρ' ἕλλησι κωμαστὰς, οὐδὲν ἄλλ' ἢ δήλους ἐραστὰς νομίζω. id eſt, Illos verò qui apud Græcos Comaſtæ appellātur, nihil aliud quā certos ac manifeſtos amatores puto.

## Totus ſaxeus. 456

Prouerbiale in hominem durum, immitem, & omnino inexorabilem. Idem in Æpolo: ὦ τὸ καλὸν πεθορᾶσα τὸ πᾶν λίθος. id eſt, tota ſaxea. In Amatore eidyllio 28. λαΐνε παῖ, id eſt, Saxee puer. In Megara: πέτρης ὄγ' ἔχων νόον, ἠὲ σιδήρου id eſt, ex rupe habens animum, aut ferro. De ferreo vide ſuprà, &c. Adamante durior.

## Orimalides cum Acylis ne contuleris. 457

Eſt autem hoc prouerbiale apud eundem in Viatoribus, quod magnam ſimilitudinem, & iniquam comparationem ſignificat: Lacon: οὐ δὲ γὰρ οὐδ' ἀκύλοις ὀρειμαλίδες. id eſt, Neque agreſtia poma cum Acylis, ſcilicet æquaueris: Acyla autem fructus, ſiue nux πρίνου arboris, ſimilis nuci fagi. Dioſcorid lib. 1. cap. 26. Orimalides poma mōtana, ab ὄρος mons, & μῆλον pomum. Eraſmus huic proximè præcedens diſſimile annotauit in Chiliad. ſuis; Nihil ſimile.

## Prouocat & vincitur. 458

Plerunque fit vt prouocans vincatur. Menalcas apud eundem Theocritum prior prouocat & deligit iudicem: prior incipit, & vincitur. Itidem Lacon: Hoc verbum hodie in populi ore verſatur.

## Cyclopica muſica. 459

Νυκτοπόροι, & qui nocte vagantur: tunc enim cùm cibo potúque diſtenti ſunt, eorum cyclopica muſica & tetræ

Ayuntamiento de Madrid

vociferationes præcipuè exaudiuntur. Euripides in Cyclope indicat, qualis eius ſit muſica, ᾄδει δὲ πρὸς κιθάραν κλαίουσι συνναύταις ἐμοῖς ἄμουσα.

## Carmen Lytierſæ. 460

Lytierſes filius nothus Midæ, in Phrygia dicitur habitaſſe, qui cùm eſſet agricola & laudatiſſimus meſſor, hoſpites prætereuntes conuiuio primùm excipere, ac deinde cogere ſolebat, vt ſe in demetenda ſegete adiuuarent. Sub veſperum verò, cum illi labore defeſſi dormirent, tunc ipſe capita eorum amputare, & trunca corpora vnà cùm manipulis colligare ſolebat. Eum Hercules, ob hanc crudelitatem interfectum, in Meandrum fluuium abiecit. Hunc igitur Lytierſen, vt inſignem meſſorem, alii in Phrygia meſſores carminibus celebrare ſolebant. vnde Carmen Lytierſæ, dicitur carmen meſſorium, vel à meſſoribus decantari ſolitum. Eraſmus noſter ait, dici de carmine, quod quis non ex animo, ſed coactus, caneret. Theocr. in Operariis: θᾶσαι δὴ καὶ ταῦτα τὰ τῶ θείω Λυτιέρσα. i. Vide & hæc, quæ ſunt diuini Lytierſæ.

## Aites. 461

Theſſalica lingua ἀΐτης dicitur adamatus. Vox facta videtur ab α particula priuatiua, & ἴτης, id eſt ἰταμὸς, quod ſeu proteruum ſeu immodeſtum ſignificat. Α'ΐτης igitur modeſtus, ſeu probus ac verecundus dicitur, quæ virtutes præcipuè ornamento ſunt iuuenibus, & amorem conciliant. Præcipuum enim in conuerſatione ac ſocietate hominum condimentum, ſal & vrbanitas. Theocritus Eidyllio 12.

Τὸν δ' ἕτερον πάλιν ὥσκεν ὁ Θεσσαλὸς εἴποι ἀΐταν. id eſt, Alterum verò Theſſalicè loquens, amatum vocet.

## Dij benefaciant vobis. 462

Denegantis, ac cum repulſa dimittentis hoc dictum eſt. Sicut item, cùm mendicum indonatum dimittunt, hoc dicere ſolent Galli, *Dieu vous face bien*. Theocr. in Charitibus, eo vſus eſt, qui cùm carmine celebraſſet Hieronem Syracuſarum regem (quæ Theocriti patria fuit) nulla illi gratia relata eſt. Quare hoc eidyllio conqueritur de ingratitudine regum & principum erga litteras ac doctrinæ ſtudia. Eſtque hæc communis & publica querela hominum doctorum & bonorum iam à multis ſeculis.



Ayuntamiento de Madrid

Theocriti verba: ἀλλ' εὐθὺς μυθεῖται, ἀκατέρω, ἢ γένυ κεκλι‑μαι· εἴπη μοι τί γένοιτο, θεοὶ πημῶσι ἀοιδύς.

## Tityo ſimilis. 463

Tityus terræ filius, ea mole corporis fuiſſe perhibetur, vt ſtratus ab Apolline, apud inferos religatus, nouem iugera occupet. Ouid. 4. Metamorph.

Viſcera præbebat Tityus lanianda, nouémque
Iugeribus diſtrictus erat. Theocritus in Dioſcuribus de Amyco immani: χώρῳ ἐνὶ στειρῷ πτυχῷ ἐναλίγκιος ἀνήρ. In loco anguſto vir Tityo ſimilis.

## Diphilus Diphilo tardior. 464

In ſegnes, & extra modum pigros in obeundis quæ ſemel fuerint iniuncta, dici ſolere, ex Ciceronis ad Q. Fratrem li. 3. affirmat Rodiginus lect. 8, 45. Prouerbio locum dedit Diphili architecti tarditas, qui in perducendis ad finem operibus tardiſſimus fuit.

## Nudum ſpoliare veſtibus. 465

In Iob cap. 22. legimus, Nudum ſpoliaſti veſtibus. quod ſanè fit ſi quando cuique exiguum illud, quod ei neceſſarium eſt, adimitur. Viues lib. i. de Subuentione pauperum: Imò verò, inquit, minutum detrahitur pauperi, ſi habeat & ſpoliatur nudus. Venuſta verborum pugna eſt, ſpoliare nudum, veluti. Feſtina lentè, infelix felicitas. Etiam huc pertinet hoc Menippi apud Lucianum in Mortuorum dialogis, quod non habeo, quinam auferas?

## Seri & meti. 466

Dixère Latini prouerbialiter, ſeri & meti, de ſpe & fructu conſiliorum atque actionum. & Salomon Prouerbiorum ca. 22. ὁ σπείρων φαῦλα, θερίσει κακά. Oſeæ 10. Seuiſtis impietatem, iniquitatem melluiſtis. Paulus ſecundæ ad Corinth. 9. Qui parcè ſeminat, parcè metet. Galat. 8. Iob. 4. Iſai. 27.

## Ἐν κεφαλαίῳ. 467

Summatim. Plautus ſic variè expreſſit in Mercatore:
Quicquid eſt, ad capita rerum perueni. In Pœnulo:
Rem in pauca confer.
In Milite: Verba confer maximè ad compendium.
Dionyſius Areopagita, libro de Eccleſiaſtica hierarchia

Ayuntamiento de Madrid

capite primo, vocat ſummam συγκεφαλαίωσιν, quemadmodum etiam ἀνακεφαλαίωσιν dicimus, repetere paucis ea quæ antè dicta ſunt. Idem διεξοδικώτερον dicit, pro fuſius, latius & pluribus. Idem ibidem in contemplatione, vſus eſt, ἐν κεφαλαίῳ, pro quo Quinctilianus frequenter vti ſolet, in vnum. Plura de officiis docentium loquutus, diſcipulos interim in vnum moneo.&c.Item ſemel, & aliquando, breuiter.

Πῦρ καὶ σκώληξ. 468

Metaphora Salomonis eſt & Siracidæ, cap. 7. pro excidio & vaſtatione. Nam & vermes corrumpunt ea quæ erodunt, & ignis correpta abſumit.

Γλῶσσα διπλῆ. 469

Duplex lingua à Siracide capite vigeſimo octauo dicitur, quæ modò hoc, modò illud loquitur: hæc eſt fallax & fraudulenta. Alibi τρίτη pertuſa & leuis dicitur: ea eſt obtrectationum, & ἐχθροποιὸς, quæ inter duos tertia ſe admiſcet & ſerit diſcordiam. Quemadmodum & λέγει τριπλὰ, ὁδ.α. Idem capite nono, tales nugatores & garrulos, qui plerunque & obtrectatores ſunt, & maledici, γλωσσώδεις, γλωσσαλγεῖς, & στωμαύλους nominat. Pro ignauis, duplicib⁹ & fraudulentis reperitur καρδίαι δειλαὶ καὶ διπλαῖ. Eccleſiaſtici 2. Væ duplici corde. Iacobi primo: Vir duplex, animo inconſtans.

## Strigilis. 470

Strigilis nomen ad vehementes obiurgationes & caſtigationes Siracides cap. 30. tranſtulit, quod ſtringendi ſignificationem habet, & de equis dicitur.

OBSERV. GISEL.

Imò Camerarius, vnde hæc exſcripſit, tantùm monet Teutonica lingua, ſtrigilis nomen ad vehementes obiurgationes transferri. In Siracide verò eſt: ὁ ἀγαπῶν υἱὸν, καταδισμώσει τραύματα αὐτῷ.

## Curioſus idem & garrulus. 471

Hoc adagio notatur vitium deterrimum curioſitatis & leuitatis, in exquirendo aliena negotia, & diſſipãdo rumores, quæ eſt πολυπραγμοσύνη καὶ ἀδολεσχία. Nam germana inter ſe vitia ſunt curioſitas & garrulitas, teſte vel Horatio:

Percunctatorem fugito, quia garrulus idem eſt.



Ayuntamiento de Madrid

Vtraque à Plutarcho copioſè refutatur. Et Plautus in Sticho, Curioſus nemo eſt, quin ſit maleuolus.

Idem optat alibi, vt qui geſtant linguis, quique auſcultant auribus, omnes pendeãt. Reperiuntur in ocio viuẽtes, qui ſuis negociis non deſtinentur, ſed aliena curare conſueuerunt; quemadmodum Damaſippus Horatianus,

Aliena negocia curans, Excuſſus propriis.

Loquaces autem & garruli, ἀθυρόγλωσσοι vocantur.

## De parua ſcintilla magnum ſæpè excitatur incendium. 472

Siracides 11. ἀπὸ σπινθῆρος μικρᾶς πληθύνεται ἀνθρακιά. Ex paucis verbis ſæpè ingens malum.

## Durate. 473

Donatus in Adelphis: Durare, verbum perferendis malis conuenit: quod etiam notauit Priſcianus libro octauo de partibus. Eo iacentes animos ſpe lautioris vitæ erigimus. Virgil. lib. 1. Æneid.

Durate, & voſmet rebus ſeruate ſecundis.

Id eſt, proſperis. Concludit enim Æneas præſentia incommoda hoc æquiori animo ferenda eſſe, quo ſit propior felicitas & quies. Quid enim conſolationis magis proprium eſt, quàm cataſtrophen malorum, quaſi digito mõſtrare quibus defuncti, beati ſunt futuri? Proin, Durate dixit, pro Perſeuerate: quaſi duros infractóſque animos habete. Suetonius in Caio: Sicut erat, ait, loricatos monuit, vt diſcumberent, illo notiſſimo Virgilij verſu, quemadmodum eſt,

Durarent, & ſecundis ſe ſeruarent rebus.

## Ludere operam. 474

In laborantem inaniter. Terentius in Phormione: In illis operam luditur. & Plautus in Pſeudolo: In pertuſum ingerimus dicta dolium, operam ludimus. Idem in Caſina.

## Ab aure reuinctos ducit. 475

In inuictæ eloquentiæ hominem, qui quo velit linguæ lenocinio auditores rapere & traducere poſſit. Vſus eſt Lucianus in Ioue tragœdo, alludens ad Herculis Ogmij catenam hominum auribus inſertam, qua eos circumducebat, quæ ſatis nota eſt ex eiuſdem Luciani opuſculo.

Ayuntamiento de Madrid

## Charontis cymba. 476

Hunc poëtæ fabulantur portitorem apud inferos eſſe, qui triente manes tranſportet, & in ripam vlteriorem exponat: & quoniam perſuaſum erat neminem tranſuehi, niſi illius cymba, poſſe; Charontis cymba in prouerbium abijt, pro morte & ſepulcro. Porrò χάρων apud Ariſtophanem in Pluto, pro morte vſurpatur, ὁ δὲ χάρων τὸ ξύμβολον δίδωσιν. id eſt, Charon ſymbolum dat, pro eo quod eſt, morieris. Hinc & illud quod à Suida refertur, παρὰ χάρωνος πεύσεις καὶ κηρύγματα, à Charonte cognoſces & præconia. Charontis item ianua, de imminente capitis periculo, ſiue de re magnopere triſti. nam ita vna ex carceris ianuis appellabatur, per quam damnati iudicum ſententiis ad ſupplicium educebantur. Macedones τὸ χάρωνα Leonem vocant. Hinc Lycoph. χάρωνα ὠμηστὸν nuncupat.

## Magis ſpectandum quid liceat, quàm quid expediat. 477

Alluſio eſt ad Pauli dictum quod habetur primæ Corinth. 6. & 10. Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt, conducunt & conferunt atque ædificant. Qui enim faciũt quicquid licet, huc citò delabuntur, vt faciant quod non licet. Nemo igitur quod ſuum eſt duntaxat quærat, ſed etiam quod eſt alterius. Nam boni viri partes ſunt, alienis inſeruire commodis, potius quàm vtilitatis propriæ rationem habere, & nihil minus decet Chriſtianum hominem, quàm Aſpendium, quod etiam vulgò dicitur, agere citharœdum.

## Solidæ petræ innitendum. 478

Hoc vtimur cùm ſignificamus, non fortunæ, ſed bonæ conſcientiæ fidendum eſſe, atque in ſacræ ancoræ præſidio ſpem eſſe reponendam.

## Annulus aureus in nare ſuilla. 479

Significantes quippiam non in loco factum dictumúe dicunt quidam: Annulus aureus in nare ſuilla: pro quo alij in lenticula vnguẽtum. Habetur Prouerb. cap. 11. Circulus aureus in naribus ſuis.

## Saul inter prophetas. 480

Vbi videmus aliquem indecenter alieno gregi admix-

Ayuntamiento de Madrid

tum, dicere ſolemus: En Saulem inter prophetas, aut corchorum inter holera, primi Regum 10. Videntes autem omnes qui nouerant Saulem, quòd eſſet cum prophetis & prophetaret, dixerunt ad inuicem, Quæ nam res accidit filio Cis? Num & Saul inter prophetas? Reſponditque alius ad alterum dicens, Et Cis pater eius: propterea verſum eſt in prouerbium. Dicitur etiam in eos (Eraſmo noſtro auctore) qui repentè ſunt mutati.

## Muli. 481

Mulus, ex duobus generibus mixtum animal, vt ſit neutrum, ſterilis, ſarcinarum patiens & calcitroſus. Hi hodie nimirum muli dicuntur, qui profeſſione ſunt Chriſtiani, vita & affectibus Ethnici: interim nec prorſus Ethnici, nec Chriſtiani, recalcitrantes Dei gratiæ, diuitiis cæteriſque cupiditatibus onuſti, nullum pietatis fructum adferentes.

## Sua cuique rei tempeſtiuitas. 482

Cùm omnia ſuo tempore fiant, & hic quæratur quid ſit bonum, videndum eſt, ne id alieno tempore quæratur: vt enim inquit Eccleſiaſtes cap. 3. aliud ſerendi, aliud metendi, &c. ſic aliud felicitatis, aliud infelicitatis tempus eſt. In hac vita, tempus eſt miſeriæ, quod ſi quis in ea bonum quærit, perinde facit, ac ſi velit ſementis tempore metere. Expectanda meſſis eſt, hoc eſt, futura vita: in qua non, vt in hac, pro iure regnabit iniuria, ſed ſola dominabitur iuſtitia & veritas, ſublatis erroribus. Sed vitam illam non curantes, voluptati indulgent. Vulgò ita fertur, Omnia tempus habent..

## Primum quodque veriſſimum eſt 483

Tertulliani dictum eſt contra Ethnicos, quo vtimur cùm oſtendimus Chriſtianam doctrinam antiquiorem eſſe Ethnica, & hiſtoriam Moſaicam vetuſtiorem Græcis & Romanis. Vtitur Philippus Bretanus in quadam epiſtola.

## Credimus, quæ coràm intuemur. 484

Vulgato ſermone in Gallia. Iam credere dicimur, quæ coram intuemur, nihil etiam de euentu ſoliciti.

## De malè quæſitis non gaudet tertius hæres. 485

Quoties iniuſtæ acquiſitionis fit mentio: quam qui exercent, ita diuinitus puniuntur, vt familiæ eorum peſſum

Ayuntamiento de Madrid

ſant & opes eorum non diu permaneant,& hoc citò fiat, vt hæres non poſſit diu frui opibus iniuſtè partis.

Συρφετός. 486

Hæc vox Græcis vſurpatur in tanta ſignificationis varietate, vt non ſolùm paleas & ſtipulas,ſed & folia & virgulta vitium,ficuum & id genus alia ſignificet.Itidem ἄχυρον:& inde metaphoricè ſunt in crebro vſu, pro vili plebe ſiue plebis fæce, multitudine promiſcua plebis vulgi & omnis generis hominum, quam συρφελώδη ὄχλον dicimus,vilis ſermo,ex vento ſordes collectæ. Et συρφετώδεις vocãtur populares & plebeij:δημαγωγικοὶ καὶ ψυχαγωγικοὶ,qui ſapiunt plebem, qui eius curam captant, & ſe ad eius opinionis intelligentiam & approbationem accommodãt.

Ocia dant vitia. 487

Quia ignauus cùm per inanem ſuam ſpem eſt falſus, & ductus in egeſtatem victus ad malas artes & multa flagitia & facinora ſolet impelli. Hinc Menander,

Δειλῶν δ' ἀνδρῶν δειλὰ τὰ φρονήματα.id eſt, Ignauorum virorum ignauæ ſunt cogitationes. Idem: ὡς πολλὰ θνητοῖς ἡ σχολὴ ποιεῖ κακά. id eſt, Quam multa mortalibus ocium parit mala! Ianus Anyſius: Inertem hominem eſt neceſſe rapto viuere.

Salluſtius in Catilinario:Gloriam, honorem, imperium bonus & ignauus æquè ſibi exoptant.Sed ille vera via nititur hoc, eſt virtute tendit ad virtutes. Huic ignauo, quia bonæ artes & mores deſunt, dolis atque fallaciis, id eſt ſimulatione & falſitate contendit.

Sceleri nunquam defuit ratio. 488

Ita nunquam deſunt rationes ſpecioſæ & probabiles, in quamlibet iniuſtis & nephariis conatibus.& vt Quinctilianus dicit:Sceleri nunquam defuit ratio. Hæc eſt illa miſerrima via,cuique in ſuis oculis ſpecioſa,de qua Salomon Prouerbiorum cap. 16. Eſt via quæ videtur homini recta, & nouiſſima eius ducunt ad interitum. Sapienter hoc quoque à quodam dictum eſt:Malum videri interdũ bonum illi eſſe,cuius animum Deus impellat ad exitium, qui proinde breui tempore extra exitium degat. vnde eſt illud Horatij:Decipimur ſpecie recti.& hoc vſitatum:Suũ cuique pulchrum.

Cum diis ne contende. 489

Ayuntamiento de Madrid

Οὐκ ἔστι θνητοῖσι πρὸς ἀθανάτους μαχέσασθαι,
Οὐδὲ δίκην εἰπεῖν, οὐδενὶ τοῦτο θέμις.

Eam Theognidis ſententiã ita conuertit Iac. Sceegkius,
Nulli cum ſuperis homini contendere fas eſt,
Pro iure hanc litem nemo probare volet.

## Si ſolus ſapias, nempe quis vſus erit? 490

Hæc ſententia eſt frequentiſſima, ſed ab auctoribus variè explicatur. Theognis ſic:

Χρὴ μουσῶν θεράποντα, καὶ ἄγγελον, εἴ τι περισσὸν
Εἰδείη σοφίης, μὴ φθονερὸν τελέθειν.
Ἀλλὰ τὰ μὲν μῶσθαι, τὰ δὲ δεικνύναι, ἄλλα δὲ ποιεῖν,
Τί σφιν χρήσηται μοῦνος ἐπιστάμενος.

Scip. Carteromachus in Græcarum litterarum encomio, hoc modo vertit:

Muſarum interpres ſi quid ſapientius vnquam
Nouerit, inuidia ſit procul inde mala.
Núncque alia inueniat, nunc mõſtret, plurima condat:
Si ſolus ſapiat, nempe quis vſus erit?

Horatius ita: Parum ſepultæ diſtat inertiæ Celata virtus. Huc videtur alluſiſſe Terentius cùm ait in Phormione: Non ſat eſt tuum te officium feciſſe, ſi non id fama approbat. Simile eſt illud: Occultæ muſicæ nullus eſt reſpectus. Quod auctore Suetonio Nero iactabat: cuius etiam meminit Gellius lib. 12. In eos, qui quicquid eruditionis vnquam comparauerunt, ita domi reconditum aſſeruant, vt dicas miſeros homines ſibi tantùm natos, imò continuò inuideant, ſi quem viderint ad id aſpirare, quo ſe cæteris præcellere perſuaſum habent.

## Extra ſomnum. 491

Pro, re vera. Sophocles in Electra, Herodotus in Erato, & in Melpomene atque etiam alibi pro viſu miraculi ponit. Contrà, ſomnium narrare dicuntur, qui rem futilem, inanem & nihili recitant. Lucianus in Mortuor. ὀνείρατά μοι λέγεις, ſomnia mihi narras. Plato in Theæteto. ἄκουε δὴ ὄναρ ἀντὶ ὀνείρατος, friuolam rationem pro friuola.

## Aliquando qui luſit, iterum ludet. 492

Crebris ſermonibus à Græcis vſurpatur, ὁ μέν ποτε παίξας, πάλιν παίξει & nunc ab Hiſpanis: *Quien iugò, iugarà*. Huic non diſſimile, Semel malus, ſemper malus. Alcato-

Ayuntamiento de Madrid

res autem multi quaſi, vt coacti, ita ne cupientes quidem abſtinere poſſunt: tanta illorum ad ludendum eſt procliuitas.

## Sperant omnes, quæ cupiunt nimis. 493

Huiuſmodi voces antiquorum poëtarum, hodie ſermone omnium celebrantur, ac vim prouerbiorum obtinent: Sperant omnes quæ cupiunt nimis, timent quæ nolunt. Et impenſe qui amat, impenſe idem odit nimis. Eſt enim vicinus amori, omníque magnæ alicuius rei cupiditati, affectus. Omníſque cupiditas vehementior, magno motu impetúque ad eam rem quam cupit, ſpiritus ſanguinémque impellit. Atq; hinc, id eſt ex huiuſmodi motus ratione natum arbitror, quod aiunt, Sperare omnes quæ cupiũt. Spes autem & metus vt nos afficiunt, Lucianus eleganter & verè ſcripſit in Charonte, ſiue contemplãtibus, & in Pſeudomante.

## Amantes amentes ſunt. 494

Affectus animi, vt ægritudines ferè omnes quæ calore nimio corpus accendunt & commouent, omnes pro motionis ſuæ vehementia, ſtultitiam, delirium & furorem faciunt. Et vulgò pronunciatur, Amentes amantes eſſe.

## Humor. 495

Hæc dictio etiam vim prouerbij obtinuit apud omnes, qua deſignatur longè diſcedens à communi morum ratione & conſuetudine. Itali patria etiam lingua humoriſtam appellant. Rectè etiam Galli, *plein d'humeur*. Nec malè Hiſpani, quem corruptis moribus, inhumanum, inciuilem, & minus honeſtum vident, *Malcriado*, ſua lingua, id eſt, malè educatum vocant. Galli itidem, *mal nourri*.

## Gallica furia. 496

Prouerbium eſt de Gallis, quod omnibus frequens in ore eſt, præcipuè Italis, *furia Franceſa*. Natum puto ab eo quod in Gallis Liuius & Iulius Cæſar obſeruarunt, quorũ ille, prima illorum prælia pluſquam virorũ, poſtrema minus quàm feminarum eſſe dixit: hic vt ad bella ſuſcipienda Gallorum alacer ac promptus eſt animus; ſic mollis ac minimè reſiſtens ad calamitatès perferendas. Qui bile tantum copioſa concitantur, magno illi quidem animi impetu mouentur, ſed ferè repentino, ac quaſi vento ſiue

Ayuntamiento de Madrid

fumo mox deficiente. Illud enim ferè huiuſmodi homines habent, quod apud Homerũ in Agamemnone Achilles vituperat: canibus ſimiles ſunt, in laceſſendo quidem procaces ac petulantes, verùm icti mox fugiunt. θρασύδειλον enim vocat, hoc eſt, audacem & temerarium in prouocandis aliis, at parum in dimicando conſtantem.

## Femina minus quàm canem, aut pluſquam ſenionem iacit. 497

Iulius Cæſar Scaliger, in Idea ſua, cap. 14. Omnino autem nihil mediocre in hoc ſexu. Semper enim, vt eſt in noſtro prouerbio, aut minus quàm canem, aut plus quàm ſenionem iacit. Alludunt autem Itali ad aſtragalorum ludũ, qui vt facilius intelligatur quid de eo exploratum habeã, hîc lubet aſſcribere. Aſtragali ſeu cubi, dicuntur τὰ ἐστιγμένα ὀστᾶ. id eſt, punctis diſtincta oſſa, quibus vtuntur οἱ ταβλίσαντες id eſt, tabliſantes [vt eſt apud Diomedem duobus locis] qualia ſunt quæ teſſerę & tali appellantur, inter quæ hoc apud veteres fuit diſcriminis, quòd teſſera lateribus conſtabat ſex, talus autem quatuor; quódque teſſeris inter ludendum vtebantur tribus, talis verò quatuor. Quod videtur animaduertiſſe in diuinatione Cicero, & in Senectute, cùm ſic Catonem loquentem facit: Nobis ſenibus ex multis luſionibus talos relinquant & teſſeras. Et Martialis lib. 13.

Non mea magnanimo depugnat teſſera talo:
  Senio nec noſtrum cum cane caſſat ebur. Item,
Non ſum talorum numero par teſſera: cùm ſit
  Maior quàm talis alea ſæpè mihi.

In teſſeris numeri certi deſcripti erant, vt 1. 2. 3. 4. 5. 6. In talis autem, figuræ numeri vicem habebant, vnitatem enim canis (quam caniculam vocat Perſius) ſignificabat, quod ſignum infelix erat & damnoſum, quia damnum afferebat. Propertius:

Semper damnoſi ſubſiluere canes.

Et Ouidius ſecundo libro de Arte amandi:

Seu iacies: talos victum ne pœna ſequatur,
  Damnoſi facite ſtent tibi ſæpè canes.

Steſichori verò ſignum, quia, vt ait Pollux, illius poëtæ ſepulcrũ quod erat in Hymera vrbe Siciliæ, 8. angulorum

fuit,8.repræſentabat.Euripidis poëtæ ſpecies, quia poſt eiectos Athenis 30.tyrannos vnus ex 40. præfectis fuiſſe putaretur,40.

Fuit & Midæ ſignum fortunatiſſimum. Ex quatuor autem talis,diuerſas ſpecies referentibus Venus exſurgebat. Sic Suetonius in Auguſto:Talis iactatis vt quiſque canem aut ſenionem miſerat, in ſingulos talos ſingulos denarios conferebat in medium,quos tollebat vniuerſos, qui Venerem iecerat.Fuit autem ſenio, punctus in talis qui à Græcis ἑξίτης dicitur,ab Ariſtotele χῷος lib.2.de cęlo,qui dexter appellabatur,quia lucrum afferebat. Latus tali eſt ſex puncta continens, & à ſenario numero dici videtur Perſ.ſat.1.Iure etenim id ſummum quid dexter ſenio ferret,Scire erat in voto.Canis vnum duntaxat punctum cõtinebat.Lucianus in Saturnalibus. Niſi fortè tibi paruum eſſe videtur,vt in teſſerarũ ludo vincas, cùm quæ cæteris alea in vnionẽ voluatur,tibi ſenionem ſemper in ſummo latere oſtendat.Nam hinc ſibi plerique victum parant vel ad ſaturitatem vſque, quibus propitia ac ſecunda aſpirarit teſſera.Rurſum alij nudi enatarunt,naue eliſa,fracta ad tam minutum ſcopulum, puta aleam. Vide Cælium Rhodig. lib.20.cap.27.& Gell.lib.1.cap.20.

## Ὡς τύπῳ dicere. 498

Frequens & illud in Græcis auctoribus ὡς τύπῳ aliquid dicere vel enumerare,id eſt, craſſo filo. Idem Scaliger in hiſtorico:Atque hæc quidem loca(vt ſolebat Plato & Ariſtoteles dicere)ὡς τύπῳ ad hunc modum enumerata ſunt. Exactius verò etiã ſic perſequamur.Eraſmus noſter adag. Tenuiter diducis ὡς τύπῳ εἰπεῖν.Id eſt,vt ita loquar, Græcis frequens eſt,inquit,cùm ſentiũt ſe rem non vt eſt exactè proloqui,ſed qualibuſcunq; verbis ſignificare, ac notare verius quàm eloqui.Sunt qui ὡς τύπῳ εἰπεῖν interpretantur,vt in vniuerſum dicam : & ὡς τύπῳ λαβεῖν,vt ſummatim colligam.

## Interuenit θεὸς ἀπὸ μηχανῆς. 499

Fuit genus machinæ tragœdiarum,quod in ſumma trepidatione remedia arceſſebat humanis maiora. Demiſſa nãque deos oſtendebat ex improuiſo. Id quod etiam ad prouerbium rerum deſperatarum traxere,θεὸς ἀπὸ μηχανῆς.

Ayuntamiento de Madrid

Plurima exempla tragicis omnibus, & in Plauti Amphitryone. Idem Scaliger in eodem hiſtorico: In fine autem inquit, & proci interficiuntur, & interuenit θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, quod tragœdiæ propriũ eſt. Eo Lucianus vtitur in Philopſ. in lib. de mercede ſeruientibus, & in Sectis. Eraſmus noſter iſtud fuſius tractauit, prouerbio, Deus ex improuiſo apparens.

## Niger eſt. 500

De impio & improbo. vide ſup. 116. Hinc clariſſimè de Saulis perfidia Dauid cantans, illum Chus filium Iemini vocat more Latinorum. cùm autem vox iſta Chus nigrũ ſignificet, Chuſſi nigredo nunquam niſi pro malignis hominibus ponitur. Chuſſia Æthiopia dicitur, à qua Æthiopes, qui ſibi de ſua placent nigredine, quíque in Chameſia tantùm reperiuntur. In aliis prouinciis nulli planè Æthiopes nigríue, ſed oleaſtrino, Indóue, aut vt plurimum cinericio colore ſunt hactenus inuēti. Deus autem ad inobedientiæ & contemptus diuini iudicium, Chuſſum filium atro colore voluit naſci, vnde ſtirpe & ſanguine, non à regione [vt hactenus putatum eſt] cęteri deſcendunt Æthiopes. Nigri itaque quotquot ſunt in orbe, ſunt traducti ex Chameſia, vti gens ſola vafricie & dolis pollens, & nihil animi habens, ſed planè ad ſeruiendum nata, præter illos, qui nomen Chriſto dedere. Nam nulla planè cæteri fide ſunt. Hinc Punicæ fidei traductio.

## Cæcias nubes trahit. 501

Cæcias aliàs Helleſpontias, ab ortu æſtiuo ſpirat, quem nubes in ſe trahere Plinius inquit, naturæ humidæ ſecundum Ariſtotelem. Præbuit autem hic adagio occaſionem, Cæcias nubes trahit, de iis qui lites, odia, aliáque ſibi ſua ſponte accerſunt. De quo Eraſmus noſter fuſius.

## Non eſt cuiuſuis manu lyram pulſare. 502

Eſt iſtud quoque frequens, quod priſſius Architrenius expreſſit:

Non præcinit omnem
Ad digitum Phœbea Chelys, non nouimus aures
Aonia mulcere lyra, non pectinis huius
In plebem vileſcit apex, hæc gloria vatum:
Hoc iubar, hic titulus ſolos contingit Homeros.

Idem

## Idem velle atque idem nolle, ea demum firma eſt amicitia. 503

Hanc Salluſtij ſententiam non ſolùm in auctorum libris prouerbij vice vſurpatam deprehendimus, verumetiam in conuiuiis & colloquiis celebratam obſeruauimus. Cicero lib. 1. Offic. Nihil amabilius, nec copulatius, quàm morum ſimilitudo bonorum: in quibus enim eadem ſtudia ſunt, eædem voluntates; in his fit, vt æquè quiſque altero delectetur, ac ſeipſo: efficitúrque id quod Pythagoras vltimum in amicitia putauit, vt vnus ęquè fiat ex pluribus. Hæ autem neceſſitudines, ſunt communes eorum vtriq;, quibus vterque cum altero æquè deuincitur. Idem in libro de Amicitia: Lęli⁹; Recordatione noſtræ amicitię ſic fruor, vt beatè vixiſſe videar, quia cum Scipione vixerim, quo cum mihi coniuncta cura de re publica, & de priuata fuit, quo cum domus fuit, & militia communis, & in quo eſt omnis vis amicitiæ, voluntatum, ſtudiorum ſumma conſenſio. Idem pro Plancio: Vetus enim lex eſt, inquit, illa iuſtæ veréque amicitię, vt idem amici ſemper velint, neque eſt vllum certius amicitiæ vinculum, quàm conſenſus, & ſocietas conſiliorum & voluntatum.

## Prometheus, Epimetheus. 504

Plato Romanos Prometheos appellat, procul aſpiciẽtes, & vtentes præmaturo conſilio, Siculos verò Epimetheos & imprudentes. Lucianus, contra eum qui dixerat, Prometheus es in verbis, in calce, ἐπεὶ τόγε μεταβουλεύεσθαι ἐπιμηθέως ἔργον. οὐ προμηθέως ἔργον, οὐ προμηθέως ἐστιν. id eſt, nam illud quidem poſt rẽ conſulere, Epimethei eſt, non Promethei. προμηθεύεσθαι enim, eſt conſilio malis imminentibus occurrere. Idem in eodem dialogo, ex comico quopiam citat hunc verſiculum dictum in Cleonem, quod ſero, nec niſi confecto negotio ſaperet: Κλέων προμηθεὸς ἐστὶ μετὰ πράγματα, id eſt, Rebus peractis eſt Cleon Prometheus. Heſiodus in Theogonia: Hæc (inquit) peperit προμηθέα ποικίλον αἰολομήτιν, ἁμαρτίνοόν τ' ἐπιμηθέα Prometheum vafrum nominans, ac variis inſtructum conſiliis, Epimetheum poſt erratum ſapientem. Vnde & Pindarus in Pythiis appellat illum ὀψίνοον: quaſi ſerò ſapientem. Nota fab. ex Heſiodo.



Ayuntamiento de Madrid

## Omnia venalia habet. 505

Qui omnia pecuniæ cauſa agit:nam & Thucyd.lib.2.ſic inquit:χρήμασι δὲ νικωμένου τὰ σύμπαντα τούτου ἑνὸς ἂν πωλοῖτο. Salluſtius in Catil.Nanque auaritia fidem,probitatem,cæteráſque bonas artes ſubuertit.Pro his ſuperbiam, crudelitatem,deos negligere,omnia venalia habere edocuit.vnde in Iugurtha Roma diſcedens,O vrbem venalem,& citò perituram,ſi emptorem inueniat. Omnia venalia habent aduocati & calumniatores, qui vndecunque lucrum captãt.Ennius:Vnde habeat,curat nemo, ſed oportet habere.Pecuniæ cauſſa omnia conceduntur.Nam ſi quis pecuniatus à ſenatu aliquid optat,pecuniam ſenatoribus exhibendo,ſtatim quod vult conſequitur.

## Pecunia neruus. 506

Hoc quoque deductum eſt in communem ſermonem de re ſupra modum neceſſaria.Cic.Philip.5. Infinitam pecuniam neruos belli appellat:& contra Rullum, ſubſidia belli & ornamenta pacis In Verr.5.ait, vectigalia eſſe neruos reip.Heſiodus & Ariſtoteles,pecuniam velut alteram hominis animam eſſe ſcribunt.Ad hanc ſententiam pertinet hic verſus è comœdia quapiam,τ' ἀργύριον ἐστὶν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς, argentum & anima & ſanguis eſt mortalibus.Olympiodorus,νεῦρα ἀποδείξεως, neruos demonſtrationis metaphoricè, pro ſolido robore & viribus dixit, quomodo Demoſthenes νεῦρα πολέμου τὰ χρήματα.Ita Piſides Iambogra. βλέπων μάλιστα καὶ τὰ νεῦρα τῆς μάχης τὸν πλοῦτον ἐκρεύσαντα πρὸς τοὺς βαρβάρους, cùm cerneret potiſſimè pecunias, belli neruos, ad barbaros dilabier. Dion in Veſpaſiano: νεῦρα γὰρ τῆς ἡγεμονίας τὰ χρήματα ἀεί ποτε εἶναι ἔλεγον. id eſt, pecunias neruos eſſe imperij ſemper dixerunt.

## Aiunt ſcilicet. 507

A clariſſimis Grammaticis annotatum eſt, apud Latinos auctores plerunque in re falſa & non credenda verbum, aiunt,vſurpari.Atque Paulus ad Rom. 3. eleganter dixit, Aiunt quidam nos dicere de re vana. Certos intelligit, quorum, tamen nomina ſupprimit Chriſtiana modeſtia. In rem enim ſæuire oportet,homini verò parcendum eſt. Donatus in Eunuch.Terentiana: Semper ait dicimus, in-

Ayuntamiento de Madrid

quit,cùm vel inuiſa nobis & audientibus, vel vana narramus alicuius.Idem in Hecy.Bene ait,quaſi vanum. Sic enim dicimus:Aio,ait,de rebus nugatoriis. Ibidem:

Quid morbi eſt?P.Febris.S.Quotidiana?P.Ita aiunt.

Vbi idem Donatus.Bene aliis adſcripſit, ſi falſum ſit, vt ipſis mendacium adſcribatur, & religiosè mendacium ad rumorem tranſtulit. In Andr. Hodie vxorem ducis? P. Aiunt.

Vbi Donatus, Aiũt,de ea re dicimus, quam volumus eſſe falſam.Virgilius quarto Æneidos,ironicos de Ænea:

Quem ſecum patrios,aiunt,portare penates,
Quem ſubiiſſe humeris confectum ætate parentem.

Itidem ſcilicet,per amaritudinem quandam cum deriſu permiſtam,profertur: vt ait Valla lib. 2. Virg. 4. Æneid.Scilicet is ſuperis labor eſt. Terent.in And.Meum gnatum rumor eſt amare.D.Id populus curat ſcilicet. Hoc eſt, veluti per ſenſum contrarium, nimirum, Id populus non magnopere curat.Ita exiſtimato, populo non maximè eſſe curæ,filius tuus amet,néne. Hoc prouerbij loco vſurpauit Cicero Attico ſcribẽs lib.13.Id populus curat, ſcilicet. Cæſar contra Catilinam: Quò illa oratio pertinuit? an vt vos infeſtos coniurationi faceret,ſcilicet? Videlicet quoque,& Quaſi verò,particulæ ſunt ironiis omnino aptæ.

## Iacta eſt alea. 508

In prouerbio eſt,iacta eſt alea, cùm ſic incœpta res eſt, vt deſiſtere integrum non ſit,quod Cæſar traiecturus Rubiconem vſurpauit,& pro euẽtu rei dubio ponitur.Lucianus in Hermonide:Itaque iuxta prouerbium, in vno viro iecimus aleam.Idem pro imaginibus: τολμήσω ἀναῤῥίψαι τὸν κύβον,id eſt,audebo iactare aleam.In Saturnalibus,aleã vocat naufragium. Aleam ab inuentore dictam quidam tradunt:eſt autem tabula luſoria, quæ & latruncularia & pyrgus,& alueus,& alueolus vocatur, rotunda illa tabella rotulæ inſtar,quæ mouetur.

## Conſcientia mentem exagitat. 509

Συνείδησις σπλήττει τὴν ψυχήν. Salluſtius in Catilinaria:Nãque animus impurus, diis hominibúſque infeſtus, neque vigiliis, neque quietibus ſedari poterat, ita conſcientia mentem exagitatam vaſtabat. De huiuſmodi vexatione



Ayuntamiento de Madrid

conſcientiæ Cicero in Paradoxis: Te, inquit, conſcientiæ ſtimulant maleficiorum tuorum, te metus exanimant iudiciorum atque legum, quocunque aſpexiſti, vt furiæ, ſic tuæ tibi occurrunt iniuriæ, quæ reſpirare non ſinunt, qui tamen ſatis opibus hominum ſepti eſſe & muniti videntur, vt idem ait lib. de Finibus, primo: Deorum tamen numen horrent, eáſque ipſas ſolicitudinum, quibus eorum animi noctes diéſque exeduntur, à diis immortalibus importari putant. Idem pro Sexto Roſcio. Et in L. Piſonem. Macrobius in lib. de ſomnio Scipionis: per Titij ſuppliciũ, cuius iecur vultures duo viciſſim ſibi ſuccedentes cõtinuò exedunt, malæ conſcientiæ tormenta ſignificari dicit.

## In medio relinquere. 510

Cicero pro Murȩna: Quod dubium eſt, id relinquere incertum: quod dubium non poteſt eſſe, id indicare. Salluſt. in Catilinario: Nos eam rem in medio relinquemus. id eſt, hoc aliorum eſſe iudicium volumus. Cic. pro Cœlio: Neminem nominabo, tantùm in medio relinquam, hoc eſt controuerſum relinquam, nihil ſtatuam vel conſtituam, in medio proponã. Sic Gellius 6.14. Liuius 5. bell. Pun. pro remittere ad conſultationẽ, relinquere cõſultationi, dicit.

## Succeſſum fortuna, experientiam laus ſequitur. 511

Notum eſt, multa conſultò, & prudenter incœpta, infelicem ſortiri exitum, propterea quòd rebus humanis dominatur fortuna, & maximè in bello, cùm exitus bellorum ſint incerti. Verbi gratia, ſignificatum fuerit duci cuipiam, regionem quampiam maritimam facilem expugnatu, ſi mittatur manus, cùm præſidio careat: mittit claſſem bene inſtructam, ſed ſubita tempeſtate aut igni ſiue cæleſti, ſiue fortuito perit, aut in oppidum præſidio carens ſeſqui hora antequàm oppugnatores adſint, prȩſidium mittatur, quod in procinctu ſtãs miſſos repulerit. Expeditio vtraque prudenter, ſed infœliciter cœpta fuerit. Sic L. Lælius apud Varronem in libro de Ratione vocabulorum, Gellio referente lib. 1. cap. 18. cùm per experientiam norit leporem, alio vocabulo tunc à Græcis dici, & poſſe in Latinum etymon adduci, laudauit Lælij Varro induſtriam & experientiam, ſed doluit ſucceſſum, quia præter ſpem inter priſca Græ-

Ayuntamiento de Madrid

eorum vocabula compertum. Varronis autem ſententia apud Agellium hæc eſt,in quo non modò Lælij ingenium non reprehendo,ſed induſtriã laudo. Succeſſum enim fortuna,experientiam laus ſequitur. Sic Ouidiana Phyllis accuſat Thracas.

Exitus acta probat:careat ſucceſſibus opto
Quiſquis ab euentu facta notanda putat.

Succeſſum autem felicitatem,& euentum caſum,non finem intelligit.

## Maria & montes polliceri. 512

Salluſtius in Catil.Maria montéſque polliceri cœpit Catilina,qui ſignificare voluit, Citò maximæ mihi erunt facultates,quarum tu quoque Fuluia eris particeps.Ad eundem modum Perſius:Magnos promittere montes. Paulò diuerſius à Græcis diſſipata eſt χρυσοῦ ὄρη ὑπισχνεῖσθαι. De quo vide Eraſmum noſtrum. Vtrunque vſurpare ſolemus, cùm de ingenti alicuius pollicitatione dicere volumus, ídque cum quadam irriſione dicemus.

## Parſimonia ſummum vectigal. 513

Hoc quoque adeò in Galliis frequens eſt, vt etiam mulierculárum in ore ſemper ſit,cùm ſumptus ne cenſum ſuperet, admonent.Vectigal autem redditum priuatum etiam ſignificare docet Porphyrion, enarrans illud Horatianum:Ego vectigalia magna, Diuitiáſque habeo tribus amplas regibus,& Cicero in Paradoxis ait,non intelligunt homines,quàm magnum vectigal ſit parſimonia. Et paulò poſt,Tenui vectigali detractis ſumptibus cupiditatis, aliquid etiam redundabit.

## Qui luxurioſus eſt,neceſſe eſt,vt & auarus ſit. 514

Sermo hic etiam tota Gallia diſſipatus ac diſperſus eſt. Duo enim vitia hæc, quãuis inter ſe contraria eſſe videntur,tamen coniuncta ſunt:nam luxurioſi multas ſolẽt profundere pecunias,& ideo,vt pecunia ſuis voluptatibus ſatis ſit,auari efficiuntur.Cicero pro Roſcio, In vrbe luxuries creatur,ex luxuria exiſtat auaritia neceſſe eſt, ex auaritia erumpat audacia,inde omnia ſcelera, ac maleficia gignuntur, vt ex Catonis verbis inquit Gell. libro 11.cap. 2.



Ayuntamiento de Madrid

## Molle ac facetum. 515

Pro ſuaui multæque vrbanitatis & gratiæ. Quinctil.lib. 6.cap.4. Facetum, inquit, non tantùm circa ridicula conſiſtit, neque enim diceret Horatius Satyr.1,10. facetum carminis genus natura conceſſum eſſe Virgilio. decoris hanc magis & excultæ cuiuſdam elegantiæ appellationem puto. Ideóque in epiſtolis Cicero hæc Bruti verba refert, ne vlli ſunt pedes faceti, ac deliciis ingrediēti mollius. Quod conuenit cum Horatiano illo: Molle atque facetum Virgilio annumerant gaudentes rure Camœnæ. Nam Virgiliana illa grauitas, procul eſt ab omni riſu.

## Ex præteritis, præſentia æſtimantur. 516

Quinctilianus lib.5. Spectantur ante acta, dictáque ex præteritis æſtimari ſolēt pręſentia. Idem lib.7.cap,3. Probi verò mores, & anteactæ vitæ integritas, nunquā nō plurimum profuerit. Cic. pro P. Sylla: Vbi erit igitur illud fortiſſimum præſidiū pudoris? quo in loco nobis vita anteacta proderit? Vita enim quę honeſtè acta eſt, prodeſt multum, vt ea quæ anteacta turpiter, ſcelus facit credibile.

## Indictum puta. 517

Galli pro prouerbio habent, cùm certam in tacendo fidem ſignificant, ac dum quis quod ſcit perinde cōtinet ac diſſimulat, quaſi neſciat. Non diſſimile hoc comicum: Dictum ſapienti ſat eſt. Plaut. in Perſa, & Terentius in Phormione. Gel. lib.1.cap.22. Indictum accipit, pro impropriè & parum ſignificanter dictum. Nam quæ impropriè & parum cum gratia efferuntur, ea perinde ſunt, ac ſi nō dicerentur, indictáque manerent. Qui dicit, inquit, ergo ſe ſupereſſe ei quem defendit, nihil iſtorum vult dicere, ſed neſcio quid aliud indictum inſcitúmque dicit.

## Sentina reipublicæ. 518

Cicero metaphoricos hominem improbitatis inſignem dixit reip. ſentinam. Quemadmodum enim vſu venire ſolet, vt quicquid humoris corrupti in corpore ſit, id totum vlcus ad ſe contrahat: quicquid aquæ in naui eſt, id ad ſentinam confluat: ita in ciuitate quotquod improbi ſunt, ad aliquem vnum improbitate inſignem concurrūt. Quinct. lib.8. Non enim, inquit, ſi Cic. rectè ſentinam reipublicæ dixit, fœditatem hominum ſignificans; itidem metaphoricè dicitur reipublicæ calamitas.

Ayuntamiento de Madrid

# EX HADR. TVRNEBI, M. Antonij Mureti & aliorum ſcriptis quædam adagiorum miſcella.

## Familiam ducere. 1

PRo, præcipuum eſſe aliquid, & principem in re aliqua obtinere locum. Cic. ad C. Trebatium: Accedit etiam quod familiam ducit, in iure ciuili ſingularis memoria, ſumma ſcientia: quibus ſignificat, hanc primam eſſe Trebatii laudem, & veluti propriam: Alibi, Sententia, quæ familiam ducit &c. Item: Lucius quidem frater, vtpote qui peregrè depugnauit familiam ducit. Muret. Var. lec. 4. 17.

## Quod pulcrum eſt, placet. 2

Ὅ, τι καλὸν φίλον ἀεί. quæ pulcra ſunt, eam vim habent, vt ſtatim conſpecta omnium ſibi voluntatem cõcilient, amoremque adiungant. Ariſtot. Plat. in Lyſide: Origo iſta Muſæ. & Gratiæ conuenientes ad nuptias Cadmi & Harmoniæ, pulcrum carmen, quo ea ſententia contineretur, canebant, nouæ nuptæ pulcritudinem commendantes. Hoc elegantiſſimis verſibus ſcriptum reliquit Theognis; quos ob ſuauitatem cogor præter meum morem ſubiicere:

Μοῦσαι καὶ χάριτες, κοῦραι Διὸς, αἵ ποτε Κάδμου
Εἰς γάμον ἐλθοῦσαι καλὸν ἀείσατ᾽ ἔπος.
Ὅ, τι καλὸν φίλον ἐστὶ, τὸ δ᾽ οὐ καλὸν οὐ φίλον ἐστί.
Τοῦτ᾽ ἔπος ἀθανάτων ἦλθε διὰ στομάτων.

Muret Var. lect. 4. c. 4. vide etiam hîc tom. 1. Quod pulcrum, idem amicum. Eos ita vertit Schegkius:

Vos Charites, Muſæ, proles Iouis inclyta, Cadmo,
Qualis erat, quondam quem ceciniſtis, Hymen!
Quod decet, optandum: quæ turpia ſunt fugienda.
Hæc ſunt à vobis tum celebrata Deæ.

## Bos Moloſſorum. 3

Βοῦς ὁ Μολόττων, Bos Homolottorum: Ita tom. 1. ex Suida caſtigandus Zenobius. Hart. decur. 1, 7.

## Nouior Leberide. 4

Καινότερος, & καινότερος λεβηρίδος, iunior Leberide. exuũt



Ayuntamiento de Madrid

enim ſingulis annis ſerpentes exuuia ſua & quaſi innouantur. Ita rurſum id, quod eſt tom. 1. Nudior Leberide, proponit Hart. dec. 1. 1. Sed in hoc genere, quia tam multa ſunt in H. Stephano, & aliis, præſertim quos Eraſmi gloria ad quæuis penitius inquirenda accendit, ob cauſſas, quas initio dixi, in alteram prioris tomi editionem, aliudue tempus commodum oportunè reiicientur.

## Ipſa olera olla legit. 5

In eos, qui, quod ſe facere oportet, faciunt; vt cùm libidinoſus, & ſalax ſcortatur, ebrioſus potat. Olera enim in olla coquuntur, quæ, cùm eis repletur, ipſa legere videtur, id eſt, colligere. Cat. in Mamurram. Ita Turn. Aduerſ. 3. 13. Aliter tomo 1. prou. eod. Ipſa olera olla legit.

## Habes Scytha ὄνον. 6

Ita Cic. ſignificat Atticum ſimulare proficiſci ab Italia velle, ſed retineri ſe fingere & prohiberi à Curtio. Alluſit ad prouerbium, σκύθης ὄνον ὁρᾷ, de quodam Scytha coram aliis auerſari ſe ſimulante cadauer aſini, quibus digreſſis veſci eo cœpit. Turn. Aduerſ. 18. 9. vide tom. 1. Scytha acciſans aſinum.

## Andabatæ. 7

Olim poſt curricula Circenſia ſero, noctíſque tenebris depugnabant homines interdum è curru, heroum antiquorum more. Duo autem homines ſedebant in curru, auriga, & παραιβάτης, qui idem etiam ἀναβάτης, id eſt, adſcenſor, ſeu andabata latino more formationis: cùm autem noctu pugnarent, nec ſe prope viderent; vt ludicrum etiam augeretur, interdum oculis etiam clauſis pugnare cogebantur. Turn. 19.

## Arietinum oraculum. 8

Id eſt, Oraculum Iouis Ammonis, quod exploratæ, indubitatæque fidei habebatur: colebatur autem ille ſpecie arietis, vt norunt omnes. Tale oraculum eiuſdem refert Gell. 3. 3. ad quendam, ita nempe anceps, vt vtrumcunque faceret malum haberet; Peribis, inquit, ſi non feceris: ſi feceris, vapulabis. Turn. Aduerſ. 14. 18. Tra[illegible] poterit ad ſimilia ipſa veritate veriora, vt promiſſa, minas, dictáque alia eiuſmodi.

Ayuntamiento de Madrid

## Latinè loqui. 9

Cic. in Verrem: Non enim verbi, neque criminis cauſſa augendi complector omnia, cùm dico nihil iſtum eiuſmodi rerum in prouincia reliquiſſe: Latinè me ſcitote, non accuſatoriè loqui, id eſt, verè & ſimpliciter loqui, nihilque mentiri, nec ſuprà verum rem efferre. Natum inde, quòd Latini de Latinis bene exiſtimarent, eos ſimplices, & ingenuos miniméque ſimulatos & fallàces mendacéſq; exiſtimarent. Vnde Martialis idem vſurpauit, pro, apertè, & ſine diſſimulatione, verborúmque integumento loqui, dicens ſe tum loqui Latinè, cùm obſcœna & laſciua obſcænis & laſciuis verbis apertè proloqueretur. epigrammata enim ſine circuitu vllo laſciuiunt apertè & petulãter, id eſt, vt alibi loquitur, Romana ſimplicitate, laſciuiam & flagitia enunciant. Turn. Aduerſ. 24. 5.

## Similis Thraci in Thracem compoſito. 10

De homine paruo & breui. Seneca Natur. quæſt. 4. agens de adulatione: Te, inquit, longiorem Fido Anneo iurabo, & Apollonio Pyćta: quamuis ſtaturam habeas Threcis ad Threcem compoſiti. Ita enim eum locum emendat Turn. Aduerſ. 21. 19. In Amphitheatralibus muneribus Thraces, qui & Threces plerunque voçantur, inter ſe committebantur: qui, cum exiguam haberent parmam, ſe totos velut in eam colligebant, ne vulneri paterent, & ſtaturam incuruando minuebant. Vſos autem Thraces eſſe peltis, id eſt cetris vel palmis teſtatur Ariſtoph. in Acharn.

## Marſupio aluum lauare. 11

Pro exhaurire marſupium, ad egeſtatem redigere. Varro ἀνθρωποπόλει: Et hymenæus, qui primo lauere aluum marſupio ſolet. intelligit nuptias ſumptuoſas, quæque maritos earum primo ſtatim auſpicio impendiis, inaniunt. Quæ enim eluuntur, ea mera inaniáque relinquuntur; cùm alioqui eluere, pro, conſumere ſoleant frequentare veteres. Turn. Aduerſ. 21. 20.

## Expellere furca, vel furcillis. 12

Pro, conatu & vi maxima expellere & exturbare, non autem ſola manu. Hor. Naturam expellas furca, tamen vſque recurret. Catull.

Ayuntamiento de Madrid

Mentula conatur Pimpleum adſcendere collem:
Muſæ furcillis præcipitem eiiciunt.

Et Cic.ad Att.6. Sed quoniam furcilla extrudimur, Brundiſium cogito. Sic Ariſtophanes in Pace, forcis quoque eiectam pacem queritur teſtibus ipſis interpretibus; τὴν δὲ, μὲν δικροῖς ἐώθουν τὴν θεὸν κεκράγμασι. & apud Suidam ex hiſtorico quodam affertur: παρεσκεύαστο δὲ καὶ δίκραια, ὥστε ἀπωθεῖσθαι τὴν τῶν λεγομένων σχαλῶν προσαγωγήν. Idem.

## Datatim dare ſe. 13

De muliere quæ ſui copiam facit; etſi alioqui mulieres impudicæ dare dicantur, vt ex Martiale notum eſt. Ennius:

Quaſi in choro pila,
Ludens datatim dat ſeſe, & communem facit:
Alium tenet, alii nutat, alibi manus

Eſt occupata. Sic Afranius, & Pomponius apud Nonium in datatim. metaphora nota, nempe à luſu pilæ, in quo datur. Turn. Aduerſ. 7.4.

### Observ. Gisel.

Adde ex Artemidori 1. lib. ἁρπαστὸν δὲ, καὶ σφαῖρα φιλονεικίας ἀπεράντους σημαίνουσι· πολλάκις δὲ καὶ εἰς ἑταίρας ἔρωτα. ἔοικε γὰρ ἡ σφαῖρα καὶ τὸ ἁρπαστὸν ἑταίρᾳ διὰ τὸ μηδαμῇ μένειν, καὶ πρὸς πολλοὺς φοιτᾶν. Monuit in Varrone ſuo Scaliger, vbi etiam foro legit, pro choro, & adnictat, pro, nutat. Planè verò ſimili locutionis forma, de humanarum rerum viciſſitudine dixit Plautus Captiuis: Dii nos quaſi pilas homines habent.

## Dicis cauſſa. 14

Eſt ὅσον ἀφοσιώσασθαι, id eſt, leuiter & defunctoriè & vtcunque agere: tractum ab his, quæ, vt religione defungamur, vtcunque facimus, cùm ſimulata olim in ea pro veris haberentur, & qualiacunque ferè pro optimis dicarentur. deducitur autem nomen iſtud non à verbo, dico, is; ſed à verbo, dico, as: eſtque tanquam dicationis cauſſa. Idem Aduerſ. 11.20.

## Oleo fraudare lucernas. 15

Dictum eſt ab Horat. ſat. 5. in Nattam hominem etſi nobili & honeſta familia natum, valdè tamen ſordidum, qui ſe inungebat vili, rancido, & ad lumina relegato olei genere, (Aëtius λυχναῖον, lucernarium appellat) atque ita

Ayuntamiento de Madrid

lucernas ſuo alimento & fomento defraudabat. Turn. Adu. 4, 9. Simili migratione & facetè dicemus ſordidè & cibis ſine ſanguine victitantem, fraudare iumenta ſuo alimento, &c.

OBSERV. GISEL.

Turneb. 23. cap. 22. legit ex antiquis libris, Nacta, id eſt, fullo, qui veſtimenta pedibus calcata ſaltu ſuo fullonio premit & denſat: à νάσσειν, quod cogere & conſiliare valet: ergo immundus nacta, fullo ſordidus & nequam, qui non eſt nauci.

## Longè fugit, qui ſuos fugit. 16

Titulus prouerbialis ſatyræ Varronis, non multum abludens ab illa adagione Terentii, Ita fugias, ne præter caſam. quod eſt, vt ne nimium longè: nam ad caſam, id eſt domum, vbi tutiſſimum cuique perfugium eſt, cùm perueniſti, fugiendi finem facere debes. Item Aduerſ. 15. 5.

## Quaſi lupus ab armis valeo, clunes infractos gero. 17

Fuit etiam olim opinio, lupum armis validum, tergo infirmum eſſe, vt ex hac Plauti apud Nonium ſententia prope prouerbiali apparet. Ibidem. Fortaſſè non ineptè id ille vſurpabit, qui ſuarum virium ſibi conſcius, non tam viri & hoſtis ſui, quàm feminæ congreſſum reformidat.

## Chium & Ammineum miſcere. 18

Eleganter hoc extulit Auſonius de profeſſore Græcæ linguæ & Latinæ, alludens ad vina diuerſè nata. Chium enim vinum Græcum eſt, Ammineum Latinum. Idem 24. 21. Turneb.

## Τῦ πατρὸς ἐςὶ τὸ παιδίον. 19

Titulus eſt ſatyræ Varronianæ, quam item inſcribit περὶ παιδοποιΐας, vbi eis, qui parentes eſſe optimorum liberorum vellent, præcepta dabat. Apparet autem eam inſcriptionem fuiſſe prouerbialem: nam & à B. Baſilio vſurpatur epiſtola ad Libanium: εἰ δὲ ἑαυ̃ς ἐςὶ παι̃ς, τῦ πατρὸς ἐςὶ τὸ παιδίον. Idem Aduerſ. 17, 21. Quid ſi Varro eos demùm velit eſſe parentum ſuorum liberos, qui

Ayuntamiento de Madrid

ipſis digni ſunt, eosque moribus bonis & recta indole referant? ſic certè etiã hodie vulgò idem vſurpamus, & recuſamus iis eſſe patres .i. de iis omnem animum paternũ eiicimus, qui etſi ex nobis nati ſint, degenerant tamen & moribus ac vita nobis filij eſſe nolunt.

## Subiicere pedibus Acheruntem. 20

Vſurpauit Virgilius Georg. 2. pro, philoſophiæ cognitione tollere inferos, in illo agens de Epicuro, Inexorabile fatum Subiecit pedibus, ſtrepitumque Acheruntis auari: quod ita Lucret. 2. Et metus ille foras præceps Acheruntis agendus. Idem Aduerſ. 21, 10. Trahi poterit ad homines improbos pertinaciter in omne flagitiorum genus ſe ingurgitantes, & deorum vindictam ſtrenuè contemnentes: item ad omnes impiè de immortalitate ſentientes: & contrà etiam ad pios bene ſibi conſcios &c. Simili locutionis forma, ſed diuerſo ſenſu, dixit Horat. Carm. 3, 20. Nearchum adoleſcentem arbitrum pugnæ inter duos riuales, poſuiſſe palmam ſub nudo pede, pro, victoriam habere in ſua poteſtate, & arbitratu, vtri eam addicat, quòd proſtrata, & pedibus noſtris ſubiecta noſtri ſint iuris & arbitrij: Ita etiam Luiſinus 2, 26. licet alij diſſentiant.

## Euellere plantam cœno. 21

Prouerbio illi tomo 1, Extra lutum pedem habes. ἐκτὸς πηλοῦ πόδας ἔχεις, ſimile iſtud Flacci: Nequiquam cœno cupiens euellere plantam. De his, qui alicundè ſe expedierunt, & è moleſtia euaſerunt.

## Fugitiuum retrahere. 22

Varro de ling. lat. 4. Quare illa, quæ iam maioribus noſtris ademit obliuio, fugitiua, ſi ſedulitas Mucij & Bruti retrahere nequit, non, ſi non potero indagare, eo ero tardior. Terent. Heaut. Retraham hercle opinor ad me illud idem fugitiuum argentum tamen. Inſignis & elegãs in vtroq; tranſlatio eſt à ſeruis, qui è fuga reducuntur domũ ad herum. Sall. In his erat Fuluius ſenatoris filius, quem retractum ex itinere parens necari iuſſit. Idem 24, 29.

## Rex eris. 23

Ad exemplum Plauti, quod attulimus ſup. 113. nihil peccem, credo, ſi ex eodem Turnebi capite hæc addam. Varro. Quartus vbi eſt additus & initia, regis. qui ad quartum

Ayuntamiento de Madrid

ait, gradum peruenerit, is fuerit rex, & planè rem modis omnibus abſoluerit, Horat. epiſt. 1, 1. Rex eris, aiunt, Si rectè facies. Auſon. Qui rectè faciet, qui non dominatur, erit rex. Sic victor etiam dicitur, qui aliquid perfecit & abſoluit. Virg. victorque virûm volitare per ora. Iterum: Illi victor ego, & Phrygio conſpectus in oſtro.

## Timonea cœna. 24

Seneca. Non eſt, quòd nunc exiſtimes me dicere Timoneas cœnas & pauperũ cellas. Ita enim Turneb. Aduerſ. 24, 33. elegantiſſimè hoc partim è lib. vet. partim ex ingenio reſtituit. Timon humanum genus exoſus erat, vitamque quandam inhumanam ſequebatur; in cibiſque non modò vulgaribus, ſed etiam viliſſimis, & ab reliquis hominibus propè damnatis aquieſcebat.

## Morboniam mittere. 25

Tranquillus: Quidam ex officio admiſſionis ſimul expellens abire Morboniam iuſſerat. vbi Morbonia, vel, vt in quibuſdam libris ſcribitur, Morbouia, vt nomen oppidi, quod nuſquam eſt, fingi videtur: aut adeò populi ore frequentabatur, ceu oppidi nomen, ſub ſenſu morbi & exitij. Hoc enim perinde eſt, ac ſi quis aliquem in malam crucem amandet, aut ad coruos abire iubeat. certè compendium Dionis pro Morbonia ἐς κόρακας habet. Idem 24, 36.

## Eſt modus matulæ. 26

Satyra quædam Varronis inſcribebatur, eſt modus matulæ, vel vt alij libri ſcribunt, Et modus matula: qua inſcriptione monebat adhibendum eſſe modum compotationi & ebrietati. Nam è matula potum ſignificauit, cùm cibum ſicciorem in ventrem, liquidiorem in veſicam deſcendere cenſerent. Varro alio loco: Diuitum apothecas Chias ad communem reuocat matellam. Plautus, Nolo in veſicam quod eat; in ventrem volo. Idem Aduerſ. 17, 21.

### OBSERV. GISEL.

Non veniebat in mentem hoc Adagium à Iunio præceptum eſſe: pro eo itaque ſubſtituo hæc. Fortunatianus Oratores ex Cannenſi caterua vocat ignobiles: qui eo tẽpore, multis cæſis, & facundioribus interfectis aut mortuis repentè extiterunt, & ad cauſas & iudicia extiterunt.

Ayuntamiento de Madrid

Turnebus aduerſ. 3. c. 19. caue canem, quod eſt apud Varronem Eumenidibus, & alius ſatyræ index, vulgatum erat terriculamentum: à rabidis canibus, vel acribus & mordacibus aliò traductum. De quo cùm me in Nonij Iuniani euulgatione Gul. Canterus admonuiſſet, idem haud paullò pòſt approbauit Turneb. 15. Aduerſ. cap. 4. Apud eundẽ Varronem Eumenidib. eſt, paxillo nouo ſuſpẽdere, pro, parare: à ſuppellectile, quam ſuſpendere, vbi eminus, domi ſolemus. Vt cùm Zenonem dicit nouam inſtituiſſe ſectã, proinde quaſi eius ſecta ſit Philoſophię ſupellex, ait: Vbi dicatur primus Zeno nouã hæreſim nouo paxillo ſuſpẽdiſſe. Turneb. ibidem. Seneca in Apocolocyntoſi: Athenis dimidium licet; Alexandriæ totum. Vbi duarum vrbiũ aut regionum licentiam, & impunita flagitia, etſi inter ſe minus paria, comparabimus. Athenis lege Solonis licuit ducere germanas eodem patre natas, non autem vterinas: Alexandriæ & in tota Ægypto omnium ſororum nuptiæ legitimæ habitæ ſunt, teſtis Philon. Vel, Athenis aliqua inceſti eſt impunitas; Alexandriæ maxima. Aduerſar. 18. cap. 13. Milphio Plautinus flocci faciens noctes ſex cuiuſdam meretricis:

Vel nebulo cyatho non emerim.

Nebulas in rebus inanibus & nugatoriis poſuit etiam Perſius in illo: Grãde locuturi nebulas Helicone leguntor. Aduerſ. 19. cap. 1.

## ADAGIA ALIQVOT E IVre ſcripto & variis eius interpretibus A Gul.. Gentio Ic. collecta.

### De Plano aliquid cognoſcere. 1

CVM quis carptim, obiter, & quaſi aliud agens quid legit, neglectimque cognoſcit, memoria minimè complectens: vel cùm quis negotium aliquod non accuratè adminiſtrat. Sumptum ex more Iudicum, quibus pro tribunali ſedentibus arduæ cauſſæ tractandæ ſuſcipiebantur: Vbi

verò deſcenderint, in plano conſtituti, leuiora decidunt negotia. Hinc Iuſtinian. Imperator in c. A procedente C. de dilat. Planariam (ita enim ibi legẽdum eſt) vocat interpellationem, quæ iudici extra iudicium, & in plano facta eſt. In iure Põtificio ſimiles formulæ vſurpãtur, Sine ſtrepitu, Sine figura, & forma iudicij: de rebus ſummatim, abſque ſeuera obſeruatione, ſed perfunctoriè peractis.

## Dardanarij. 2

Αἰγαπωλῦνται. De iis, qui annonam vexant, onerántque, eam nimirum ſupprimentes quò per ingraueſcentiam ſperatam cariùs poſtea pro ſua libidine vendant. Horum fit mentio & ſimul in eos pœna conſtituitur in c. Annonã, De extraord. crimi & in c. Dardanarios, De pœn. Dicti videntur à quodam Dardano flagitioſiſſimo auctore, magica arte nobili. Vnde & Dardaniæ artes apud Poëtam. Ariſtot. lib. Polit. 1. ca. 7. refert Thaletem Mileſium præuidiſſe per cognitionem Aſtrologiæ olearum inopiam, & proinde omnes coẽmiſſe: ſed in ſequenti anno pluris vendidiſſe, facto ingenti quæſtu: Qui iure Dardanarius appellatus fuiſſet, modò animum adieciſſet quæſtui, tum turpi, tum maximè noxio multitudini.

OBSER. GISEL.

Dardanarij. Putabant veteres excantationibus tranſferri aliò poſſe meſſes, excãtatis ſegetibus, vt ex poëtis & legib. quibus hoc olim eſt cautum, liquet, hinc fortaſſe Dardanarij; quòd eorum quaſi maleficiis & venenis magicis crederent annonam auerti in ipſorum horrea, & in metiendo menſuram imminui: aut quòd odioſiſſimum ſit magiæ vocabulum, ad contumeliam & probrum magos eos appellarunt. Tractum autem eſt à Iuriſconſulto non ad annonam tantùm, ſed ad alias etiam merces. Formatio eadem quæ, Arcarius, Dignarius, Dietarius, &c. Dardani meminerunt Tertull. Columel. Apul. Turneb. 9 cap. 17. & 21. cap. 4. vbi &, flagellare annonam, explicatur.

## Noxa caput ſequitur. 3

Prouerbialiter hoc Gordianus Imper. pronunciauit in c. Licet, C. An ſer. pro ſuo fact. poſt ma. tenea. Nam, vt M. Cato ait, nequiter factum ſemper durat, & reum comi-

Ayuntamiento de Madrid

tatur. Sic & Poëta, Pœna poteſt demi, culpa perennis erit.

## Herculis clypeus. 4

Prouerbij loco vtitur Iuſtinia. in Hexaſticho Digeſtis præpoſito, οἷα τις ἡρακλῆι παναίολον ἄσπιδα τεύξας. Sumptũ apparet ex opere Heſiodi, cui Titulus eſt, ἄσπις. Dicitur autem de re pulcherrima & variis ornamentis inſigni.

## Lex Aphricani. 5

Dicitur de re perplexa & obſcura. Sumptum à Reſponſis Aphricani iuriſ. difficilibus, Delium natatorem efflagitantibus. Lex Aphricani eſt ergo difficilis, in ore omnibus eſt ea ratiocinatio.

## Ab aula receſſit. 6

Vtitur Iuſtinia. in c. Ne in arbitris C. De Arb. Si enim, inquit, vera conſuetudo ſtipulationum, & ſubtilis, imò magis ſuperuacua obſeruatio ab aula conceſſit, cur non &c. Dictum de re, quæ amplius in vſu non eſt. Metaphora ſumpta ab emeritis Palatinis iudicibus.

## Suffragia emendicata. 7

De iis, quæ leuiter cauſſam adiuuant, vt potentium cõmendationes, ciuitatum in alicuius honorem decreta. Singuli, inquiunt Impp. in c. 14. C. de accuſa. vniuerſique iudices cognoſcant in publicis criminibus non oportere emẽdicatis vti ſuffragiis decretorum. Sumptum à ſuffragatoribus, hoc, eſt, ſuffragiorum eblanditoribus. C. de ſuffrag.

## Leuato velo de cauſſa cognoſcere. 8

Schemate hoc vtuntur Impp. in c. 5. C. de naufra. lib. 11. De ſubmerſis, inquiunt, nauibus decernimus, vt leuato velo iſtæ cauſſæ cognoſcantur, hoc eſt, ſummatim. Eadẽ figura, quæ, de Plano cognoſcere.

## Felici diplomate vti. 9

De iis, qui omnia feliciter ac præproſperè agunt. Venuleius iuriſc. tractum vocis ſatis docet in c. 87. De verb. obl. cùm inquit, qui Epheſi daturum ſe ſpopondit, neque diplomate diebus ac noctibus & omni tempeſtate contẽpta iter continuare cogitur, neque tam delicatè progredi debeat, vt reprehenſione dignus appareat. Solebant olim, vt & hodie, curſu publico per diſpoſitos equos nocte dieque iter agere. Cæterùm non abſque diplomate, id eſt literis à

Ayuntamiento de Madrid

teris à Principe impetratis, hoc ipſum concedebatur. Imp. Iuſtinus in c. penult. C. de curſu publ. vocat Tractatoriã. Huius diplomatis beneficij meminit & Plin. lib. ep. 10 ad Traianum, Tacitus li. 18. Plautus in Capt. vocat ſyngraphum, vt hoc obiter addã, vocis illius ſignificandæ cauſſa.

## Iactus retis. 10

De re dubia, & mera ſpe, qua plerunque fallimur. Sic Celſus in c. 12 De actio. emp. Tractum à iactu retis piſcatorij, qui incertus eſt plerunque piſcium capiendorum, & ſi crebro proiectus attractusque.

## Κενοτάφιον. 11

Propriè inane & imaginarium ſepulchrum, quo neque corpus neque reliquiæ illatæ ſunt. c. 42. De religiõ. Poteſt non illepidè torqueri ad hominem vanæ mentis, foris in ſpeciem illuſtre quid præ ſe ferentem. Eadem formula, qua Horatius dixit; Corpus ſine pectore. Deſumptum ab honorariis ſepulchris & inanibus tumulis in memoriã defuncti, cuius corpus alibi inhumatum eſt, dicatis, quando ex officio, & pio voto, Cenotaphium (vt & hodie) religioſum faciebant veteres ceremoniis, adinſtar veri ſepulchri, vt teſtatur Martianus in c. In tantum, de rer. diuiſ. niſus Virgilij auctoritate in 3. Æneidos, lababat cineri, &c.

## Saturninus. 12

De eo dictum, qui phantaſticas abſurdasque opiniones ſectatur in iure ciuili: ab huius nominis Saturnino, quem notat Vlpia. in c. i. De Senat.

## Homo omni exceptione maior. 13

De homine integerrimæ fidei. Sumptum à teſtibus inculpatis & ſynceris, aduerſus quos nihil præſcriptionis obiici queat.

## Dupondij iuuenes. 14

De iis, qui ſtudiis tantùm ſunt initiati, & vixdum à limine ea ſalutarunt, Pupilli dicti ab Alciat. A dupondio nummo, quaſi 2. aſſibus æſtimaretur: ſeu à pondere dupondio, quod & ſtater dicitur, & πτεραδέαχμον, modici valoris. Conſule Rhodig. lib. 4. ca. 7. Contrà λύται & προλύται dicuntur abſoluti & conſummati in aliqua diſciplina. De iis agit Iuſtinian. in epiſtola Anteceſſoribus quibuſdam miſſa. Dicti Lytæ, quaſi λύτοι, hoc eſt ſolubiles, quaſi iam à



Ayuntamiento de Madrid

præſcripta ſtudiorum ratione ſoluendi, & legendi libertate donandi.

### Mus in pera &c. 15

Hoc prouerbium cum nonnullis aliis ab Innocentio Pōtif.citatur in cap. Etſi, de Iud.Iudæi,inquit,nobis illam retributionem impendunt, quam (iuxta vulgare prouerbium) mus in pera, ſerpens in gremio, & ignis in ſinu, ſuis conſueuerunt hoſpitibus exhibere. Enarrantur & alia in iur.Pōtificio, Vno collyrio, inſtar empirici omnibus morbis mederi, ca.Neceſſe, Diſt.29. facibus ſolem adiuuare, c. Si omnia, 6. q. 1. quod de ſuperuacaneis & abſurdis dici conſueuit. Fruſtratim lupus comedit agnum.13.q.1.ca.Eccleſias. Simile eſt & illud ad Iuriſc.noſtri ſeculi crebrò vſurpatum, Hæret tanquam mus in pice, cùm quis pendet ambiguus, incertusque quo ſe explicet. Et, ſinapi poſt prandium, ab *Zaſio* aduerſus Eckium, de re intempeſtiua; Quod & nos in lingua vulgari abſurdum iudicamus, dicendo, *De moſtaert by de keeſe.* Gallicè, *ſeruir de mouſtarde apres diſner.*

### Rem non nouam aggredi. 19

De his, qui vxores vetulas accipiunt. Refertur prouerbialiter ab Aleiat.vt pleraque ſuprà recenſita. Obiectum nimirum ab auditoribus Bulgaro doctori, riſus cauſſà, cū huiuſmodi vxorem duxiſſet, & poſtridie manè conſtitutionē, cuius initium illis verbis in C.de Iud.cōceptū erat, auſpicaretur. Gloſſarius in c.Rem non nouā, C.de Iud.

### Aſinus aſinum non prehendit. 17

De æmulatione, quæ inter æquales eſt, cùm quis alteri cedere negat, quia paris fuerit cum eo conditionis. Accurſ.refert in c.1.De acquir. poſſeſſ. Quēadmodum & ſequentia, Qualis verucx, talis offa in c. Quod in hæredem, de tributo. Non diuerſum ab illo, Similes habent ſua labra lactucas. Et ab Iazone in c.Quæ extrinſecus, de verb.obliga. Tanti offa, quanti intinctus panis. de his, quæ diuerſa exiſtimantur, cum eadem ſunt effectu.

### Reuoluto mantello. 18

Ex vulgari ſermone dixit Accur.in c.Papinianus, De inof. teſtat. Cū contrariis exceptionibus aduerſus diuerſos quis vtitur. Ab his ducta metaphora, qui mutant pallium.

Ayuntamiento de Madrid

## Hebræus nihil Hebræo, Catilina Cethego. 19

Vtitur Gloſſarius in c. Quoniam. C. de Iud. Cùm idcirco quis alteri crimen impingere nequit, quòd & ipſe eodem laboret morbo. Non abſimile illud Iuuenalis in Satyr. 2. Clodius accuſet mæchos, Catilina Cethegum. Notum eſt ex hiſtoriarũ monumentis de vtriuſque intemperantia & improbitate. Sũt & alia quædam ſparſim apud iuris interpretes annotata. Cuiuſmodi illa Zaſii, Tanquam doctores in conſiliis. Et, Relatum & gratum fecerunt Aſonem vituperatum, in c. Qui iuriſdictioni, & c. Si quis. De iuriſd. Et Alcia. in c. Non eſt nouum C. de eden. Duabus crumenis ire ad nundinas.

## Deſultoria leuitas. 20

De maxima leuitate & natura verſipelli ſubinde ſeſe in aliam atque aliam formam mutante. Sumptum à Martiano Capel. Leuitate, inquit, pernix deſultoria geſtiebat. Ioã. Picus, Homo deſultoriæ & variæ naturæ animal. Tracta metaphora à deſultoribus, qui duos equos abſque ephippiis agitantes, ex altero in alterum mira pernicitate deſiliebant, teſte Liuio. vtitur & Vlpian. in c. Apud Labeonẽ, de præſ. verb Bud. Oldendorp..

## Qui te conſpexerit, auguriũ capere poterit. 21

Dictum in deformes & turpi adſpectu homines. Veteres omen bonum captabant ex occurſu formoſi cuiuſpiam malum ex deformis adſpectu. Ad quod alludens Iuuena. Saty. 5. ait: Tibi pocula curſor Getulus dabit aut nigri manus oſſea Mauri, Et cui per mediam nolis occurrere noctem. Auctor eſt Ælius Spartianus in vita Seueri, quòd is mortem ſibi portenderit ex occurſu Æthiopis cuiuſdam. Idem tradit Plutar. de Bruto & Caſſio. Hinc fortè veteri prouerbio, inquit Tiraquellus vir inexhauſtæ lectionis, dicebatur: Ἐριννύων ἀπορρώξ, hoc eſt furiarũ ſtirps, is nimirũ, qui fœda eſſet ſpecie. Nam quod noxiũ eſt & exitiale, id à furiis ortum eſſe dicitur. Contrà pulchritudo eſt quauis epiſtola commendatior, vt ait Ariſt. apud Laërtium.

## Puro pretioſus eſt purus. 22

De æqualibus & ſimilitudine morum congruentibus. Vtitur Nazian. de præcep. virg. ἀγνῷ, inquiens, δὲ τὸ τίμιος ἄγνος καὶ πώλοι μὲν πώλοισι, &c.



Ayuntamiento de Madrid

### Ex ſe natus videtur. 23

Speciem habet adagij, quod Tiberius apud Tacitum li. 11. dixit de Rufo, his verbis, Curtius Rufus videtur mihi ex ſeſe natus. De eo, qui ſui perquam ſimilis ſit, ſeipſum imitatur, & parem non ſit ſecutus.

### Tres mulieres nundinas faciunt. 24

Germanorum eſt prouerbium, teſte Bebelio, ex loquacitate mulierum ortum, quarum garrulitas nundinis comparatur, vbi maximus eſt mercantium ſtrepitus, ſonitúſque. Earum loquacitatem vide lepidè delineatam apud Iuuena. Saty. 6.

### Canis in eadem dormitat tegula. 25

Interrogatus Empedocles, teſte Ariſtot. lib. Moral. 2. ca. 11. cur nam ſemper in eadẽ canis dormiret tegula, reſpõdit canem ſimile quid habere tegulæ, & proinde ob ſimilitudinem eò tendere. Vſurpatum hoc ab Ariſtot. prouerbij loco, de iis, quæ inſtinctu naturæ ſimiliter erga ſimilia affecta ſunt. Adiungit & illud ſignificantius, Graculus graculo aſſidet, ſempérque Deus ſimile agit ad ſimile. Luyſin. parerg. 3, 10. cauſſam facit quòd χειρμίδες ſeu cretacea vaſa ferè habeant canum & aliorum animalium effigies, ad quas tanquam viuas accurriſſe canes aliquando teſtatur Athen. 13.

### Γυνὴ ϛρατηγεῖ. 26

Femina exercitum ducit. In eum, cui negotium committitur, qui ei ineptus eſt gerundo. Nam Hom. Ilia. 6. tradit colum, telam, ac ancillarum curam mulieribus eſſe propria, bella viris. Vtitur Tiraq.

### Quicquid dominatur, vim Dei habet. 27

Idem teſtis eſt prouerbium eſſe, idque ex Auctoritate Artemidori Daldiani lib. 2. de Somniorum interpret. cap. 37. & 74. Aſtronomi quoque illud confirmant teſtantes Solem & Mercurium præ ceteris planetis propinquos aſſiduè in cæleſti circuitu comites inuicem eſſe: vt videlicet, quicunque Solem ſiderum dominum viderit abſque ſapiẽti Mercurio in cælo nunquam incedere, plane intelligat & in terris potentiam atque dominationem nunquã abſque ſapientia vel concedi debere, vel conceſſam diu poſſe regnare.

Ayuntamiento de Madrid

Solem in manibus geſtare. 28

Dictum de anteſignano alicuius rei vel facultatis & præcipuo magiſtro, & luce doctrinarum: vel poteſt ironicōs torqueri in quendam, qui magnificum quid venditat & præ ſe fert. Vtitur Oldendorp.

Pomum Atalantæ ſequi. 29

Vtitur eo prouerbialiter *Zaſius* lib. 1. Reſponſo. ca. 3. pro, à propoſito & inſtituto digredi & aliena conſectari. Natũ ab Atalanta Cenei filia, quæ cum Hippomene pedum celeritate decertans, eo ipſo victa eſt, quòd inter currendum obiecta ab Hippomene aurea mala colligeret, itaque curſum ſuum retardaret.

Poſt cauſſam vulneratã remediũ quærere. 30

De eo, qui ſerò & poſt feſtum venit amiſſa bene rei gerendæ occaſione. Vtitur Iuſtinia. in c. vlt. C. in quib. cau. teſt. in inte. poſtul. Initiis, inquit Suidas, mederi ſatius eſt quàm fini.

Timoniano more. 31

De homine querulo, tetrico, & ab omni gratia & humanitate alieno. vide ſup. Timonia vita, prou. Iunij, & alibi. Budæus, eos qui ſordibus ſermonis oblectãtur & purè loquẽtibus obtrectãt, cenſet deportandos eſſe in Timonion quoddã, hoc eſt in auiam ſolitudinẽ. Idem vſurpat & hanc figuram prouerbii, floralia agentem ſpectari à Catone.

Prius cauum à conuexo diſiunxeris. 32

Hoc prouerbiali ſchemate vtitur idẽ Bud. ex Ariſtot. qui dicit facilius eſſe cauũ à conuexo, quàm hircoſam inſcitiã ab improbitate diſiungere. Quòd nimirum imperiti indoctiue laudem alienam impudenter quodam naturali vitio carpant, quòd æmulari non queant. Eiuſdem monetæ eſt & hoc, flammam citius ore inardenti opprimes, quàm ſordidæ Mineruæ hominem ad candorem traducas.

Iudicium circulatoris. 33

De inconſtanti & leui. Dictum eſt ab Iuſtiniano Conſtit. 5. Erronea, inquit, eſt talis vita, neque conſtantis & perſiſtentis animi, ſed iudicium habens circulatoris, aliud de alio requirentis. Eiuſdem formæ eſt apud Iuriſc. Erronem agere, & Emanſorem agere.



Ayuntamiento de Madrid

## Saccularia opera. 34

De opera forenſi quorundam formulariorum, quæſtus & lucri nimium captatoria; dum cauſſas, earumque libellos in ſacco concluſos habent non niſi ſtilo mercenario iſtinc eruendos. Vtitur alicubi Budæus in rabulas & ſycophantas foraneos, cauſſarum procuratores, qui nullam iuris boni æquíue rationem habentes, eius ignari, inconſultis aduocatis, aliíſque peritioribus cognitoribus non ſolùm neglectis, ſed & eorum partes & munia obeũdo, ſubrepunt impudenti ore, & faſtu formularum & aucupio verborum proſtanti in cauſſas iuris aliis demandatas, quó honorarium aliis deſtinatum præcipiant. Sumpta metaphora fortè à Saccariis, quæſtum ex ſaccis facientibus: nõ à ſaccularíis, quod mali ominis eſſet.

## Porrigis tanquam elephanto ſtipem. 35

De homine timido & verecundo. Sumptum à pueris timidè eſcam elephanto porrigentibus. Sueton. in Auguſto:

## Μονομερής. 36

Q. d. vnimembris. Dictum de argumento Achilleo, vel actione validiſſima & perpetua, quæ repellat facilè aduerſarium. Vtitur Vlpian. in c. 13. De iureiur. Et quaſi, inquiens, μονομερὴς condictio dari debet aduerſus furis hæredem, puta quæ nullo adminiculo præſcriptionis obiecto repelli poteſt. Sumptum à Rhetoribus Græcis, qui ſolebant μονομερῆ, διμερῆ, τειμερῆ ἀγωγὴν vocare, quarum prima ſemel intentata, exceptione non poteſt eludi: Secunda bimembri, hoc eſt, exceptione reus partibus actoris fungebatur. Tertia iuuabat viciſſim intentionem actoris ad oppugnãdam exceptionem aduerſarij, vulgò Replicatio. Inde (etſi alio ferè ſignificatu) μονομερῶς agere dicitur is, cuius aduerſarius in iudicio non adfuit, ex quo Eremodicium contigit. vtitur Paulus in c. vlt. Ad Trebell.

## Προπετῶς μὴ ὄμνυε. 37

Hoc eſt, petulanter ne iurato. De crimine famoſo, publicitus animaduertendo. Vſus eſt Vlpian. in c. 13. De iureiur. Qui, inquiens, iurauit in re pecuniaria per Genium Principis dare ſe non oportere & peierauerit? Imperator noſter reſcripſit, fuſtibus eum caſtigatum dimitti, & ita ei ſuperdici, προπετῶς μὴ ὄμνυε. Veteres cùm ſuppliciũ ſumerẽt

Ayuntamiento de Madrid

de damnato homine, in loco ſupplicij conſpicuo ἐπιγαφὴν ſeu titulum affigebant, quo breuiter admonitus populus pœnæ à reo expetitæ cauſſam intelligeret, eóque exemplo à ſimili facinore perpetrando cæteri auocarentur: Ex hoc more impoſitam fuiſſe inſcriptionem cruci Chriſti Seruatoris noſtri ait Duaren Alciat. & Oldendor. contendunt eſſe ſpeciem prouerbij de facinore memorabili, ſed non ſunt interpretati. Non diſſimile eſt quod alicubi animaduertit Hotoman. ex Nonio & Plauto, de dierectis, crucifixis, quaſi ad diem erectis, De hominibus perditis & facinoroſis, quos ſic appellabant, vt Galli *Pendars*, ſuſpendioſos.

## Numo addicere. 38

Prouerbiale & hoc eſt, quod noſtrates dicunt, fragmento panis vendere. nam addicere hic eſt venundare: quod ipſum eſt inſtar donationum, cùm obtentu vēditionis donantes inuidiam donationis vitamus, aut pudori accipientis conſulimus. Eo ſenſu vſus eſt Vlpian. in c. Si quis. Locati. Tranq. in Cęſare; Bello ciuili ſuper alias donationes ampliſſima prędia numo addixit. vbi hactenus mendosè lectū eſt, minimo. Eodem ſchemate vtitur Vlpian. in cap. 10. De acq. poſſ. Quia conductio, inquit, nulla eſt quæ eſt in vno nummo: ſin verò pretio, tunc diſtinguendum quid prius factum eſt. Numus vnus pro forma, vt vulgò loquimur, dabatur, quod & dicitur, dicis cauſa tradi.

## Delatoria curioſitas. 39

Dicitur à Iuriſcon. in c. 6. de iur. & fac. igno. prouerbiali figura teſte Budæo, cùm inquit, Scientia hoc modo æſtimanda eſt, vt neque negligentia craſſa, aut nimia ſecuritas ſatis expedita ſit, neque delatoria curioſitas exigatur. Tractum à ſycophantis criminatoribus, vel quadruplatorum improbitate, de quibus illud Plautinum in Trinummo (vbi de famigeratoribus agitur) dici poteſt: Quod quiſque in animo habet aut habiturus eſt, ſciūt: id quod in aurem rex reginæ dixit, ſciunt: quod Iuno fabulata ſit cum Ioue, quæ neque futura, neque facta ſunt, tamen illi ſciunt. Iidem pro delationis præmio quartam partem in bonis delatorum conſequebantur.

## Ἀφασιάστως χεῖν. 40



Ayuntamiento de Madrid

Hoc eſt, dicis cauſſa, adagij loco vſurpat Modeſt. in c.13. De excuſat. tuto. Ac quamuis alij eam græcam vocem interpretentur eſſe, perfunctoriè; attamen Hotomanni rectiori iudicio dicis gratia vertendum eſt, ídque ex vi vocis χάειν. Vt ſuſcipiamus interpretationem ſatis præpeditam Latini vocabuli, admonet hic locus, etſi alibi in præcedaneis prouerbiis fuſiùs enarrati, non minùs tamẽ hic commodè quàm verè. Hotomannus vir politiſſimus, arbitratur, dicis, patrium eſſe caſum à recto dex: vt ſit, dex dicis à dico, item vt iudex iudicis à iudico, & index ab indico, lex à lego. Nam ſi iuncto verbo iudex, auctore Varrone, dicitur qui ius dicit; veriſimile eſt voce ſimplici ſimiliter eum, qui dicit, dicem appellatum. Quin, cùm Varroni manipuli Caſtrenſes dicerentur dices, perſpicuum eſt, dex, fuiſſe ſingularis numeri vt iudex & index. Nunc de locutionis Latinæ ſententia. Ioãnes Coraſius ait, dicis cauſſa aliquid fieri, quod neglectè, remiſſè, & eo tantùm animo vt officio functi videamur, non accuratè, ſed perfunctoriè, quatenus ſatis ſit ad vitandam reprehenſionem. Sic in c.1. Ad Sylla. Vlpian. ait non prodeſſe ſeruo, ſi finxit ſe ferre auxilium, aut dicis gratia, hoc eſt, non ex animo, ſed ne officio diceretur defuiſſe, propter dicẽ, hoc eſt, cùm qui aderat ac dicere poterat ſeruum conatum eſſe ſuum dominum defendere; hæc ſimulatio ei nihil proderit. Sic & in Caij reſponſo in c.3. Commoda. Cõmodabatur pecunia non animo contrahẽdi mutuum, licet numerationem factam ſimulauerit, qui tradebat, nec eo cõſilio, vt, qui accipit, vteretur, niſi ad pompam vel oſtentationẽ, ſed tradidit tantùm nummũ, vt ſuo munere defunctus videretur, accipientis precibus peruictus, cùm alibi tamen numeraretur pecunia, vt fit in noxis & mancipiis, itẽque in omnibus adumbratis, ſiue imaginariis contractibus, quibus vno nummo emptio perficiebatur, vt in ſuperiori adagio, Nũmo addicere. Nũmus enim aliã nullã ob cauſſam tradebatur, niſi vt, qui ei cõtractui quaſi teſtis ac ſpectator intereſſet, dicere ac teſtari poſſet pecuniam fuiſſe traditam, vt teſtatur Hotoman. Vtitur & Cicero in Verr. 6. Attamen, inquit, vt poſſit ſe dicere emiſſe, Anthagato imperat, vt aliquid illis, quorum argentum fuerat, nummorum dicis cauſſa daret. Inuenit Arthagatus paucos qui vellent accipere, his dedit, &c. hoc eſt

remiſſè, neglectim, nō ſeriò: etſi Forcatulus magno ſtudio conetur legere ſuperioribus locis, Ditis, nō diſſimili à predictis, interpretatione & ſenſu. Dicis quoque cauſſa ea ſententia fieri quid teſtatur Plin. lib. 28. c. 2. hoc eſt, non bona fide, nec verè, ſed per ſimulationē quandā, vt & Duarē. Interpretatur hoc alibi Iuriſc. in c. 2. Qui pet. tut. ὁσίας χάϱιν, hoc eſt, dicis cauſſa, veluti & Gell. lib. 15. ca. 27. dixere.

## Pauperi vitulus eſt caſtrum. 41

Vtitur Oldendor. prouerbij ſpecie, pro eo, quod quiſque ſuis quantumuis exundantibus fortunis, grauetur, hiſce difficilibus temporibus. Suus enim morbus cuique difficillimus eſt, inquit alicubi Plinius. Nec hoc hac tempeſtate vſurpandum apud afflictos, quod dici ſolet, De minimis nō curat prætor.

## Cogitationis pœnam nemo patitur. 42

Figura prouerbialis eſt haud dubiè apud Vlpia. in c. 18. De pœn. Etiam apud vulgus, Cogitationum neque pœna eſt, neque vectigal vllum ferri cenſebat Oldendorp.

## Deuorata verba. 43

In eos, qui quid dicunt, annotántque, ſed ſine ſale & eruditione, vel in eos, qui aure hebeti quid exaudiunt & non regustata tranſmittunt abſque reditus & vtilitatis obuentione. Sumptum à ligurrientibus & deuorantibus cibum inſipidum, vnde nullum guſtum vel ſuccum percipiunt. Duarenus: Vt cùm, inquit, in veterum iuris auctorum lectione diligenter ſe exercuerit, ſi doctrina eorum ſuauiſſima, non vorata modò, ſed concocta etiam, & in ſuccum ac ſanguinem conuerſa nondum expletus fuerit, aliorum doctrina ſe ingurgitet.

## More maiorum. 44

Vſitatiſſimum hoc prouerbium eſt apud Iuriſconſ. More maiorum: quod tum fit, quando quid rectè ac decenter geritur. Nam pop. Roma. maiorum inſtituta atque exempla pro legibus ducebant, vt Cicero teſtatur in 2. de legibus, c. 5. De iuriſd. c. 11. de Iuſt. & Iur. Liuius & reliqui auctores familiariter vtuntur.

## Tranſlatitiè agere. 45

Hoc eſt negligenter, defunctoriè: tranſlata locutione ab

Ayuntamiento de Madrid

edictis tranſlatiis, quæ nullam diligentiam requirebant. Martianus in c.1. Ad Turpill. Præuaricatorẽ cũ eſſe oſtẽdimus, qui colludit cum reo & tranſlatitiè munere accuſandi defungitur. Et Vlpia. in c.1. De iur. pat. Et in c.55. Ad Trebell. Et tranſlatiua officia appellat Plin. in epiſt. vulgaria & ab omnibus vſurpata. Item Cicero in Verr. 2.

## Spinoſum aliquid in prato. 46

Prouerbialiter hoc dicit Iuſtinian. De Concept. Dig. §. 6. Quaſi diceret: in re pulcherrima & venuſtiſſima turpe quiddam eſſe immixtum, quod illam dignitatem ac ſpeciem imminuat, vt ſi in prato viridiſſimo & amœniſſimo ſpinæ & vepretulæ ineſſent, quæ inambulantium pedes offenderent. Et hoc tamẽ perrarò, inquit, ne ex occaſione huiuſmodi lapſus oriatur aliquid in tali prato ſpinoſum.

## Non ſoli Atridæ vxores amant. 47

Refert Vlpian. in c.13. de adult. ex Homero: apud quem idipſum reſpondit Achilles Vlyſſi, cùm ab eodem rogaretur vt in caſtra, vnde cauſſa Bryſeidis ſibi ab Agamemnone ademptæ abierat, redire vellet. Sextus Cæcilius hoc dictum venuſtè tranſtulit ad eos, qui vxores quanuis iniuſtas habent, vt adulterij accuſatio non minus ipſis, quàm iis qui iuſtas vxores habent, permittatur.

## In Capitolium aſcendere. 48

Formula eſt apud Iuriſconſultos peruulgata, pro, triumphum agere, deducta ex more triumphantium, qui in Capitolium aſcendentes pulcherrimum fructum victoriæ referebant, vt ait Cicero in Verr. 7.

## Heri ſeruus, hodie liber. 49

Speciem habet prouerbij in eo liberto, qui aduerſus patronum arrogantiùs & inſolentiùs ſeſe gerit. Vlpian. in c. 7. De Iniur. Nec enim, inquit, Prætor ferre debet heri ſeruum, hodie liberum conquerentem quòd Dominus ei cõuicium dixerit, vel quod leuiter pulſauerit.

## Facere totum. 50

Pro, vim poteſtatémque omnem habere. Iuſtin. C.35. de hæredum inſtit.

Ayuntamiento de Madrid

# SPECIMEN QVODDAM Adagiorum, quæ ab Iunio, Cantero, & Giſelino, partim collecta ſunt, & conſtituta, partim adhuc colliguntur.

## Cratetis poëtica. 1

K Ῥάπτης πηνητικὴ prouerbiali conuitio egeſtas & medicabulum dicitur teſte Demetrio Phalæreo. Occaſionem adagio dedit poëmatium Cratetis Philoſophi, quo manticam ſuam deſcripſit.

## Troia non producit Thracem. 2

Ἀνέρα δ' τροίη θρηΐκιον οὔτι φορήσει, Threicium non Troia virum produxerit vnquam. Significatur è degeneri proſapia haud naſci generoſum pectus. Diuerſa ratione dixit Flaccus; Nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam: exſtat apud Stephanum. Troiani ob luxum effeminati audierunt: at Thraces bellicoſi ſemper; vnde Thracia Martis domicilium Manlio Antiocho fingitur.

## Cambre repetita. 3

De re identidem iterata. Iuuenalis, apud quem ita legendum eſſe ſenſit Scoppa, &, præterquam quòd idem adſerere videatur Ponticus Virunnus in Epiſt. præfixa Britannicæ ſuæ hiſtoriæ, ipſe etiam in tribus Pulmanni mei vet. libris ſcriptum idem legere memini. Fuit Cambre vicus ad radicem Cauri montis; in quo Capuani à Cumanis dicuntur cæſi. qua de re facta eſt hiſtoria aut fabula Cambre dicta, in ſcholis ad faſtidium vſque repetita.

## Domi ſuæ quilibet rex. 4

Quoties vulgò ſignificamus nos, quæ volumus, liberè & inculpatè in ædibus noſtris, agere, dicimus nos domi regnum poſſidere, eò reſpicit illud Hom.

Αὐτὰρ ἐγὼν οἴκοιο ἄναξ ἔσομ' ἡμετέροιο. Nec ab eo abludit hoc Iuuenalis. Tu tibi liber homo, & regis conuiua videris. Transferri poteſt ad animum. Artem enim, quam quis perfectè nouit, ſine imperitorum reprehenſione quiuis exercere poteſt. In ſuo opere auctor, niſi velit, alterius

Ayuntamiento de Madrid

limam, ſpongiam, ſtylum denique tolerare non debet.

## Inter medios collocare. 5

*Εἰς μέσους τάττειν.* Conueniet in res parui pretii. Sumptum à re militari. Solent enim cornua & alæ, lectiſſimis militibus conſtare: media acies etiam eos, qui tantum numerum augent, recipere. Ariſtides, hymno in Iouem.

## Manibus habere. 6

*Ἐν ταῖς χερσὶν ἔχειν.* De re quæ in noſtram poteſtatem venit. Ariſtid. Iſthm. Reſpondent Latinæ phraſes, mancipio dare, accipere, mancipare, Plaut. Trinummo: & in manu eſſe, Terent. Hecyra. Vxor quid faciat in manu non eſt mea.

## Πλήρης ἡ φιλοτησία. 7

Abſoluta eſt potatio. De rebus quæ finem & abſolutionem ſuam conſecutæ ſunt. Ariſtid. in Bacchan. Quid *φιλοτησία* ſit vide ſuprà.

## Cane milite peior. 8

De inſigniter feris & immanibus extulit Prud. in Apoth. vbi cùm poëta oſtendiſſet neminem aut philoſophiæ, aut ſuperſtitionibus adeò addictum olim fuiſſe, vt non concedat vno ab aliquo numine moueri omnia ac regi: addit;

Iſtud & ipſe Numæ tacitus ſibi ſenſit haruſpex:
Semifer & Scotus ſentit cane milite peior.

Vide Comment. Giſelini ad Prudentium. Milites canes Moloſſorum ſunt: eorum enim reges vt & Mithridates Ponti, corporis cuſtodes habuerunt canes efferatos, quos in hoſtes ante fugam immiſerunt. Talibus nunc vtuntur Armorici in litore Britannico ad cuſtodiendum Archangeli templum. Tales aliquando in quibuſdam Græciæ inſulis fuere, ſolis Turcis infeſti. Alii ſimpliciter accipiunt, de canibus pugnantibus inter ſe, aut cum feris, ex illo Horat. Epiſt. 1, 2. Militat in ſiluis catulus.

## Aure tenus experiri tumultum. 9

Et hoc Chriſtianiſſimi poëtæ eſt, vbi vrbem Romam inducit Theodoſio ſuo gratias agentem, cùm Gothi poſt Ligurum opes, & amœna profundi Padi rura deuaſtata, Tuſcum ſolum victo amne prementes in montibus Feſulanis à Stilicone oppreſſi eſſent: verſus ſunt 2. contra Symm.

Ayuntamiento de Madrid

Quæ feſtis ſuſpendam pallia portis,
Immunis tanti belli, ac te ſtante ſub armis
Libera, & auretenus Geticos experta tumultus.

Ita enim legi debent, quomodo auctore me eos Marneſſius expreſſit. Alpetenus, enim quem hîc locum habebit, cùm Gothi in Pollentinis campis exſciſſi ſint? accommodari poteſt ad omnia, repentè à vicina & imminente plaga ſine vllo detrimento liberata, vt ad Germaniam totam, cùm immanes Getæ canes nobis infeſtiſſimi Viennam oppugnarent, & totam Siciliam obſeſſa ab iiſdem Melite.

## Laniena Hippocratica. 10

De ea medicæ artis parte, quæ ſtringendo, vrendo, ſecandóque inſtrumentis, ignibus & ferro exercetur. Idem in Rom. Trahetur ad quæuis dura perpeſſu, & ipſo adſpectu crudelia.

## In aliam terram transferri. 11

Εἰς ἑτέραν γῆν μεθίςαθαι. De rebus longè abductis & valde mutatis. Ariſt. in Regem. Sic cùm phraſim barbaram in melius commutari volumus, optamus illam deportari in ſolas terras.

## Vtraque manu cædere. 12

Ἀμφοῖν χεροῖν ἀφιςάναι. De iis quæ ſummo ſtudio à nobis reiicimus. Idem Panathenaïca.

## Talem oportet ducere, aut non ducere. 13

Ἢ τοιαύτην χρὴ γαμεῖν, ἢ μὴ γαμεῖν. ex aliquo poëta ſumptum videtur. eſt enim trochaicus verſus. Dicetur commodè de homine, qui in aliqua re excellat, & vel ipſe ſit ſequendus, vel alius nemo. Idem Sermonum ſacrorum 4.

## Noli temere de Hippolyto mentiri. 14

Τοῦ Ἱππολύτου μὴ ῥαδίως καταψεύδεθαι. Ex hiſtoria ſumptum. de nemine mentiendum monet, præſertim qui ſit illuſtris. Simile, τοῦ Βελλεροφόντου μὴ ῥαδίως καταψεύδεθαι. noli temerè de Bellerophonte mentiri: Nam & illius hiſtoria maximè celebris. Ariſtides contra criminantes, &c.

## Pentathli ſimilis. 15

Πένταθλος. De viro vndecunque doctiſſimo & omnifariæ eruditionis opibus inſtructiſſimo. ὡς πεντάθλῳ ἔοικε, Qui-

Ayuntamiento de Madrid

quertiani aſſimilis videtur. Laërtius, Theodoretus, Eumathius, Budæus.

## Vecticulariam vitam viuere. 16

Pro, repentè abundare, repentè iterum nihil habere. Sumptum à vecticulariis nocturnis graſſatoribus, qui per maleficia ad opes viam affectant.

## Coryphæus chorum ſequens. 17

Ὁ κορυφαῖος ἰὼν κατόπιν τοῦ χοροῦ. De iis, qui ſe inferioribus ſubiicientes dignitatem ſuam perdunt. Ariſtid. contra proditores.

## Peplo dignus. 18

Ἄξιος τοῦ πέπλου. Ariſtophanes in equitib. de ſtrenuo & quantiuis pretii homine. Erat peplum palla Mineruæ ſacra variis operibus intexta; quam operam ſumebant virgines nobiles.

## A limbo tunicam abſoluere. 19

Ἀπὸ κρασπέδου θοιμάτιον ἀπεργάζεσθαι. Totum è partibus conſtare quis ignorat? dicetur ergo de iis, qui multis ex partibus totum conficiunt. Ariſtides, Plat.3. Ex eodem illud ſimile fluxit. τὸν λέοντα ἀπὸ τοῦ ὄνυχος ἀπεργάζεσθαι, Leonem ab vngue abſoluere.

## A bellariis epulum commendare. 20

Ἀπὸ τῶν τραγημάτων τὴν εὐωχίαν σεμνύνειν. De iis, qui res maximas à minimis partibus, atque commodis commendant. Ariſtid. Panathenaica.

## Vulpes pro leone. 21

Ἀλώπηξ ἀντὶ λέοντος. De iis, qui ſuis vitiis virtutis nomen, artis ignorantiæ prætexunt. Ariſt.Platonica 2.

## Vilis amicorum annona eſt. 22

Puto non malè torqueri huc poſſe, Horatii verba, vt iis reddamus Belgicum prouerbium, *Vrienden coſt is haeſt bereet.* quo excuſare ſolemus hoſpitem, impeditum repentino amici aduentu, quo minùs pro dignitate eum excipiat. ipſa Horatii verba, quæ Grammaticis plurimum negotii faceſſunt, paullò alium, & varium habent ſenſum. ea adducam: neque enim hîc amplius concidimus:

Vtere Pompeio Groſpho: &, ſi quid petet, vltro
Defer. nil Groſphus, niſi verum, orabit, & æquum.

Ayuntamiento de Madrid

Vilis amicorum amicorum eſt, bonis vbi quid deeſt.

In quem locum ita Eraſmus adagio 1781. paſſim habentur amici, qui petant: qui dent, perpauci. obſcurè ſatis & mirè. Landinus: Paruo ſubuenitur amicis, ſi boni ſint, quoniam modeſtiſſima petunt. Alius: Facile eſt amicos comparare, vbi viri boni indigent. cùm enim viri boni ſint contenti paruo, ſi in pauperiem inciderint, facile eſt eos ſibi amicos facere. Atque hic proximè acu rem tetigiſſe videtur. Monet enim Iccium Hor. vt multum vtatur Groſpho: & ſi quid petat (petiturus verò eſt non niſi verum & æquum) vltrò deferat. Tum enim comparari, &c. Vilis annona, id eſt, vilitas, vt pænuria, paucitas. Bonis vbi quid deeſt; vbi neceſſe eſt quid boni petant. Paullò aliter Lambinus: paruo conſtant amici cùm viris bonis aliquid deeſt. Etiamſi locuples & copioſus, in Groſphum, qui tibi beneficio deuinciendus eſt, & quodammodo emendus, vt eius amicitiam tibi compares, & promerearis, etiamſi inquam præbueris te liberalem, munificum & benignum; talem amicum tamen vtpote rem omnium cariſſimam, haud carè videberis emiſſe. Alii aliter, præſertim qui diſtingunt poſt, bonis.

Ne currente rota funis eat retro. 23

Hac elegantiſſima verborum vmbra vtitur idem Carm. 3, 10. vbi Lycen ſuam admonet, vt, depoſita animi duritie, ſeſe in æquam amoris partem recipiat: ni faxit, metuendum ipſi eſſe, ne fortunæ curſus lætus & ſecundus aliquando magno ipſius malo in diuerſum commutetur. Ingratam, inquit, Veneri pone ſuperbiam; Ne currente rota funis eat retro. metaphoram quidem acceſſunt à rotis, fune circum actis, quo rupto illæ in contrariam partem voluuntur: Alii à fune, id eſt, equo funali, quem σειραφόρον Græci, nonnulli Helciarium vocant; vt ſit, ne funalis equus in diuerſum feratur, cum ſequente rota & curru, quo ipſa vehatur, curſu præcipiti. Sed multo verius, & facilius mihi videtur, quod etiam Gul. Cantero viro doctiſſ. mihíque amiciſſimo memini mirificè placuiſſe, Horatium nempe reſpexiſſe potius ad machinas illas, rotarum figuram exprimentes, quibus pontes aliaque immenſi ponderis onera, ſubducuntur.

Ayuntamiento de Madrid

vbi, ſi quid peccetur, aut ab opere manus amoueatur: temporis puncto, omnes etiam maximi conatus peſſum eunt; & quæ anteà ſuperba ſummè erant & elata, repente concidunt ac in imo deſtituuntur.

OBSERV. GISEL.

Adde hoc exemplum ex Plauti Perſa: Mirum quin citiùs iam à foro argentarii abeunt, quàm in curſu rotula circumuortitur. E quo loco videor mihi ſatis liquidè perſpicere curſum rotæ ſeu rotulæ eſſe motum, vti dixi in contrariam partem, quem non operarum manus, ſed onerum pondera moliuntur. certè eodem ſenſu, & æque abſolute dixit Horatius, currente rota.

## Pro amphora vrceus. 24

Idem initio de arte poëtica ex eadem plane fornace igneum illud adfert, amphora cœpit Inſtitui: currente rota cur vrceus exit? qua prouerbiali locutione ingenioſè & & apte optimus ſententioſæ breuitatis magiſter ſecundum artis præceptum; aut, ſi malis, primi præcepti appendicem, & ſimul maioris lucis gratia adductam ſimilitudinem concluſit. Præceperat, vt ſcripta præſertim magnifica partibus ſibi ſuis, iiſque belle & apte compoſitis conſtarent, &, vt longa ἐπεισόδια aliáque ambitioſa ornamenta ipſam rem principem obſcurantia & deformantia fugerentur. Laudabat pictores, qui hoc vitium ſua in arte ſtudioſè cauerent. Subiicit deinde, vtrunque, poëtam & pictorem, ſi aliter fecerint, nihil aliud quàm prodituros eſſe ſuperbam ſuam inopiam & imperitiam; non ſecus atque illi, qui amphoram magnum & amplum vas meditati & aggreſſi, vrceum tandem, minimum & alia longe forma vaſculum effingunt; & opus auſpicati, (vt Turnebi verbis vtar) in opuſculum monſtroſe deſinunt. Licebit commode torquere in omnes eos, qui oneri ſuſcepto impares ſuccumbunt: item qui temere ad aliena à re propoſita aberrant. Vtitur eodem Hieronymus ſæpius in epiſt.

## Dum vitat humum, nubes & inania captat. 25

Ex eadem officina prodiit illud, quo licebit ineptum ſcriptorem irridere, qui ſermonem rei aut perſonæ non accommodat, ſed aut nimium abiecto & famulari oratione vtitur, vbi grandi & elata opus erat; aut contrà.

Verùm

Ayuntamiento de Madrid

Verùm ita riſores, ita commendare dicaces
Conueniet Satyros, ita vertere ſeria ludo;
Ne, quicunque deus, quicunque adhibebitur heros
Regali conſpectus in auro nuper, & oſtro,
Migret in obſcuras humili ſermone tabernas;
Aut, dum vitat humum, nubes & inania captet.

Caſtigat Hor. poëtas, qui præter decorum diis & heroibus tabernariorum & opificum orationem tribuunt; & contrà opificibus magnificentiam verborum planè heroicam & cæleſtem. Metaphoræ rationem nos natura docet: vt ab Icaro aut aliundè non opus ſit eam arceſſere. Non inuenuſtè idem quadrabit in eos qui nulla in re medium tenent; ſed vt plurimum in alterutram partem peccant: Similiter, migrare in obſcuras tabernas, non malè vſurpabimus pro, abiicere ſe, & infimo hominum genere digna in ſe admittere.

## Fuſio ſurdior. 29

Vereor ne me alii dicant non tam colligere hinc inde adagia, quàm extundere, & violentè pro animi libidine propriè dicta transformare: quòd vbique non multos auctores laudemus, neque in adductis exemplis vulgatus ille accentus audiatur, ὥς φασί, φασίν, &c. Nihil moror. Tantum cupio, meminerint ii, nos dicis cauſſa ex maculatiſſimis aduerſariis hæc depromere; neque nos aliis finibus, quàm principes parœmiographos, circumſcribant. Videor igitur mihi ſurdiorem aut ſomnolentiorem Fuſio poſſe appellare eum, qui preces parentum, fratrum, aliorum amicorum, cùm ex officio deberet, non admittit: aut qui, quod videtur poſſe capere, vel non poteſt, vel non vult. Et ſomnum Fuſii, vocare auſim ea omnia, quæ, cum ſimulatè tantùm & ex compoſito agi putantur, verè fiunt, & ſeriò. Horatii verba ex ſat. 2, 3. ſunt hæc: Clamet amica,

Mater, honeſta ſoror, cum cognatis, pater, vxor,
Hîc eſt foſſa ingens: hîc rupes maxima: ſerua:
Non magis audierit, quàm Fuſius ebrius olim
Cùm Ilionam edormit, Catienis mille ducentis,
Mater te appello, clamantibus.

Dixerat paulò antè eſſe duo genera τῶν, (vt Xenophontis verbis vtar) μαινομένων· τοὺς μὲν οὐδὲ τὰ δεινὰ δεδιέναι· τοὺς



Ayuntamiento de Madrid

δὲ καὶ τὰ μὴ φοβερὰ φοβεῖσθαι. Secundi generis exemplum hîc proponit. Alludit verò ad hiſtoriam huiuſmodi: Fuſius actor tragicus agebat Hecubam, ſiue, quod idem putatur, Ilionam, Priami vxorem, eíque cùm ſomnus ſimulandus eſſet, adueniente & inclamante Catieno, qui Polydori à Polymneſtore occiſi partes agebat, ſeriò ipſe dormiit vino obrutus. Apparet autem hiſtoriam tum valde in ore vulgi fuiſſe, cùm Cicero ampliùs ter eam attingat, nominatim ex Attii, vt putatur, tragœdia, Polydori verba adducens: Mater te appello, quæ curam &c. pro Sextio, Tuſculan. 1. Academic. 2. Per Ilionam vide num meliùs accipere poſſis ipſam tragœdiam Attii, ita dictam; quàm Hecubam Priami vxorem: vt ſit, edormit Ilionam, id eſt, fabulæ ſuo ſomno finem impoſuit &c. vt, emouerat orbem, pro, mouendo tranſmiſerat. Diximus in Notis noſtris ad Metamorphoſes Ouidii.

## Trahere caudam. 27

Ibidem vſurpatur, pro, in numero ſtultorum hominum eſſe, ſibilis & riſu excipi. Nihilo, inquit, vt ſapientior ille, Qui te deridet, caudam trahat. De origine prouerbii ſumma contentio. Plerique eam repetunt à puerorum more, quo eorum, quos irrideri & ignominioſo vulgi clamore ſubſannari volunt, tergo animantium caudas alligant. Adpingerem commentum meum huic non diſſimile, ni vererer, ne me alii hoc meo adagio ornent, & reapſe caudam trahere iudicent. Turnebus accipiendum putat pro, ſibi placere, & ſe ſapientem ſeu ſaperdam putare: idque ex eo, quòd eorum, qui talari toga palláue ornati longo ſyrmate terram verrunt, inceſſus ſoleat magnificus eſſe & ſuperbus. adducit idem alterum Horatii exemplum; traxítque vagus per compita veſtem, id eſt, magnificè inceſſit ſaltás.

## De plebe. 28

Non lubens facio, vt vnam tantùm dictionem, quocunque ea migrauerit, in adagiorum numerum recipiam: ſed cùm optimi quique eam ſibi legem non præfinierint, licentiùs etiam nos his pagellis illudemus. De plebe igitur aliquorum eſſe, valet, infimum locum tenere, numerum eſſe; vt apud Romanos plebecula, quæ ſolo numero ſuffragia augebat, erat viliſſima populi pars, ære & fœnoribus grauata. Ouid. Met. 1. agens de Deorum gradibus: Plebs,

Ayuntamiento de Madrid

(intellige, deorum) habitat diuerſa locis. & infra Iuppiter apud Inachida ſe venditans: Præſide tuta deo, &c. Nec de plebe deo: ſed qui cæleſtia &c. ſimiliter Hor.

Si quadringentis ſex ſeptem millia deſunt,
Eſt animus tibi, ſunt mores, & lingua, fidéſque;

Plebs eris. at pueri ludentes, rex eris, aiunt, Si rectè facies. Vbi, plebs eris, valere quis non ineptè dicat, nullo eris numero, nulla auctoritate & exiſtimatione. Hinc plebeiam veſtem vocant Cic. Lucretius, & alii, eam, quæ vilis eſt & famularis. Huc refer, quod eodem modo dicat Terent. Andr. 3, 4. Vulgum ſeruorum deludere heros. vnde hæc nos eodem ſenſu conformabimus, Vulgus eruditorum, medicorum, &c.

## Tragelaphos fingere. 29

Τραγελάφυς πλάττειν dicitur, qui, quod nuſquam in rerum natura exſtat, comminiſcitur. Ariſtophanes, Nazienzenus. De Tragelaphis, quos nonnulli Hircoceruos vocant, vide Solinum.

## Ad inferiora ſe conuertere. 30

Μεταςρέψαι πρὸς τὰ ἐλάττω. Conuenit in eos, qui ſemper inferioribus opem ferunt. Sumptum à nauigantibus, qui in eandem ferè partem, in quam nauis, inclinant. Ariſtid. Leutrica quarta.

## Communibus oſtiis excludere. 31

Κοιναῖς ταῖς θύραις ἀποκλείειν. Dicetur de iis qui communi opera malum aliquod propellunt. Sumptum ab iis, qui continuas habitant ædes, &, vt fit, communes habent portarum exitus. Illi enim ſi conſpirent, facilè quem volent, domo amolientur, & excludent. Idem Ariſtid. prima de Societate.

## Ελαφρὰ χάρις τῆς εὐφημίας. 32

Leuis eſt laudis gratia. Dicetur de re non valde operoſa, qualis eſt commendatio, laudatio. Idem de concordia. & vulgata eſt monitio vt liberales ſimus eorum officiorum, quæ nihil adferunt impendii.

## Conniuendo ferre. 33

Μύσαντα φέρειν. In eos, qui patienter aliquid ferunt. Sumptum ab iis, qui clauſis oculis ictum accipiunt, vel pharmacum bibunt. Idem in Rhodiaca.



Ayuntamiento de Madrid

## Subroſtrani. 34

Sic dicebantur olim homines incertè in otio degentes, qui totos dies ſub roſtris deſidentes, rumores nouos aut venabantur, aut ipſi confingebant. Transferri poteſt ad omnes rerum nouarum immodicè auidos: quo nomine quidam egregiè celebris Louanii meo tempore ob penum ſemper æquè inſtructam Calepini nomen promeruit. quod etiam agnomen ſi aliis illi ſimilibus (nuſquam deſunt) hodie tribuerimus, ille quidem hac gloria, nos autem adagione non inelegante ditabimur. Cælius epiſtola ad Cic. Eodem pertinet, quòd otioſos & à reip. muneribus vacuos vocarint ἀγάλματα τῆς ἀγορᾶς, ſtatuas fori, tanquàm nihilo plus illis in communè conferentes, quàm quod ſe publicè oſtendant.

## Telo non æquè opus facto eſt. 35

Epidicus Plautinus amplificans vtilitatem & neceſſitatem conſilii quod coram ſenibus in rem heri ſui proponebat, Opus eſt, inquit, homine, qui illò argentum deferat pro fidicina. Nam telo non æquè opus facto eſt: quaſi diceret, Tam nobis opus eſt homine ad hanc rem exſequendam idoneo, quàm ad belli priùs indicti adornationem, & actionem comparatio telorum, reliquíque bellici apparatus. metaphora igitur omnibus nota. Valde dubito, an hoc hemiſtichium ab alio antiquiore poëta, ſumptum & vulgatum eo tempore, vſurpauerit. Commodè nos idem noſtrum faciemus, vbi nobis aut aliis re aliqua, aut facto multum vſus erit.

## Exenterare. 36

Ibidem ſenex à ſeruo deceptus, Perii herclè ſi iſtæc vera ſunt planiſſimè. Meum exenterauit Epidicus marſupium. pro, marſupium inaniuit, exhauſit, & vt ſuprà notauimus, ipſi aluum lauit. Phraſis merè Plautina, ipſique multis in locis eodem aut planè ſimili ſenſu vſurpata, & niſi me fallunt variæ lectiones, quas vetuſtis membranis Ioan. Sambuci acceptas refert Plantini noſtri Plautus: etiam reſtituenda in Moſtellaria, vbi Daniſtæ ipſa argenti ſorte non contento, ſed inſuper poſtulanti fœnus ſibi reddi reſpondet Tranio, vix eſſe, vnde ſortem herus diſſoluat, niſi ille ſe patiatur penitus exenterari, & eiici in exſi-

Ayuntamiento de Madrid

lium. TR. Sortem accipe. DA. Imò fenus. id primùm volo. TR. Quid tute hominem, hominum omnium teterrime, Veniſti huc exenteratum? agas quod in manu eſt. Non dat, non debet. DA. Non debet? TR. nec erit quidem. Ferre hoc potes, an mauis vt aliquò abeat foras? Vrbem exſul linquat factis hîc cauſſa tui: Cui ſortem vix dare licebit? &c. Viden vt hac emendatione ſenſus efficiatur planiſſimus, & numeri per ſyncopen Comicis familiariſſimam bellè procedant? Quid quòd Celtæ idem iiſdem pænè verbis efferant? Aiunt enim: *Me tireras tu les boyaux hors du ventre?* Atque ad hanc vocis migrationem accedit tertia æquè elegans: videlicet pro, angi multum moleſtia aliqua, & quaſi enicari. Stratippocles in Epidico: Exſpectando exedor miſer, atque exenteror, &c. Proprium huius verbi domicilium eſt in piſcium apparatu, quibus τὰ ἔντερα ſeu interiora, priuſquam coquantur, eximi ſolent. Vt autem huic adagio mantiſſam ex noſtris obſeruationibus adiiciamus, poëta in hac oratione aliter atque aliter efferenda tam varius eſt, quàm ingenioſus. In Bacchidibus, Chryſalus ſeruus de negotio aurario Mneſilochi heri ſui cauſſa ſolicitus, & Nicobulum ſenem aggreſſurus,

Extexam ego, inquit, illum pulcrè iam, ſi dii volunt.
Haud dormitandum eſt: eſt opus chryſo Chryſalo.
Adibo hunc, quem quidem ego hodie faciã hîc arietem
Phryxi, itáque tondebo auro vſque ad viuam cutem.

Q. d. Vt arieti Phryxus aureum vellus exemit, ita ego illum tondebo &c. Hiſtoria nota eſt de Phryxo & Helle. Idem Chryſalus, ſeruus frugi & nomine ſuo non indignus, optimus nempe auri ab hero per ſycophantias auferendi magiſter, paullò poſt triumphans de vincenda etiamnum Troia ſua, & equi Durei ſui (litteras dico ab ipſo falſo ſubornatas) virtutem commendans ait:

Excidium, exitium, exlecebra fiet hic equus hodie
auro ſenis.

Quo in verſu tertia loco metaphora proximè & ſuauiſſimè alludit, & duarum priorum, quæ alioqui duriores videri poſſent, aptiſſimum eſt commentum. Non lubens excedo ex hac fabula, adeò in hoc genere paſcit hominem & ſaturum iam nondum tamen exſatiat. Decerptam verò, non niſi bellisſimum quodque. Nicobulus ſentiens tan-



Ayuntamiento de Madrid

dem, quàm magnificè à ſeruo ſuo tractatus eſſet, eáque gratia cum Bacchidibus expoſtulans, propemodum tamen etiam ab eis victus, ait:

Satis ſatis, iam voſtri eſt conuiuii: me nihil pænitet, vt ſim acceptus.
Quadringentis philippis filius me & Chryſalus circumduxerunt.

Exſtat eadem locutio in Pœnulo, Pſeudolo, & ſæpè alibi. Tralatio eadem quæ in verbo circumuenire: ambages enim non extrema ſunt fallendi via. Vnum prius addam, quàm ad alia tranſeo. Epidicus, qui neſcio an Chryſalo hac in arte quidquam conceſſerit, fallaciæ ſuæ dexteritatem extollens, & pretium illius, vti putabat, iuſtum, libertatem efflagitans: fateor, inquit, datas triginta minas;

Et eo argento illam me emiſſe amicam filii fidicinam.
Pro tua filia iſtis adeò te tetigi triginta minis.

Metaphora ab iis, quæ ex inſidiis telo, viſco aut aliter petuntur: qualis in illo Heautont. Intendenda in ſenem fallacia, &c. Plura huc adpingere præſertim vſu frequentata, operæ non eſt: niſi fortè illud, cuius vſus vulgò ſatis eſt incognitus. In extrema Curculione Phrædromi ad Militem verba hæc ſunt. Miles quæſo vt mihi dicas, vnde húc habeas annulum, Quem paraſitus hic te eluſit.

## Detergere menſam. 37

Vt ſeruis conditione paraſiti proximi ſunt; ita, in eorum quoque moribus lepidè & copioſè exprimendis, idem comicus vrbanam ſuam ruſticitatem ingenii varietate amœnitatéque temperauit: adeò vt non verear dicere, ipſum Gręcis omnibus ſi non antiſtare, certè optimis parem eſſe. Et quidem ſuprà prouerb. Sartaginum pernicies. Iunius noſter ex iiſdem fontibus, vnde propediem ſuum omnigena lectione inſtructiſſimum Nomenclatorem emiſſurus eſt, pleroſque paraſitorum titulos vulgò inauditos propoſuit. Nos verò hîc vno contenti erimus, dum cætera oportuniore loco expoliamus. Paraſitus initio Menæchmorum: Iuuentus nomen fecit Peniculo mihi: Ideo quia menſam, quando edo, detergeo. *Similitudinis* ea eſt ratio, quòd ab iis, quæ tergentur, omnia adſciticia, vt ſordes adhærentes, impedimenta aliáque auferri ſoleant.

Ayuntamiento de Madrid

Græci verò, audaciores Latinis, paraſitum fingunt poſt abſumptas epulas menſæ impoſitas, arrodere, imò deuorare ipſas mẽſas. vocãt enim κοσοτράπεζοι & τραπεζοκόροι.

## Ibidem vna traho. 38

Megaronides in Trinummo accuſans ſeſe, quòd tam temere, ex ſolo populi rumore, ad amicum innoxium caſtigandum proſiliiſſet, & vrbanos aſſiduos ciues, quos ſcurras vocant, deteſtans,

Atque, inquit, egomet me adeò cũ illis vna ibidem traho:
Qui illorum verbis falſis acceptor fui.

Innuit ſeſe iure iiſdem accenſendum eſſe, aut ſaltem ab eorum moribus non adeò longè abeſſe, quòd tam faciles & obſequentes eorum ſtultiloquentiæ aures dediſſet. Paulò item infrà, vbi Lesbonicus cũ ſeruo ſuo rationem putat, quibus in rebus XL. minas, pretium venditarum ædium ſumpſiſſet. LE. Minus hercle in hiſce rebus ſumptum eſt ſex minis. ST. Quid, quod dediſti ſcortis? LE. ibidem vna traho. Significare videtur adoleſcens, ſe ibidem eſſe, & in eo, quantum ſcortis datum eſſet, ſupputando, etiam occupari. Tractum cuiquam videri poſſit à vetulis pompæ alicui longæ immixtis, vnaque cum aliis reptantibus. Nihiltamen adfirmo.

## Elephanti corio circumtectus. 39

Cùm teſte Cic. de Nat. Deor. elephas acutiſſimi ſit ſenſus, & nulla beluarum eo ſit prudentior, mirum cuiquam videri poſſit, cur Palæſtrio volens Pyrgopolinicem ſuum iiſdem laudibus honeſtare, quibus Gnatho Terent. ſuum Thraſonem inquiens fatuum eſſe, inſulſum, tardum, ſtertere noctéſque & dies, cur, inquam, cum circumtexerit elephantis pelle. ait enim, Herus meus elephanti corio circumtectus eſt, non ſuo. Neque plus habet ſapientiæ, quã lapis. Verùm reſpexit ille, non ad naturam animalis, ſed nudam pellem, quæ quo durior eſt, & craſſior, hoc beluæ eſt congruentior & magis propria: quo autem tenerior & delicatior, hoc homine magis digna, & diuino eius ingenio adcommodata. Atque ob hanc cauſſam Galenus noſter ὑγιεινῶν primo Germanos, recẽs natos puellos frigidæ immergẽtes, quò dẽſiore durioreque ſint cute, optimo iure irridet, ſuorũque librorũ lectione interdicit vt qui nõ



Ayuntamiento de Madrid

tam homines, quàm aſinos aliaque animantia educant. Non prætereundus hoc loco ſalſiſſimus iocus, quo occaſione elephanti, qui è Luſitania per Belgicam noſtram in Germaniam mittebatur, Louanij hoſpes meus humaniſſ. Lucas Mæra, vt eſt ingenio faceto & liberali, hominum illud genus notabat, qui, vt idem Gnatho aiebat, ſe eſſe primos omnium rerum volunt, nec ſunt, inquiens, plus ſatis, hîc & alibi eſſe elephãtorum, id eſt, vt Latinè etiam loquimur maximarum ineptiſſimarumque beluarum. elegantiſſimè. atteſtante enim Plin. 8, 1 terreſtrium animalium elephas maximum.

## Occiſa ſus ſæpè plus multo ſapit. 40

Feſtiuus ſenex Periplectomenes lætus de ſucceſſu doli, quo deceptus Sceledrus, id quod viderat, putabat ſe non vidiſſe, & id quod ſciebat, neſcire; ait; ſat ædepol ſcio, Occiſam ſæpè ſapere plus multo ſuem Cùm manducatur; ne id, quod vidit, viderit. Nam illius oculi atque auris, atque opinio Transfugêre ad nos. Ludit in ambigua notione verbi, ſapere: ex eo, quod ſapidiſſima omnium quadrupedum ſit ſuilla caro; quodque ſtolidus ſeruus iſte non ſaperet, an vidiſſet, quod viderat, nec ne. Suem potius, quàm aliud animal nominat; quòd inter omnia nullum eo ſit magis indocile & brutum: cuius nobis fidem facit tum ipſa membrorum conformatio, tum flaccidus & obtuſus calor multo pingui immerſus, & craſſiſſima pelle vndiquaque concluſus. Hinc alimẽtum & domicilium illi cœnum ſordesque omnis generis, vide ſuprà, Iunij Centú. 5. prou. 92. Verneceus & 1. tom. Porcellus Acarnanius: & Porcũ immola &c. Itidem vt hic, ludit in Pſeudolo, in eodem verbo, ſapere. vide doctiſſ. caſtigationem Turnebi Aduerſ. 20, 10. Propterea verò, quòd hoc animal maximè omnium pingueſcat, adeò vt immobile interdum reddatur; etiam obeſum & pinguem, porcum appellarunt. Cat. in Egnat. Aut porcus Vmber, aut obeſus Etruſcus. Pomponius Vernionibus: Porcus eſt, quem amare cœpi, pinguis, non pulcher puer. Ita enim vtrunque hunc locum nobis ingenioſiſſimè reſtituit patre tanto digniſſ. filius Ioſephus Scaliger. Menander de Dionyſio tyranno, cuius edacitatem & aqualiculum deſcribit Athen. 1. 2 παχὺς γὰρ ὗς ἔκειτ' ἐπὶ στόμα:

Ayuntamiento de Madrid

Obeſus etenim ſus premebat os viri.

## Cinerem quærere. 41

Ibidem vſurpatur pro, eſſe abiectum, vile & ſordidum. ab actione vt opinor, quæ vna eſt inter cæteras abiectiſſimas mediaſtini functiones. Pyrgopol. laqueo Milphidippæ & Paleſtrionis iam prope adſtrictus: ſatin hæc quoque me deperit? Meam laudat ſpeciem: ædepol huius ſermones haud quaquam cinerem quæritant. PA. Quo argumento? PY. Quia enim loquitur lautè & minimè ſordidè. Tum ipſa nimium lepida nimiſque nitida femina. Alii putant militem iis verbis dicere, debere eorum ſermonum perpetuam eſſe memoriam. ſed ſequentia non vidētur ſatis hāc interpretationem admittere. Aliorum iudicium facio.

## Muſca eſt. 42

Charinus in Mercatore. Muſca eſt pater meus: nihil poteſt clam illum haberi. Nec ſacrum nec tam profanum quicquam eſt, quin ibi illico adſit. nota eſt muſcarum natura quouis ſe ita confertim penetrantium, vt nulla re abigi poſſint. vnde & paraſiti muſcæ, tom. 1. 355. Quadrabit in omnes alienarum rerum mirè diligentes, ſuarum negligentes; item eos, quibus vnum ſtudium eſt, omnia inquirere. Aggeram ex eodem pauca eius generis. Palæſtrio ad Pleuſidem: Sed ſpeculabor, ne quis aut hinc à læua aut à dextera Noſtro conſilio venator adſiet, cum auritis plagis. Idem paullò infrà ad Pyrgopol. Circumſpicito, dum, ne quis noſtro hic auceps ſermoni ſiet. Et mox Milphidippa. Nunc quiſnam hinc propè adeſt, qui rem alienam potius curet, quàm ſuā; Qui aucupet me quid agam, qui de veſperi viuat ſuo? atque hæc quidē ab aucupibus mutua accepit, vt à fabris illa Pægnij verba eiuſdē cū prioribus notionis: Nūquā herclè iſtuc exterebrabis tu. id eſt, vt ſimili, ſed notiore metaphora vtar, exſculpes, vllo modo reſciſces.

### OBSERV. GISEL.

Vt, hoc adagio vnà cū altero ſequenti, ad dominū ſuum redeunte, lectori ſua ratio appareat, paucula ex iiſdē fontibus, vnde cętera, ſubiiciam. Philolaches in Plauti moſtellaria: Miſerum eſt opus. Igitur demum puteum fodere, vti ſitis fauces tenet. De iis, qui demum, re peſſimo loco poſi-

Ayuntamiento de Madrid

ta, & propè depoſita, conſilium & opem quærunt. Piſtoclerus in Bacchidibus, ſuſtinens ſeſe & obfirmãs, quo meretricium illectum & blanditiam euaderet, Rapidus, inquit, fluuius eſt hic: non hac temerè tranſiri poteſt. Vbi quempiam deterrebimus ab incœpto, aut re ſummo cum periculo coniuncta. In Truculento, De fluuio aquam ſibi deriuare, valet ex eo quod alioqui periturum eſt, ſibi proſpicere, & de præda prædam capere. Adiiciam verba Getæ, quibus fatetur ſe non poſſe non hero ſuo aliquantum ſuffurari, cum videat illum omnia ſua inſumere in ſcorta, mare omnia deuorans, neque vnquam abundans: Nam, inquit, iam de hoc obſonio, de mina vna deminui modò quinque nummos, mihi detraxi partem Herculanam: Nam hoc aſſimile eſt, quaſi de fluuio qui aquam dêriuat ſibi. Niſi deriuetur, tamen omnis ea aqua abeat in mare. Herculanam partem puto vocare decimam, quod ea ipſi à ditibus ſoleat conſecrari. In Perſa Dordalus celeritatem ita expreſſit: Vbi quid credideris, citius extemplo à foro fugiunt, quã ex porta ludis cùm emiſſus eſt lepus, & mox: Mirum quin citius iam à foro argentarij Abeunt, quàm incurſu rotula circumuortitur. In eadem Perſa Saturio: Sequere hac ſcelesta feles virginaria. ita malim interpungere. i. raptor, fur virginum. de lenone dicitur. Ex hoc loco firmè conſtabiliri poteſt alter in Rudente nuper reſtitutus à Turnebo Aduerſar. 21. cap. 12. neque adeo opus erit ea cauſa Auſonii felem pullariam aduocare. Sycophanta in Trinummo. Sed enim tu qui ſis, qui non ſis, floccum non interduim & Sceparnio in Rudẽte: Eluas tu an exũgare, ciccum non interduim id eſt, nullum facio Diſcrimen. Ciccum Varro lib. 6. facit membranam tenuem, quæ eſt in malo punico diſcrimen. Palæſtrio in Milite: Si inuenio, qui vidit, ad eum vineas, pluteoſque agam: pro totum me, omneſque meos conatus ad eum oppugnandum & expugnandum conuertam, extrema conabor. à murorum inuaſione & ſtratione ductum. Toxilus in Perſa: Nunquam te ego tam eſſe matulam credidi. Quid metuis? id eſt, tam parui & abiecti animi: adeò quærentem latebras, neque audentem edere ſeſe, & aleam periclita-

Ayuntamiento de Madrid

ri, ex eo, ni fallor, quod matula Sibariticæ molliciei inuento olim non palàm, ſed ſecretò & verecundè vterentur.

## Benefacta benefactis alijs pertegito, ne perpluant. 43

Monet Philto Lyſitelem ſuum, vt, cùm ſe ſemel ad bonam frugem recepiſſet, porrò pergeret. alioqui futurum vt totam rectè anteactam vitam vna atque altera macula ſtatim deturpet. à lignorum ſtrue quæ ſub diuo poſita ſi rata eſt aut exigua, lapſu pluuiæ ad imum vſque faſcem ſitu & putredine extabeſcit. Cicero Philipp. 14. Nec diſperſis buſtis humili ſepultura crematos, ſed contectos publicis operibus, atque muneribus, eáque exſtructione, quæ ſit ad memoriam æternitatis ara virtutis.

## Mutuum ſumpſit. 44

Amphitruo vxorem ſtupri accuſans, Quid illac impudente audacius? Saltem tute ſi pudoris egeas ſumas mutuum. id eſt, etſi omnem iam pudorem fortaſſè depoſueris; debebas ſaltem coram marito diſſimulare, & mihi adſciticio pudore imponere, eorum more, qui alienis opibus ſuam tegunt inopiam. Eadem forma, ſi quando in homine luxu perdito continentiam, in auaro liberalitatē, in inhumano affabilitatem notabimus, non illepidé addemus ea mutuò ſumpta eſſe.

## Quis iſtic fluuius, quem non recipiat mare? 45

Palinuri eſt dictum in Curcul. de anu multibiba & merobiba, cum herus Phædromus ſinum cum vino afferret, polliceretúrque ſeruo, quod vini anui reliquum inde eſſet, id ambobus ſibi ſatis fore. coniiciebat nimirum ſeruus, tam facilè illam totam lagenam exhauſturam eſſe, quàm facilè omnes fluuios capit mare. Dicemus idem ſcitè de homine copioſo & auaro, quem nullum lucrum exſatiat. item de librorum helluone, quem nihil fugere poteſt.

## Liquida tempeſtate liquidior. 46

Tranio in Moſtell. de patre filio minimè irato. Tam liquidus eſt, quàm eſſe tempeſtas ſolet. Periplectomenes in Milite de ſe. Opus leni, leniorem dices, quam mutum

eſt mare: Liquidiuſculúſque ero, quàm ventus eſt Fauonius. Monſtroſas aliquis putarit eſſe tralationes: ſed profecto è media rerum natura arceſſitæ ſunt. quid enim aëre puro, ſereno, & quaſi renidente lætius, blandius? Fauoniũ nominauit adludens ad vocis etymon & venti naturam: qui, vbi maritimus non eſt, verè eſt ζωηφόρος. At vnde, inquis, liquidum eſt ſerenum? Sunt qui putent liquidum primaria notione idem eſſe quod humidum, & deducunt à λείχειν. Mihi verò, ab eo tempore, quo apud Prudentium eam vocem toties attributam videbam aëri, ſpiritui, menti, longè aliud in mentem venit: nempe eam propriè valere fluxiſe, εὐόριστον, facilè in omnes partes loci ſui ſeſe ſpargens: vt reſpondeat ἀπεργαστικῷ ſuo, liquore. Auſus ſum etiã non ſemel inter æquales meos adſerere, deſcriptione illa [difficulter finiri termine ſuo, facilè alieno] liquorem potius notari, quàm madorem ſeu humidum aquæ teſte Ariſt. meteor. 4. maximè proprium; cùm liquor proprius aquæ minimè ſit, qui potius aëri & igni peculiaris & indiuulſus ineſt. quo enim corpus rarius eſt, hoc facilius alieno termino formatur. liquet de noſtro igne, qui tamen de genere miſtorum eſt. quid de illo ſimplice, & puro puto elemento rariſſimo exiſtimandum? Atque hac ratione, cùm ignis & aër liquidiſſima ſint corpora, ideóque maximè limpida & tralucida ſeu διαφανῆ, factum puto vt liquidum etiam pro claro, puro, ſereno accipiatur, opponatúrque turbido, impuro, fęculento; quod quo magis tale eſt, hoc minus per continentis loci partes omnes ſeſe extendit, eoque longius à liquidi ratione abeſt. Affinxerunt iſtis alij, diffuſione res percolari paulatim, eóque liquida pro claris poni. Verùm hoc commentum illi ſibi habeant. quid enim igni & aëri cum colo? aut quid opus tam longè ad impura mixta abire, præſertim cum ea neque omnia, neq; primaria ratione per diffuſionem percolentur? Hæc etſi nuper cum aliis communicauerim priuatim; quia tamen ab iis non ſatis rectè accepta video, publicare volui.

## Arundo alas verberat. 47

Abutar hoc titulo, & more vinitoris complures ſimul malleolos hac ſcrobe defodiam, dum oportuno tempore eruturos, loco & ordine ipſis digno ponam. Piſtoclerus Bac-

Ayuntamiento de Madrid

chidum blanditias habens ſuſpectas, Duæ, inquit, vnum expetitis palumbem. perij, arundo alas verberat. id eſt, ſentio me irretiri: tacti ſunt pedes viſco, & quo ſublatur diutius alas moueo, hoc magis viſcatis arundinibus impediũtur. Chryſalus infrà: Nunc ab tranſenna hic tardus lumbricum petit. Pendebit hodie pulcrè, ita intenditenus. Vide Turn. Aduerſ. 5, 9.

Mercurius ad Amphitruonem in appendice: Noui te hominem moleſtum, qui non emas litigium. hinc confirmatur Turnebi emendatio legentis, lites emunt, pro, lites ſerunt. Aduerſ. 15, 8. Soſia in Amphit. Non ego cum vino ſimitu ebibi imperium tuum. qua forma Cic. in Lælio: Quod ſummi puerorum amores ſæpe vnà cum prætexta toga deponerentur. Piſtoclerus in Bacchid. Stultior es barbaro Potitio vide Camerarij annot. & Feſtum. Chryſalus in Bacch. de ſene mendaciis ipſius credulo: Ille eſt oneratus rectè, & plus iuſto vehit. Sic & Tranio in Moſtell. Ego homines habeo clitellarios. Magni ſunt oneris quidquid imperas vehunt. Idem Tranio: Mali mœroris conſpicatus ſum montem maximum ad portum. mira auxeſis & audax, vſurpata tamẽ etiã à Charino in Mercat.

Soſicles in Mænech. Certè hæc mulier canterino ritu hîc adſtans ſomniat. Celtæ: *plus fantaſtique que la mule du Pape*. Turn. 18, 15. Mænechmus ſurr. Di illum perdãt: ita mihi hodie corrupit diem, id eſt, non ſiuit me frui illo vt optabam. Sceledrus in Milite: habent me vænalem, id eſt, conantur fallere. Charenus in Merc. Deos abſentes teſtes memoras, quî credam tibi? In Amph. Mulier es: audacter iuras. Pſeudolus. Occiſa eſt hæc res, hæret hoc negotium, id eſt, res deſperata eſt, & depoſita. Charmides in Trinumm Res cùm animã agebat; tum offuſam oportuit. Pſeudolus ad Ballionem: mortua re verba facis. ſic mortuas facit alibi potationes, & bonos mores morbo inuadi, ægrotare, intermori. In Trinummo bis dormitatorem, id eſt, vt Turn. explicat, furem vocat, noctu ad ſua furta euigilantem, Heſiodus ἡμερόκοιτον.

OBSER. GISEL.

Imperium tuum adde. Sophoclidiſca in Perſa. Quanquã ego vinum bibo: at mandata non conſueui ſimul bibere. Imperas, vehunt adde: Idem alibi item gaudens ſibi, de lu-

Ayuntamiento de Madrid

dis quos ſeni facturus erat: Aduenienti, inquit, ſarcinam imponam ſeni.

## Vtramque inflare tibiam. 48

Εἰς ἑκάτερον αὐλὸν αὐλεῖν. In eos qui omnem mouent lapidem. Ariſtid. de paraph. Simile, ὀρχεῖσθαι διπλῦχα, ſaltare bifariàm. Ibid. Et διπλᾶ χεύειν bifariam pulſare. vide ſup. 71. Item, μέσον δυοῖν καθίζεσθαι, inter duas ſedere. Idē Sicula. 2.

Aggeram plura etiam diuerſiſſima, ſed modo quo antè. μέτεστιν ἐμοὶ τοῦ πολέμου, pro, eius negotij non ſum planè rudis. Idem Caprearū rupes. Claudian. extulit de regia crudelis & libidinoſi principis. vide Suet. in Tiberio. Satyrion bibiſſe, pro, ad libidinem incitatum eſſe. Nota vis Satyrij herbæ, & etymon. Petron. Hieme Gallica frigidior. intelligit eam, quæ ad Septentriones vergit. Idem. In aquā hiante ore deſilire, pro, appetentem eſſe mortis. Senec. in Nat. quæſt.

Ὤμβεια καὶ δεῖπνα, prandium ferarum, cuius nemo ſit particeps. Scaliger in Varr. ex Plutar.

## Pauperis eſt numerare pecus. 49

Ex multis adagiis, quæ in noſtrorum hominum ſcriptis obſeruata, nec dum ipſis auctoribus, vnde imitatione expreſſa eſſe arbitror, reſtituere potui; vnum hic propoſui, quod elegantia & venuſtate nulli dictorum concedit. Vſus eſt eo Muretus in Variis lect. laudans Pauli Manutij in reſtituendis auctoribus induſtriam & ingenium. Item Ioach. Camerarius in carmine, quod Macrobio à ſe doctiſſimè caſtigato præfixit. Veriſſimè autem & merito ſuo vterque vſurpauit. Nam, modò rē ipſam fateri velimus, quidquid illud eſt, quo magnam partem adeò miſerè & ridiculè efferimur, omne illud talium hominum labori & eruditioni acceptum ferre debemus, ſed nolumus, imò id vnum ſtudio habemus, illorum ſtudia premere, noſtra magnificè nuſquam non oſtentare. Et, vt iure quodam id facere videamur, mirum quas nebulas & offucias rudiorum tenellis oculis obiiciēdas excogitem⁹. In primis vt nos ab eruditiorum vulgo ſegregemus, antiquitatis nomen è vetuſto ſcribendi more, pronunciatione, & lucifugis aliquot voculis aucupamur. eáque re non monumenta ipſa veterum, ſed à noſtris hominibus ſcriptas in illa annotationes, commentarios, conlectanea magno ſtudio & ſingulari arte

Ayuntamiento de Madrid

peruolutamus.inde belliſſima queq; ſeligimus, & tam diu inter ſe componimus, donec noui aliquid extundamus, aut ſaltem rei iamdiu inuentæ nouam faciem induamus. Inde maiori animo auctorem è multis vnum nobis ſumimus,in quo omni animi contētione laboremus. cauemus tamen ne in auia,& nullius ante ſolo trita loca veniamus. imò quo alij diligentius nobis viam muniuerint, hoc lubentiùs huiuſmodi opus capeſſimus.minimo enim negotio ſuperiorum laboribus culmē detrahimus,cùm aut laudatos ſemel,ſtrenuè porrò tacitè contemnimus,& grauiora errata loco maximè conſpicuo & illuſtri prodimus, aut noua annotationum forma rectè olim dicta, vt inaudita proponimus,traiicientes,addentes,commutantes.mille enim hic nocendi artes.Intereà bonorum omnium familiaritati,vnde aliqua obſeruationum ſpes eſt,nos adiūgimus: ab iis,quæcunque vi ingenij aut multo ſtudio ſibi ipſi pepererunt,bonáque fide ab amicis acceperūt; expiſcamur, exſculpimus omnia.Denique vbi nihil reſtat ſublegēdum; nos eadem mente iiſdémque artibus alio traducturi, vltro amicitiam illam ſanctam non diluimus, ſed præcidimus, adeóque familiares noſtros quocunque modo laceſſimus, irridemus,vt iiſdem alienos perpetuo fuiſſe nos alij iudicent.Atque hæc omnia,vt noſtrum hoc nouem Muſis cęlatum opus exornemus,& extendamus. Neque enim noſtris finibus nos circumſcribimus,ſed in omnia præſertim amicorum ſcripta nos impudenter ingerimus: in quibus, modò parum liberaliter corraſas L. circiter emendatiunculas proferre audeamus;deum immortalem,quæ ouationes,qui triumphi?Statim ſe erumpunt magnifica illa epiphonemata: Vt Clementem purgemus: ſi fieri poteſt omnino:Eum poëtam quia nunc,vt opinor,ferè totum vindicauimus mēdis innumerabilibus,&c. Quid multa? Alij cū ſexcenta loca reſtituerint,nihil egerunt. nobis omnia debentur abſque nobis eſſet,vileſceret auctor,ad Pharmacopæos amandandus.Hæc amice lector,noſtra ſtudia, hæc ætas.Ita humanioribus litteris nihil hodie immanius.

Ayuntamiento de Madrid

# ADAGIA ALIQVOT MELCHIORIS NEIPII BREdenani nunquam antehac edita.

## Oculus Dei fortiſſimus. 1

Θεῦ ἄλκιμον ὄμμα. Nemo neſcit multas veterum oraculorum ſententias, quemadmodum & poëtarum, in primis Homeri, παροιμιῶν vice fuiſſe celebratas, poſſéque hodie etiam num celebrari. Ex his impenſè placuit illud ab Eugubino adductum ex Porphyrij ἐυλογίων φιλοσοφίας libro. Nam Dæmon interrogatus, anquis peccans Deum latêre poſſit, reſpondit hoc diſticho,

Οὐδεὶς ἂν λήθοι φῶτος θεὸν, οὐδὲ σοφοῖσι
Κέρδεσιν, οὐδὲ λόγοις ὑπεκφύγοι ἄλκιμον ὄμμα.
Nemo Deum fallet, viſum non effugit acrem,
Qui verſare dolos verbis factíſque paratus.

Huius rei velut cauſam explicans Apoſtolus de Chriſto ita loquitur, Heb. 4. Οὐκ ἔστι κτίσις ἀφανὴς ἐνώπιον αὐτοῦ· πάντα δὲ γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ. i. Non eſt creatura corã eo in conſpicua, ſed omnia nuda & reſupinata oculis eius. Philo quoque ἀλληγορίων 2. ὁ θεῦ λόγος ὀξυδερκέστατός ἐστιν, ὡς ἐφορᾶν ἅπαντα ἱκανός. i. Dei ſermo viſus acutiſſimi eſt, facile vt conſpicere poſſit. Ab hoc non diſſentit Heſiodi illud Operum libro primo.

Πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς, καὶ πάντα νοήσας.
Omnia conſpiciens oculus Iouis, omnia luſtrans.

Plutarchus in ſympoſio, Ariona, quem nautæ ſalo demerſerant, inducit in cælum ſuſpicientem, ſicque ſecum cogitantem, ὡς οὐκ ἔστιν εἷς ὁ τῆς δίκης ὀφθαλμὸς, ἀλλὰ πᾶσι τούτοις ἐπισκοπεῖ ὁ θεὸς τὰ πραττόμενα περὶ γῆν τε καὶ θάλατταν. Quod non vnus iuſtitiæ ſit oculus, ſed omnibus his ſpeculatur Deus circumquaque, quæ terra maríque geruntur. Vſus erit præcipuus, quando aliquem à peccando deterrere volumus, metu diuinæ præſentiæ, hoc modo: Si proximo tuo inferre malum, vt meditaris, pergas, θεῦ ἄλκιμον ὄμμα.

## Deus hoc habeat decus. 2

Sumptum eſt ex Simonide, & Platoni Ariſtotelíque vſurpatum

Ayuntamiento de Madrid

patum adagium, quo vtemur in deprecãdis rebus noſtras vires ſuperantibus, ſolíque Deo factu procliuibus. Sic enim vtitur Plato in Protagora, vbi docens ſolum Deum verè bonum eſſe, hominéſque non facilè bonos euadere, neque poſſe ſi quam nacti ſunt bonitatem perpetuò tueri, his verbis vtitur, ὅτι γενέσθαι μὲν ἄνδρα ἀγαθὸν χαλεπὸν ἀληθέως· οἷόν τε μέν τοι ἐπί γε χρόνον τινὰ γενόμενον δ' διαμένειν ἐν ταύτῃ ἕξει, καὶ εἶναι ἄνδρα ἀγαθὸν, ἀδύνατον, καὶ οὐκ ἀνθρώπειον· ἀλλὰ θεὸς ἂν τοῦτο ἔχοιτο γέρας. i. Fieri quidem virum bonũ arduum ſanè eſt: licet verò ad tempus aliquod eſſe, verùm cùm fueris, in hoc habitu permanere, virúmque bonum eſſe, impoſſibile & non humanum. at Deus hoc habeat decus. Ariſtoteles in Metaphyſicis, ὥστε κατὰ Σιμωνίδην, θεὸς ἂν τοῦτ' ἔχοι τὸ γέρας. videtur hemiſtichium Choriambicum eſſe.

## Cunctabundus natura Deus. 3

Μέλλει τὸ θεῖον, ἐστὶ δ' τοιοῦτον φύσει. Cunctatio almò numini vſque propria. Senarius eſt alicunde deſumptus ex Euripide, qui ſententiarum grauitate, vel Fabio teſte, ſummis quibuſque Philoſophis par eſt, cuiuſque tragœdiæ ſemper magno apud eruditos omnes in pretio fuere. Nihil enim hic Ariſtophanis dicacitatem moror, qui neſcio quo æmulationis ſtudio, certè inuidiæ odiíque plenas habenas effundit, non ſolùm in religiones partim peregrinas, partim domeſticas, quas perpetuò vexat ac ſuggillat; &, vt Græcè dicam, aptius κεφυρίζει: verùm etiam Morſimum, Pindarum, alióſque tam ſui ſæculi quàm prioris poëtas miris ſalibus exponit deridẽdos, qui Euripidi tam fuit iniquus, vt nuſquam non captet occaſionem traducendi eũ. Qua acerbitate prouectus ad rabiẽ vſque principẽ philoſophiæ Socratem ἐν νεφέλαις, tanquam delirum, omniſque ſenſus communis expertem, atrociſſimè exagitat. Sed hæc præter inſtitutum. Senſus huius prouerbialis ſentẽtiæ non rarò Plutarcho vſurpatæ, eſt, Deum lenem & clementem eſſe, nec facilè ad vlciſcendum malos pœnáſque de his ſumendum properare: quod etiam diuinis literis expreſſum eſt. Eccleſiaſtic. 5. Ne dixeris, Peccaui, & quid mihi accidit triſte? Altiſſimus enim eſt patiens redditor. Idcirco μακρόθυμος appellatur variis in locis ſacrarum literarum. Cur



Ayuntamiento de Madrid

autem mali non ſtatim pœnas pendant, docet Petrus Apoſtolus his verbis, μακροθυμεῖ εἰς ἡμᾶς. μὴ βουλόμενός τινας ἀπολέσθαι, ἀλλὰ πάντας εἰς μετάνοιαν χωρῆσαι.

## Contemnunt ſpinam, cùm cecidêre roſæ. 4

Prouerbialiter hoc verſu Ouidius lib. 6. Faſtorum vtitur, volens ſignificare ſenilis ætatis nullum eſſe pretium aut decus. Comparat autem roſis florem ętatis quamuis è ſpina naſcentibus: ſenectam verò ſpinæ roſis caſſæ ſimilem facit. Vt enim amiſſis roſis ſpinæ iacent, maximóque contemtui ſunt: ita corporis veternoſa & marcida ſenectute premente vileſcimus, nullóque ſumus in pretio. Martialis lib. 6. ad Lycorim.

Fœmina præferri potuit tibi nulla Lycori,
Præferri Glyceræ fœmina nulla poteſt.
Hoc erit hæc quod tu: tu non potes eſſe, quod hæc eſt.
Tempora quid faciunt? hanc volo; te volui.

Licebit paululum torquēdo vſurpare de puella poſt amiſſam virginitatem (vt fit) ab amatoribus ſuis faſtidita.

## Hærere in iiſdem ſcopulis. 5

Tritum eſt omnibúſque notū & familiare, offendere ad eundem ſcopulum, impingere ſcopulis; nuſquam tamē vel vſitatum vel explicatū à noſtrę ætatis ſcriptoribus offendi, inhęrere iiſdem ſcopulis: quod non minùs quàm illa ſuperiora prouerbiis adſcribēdum videtur; quod illic per metalepſim ſignificat, in eodem verſari negotio, vel arte: vel in eodem loco ſedem figere, vt ſynechdoçhicῶs ſpecies pro genere, quod crebrum eſt, accipiatur. Ouid. Metam. 3.

Mox ego ne ſcopulis hærerem ſemper in iiſdem.

## Philoſophare cælum intuens. 6

Φιλοσόφει τὸν οὐρανὸν ὁρῶν. Hoc vnum eſt teſte Iamblicho, ex Pythagoræ ſymbolis, quę non ſecus atque prouerbia & veteres & recētiores celebrant. Cuius ſenſus mihi videtur eſſe: Si te ad veritatis ſtudium conferre velis, rerúmque humanarum ac diuinarum inueſtigare ac ſcire rationes, quo in genere verſatur philoſophia, originem tuā ſemper animo oculíſque tuis obuerſari facito, vt eò tibi mente redeundum, vnde profectus es, prudenter cogites. Origo hominis cæleſtis eſt, vbi omnia mirifico quodam cōcentu

Ayuntamiento de Madrid

temperatur·hoc exemplari propoſito, ſtudia omnia actionéſq; tuas moderare. Vnde Græci ἄνθρωπον, quaſi ἄνω τρέπων dici volunt. Quod etiam expreſſit Philo de homine, his verbis: Τῶν μὲν ἄλλων τὰς ὄψεις τρέψας κατακύψας· διότι νένευκε πρὸς χέρσον. ἀνθρώπου δ᾽ ἔμπαλιν ἀνώρθωσεν, ἵνα τὸν οὐρανὸν καταθεᾷ. i. Aliorum oculos depreſſos circumduxit, eóque nutant in terram: hominis verò erexit, vt cælum intueatur. Ouid. Metam. 1.

Pronáque cùm ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cælúmque videre
Iuſſit, & erectos ad ſidera tendere vultus.

## Clypeum poſt vulnera ſumere. 7

Nec hoc quidem relatum ab adagiorum ſcriptoribus abſque controuerſia παροιμιῶδες offendi. Dicitur autem de intempeſtiuo auxilio, & præſidio. Ouid. de Triſtib. 1, 3.

Et quanquam ſerò clypeum poſt vulnera ſumo,
Attamen hanc odiis exonerate fugam.

Conuenit huic Diogenianum illud, Poſt bellum, machinas. Quo longiùs trahetur, eò erit venuſtior eius vſus. Ad externa: Hic homo incipit eſſe parcior frugaliórque iam conſumptis opibus: clypeum poſt vulnera, vt aiunt. Ad corpus: Aſſidua κλινοπάλη effetum & eneruatum corpus iam continentiam meditatur, clypeum nempe poſt vulnera. Ad animum: Hic filium ſuum peruerſa animi natura & improborum ſocietate perditum ad probam frugẽ videtur recepturus: vereor ne poſt vulnera, quod aiunt, clypeum ſumat.

## Tempus omnium explorator. 8

Ὁ χρόνος πάντων βασανιστής. Elegans prouerbium neſcio vnde ſumptum. vſurpat Auguſtinus Eugub. de Perẽni philoſophia, lib. 4. Veritas quæ, vt Heraclitus inquit, cùm latitet in profundo demerſa; tempus, quod, vt dicitur, πάντων βασανιστὴς, elicit in lucem. Veteres, veritatem, temporis filiam vocarunt. Et Thales Mileſius tempus ſapientiſſimũ appellauit, quòd omnia inueniſſet. Plutarchus, cur Pythia Oracula ceſſauerint, τὸν χρόνον ὀφειλέτην vocat, quaſi qui fidem ſuam tandem liberare debeat.

## Μουσῶν χαπρὸν στόμα. 9

Muſarum os feruens. Theocritus eidyl. 7. Vtemur in hominem eleganti ingenio & feſtiua dicendi gratia & ſuauitate inſignem & expolitum; maximè qui amabili carmine & dulci aures mentéſque hominum demulcet. Veteres quicquid ſuaue & eruditum fuit, Muſarum artificio aſſignabant: hinc Attica Muſa dictus Xenophon.

## Nouem Muſis celatum opus. 10

Horatius epiſtola ad Florum vſus eſt hyperbole prouerbiali, cùm vellet ſignificare opus ſupra modũ egregiũ, ſupráque humani ingenij vires, & quod ne Muſæ quidem artium inuentrices æquare poſſent. Vel ſi, celatum, legas opus, ſenſus erit, in quod Muſæ omne artificium ſuum contuliſſe ſimul videri queant. Verba eius hæc ſunt:

Carmina compono, hic elegos: mirabile viſu,
Celatúmque nouem Muſis opus.

Venuſtior vſus erit per εἰρωνείαν, vt ſi de Scoti ſcriptis quis ioco dicat, Eſſe nouem Muſis celatum opus.

## In medio Tyburc Sardinia eſt. 11

Prouerbialiter dictum eſt à Martiale lib. epigrammatum 2. In medio Tybure, Sardinia eſt. Quo voluit ſignificare, nihil cæli lociq; ingeniũ quanuis mire & clemens conferre, non impedire vernantis auræ mollem dulcedinem, nõ grato virore nemora, non ſuaue redolentes vndique herbas, non venas fontiũ, ſalubres animo, ſtomachóque laticũ latebras profundentium; nihil denique quæcunque ſenſus, animúmque demulcent, & afficiunt, vllam moram afferre; quo minùs cùm dies fatalis, & à rerum conditore deſignata cuique meta viuendi obrepſerit, quiſque moriatur. Tybur, ſpecies pro genere, accipitur hic pro omni loco ſalubritate commendabili: & Sardinia, pro omni regione, aëre, ſolóque peſtilenti. Sardinia enim peſtilentem aërem ſalutíque hominum officientem, valetudinémque perturbantem veteribus memoratur habere: Tybur autem vndique ſoli aſpectu lætum & ſalubre prędicatur. Verſus Martialis, è lib. 2. de Curatio, quia [vt omnes illius poëtæ] feſtiui admodum ſunt, quíque prope ipſam ſententiam prouerbialem explicant, libenter ſubieci:

Ardea ſolſtitio, Pæſtanáque rura petantur,
Quique Cleonæo ſidere feruet ager:

Ayuntamiento de Madrid

Cùm Tyburtinas damnet Curatius auras,
Inter laudatas ad Styga miſſus aquas.
Nullo fata loco poſſis excludere;cùm mors
Venerit,in medio Tybure Sardinia eſt.

Laudatas aquas vocat Albulæ,quæ vulneribus mederi dicuntur,quia ſulfureis fumabat, vt ait Martialis lib. primo de Regulo.Nec me latet tamen Tybur gelidũ ſæpè à Martiali vocari,quòd in regione calida(qualis eſt Latinum vbi Tybur extructum eſt)non tollit loci ſalubritatem. Adde quòd Horatius lib.Odarum 1,7.ad Plancum ſcribens,nulla regione vt Tyburtina perinde ſe capi teſtatur; haud dubiè amœnitate & ſalubritate loci cælíque clementia & tẽperie adductus.

## Vulpes pilum mutat,non mores. 12

Reſipere adagium videtur illa ſenis bubulci ſententia qua apud Suet.Veſpaſianus Cæſar perſtrictus eſt, qui negata ſibi gratuita libertate,quam imperium adeptum ſuppliciter orauerat,proclamauerit: Vulpem pilum mutare, nõ mores.Senſus eſt titulis dignitatum & ampliſſimis fortunæ muneribus corporis,non animi ſordes tolli in veteratore & auaro homine: fortunam improbis & ſubdolis ſplendorem & nitorem corporis conferre,non abſtergere animi illuuiem,ingeniíque ſordes;exuere hominem callidum pannis,nõ item vitiis:Vel ſenectutem addere annos, non etiam virtutes.

Huic Eraſmi illud ſimile eſt, Lupus pilum mutat, non mentem.Hodie Flandris trita ſunt. Lupus non emendatur ſenio.Et,Vulpes ætate fit aſtutior,non etiam melior.

## Intempeſtiua Minerua. 13

Ouidius Metamorph.4. Solæ Mineides intus
Intempeſtiua turbãtes feſta Minerua. Intempeſtiuam Mineruam dixit operam & opus parum oportunè exactum. Etſi de lanicij opere loquatur poëta;nihil vetat tamen generaliter accipere pro omni ſtudio & opere:quandoquidẽ omnibus præeſſe artibus Minerua fingatur, quarum plæræque abſque labore non fiunt:quo in genere eſt lanicij & textrinæ ſtudium.

## Ἑκάτη βελετίς. 14

Hecate ſagittatrix, vel potiùs iaculatrix. Suetonius in



Ayuntamiento de Madrid

vita Neronis ænigmaticè Parthum ſagittis acrem & venationibus ac militaribus ſtudiis ad inſaniam vſque indulgentem & addictum Ἑκάτην βελετὴν vocat, citato cuiuſpiam diſticho, Neronis agones, citharæque ſtrepitum magna cauillatione perſtringentis. Id autem eſt huiuſmodi. Dum tendit citharam noſter, dum cornua Parthus: Noſter erit Pæan, ille Ἑκάτη βελετής. Senſus eſt. Nero ex agoniſticis certaminibus, & citharæ ludo ſibi non aliter triũphum adornabit, quàm Parthus ferox ſagittis Romanis legionibus in Armenia ſub iugum miſſis: alter cithara Apollinis armis; alter ἑκάτης ſagittis, quibus illam terribilẽ canunt poëtæ, epinicia canet. Obiter quoque in vocabulo Pæanis [quod & Apollinis cognomen, & triumphantium vox eſt vt quum acclamant. Io Pæan] irriſus eſt Nero, qui vrbem ingreſſus poſt agones Græciæ, Pythiam veluti cithariſticæ artis præſidem dextra gerebat. Ac neſcio an faceciſſimus & mordaciſſimus auctor huius diſtichi, alluſerit etiam ad etymologiam Pæanis & Hecates. Quadrat in hominem ad vlciſcendum promptum, & ingenio irritabili. Licebit etiam iacere in intemperantis linguæ ac virulentæ fœminam. Quod ſi vnica dictione legere placet ἑκατηβελέτης, non diſcrepabit ſentẽtia de eo, qui ἄλγε' ἔδωκεν, καὶ ἔτι δώσει. Homerus Iliad. primo. Apollinem peſtilentiam Græcis ob negatam Chryſæ ſacerdoti filiam immittentem, ἑκατηβελέτην appellat. Etiam ἑκηβόλον, & ἕκατον, & ἑκάεργον alibi vocat: quæ epitheta omnia à procul feriẽdo etymon habere videtur. Mira igitur gratia Parthus victor Romanarum legionum, idem tamen procul vltimis in terris poſitus [nam Parthos à Roma multa maria, inſulæ, regnáque diſtingunt] Ἑκατηβελέτης dicitur: Nero Pæan, vtpote cithara & triumpho exultabundus. Nec tamen damno vt legatur ἑκάτην βελετήν.

## Vt ouis lupum conſpicata. 15

Φεύγεις δ' ὥσπερ ὄϊς πολιὸν λύκον ἀθρήσασα. Contemplata lupum, fugis, vt pecus, improba, canum. Theocrit. Eidyl. 11. Qui indicabit ſe vehementer abhorrere à cuiuſpiã vſu & conſuetudine, & longe fugere vitæ ſocietatem & amicitiam; hic Theocriti verſus vel in primis quadrabit. Vt ſi quis dixerit, A ſophiſtis ita abhorreo, vt non

Ayuntamiento de Madrid

perinde οἷς πολλοὶ λύκοι ἀθρήσασι. Quod ex Homero, vt multa alia, ductum eſt Iliad. 10. vbi Achilles ad Hectorem loquitur his verbis,

Ὡς οὐκ ἔςι λέουσι καὶ ἀνδράσιν ὅρκια πιςὰ,
Οὐδὲ λύκοι τε καὶ ἄρνες ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσιν·
Ἀλλὰ κακὰ φρονέουσι διαμπερὲς ἀλλήλοισιν,
Ὡς οὐκ ἔςʼ ἐμὲ, καὶ σε φιλήμεναι. οὔτε τι νῶϊν
Ὅρκια ἔσσονται, πρίν γʼ ἢ ἕτερόν γε πεσόντα.

Hunc Homeri locum imitatus Horatius, lib. Epodon. in Menam Pompeï libertum ita inuehitur, Lupis & agnis quanta ſortito obtigit, Tecum mihi diſcordia eſt.

## Cybiotates. 16

Alexandrini dicaces natura, & liberioris linguæ, Veſpaſianum immenſa pecuniæ auiditate laborantem ac ſubinde vectigalia ciuitatibus & tributa prouinciis augentem, omnibúſque è rebus etiam ſordidis, lucri odores venantem infami conuitio, Cybiotaten vocabant, cognomine vnius è regibus ſuis turpiſſimarum ſordium. Suet. in Veſpaſiano 19. Sic enim ibi vulg. l. A quo non abludit quod Giſelinus in quodam manuſcript. legit, cibotandem, vel cybiotantem, mendo propriis nominibus perfamiliari. Quin & Strabo lib. 16. vbi Ptolemæorum genealogiam recenſet, hunc Cybioſaſtem nominat, qui maritus per aliquot dies fuerit filiæ Ptolemæi Auletæ. Si coniecturis locus eſt, putem dictum fuiſſe Cymbotatem, cùm Heſychius teſtetur κύμβον ſignificare fundum ollæ fictilis, & κύμβιον iaci ſolere in parcos & ſordidos: vel cymbotatem à κίμβιξ, quod valet, ῥυπαρὸς, ἀπὸ τοῦ κιβδήλου χρυσίου, Euſtath. qua voce etiam Ariſtot. Ethicor. 25. genus quoddam auarorum hominum notat. ſed hæc incerta; neque ego quicquam ſtatuo. Vtemur vulgata voce, dum alia certior reperiatur, in principes ſummè auaros, & omnes vndique cauſſas exenterandis ſubditorum loculis venantes, nunc proponendo decimationes bonorum, vel prouentuum, nunc mercimonia certa vi pecuniæ taxando, quin & quibuſcunque annonæ partibus vt frumento, vino, cereuiſiæ, aliiſque ad victum ſpectantibus vectigal aſſignando quantum libet, & quoties libet. Philippus Gallorum rex qui vectigal ſali impoſuit, meritò Cybiotates dici potuit: quanquam poſteri



Ayuntamiento de Madrid

quoque infame hoc vocabulũ non ſatis longè à ſe repellere videantur, qui hominis iamdiu ſepulti ſordes imitando aſſerunt. ſed, vt ille ait, lucri bonus eſt odor ex re qualibet.

## Samnites. 17

Vno vocabulo complexus ſum modò adagium: complectar nunc etiam alterum. Id vt liceat, effecerunt tum priuati aliquot homines, tum etiam populi quidam plurimùm nobilitati vulgò vel vitio aliquo peculiari & inſigni, vel laude. Samnites ergo Horat. epiſt. 2, 2. vocat παρθιμάχους eos, qui multum diúque lædunt, & læduntur: mordent, & mordentur, dente cruento & diro Marte laceſſunt, & laceſſuntur: Breuiter, Samnites vocare licebit, qui longo temporis ſpatio alios grauiſſimè vexant, vehementiſſiméque affligunt, ipſi quoque atrociſſimè vexati ab aduerſariis & grauiſſimis calamitatibus preſſi. Horatii verſus hi ſunt:

Cædimur, & totidem plagis conſumimus hoſtem,
Lento Samnites ad lumina prima duello.

Agit de poëtis, qui aures pænè inuiti & fracti diu præberent alienis ſcriptis audiendis, cùm ipſi viciſſim alienas aures ſuis poëmatis recitandis obtundant, atque enecent. Samnites teſtibus hiſtoricis, Liuio, Floro, Oroſio, Plinio Iuniore, & aliis, per annos 49. atroci bello cum Romanis æquo marte depugnarunt: tandem Pontio duce eorum capto in Romanorum ius conceſſerunt. eamque ob cauſſam gladiatores Romæ Samnitium nomine appellati ſunt. Cic. multis locis. Liuius lib. 9. huius appellationis originem refert ad Campanos, qui, ſuperbia & odio Samnitium, gladiatores, quod ſpectaculum inter epulas erat, eo ornatu (deſcripſerat ibidem illum paullò ante) armarunt, Samnitiúmque nomine appellarunt.

## Solem mercede præſtare. 18

Lactantius libro Inſtitutionum 3. tacitè notans philoſophos diſciplinam ſuam ſordidis lucellis, fœdíſque cupiditatibus & voluptatibus lenocinantes, voléntque oſtendere Chriſtianos his longè præſtare, qui ab his moribus abeſſent, duo ſubiecit veluti adagia, nempe, ſolem mercede præſtare, &, aquam vendere, hoc modo. Gratis iſta fiunt, facilè, citò; modò pateant aures, & pectus ſapientiam ſi-

Ayuntamiento de Madrid

tiat. Nemo vereatur nos:aquam non vendimus, nec Solem mercede præſtamus. Equidem non abſurdum puto, ſi Lactantium Auguſtinúmque lib.confeſſ. 12.25. ſequendo, in hos qui Dei naturæque beneficia omnibus ex æquo ſine diſcrimine expoſita in quæſtum & commodum ſui ſolum transferunt, & rem omnium communem lucri cupiditate priuati iuris faciunt, illud Lactantii iaciatur, Mercede Solem præſtant, & aquam vendunt. Hæretici, qui publicum æterni Euangelii fontem omnium communem, qui ſalutem æternam omnibus in Chriſtum credentibus promiſſam ſibi ſolis arrogare non verentur, Mercede Solem præſtãt, & aquam vendunt. Item, qui diuina Sacramẽta lucroſas artes exiſtimant: in ſumma, quicunque Dei ac Domini noſtri beneficia, omnibus ex æquo condonata, ſuæ gloriæ & pleonexiæ ſeruire cogunt, Solem mercede præſtare aptiſſimè & veriſſimè dicemus.

## Sol omnia aperit. 19

Omnino mihi quidem videtur prouerbialis ille Theocriti verſus ex Eidyl. 1.

Ἤδη γὰρ φράσδει πάνθ᾽ ἅλιος ἄμμι,

Equidem prodit Sol omnia nobis. Senſus eſt, omnia temporis ſpacio in lucem promi & reuelari. Solem per μετωνυμίαν pro die poſuit, cùm cauſſa efficiens diei, Solis ſplendor ſit. Et vt Sole lucente omnia ſunt aperta & conſpicua, ita etiam temporis decurſu obſcura quæque in apricum, vt ait Horatius, proferuntur. Confinis huic eſt ſenarius ille etiam prouerbialis, ἄγει δ᾽ πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος. & Pindaricum hoc: ὁ χρόνος πάντων πατήρ. Poteſt videri alluſum ab fabulam Homericam Odyſſeæ θ. vbi in Veneris concubitu Mars adulter deprehenditur indicio Solis, epimythio indicante, tandem aliquando fœda malè celata prodi.

## Albo eradere, & adſcribere. 20

Quamuis Eraſmus prouerbium, Non eras in hoc albo, ſatis diligenter explicuerit, non tamen ex eo protinus conſtabit, quid eradere & adſcribere albo ſit: quæ adagia haud dubiè aduerſaria non minùs elegantia & lepida ſunt, quàm illud Plinianum. Quin ſerio auſim veróque vultu contendere pluſculùm hæc, quàm illud, præ ſe ferre gra-

Ayuntamiento de Madrid

tiæ & feſtiuitatis. Vtroque vſus eſt caſtigatiſſimus dicendi & ſentiendi magiſter Suetonius: In Claudio. Splendidum virum Græciæque prouinciæ principem, verùm Latini ſermonis ignarum, non modò albo iudicium eraſit, verùm etiam in peregrinitatem redegit. In Domitiano item. Equitem Romanum ob reductam in matrimonium vxorem, cui dimiſſæ adulterii crimen intenderat, eraſit iudicum albo. Eſt ergo albo eradere, ignominioſe & cum ſuggillatione nominis ab honeſto aliquo vel publico munere depellere: &, adſcribere albo, honeſto cum ſuffragio ad publicum aliquod munus, vel honeſtum officium allegare, & admittere.

## Per genium alicuius deierare. 21

Per genium alicuius deierare, eſt omne dictum & factũ honeſtatis eulogio notare, nihílque non per aſſentationem gloriæ & laudi ducere, ſed omnia votis honoribúſque proſequi, quaſi Deo adhortante, & præſide geſta. Quod & ipſum vſurpat Suetonius, in Caligula, eleganter prorſus & facie prouerbiali, cùm voluiſſet ſignificare, plæroſq; à C. Caligula ſupplicio affectos, non quòd ſupplicio digni eſſent, ſed propterea quòd nõ omnia ipſius tam dicta quàm facta honeſta duxiſſent & aſſentando euexiſſent. Eius hæc ſunt verba in Caligula: Multos honeſti ordinis, deformatos priùs ſtigmatum notis, ad metalla & munitiones viarũ, aut ad beſtias condemnauit, aut beſtiarum more quadrupedes cauea coërcuit, aut medios ſerra diſſecuit. nec omnes grauibus ex cauſſis: verùm malè de munere ſuo opinantes, vel quòd nunquam per genium ſuum deieraſſent. Quæ hoc loco de ſuperſtitione gentilium in placando vel propitiando alicuius genio vel ſuo adferri poſſet, ſcripſi alibi. Nunc breuior eſſe volo, nihilque extrà euagari.

## Spongiæ. 22

Romani percelebri ioco, Veſpaſiani procuratores & magiſtratus ex tenui re ad ampla euectos, & magnis officiis & honoribus auaritia principis nobilitatos, vt repetundarum poſtea rei ac condemnati largè & prolixè fiſcum locupletarent, Spongias appellabant μεταφορικῶς, à ſpongiarum vſu; quæ ſiccæ humectantur, & vuidæ exprimuntur. Auctor eſt Sueton. in Veſpaſiano his verbis: Cre-

Ayuntamiento de Madrid

ditur etiam procuratorum rapaciſſimum quemque ad ampliora officia ex induſtria ſolitus promouere, quò locupletiores mox condemnaret, quibus quidem vulgo pro ſpongiis vtebatur, quòd quaſi & ſiccos madefaceret, & exprimeret humentes.

## Genium habere aliquid. 23

Quod in metallis, idipſum in adagiis vſu venit, vt vſu cultus & ſplendor accedat: adeò vt nec illud iudicandum ſit inelegans aut ἀκύθηρον quod etiam vulgo tritum circumfertur. Tale eſt Martiali eiuſque ſynchrono vſitatum, Genium habere, quo prouerbio vtuntur ſignificaturi, aliquid natiua quadam indole & quadam arcana ratione mouere animos hominum, & ad ſui amorem ſponte ſua trahere, vehementérque afficere. Refertur ad rem, & ad perſonam. Ad rem apud Martialem lib. 6.

Ingenioſa tamen Pompilli ſcripta feruntur,
Sed famæ non eſt hoc, mihi crede, ſatis.
Quàm multi tineas paſcunt blattáſque diſerti,
Et redimunt ſoli carmina docta coqui!
Neſcio quid plus eſt, quod donat ſæcula chartis.
Victurus genium debet habere liber.

Ad perſonam, Iuuenal. ſat. 6.

Nemo Mathematicus genium indemnatus habebit.

Indemnatum dixit pœnæ immunem. Eiuſdem notæ eſt Cæſtum habere, Homero & Martiali aliiſque vſurpatum.

## Apollo Tortor. 24

Auguſtus Cæſar cenam ſumptuoſam inſtruxerat, in qua deorum dearúmque habitu diſcubuiſſe conuiuas, ipſumque Apollinis ſcenico ornatu transfiguratum fabulis Romanorum ſpargebatur. Ea cena δώδεκα θεῶν (ſic enim lego) appellabatur: quo tempore ingens Romæ inopia frumenti & annonæ caritas fuit. Hoc rumore diuulgato, imperatorem alieniſſimo tempore nempe in ſumma vrbis fame lautis epulis indulgere quaſi publicæ calamitati inſultando, Romani Apollinem Tortorem eſſe acclamarunt: Apollinem quidem, ob ementitum Apollinis habitum, quo in cena illa myſtica deformatus laſciuiebat: Tortorem verò, quòd eo nomine idem Apollo quadam in vrbis parte coleretur. Quod illi epitheton attributum ſuſpicor,

Ayuntamiento de Madrid

quod Marſyam citharœdum pſallendo victum inaudito antea ſupplicij genere excruciaſſet, cui viuo pellem detraxerat. Pari ratione Octauium Auguſtum, quaſi qui viuos excoriaſſet homines, frumento per luxum & ſumptuoſam cenam abſumpto. Apollinem Tortorem per conuicium vocabant. Non peſſimè quadrabit in principes & magiſtratus in Reipub. calamitate feſtis gaudiis exſultantes & intempeſtiuis deliciis & voluptatibus ſoluentes animum, nihil publica miſeria commotos, & tum maximè negligẽtes officium, quando conueniebat maximè præſtari.

## Mundi oculus. 25

Sol apud Ouidium Metamorphoſeon 4. ſe mundi oculum lepida tranſlatione vocat, eximium ſui vſum maximámque neceſſitatem ſignificans.

Omnia qui video, per quem videt omnia tellus, Mundi oculus. Sic Cicero pro lege Manilia Corinthum totius Græciæ lumen appellat. Et apud Ioannem Euangeliſtam variis in locis Criſtus ſe vocat ὁ φῶς τοῦ κόσμου. Quadrabit in hominem omnibus ſapientiæ numeris & virtutum inſignibus inſtructum, Reipub. ſummè vtilem ac neceſſarium.

## Ars cenſus, opera vita. 26

Meretur recipi inter parœmias hoc vulgò omnibus decantatiſſimum, cùm hominem non patriis opibus vitam tueri, non amicorum ſubſidiis niti, nec partis frui, aut dote vxoris beatum propinquorúmue hereditate locupletatum, ſed quotidiana opera & opificio vel arte ſe ſuámque familiam alere ſignificabimus. Alterum legitur apud Ouid. Metamorph. 3.

Pauper & ipſe fuit, linóque ſolebat & hamis
Decipere, & calamo ſalientes ducere piſces:

Ars illi ſua cenſus erat. Alterũ exſtat apud Terent. in Phor. Pauper, cui opera vita erat, ruri ferè ſe continebat. ibi agrum de noſtro patre Colendum habebat.

## Ocyma cantare. 27

Satyrographus ille diſertiſſimus (ſic enim à D. Hieronymo laudatur) qui teſte Fabio, multum vereq́ue gloriæ aſſequutus eſt vnico libello, lepidiſſima ἀλληγορίᾳ prouerbiali, Ocyma cantare, pro probris, conuitiiſque adſpergere, & maledictis inſectari dixit ſaty. 4. vbi, cùm genus &

Ayuntamiento de Madrid

formam tanquam eximias naturæ dotes iactātet Alcibiades efferret, alioqui teneræ ætatis imbecillitate ad Rempublicam gerendam parum idoneus, præſertim rerum vſu deſtitutus & veri rectique ſordidus auctor: Socrates eodē loco nihilo meliorem facit Baucide Pannucia, diſcinctum ſocordémque vernam maledictis grauiter impetente. Perſij verba hæc ſunt:

Dinomaches ego ſum. ſuffla, ſum candidus: eſto;
Dum ne deterius ſapiat Pannucia Baucis,
Cùm bene diſcincto cantauerit ocyma vernæ.

Senſus eſt, Iacta, quantum vis, natales claros, egregiámque corporis pulchritudinem. ſi ingenium ſordidum ſit, & prudentia rerúmque ſolertia abſit, nihilo melior es vinoſa & ſuffarcinata aliqua anu, ætate & vino delirante (talis enim inducitur Baucis) quæ probè defricat cōuitiis ſocordem & diſſolutum ſeruum domi natum. Ducta eſt allegoria à veterum more inter ſerendum ocymum vſurpato: quod teſte Plutarcho & Plinio, li.19.cap.7. creditum eſt prouenire copioſius & felicius, ſi maledictis additis ſereretur. Eodem planè ſenſu, eademque figura prouerbiali poſſumus, dicere, Cuminum ſerere: quod etiam auctor eſt Plinius, cum imprecatione ne exeat, poſtquam ſatum fuerit, terra adacta pauitur.

## Gratiis lita. 28

Non potuit feſtiuius aut magis prouerbialiter dici, quā eſt à Platone Athenienſi philoſopho dictum ad Xenocratem diſcipulum ſuum, qui ſemper teſte Laërtio lib.4. tetrico vultu & ſeuero habitu incedebat, nulla animi hilaritate oſtenſa, nulla oris facetia, frontíſque nitore triſtem ſeueritatem mitigante ac temperante. Volens igitur Plato ſeueri grauiſque ac vultuoſi, ac proinde moleſti hominis mores comi quodam blandéque feſtiuo habitus genere componi ornaríque, illū θύειν ταῖς χάρισι iuſſit; quòd gratiæ iudicantur ſemper à Poëtis, liberali oris effigie, & renidenti facie, ſolutiſque zonis. Hoc dicto caſtigabimus ſuperciliosſum aliquem Theologum, vel turbulentum ſophiſtam. Et de inhumano ac barbaro: Nunquam ille Gratiis lituit.

## Κάλλιστ' ἐνδοῖ πᾶσαι. 29

Ayuntamiento de Madrid

Κάλλιστ᾽ ἔνδοι πάντα, ὁ τὰν νυὸν εἴπ᾽ ἀποκλάξας: Clauſa domi ſponſa, quidam, Sūt omnia rectè, dixit. Citatur prouerbij titulo à ſcholiaſte Theocriti. Natum à quodam, qui domi ſponſam cŏcluſerat, & adiiciētc; κάλλιστ᾽ ἔνδοι πάντα Sunt intus omnia rectè. Sub finem hiſtoriæ Domitiani in Tranquillo legimus, Cornicem in Capitolio elocutam, ἔσται πάντα καλῶς. Hæreditatem opimam, vel ſacerdotium opulentum nactus, oportunè hoc verſu animi ſui gaudiū prodet.

## Sicula aula. 30

Iuuenalis traducens ſæuitiam matronarūm Romæ in ſeruos ancilláſque mira libidine animi ad quanuis occaſionem iniquè & crudeliter verbis & verberibus debacchantium, earum domum tranſlatione prouerbiali Siculam aulam vocat. Aluit enim Sicilia priſcis ſæculis plurimos tyrannos miſerabiliter in humana corpora pro libidine graſſantes, vt Phalaridem, Dionyſium, & id genus monſtra exitialia. Carmen Iuuenalis ex ſat. 6. hoc eſt,

> Et cædit, donec laſſis cædentibus, exi,
> Intonat horrendum, iam cognitione peracta,
> Profectura domo Sicula non mitior aula.

Aptiſſimè vtemur de ciuitate, vel domo iniqui crudeliſq; principis ſatis ſuperbè & inſolēter omnia pro imperio gerentis, bonóſque, capite & fortunis oppugnantis, vbi, vt canit Ouidius, Victa pugnaci iura ſub enſe iacent.

Commodè etiam dicetur, de ſchola plagioſi alicuius magiſtelli ſæuitia & inſcitia furentis, qualem puer ego cognoui cuiuſdam re & nomine Κελομύξου, planéque Scythæ, cuius ſchola non leuius perſonabat verberum ſtridore Sicula aula Phalaridis aut Dionyſiorum. Vſque adeò ſuaue erat homini eiulantium puerorum voces audire, & longiſſimo temporis ſpatio cæſorum lacrymis ac gemitu miſerabili paſci. Nomē tacebitur, terra aquíſque obruendum, Vulcanóque ſacrandum. Faceta eſt Diogenis χρεῖα: & proxima prouerbio, de gymnaſio Euclidis, οὐ σχολὴ, ἀλλὰ χολή: Et Platonis ludum, non διατριβὴν, ἀλλὰ κατατριβὴν appellātis. Quibus verbis miro cum lepore hæreticorum ſophiſtarúmque certamina inſectabimur.

Ayuntamiento de Madrid

## Orba Tigride peior. 31

Vſus eſt idem Iuuenalis, ſat.6. de ſupra modum ſæua & impotenti mátrona, zelotypia laborante.

Tunc grauis illa viro, tunc orba tigride peior.

Metaphora hyperbole eſt, à natura & ingenio tigridis, quæ raptis catulis pernicitate incredibili raptorem perſequitur, donec vel prædam eripiat, vel in nauem fugere compellat; ne ſic tamen ceſſante eius feritate, etſi irrita. Plin. 8, 18 Tigridis feritatem notat & Virgilius Æneid. 4. Hircanæque admorunt vbera tigres.

## Antiphates trepedi laris, & Polyphemus. 32

Patremfamiliâs in ſeruos ancillásque verberibus & cæde ſæuientem, vxori filiíſque ſuis vehementer infeſtum ac terribilem, omnibuſque tam domeſticis quàm alienis ob morum impotentiam animíque atrocitatem intolerabilẽ & exitialem, eleganter hoc verſu truncato Iuuenalis appellare licebit, quod exſtat ſat. 14.

An ſæuire docet Rutilus, qui gaudet acerbo
Plagarum ſtrepitu, & nullam Sirena flagellis
Comparat, Antiphates trepidi laris, ac Polyphemus?

Exſtat Odyſſ x mentio Antiphatis, Læſtrygonum regis. incoluiſſe autem Leontinam regionem in Sicilia Læſtrygones referuntur. Fuerunt immanes barbarique homines, eodem Homero auctore, qui hoſpitum carnibus veſcebantur. Quod etiam Vlyſſis ſocij, eodem Antiphate iubẽte, mactati, experiebantur, ne Vlyſſi quidem parſuri, ſi non velocitate remorum periculum vitaſſet; & tamen non niſi multis nauibus & ſociis amiſſis euaſit. Cæterùm de Polyphemo exſtat fabula apud Homerum & Virgilium nemini non aperta eorum qui Muſarum ſacris vel leuiter imbuti ſunt.

## Ὀπιπτεύειν πολέμοιο γεφύρας. 33.

Argutia, feſtiuitate, alluſione & tranſlatione ſcatet illud Hom. Iliad. δ. Agamemnonis ad Diomedem:

Τί πτώσσεις, τί δ' ὀπιπτεύεις πολέμοιο γεφύρας;

Agamemnon ergo inſtruens aciem Argiuorum aduerſus Troianos violati fœderis reos, ſauciato per inſidias Menelao, cùm phalãges pleraſque ſuorũ luſtraſſet, alios exhor-

Ayuntamiento de Madrid

tando, alios increpando, quoſdam etiam laudando vtpote paratos circumiens agmina, cùm ad Diomedem veniſſet, his verbis illum obiurgauit:

Ω' μοι τυδέος υἱὲ δαΐφρονος ἱπποδάμοιο,
Τί πτώσσεις; τί δ' ὀπιπεύεις πολέμοιο γεφύρας;

Ea quanquam difficilius reddi queant, Latinè verti tamen.

Progenies, quam fortis equis, quam fortis in armis,
Produxit Tydeus, nam quis metus vrget inertem
Et belli pōtem circum ſpectare coëgit?

Vſus erit in ignauum, ſibíque, vt Terentius ait, poſt principia cauentem, qualem hoc loco Diomedem ſuggillat Agamēnon. Nec incommodè iacietur in ſophiſtam veris rationibus impeditum, & concluſum, vtque ſeſe extricet & explicet ad ridiculas elenchorum captiunculas confugientem. Par iudicium de hæreticis ſophiſtarum primipilis, vel ſubſidiariis, qui argumentis ſolidis deſtituti, fictis criminibus aduerſarios ſuos impetunt, modò dicant, quid dicant, non curantes.

Ξυνηρετμεῖν. 34

Vnà remum ducere. Metaphora eleganti vſus eſt Vlyſſes apud Sophoclem in Aiace, cùm vellet ſignificare, vti amicitia, auxilio, ſtudio, & beneuolentia mutua. Ea ſi ad res animi transferatur, in prouerbium trahetur ſumma feſtiuitate: vt, ſi amico dicamus; In litteris prouehendis oportet nos ξυνηρετμεῖν. Aduerſus hęreſes vndequaque graſſantes oportet catholicos homines vnà remum inpellere. Hæreticorum phalanges ad labefactandum Eccleſiæ ſtatum (vt Sophoclis vocabulo vtar) ξυνηρετμοῦσιν. Is ſic habet,

Ε"ξεστιν οὖν εἰπόντι τ' ἀληθῆ φίλῳ
Σοὶ μηδὲν ἧσσον ἢ πάρος ξυνηρετμεῖν;

Licet igitur mihi vera verus ſi loquar, Tibi, vt antè, amicus eſſe remigij comes?

Α"ιθ' ὄφελες τ' ἄγονος τ' ἔμεναι ἄγαμός τ' ἀπολέσθαι. 35

Non eſſes vtinam natus, celébsue periſſes. Hector accuſans & acerrimè traducens fratris ſui Paridis degenerem imbellemque animum, adeò vt ne vultum quidem, aut cōgreſſum hoſtis ſui ſuſtineret adſpicere, cui tamē ante hoſpitali iure violato vxorem eripuerat: hoc illum verſu deteſta-

Ayuntamiento de Madrid

teſtatur. Optaret ergo potius non naſci eum vel abſque nuptiarum fœdere aut iure vllo periſſe, quàm eò prorupiſſe temeritatis & flagitij, vt alienum thorum inuadendo ſibi dedecus & exitium, hoſtibus gaudium, patriæ deuaſtationem & excidium, parentibus luctum, & indigna ſuorũ funera peperiſſet. Atque hanc ſententiam ſæpiſſimè exclamauit Cæſar Auguſtus fortuna deſtitutus τῆς εὐπαιδίας, vidẽs domũ ſuam liberorum nepotúmque ac neptium probris & flagitiis fœdè dehoneſtari. Nam referente Suetonio ad omnem Agrippæ & Iuliarum mentionem hoc verſu infelicitatem ſuam teſtatus eſt. etſi mutata perſona apud eundem ὄφελον legatur. Retulit enim ad perſonam ſuam, eoque fortè non malè accentu mutato ſic legi poſſet, Αἴθ' ὄφελον τ' ἄγονός τ' ἔμμεναι ἄγαμός τ' ἀπολέσθαι. Quanquã priorem lectionem, vt aptam nolim contemnere. In vſum trahemus, cùm pertæſi liberorum ignauiam, aut noſtram in ſobole educanda atque inſtituenda, infelicitatem ſtomachãdo deplorabimus. ſicque poterit Auguſti mutatio ὄφελον competere, præſertim vbi ſeorſum vt facimus & ſine arbitris. Alias cùm apertè liberos deteſtamur, ſocordia & flagitiis eorum offenſi, timentes famæ bonis, & vitæ, non erit perſona mutanda. Poterit etiam ab alieno, vel matrefamiliâs dici in hominem peſtifera & flagitioſa ſobole dehoneſtatum,

Νίκη δ' ἐπαμείβεται ἄνδρας. 36

Alternátque viros victoria. Poſſit hoc Homeri carmen Iliad. ζ. in prouerbium cadere: quando victos nos, ſed minimè territos tamen, nec ſpem animúmque depoſuiſſe ob ſortem aduerſam ſignificabimus. Nam hunc locum παραφραστικῶς interpretatus Virgilius Æneid. 11. verbis Turni ſic differit.

Multa dies, variúſque labor mutabilis æui
Rettulit in melius: multos alterna reuiſens,
Luſit: & in ſolido rurſus fortuna locauit.

## Maledicus à malefico non diſtat, niſi occaſione. 37

Oſtenſurus Quinctilianus lib. 12. quàm fœdum & illiberale ſit patrono cõuiciis rem gerere, & certare inter dicẽdũ ſiue veris ſiue fictis, & vti canina facundia, vt Appius

C

dicebat; non dubitat maledicum parem malefico facere, vt ſola diſcrepent occaſione:nimirum ſubindicans conuiciatori & maledico ad malefaciendum & nocendum aduerſario expromptam eſſe voluntatem; modò daretur locus & tempus idoneum lædēdi,quæ in foro, in ipſa actione commodè fieri nequeunt;quanquam abundè ſatis malefica ſit conuiciandi libido.Vtrum verò hanc ſententiam excogitarit ex tempore,an alicunde deprompſerit,difficilis exiſtimatio. Ratio potior propiórque videtur, alicubi lectā in medium adduxiſſe, vel vulgo ſparſam ſubieçiſſe. Sin minus:argumento debili,& latius probando, rationéque maioribus rationibus fulcienda,ſi ſibi credi velit,vſus eſt.Sed ipſius verba perpendamus.At quidam etiam,ſi fortè ſuſceperint negotia paulò ad dicēdum tenuiora,extrinſecus adductis ea rebus circumliniunt: ac, ſi defecerunt alia,conuitiis implent vacua cauſarum,ſi contingit, veris, ſin minus, fictis, modò ſit materia ingenij, mereatúrque clamorem dum dicitur:quos ego adeò longè puto ab oratore perfecto, vt eum ne vera quidem obiecturum, niſi id cauſſa exigit,credam. ea eſt enim prorſus canina,vt Appius dicebat,eloquentia,cenſuram maledicendi ſubire. quod facientibus, etiam malè audiendi præſumenda patientia eſt.Nam & in ipſos fit impetus frequenter qui egerunt,& certè patroni petulantiam litigator luit. Sed hæc minora ſunt illo ipſo vitio animi, quo maledicus à malefico non diſtat nihi occaſione.Turpis voluptas & inhumana,& nulli audientium bono grata,à litigatoribus quidem frequenter exigitur, qui vltionem malunt quàm defenſionem. Hactenus ille.Iam hîc mihi vide, quàm ſolida ſit oratio ad probandum grauius eſſe cadere in vitium animi, quo maledicus à malefico tantum diſtet occaſione, ſuperioribus illis duobus, nempe, in ſe prouocandi impetus conuiciis aſperſorum, & defenſi cauſſam petulantia linguæ reddendi deteriorem:cùm priora illa ſatis eſſe in vitio conſtet, nec probatione opus ſit, poſtremum hoc argumentis adſtrui oporteat: ſi non ſententiam vulgò vel doctis ſaltem tritam vſurpaſſet. Vti licebit, cùm taxabimus ſcriptoris vel eccleſiaſtæ alicuius maleferiatam conuiciandi cæteris libidinem :quo morbo ſophiſtæ potiſſimum laborant.Vel cùm notabimus intemperantis, & ef-

Ayuntamiento de Madrid

frenis linguæ paſſim bonis eruditiſque maledicta ingere-tis procacitatem.

## Cede Deo, 38

Tam frequens eſt apud omnes ſcriptores præcipuè Virgilium Æneid.5. Cedere Deo, fortunæ, fatis melioribus, vt nihil ſupra. Interpretes tamen huiuſmodi iubent, vt vtar Homericis, ἐς πληθὺν ἰέναι, tanquam nihil præ cæteris eximij habentia, alias ſæpè ἀκριτόμυθοι, vbi nihil opus eſt. Ergo ab Homero natum eſt fonte omnium ingeniorum: qui ſic Menelaum concionantem inducit, ſecumque deliberantem, an Hectori congrediatur Troianorum armis ſæpto, qui ad diripenda Patrocli arma properabat, an potius cedat virtuti diuinitus adiutæ. Eius verba hæc ſunt:

Ὁππότ᾽ ἀνὴρ ἐθέλει πρὸς δαίμονα φωτὶ μάχεσθαι,
Ὅν κε θεὸς τιμᾷ, τάχα οἱ μέγα πῆμα κυλίσθη.
Τῷ μ᾽ οὔτις Δαναῶν νεμεσήσεται, ὅς κεν ἴδηται
Ἕκτορι χωρήσαντ᾽, ἐπεὶ ἐκ θεόφιν πολεμίζει. (uerti.

Hæc nõ adeò aptè, ſic tamẽ vt vtcũq; intelligi poſſint, cõ-
Numine nam læuo quiſquis pugnauerit illi,
Qui ſuperûm cura eſt & amor, mala deuocat vltro
In caput ille ſuum. Nec me culpetis, Achiui,
Hectora ſi declino, Dij cui tela miniſtrant.

Extat apud Eugubinum lib.3. de perenni philoſophia elegantiſſimum pantaſtichon in eandem ſententiam. Æmulatus quiſpiam erat Byſanum, ergo Phœbus, pro æmulo eo ſciſcitanti cuidam ſic reſpondit:

Ἔρχεο, καὶ παλίνορμος ἐπείγεο, καὶ λέγε τοῦτο,
Οὕνεκε Φοῖβος ἀνώγει ἀμείνονι φωτὶ μάχεσθαι.
Κείνῳ γὰρ θεὸς αὐτὸς ἑλὼν ὑπερέχει χεῖρα,
Ὃν καὶ γῆ τρομέει, καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν,
Πόντος τ᾽, ἠέλιός τ᾽, ἠδ᾽ ἠέριον χάος αὐτό.

Homerus Iliad.χ. vbi Priamus ad filium Hectorem.

Ἕκτορ μή μοι μίμνε φίλον τέκος ἀνέρα τοῦτον,
Οἶος ἄνευθ᾽ ἄλλων, ἵνα μὴ τάχα πότμον ἐπίσπῃς,
Πηλείωνι δαμείς, ἐπεὶ πολὺ φέρτερός ἐστιν.

Et Iliad.ε. Apollo ſic loquitur Diomedi,

Φράζεο Τυδείδη, καὶ χάζεο, μηδὲ θεοῖσιν
Ἶσ᾽ ἔθελε φρονέειν, ἐπεὶ οὔποτε φῦλον ὁμοῖον.



Ayuntamiento de Madrid

Ἀθανάτων τε θεῶν, χαμαὶ ἐρχομένων τ' ἀνθρώπων.

Ibidem,

Ἀλλὰ θεοὺς τρῶας τετραμμένοι αἰὲν ἐπίοντα
Εἴκετε, μηδὲ θεοῖς μενεαινέμεν ἶφι μάχεσθαι.

## Inuiſus vt Orci portæ. 39

Comparatio illa Homerica, qua affirmat Vlyſſes mendax & fraudulentus ſi quis alius, mendacem hominem & vanum, qui ventris ſtudio & paupertate coactus falſa nũciat, non aliter quàm inferorum portas ſibi eſſe exoſum; prouerbialis eſt. Exſtat autem Odyſſea ξ,

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσι
Γίγνεται, ὃς πενίῃ εἴκων ἀπατήλια βάζει.
Namque mihi inuiſus tanquam ſæui oſtia Ditis,
Verba doloſa loquens, quia paupertate coactus.

Huic ſimile eſt illud Iliad. γ.

Ἶσον γάρ σφιν πᾶσιν ἀπήχθετο κηρὶ μελαίνῃ.
Sic erat exoſus, veluti mors omnibus atra.

## Ὀλοαῖς μανίαις. 40

Peſtiferis furiis. Theocritus ſignificare volens Polyphemum ita indulſiſſe amoribus nymphæ Galatheæ, vt omnia præ his bona & honeſta contempſerit, cæcoque furore impotentem nec pudorem nec modum ſuæ libidini ſtatuiſſe, huiuſmodi proponit carmina, εἰδυλλίῳ ια.

Ἤρατο δ' οὔτι ῥόδοις, οὐ μάλοις, οὐδὲ κικίννοις,
Ἀλλ' ὀλοαῖς μανίαις.
Et non ille roſis, non malis, cæſariéue,
Sed ſæuis furiis arſit.

## Lingua prædatur. 41

Elegans eſt illud Heſiodi & claſſi adagiorum adſcribendum, ἀπὸ γλώσσης ληΐσσεται. De homine parato turpis compendij & lucelli ergò omnia humana & diuina iura periurio violare, & ad omnem ſpem & occaſionem quæſtus & rapinæ, dolis & malis artibus linguam ſuam exponente. Heſiodi verba hæc ſunt, ἔργων καὶ ἡμερῶν α.

Χρήματα δ' οὐχ ἁρπακτά, θεόσδοτα πολλὸν ἀμείνω.
Εἰ γάρ τις καὶ χερσὶ βίῃ μέγαν ὄλβον ἕληται,
Ἢ ὅγ' ἀπὸ γλώσσης ληΐσσεται, οἷά τε πολλὰ
Γίγνεται, εὖτ' ἂν δὴ κέρδος νόον ἐξαπατήσῃ
Ἀνθρώπων, αἰδῶ δέ τ' ἀναιδείη κατοπάζῃ.

Ayuntamiento de Madrid

Ῥεῖα τὲ μιν μαυροῦσι θεοὶ, μινύθουσι δ᾽ οἶκοι
Α᾽νέρι τῷ, παῦρον δέ τ᾽ ἐπὶ χρόνον ὄλβος ὀπηδεῖ.

Hæc vtcumque expreſſi Latinis verſibus:

Eſt ſatius tribuente Deo non fraude paratas
Condere opes. Etènim quiſquis conuertit auaras
Vi, manibúſque facultates, linguáue doloſa
Compilat plebem (quæ paſſim plurima fiunt)
Cùm maleſuadus habet mortalia corda cupido,
Conſequitúrque pudorem audacia non verecunda,
Hunc facilè immergunt tenebris dij. conteritur res
Parta domi, paucóſque dies fortuna ſequetur.

Hinc videri poteſt depromptum illud omnibus familiare apud Latinos. Malè partum, malè dilabitur.

## Num capti potuere capi. 42

Contraria illa vocum συζυγία vel ſi mauis ποσωνυμασία, quæ Iunone quæritante, exſtat apud Virgil. Æneid. 7. miram auxeſim habet & emphaſim turbulentiſſimam, meritóque Adagiorum locum occupabit, cùm ſignificabimus nobis rem eſſe vel fuiſſe, vt negotium vel litem, vel bellum cum inuictis, immanibus & importunis, nulla re vel miſeria fractis, aut frangendis, nullo diſcrimine feſſis, aut fatigandis: vſque eo, vt ne victi quidem victoriam tradant: ne capti quidem capi poſſe agnoſcant, nihilo ſecius ac rebus ſaluis & integris, fortem & intrepidum animum ſemper præſtantes.

Virgilius ſic habet:

Heu ſtirpem inuiſam, & fatis contraria noſtris
Fata Phrygum! num Sigæis occumbere campis,
Num capti potuere capi? num incenſa cremauit
Troia viros.

## Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta mouebo. 43

Iuno apud Virgil. Æneid. 7. mirabili vſa αὐξήσει περιμαχῇ, huiuſmodi carmen proponit minando,

Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta mouebo.

Quo etiã vti aptiſſimè poterit is, qui ita obſtinatè enititur animi ſui propoſitũ exſequi, vel obſequi affectibus, vt nihil penſi habeat, dum id efficiat, piène, an impiè, immaniter, an humaniter: diuina ope, an diabolica id conetur, ſic



Ayuntamiento de Madrid

vt nihil ſibi ad laborẽ faciat reliqui. Hoc carmine vti poterat Suencfeldius, cùm diuinis ſcriptis Chriſtianos excludit, eorum vſu & lectione antiquata & abrogata: cùm docet voces cæleſtes, viſa, ſomniáque literis ſacris (vt ille inſanit) viuidiora, viuacioráque, magiſque Chriſtianæ ſimplicitati congruentia, indigniſſimè interea & crudeliſſimè multis ſacræ ſcripturæ locis contaminatis. Poſſunt etiam vti alia hæreticorum mõſtra in vltimas terras deportanda, quæ huc extremas vires conferunt, ſéque in omnes formas vertunt, vt ſacrarum litterarum teſtimoniis, exemplis, & ſententiis perperam detortis veterem catholicæ eccleſiæ doctrinam, inſtituta, legéſque conuellant, diſſipent, extinguant. Sed quod Herodotus ait, Non ſtatim cum principio etiam finis apparet, Nec ſemper feriet, quicunque minabitur arcus.

Verba Virgilij paullò altiùs repetita, quia etiam ſenſum & vſum adagij ſatis indicant, ſubiicio:

Aſt ego magna Iouis coniux, nil linquere inauſum
Quæ potui infelix, quæ memet in omnia verti,
Vincor ab Æenea. Quòd ſi mea numina non ſunt
Magna ſatis, dubitem haud equidem implorare
quod vſquam eſt?
Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta mouebo.

## Cælum in tartara ſoluere. 44

Quemadmodum prouerbio dicimus, Cælum terræ miſcere, & mare cælo, quod vtrumque apud Iuuenalem ſat. 2. reperitur, ita quoque Virgilius, Tellurem vndis miſcere, cælumúe in tartara ſoluere vſurpat. Huiuſmodi enim propemodum idem ſignificant, nempe, omnia perturbare, rerumque vniuerſi naturam euertere & confundere. Æneid. 12.

Quo res cumque cadent: nec me vis vlla volentem
Auertet: non ſi tellurem effundat in vndas
Diluuio miſcens, cælumúe in tartara ſoluat.

## Albati ad exſequias, pullati ad nuptias procedunt. 45

Staniſlaus Hoſius pontifex eccleſiæ Varmienſis in Prutenia, vir egregius, ſingularíſque Chriſtianæ regionis defenſor, in explicatione Synodi Petricouiẽſis, vbi agit de cære-

Ayuntamiento de Madrid

moniis à tempore ſumptis, citat ex Sydonio Aruernorum epiſcopo, elegans adagium his verbis: Procedunt albati ad exſequias, pullati ad nuptias. teſtatúrque conuenire iis, qui præpoſtero iudicio hilarem ſumũt diem gaudióque ac lætitia exſultant, quando luctus & mœroris ſigna erãt exhibenda; contráque lugentibus ac mœrentibus, vbi lætari ac gaudere oportebat. Pullata enim veſtis decet exſequias: at nitidos & albatos congruit nuptias accedere.

## Alcinoo poma dare. 46

Merè prouerbiale eſt illud Martialis poëtæ facetiſſimi pariter & lepidiſſimi, quod συγχρόνος eius iniquè ſtudii ſodalis ἀμείπεται ſatyr. 5. Alcinoo poma dare. Quando tenuis rei vel facultatum homo magnis opibus abundanti, eiúſque quod datur largiſſimè diuiti munus aliquod χαμαίλιον offert dedicátque: Vel cùm tenuioris eruditionis vir ſummo excellentíque ingenio viro, ſummáque doctrina nobili ingenij aliquod leuidenſæ, vt ait Cicero, munuſculum nuncupat: quod nec ſic faſtidiri conuenit, contra quã faciunt ſuperciliosi quidam Thraſones magna inſolentia & ſtultitia dementi reiicientes: ſiquid eiuſmodi aliquando contigerit, lædi inclytam maieſtatem ſuam arbitrantes, ſi cogantur huc deſcendere, vt humilia accipiant, vel legant. Martialis lib. 7. ad Caſtricium modo quo expoſuimus vtitur, cuius hæc ſunt verba,

Muneribus cupiat ſi quis contendere tecum,
　Audeat hic etiam, Caſtrice, carminibus.
Nos tenues in vtroque ſumus, vincíque parati:
　Inde ſopor nobis, & placet alta quies.
Tam mala cur igitur dederim tibi carmina, quæris?
　Alcinoo nullum poma dediſſe putas?

Iuuenalis ſatyr. 5. taxãs Trebum amicum, qui ſe paraſitum Virroni cuipiam opulento exhibebat, omni contumeliarum genere quotidianíſque probris à diuite illo vexatus, ad prouerbiũ ſuperius alludit carminibus quę ſubiiciã: etſi poma Alcinoi de ſapore & guſtu ſuauib⁹ & delicatiſſimis, ſpecie pro genere vtendo, licebit dicere etiam prouerbiali colore:

Virro ſibi & reliquis Virronibus illa iubebit
Poma dari, quarum ſolo paſcaris odore,



Ayuntamiento de Madrid

Qualia perpetuus Phæacum auctumnus habebat.

Alcinoi pometum (ſic enim Tertullianus loquitur) graphicè deſcribit Homerus Odyſſ.η.

## Celer, vt mens, vel ala. 47

Τῶν νέες ὠκεῖαι, ὡσεὶ πτερὸν ἠὲ νόημα.

His naues celeres, vt mens, vtque ala feruntur.

Verſus eſt Hom. Odyſſ.η. de nauibus Alcinoi Phęacum regis, quem, vt hyperbolicum & vulgato ſermone vſurpatũ, nõ ineptè trahemus ad omnia quæ pernicitate inſigni celeritatéque valent. πτερὸν ala, vel alata ſagitta.

## Ἄπτερος μῦθος. 48

Fabula abſque pennis, vel inalata, pro fabula grauis ponderis, citò auribus excipienda, interiúſq; recondenda, ne obliuione pereat, omnino prouerbialiter ab Homero Odyſſ. 17. vſurpatur, vbi legitur, Ὣς ἄρ᾽ ἐφώνησεν, τῇ δ᾽ ἄπτερος ἔπλετο μῦθος. i. teſte Euſtath. μὴ ἀποπτὰς ἀλλ᾽ ἐπιμείνας τῇ πηνελόπῃ. i. Vbi Telemachus dicere deſiiſſet, verba Penelopæ aures allapſa, imo eius pectore ita inhæſerunt, tanquam alis carerent omnino, neque viderentur denuò euolatura. Aliis ἄπτερος valet, ταχὺς καὶ ἰσόπτερος; ſed diuerſo ſenſu. Sacræ litteræ ἄπτερος μῦθος vel λόγος eleganter vocabuntur, vt velociter auribus admittendæ, mentéque ima ſemper obuerſandæ.

## Τοὺς ἄλλους ἐράνιζ᾽, ἀπὸ δέκτορος ἴσχεο χεῖρας. 49

Nummum poſce alios, caue poſce ab acceptore. In aliis legitur. Τοὺς ἄλλους ἐνάριζ᾽, ἀπὸ δ᾽ Ἕκτορος ἴσχετο χεῖρας. Caſtigationem ſuperioris verſus, vt videtur, Homerici à Diogene per metatheſim vſurpati, debemus Paulo Leopardo, quo non alium habet Flandria noſtra ingeniorum ferax vel humaniorem vel doctiorem, legendo ἐράνιζε, id eſt, ſtipem poſce, & δέκτορος, à δέχομαι, commodè vtemur, cùm ioco petaces à nobis remouebimus: item ſeriò, cùm monebimus amicum, vt auari aut copioſi ſed improbi hominis opes nę attingat; vel, cum potentiore ne litem ſuſcipiat. Sin magis placet, ἐνάριζε id eſt, ſpoliabat, & ἕκτορος, qui ab ἔχω dictus videtur, quadrabit in eum, qui infirmum & pauperem arrodit, eiúſque facultatibus inſidias ſtruit, intacto potentiore.

Ayuntamiento de Madrid

Caput hoc ventoſa cucurbita quærat. 50

Sicut qui parum ſanæ mentis eſt, vel helleboro indigere dicitur, vel Anticyris dignus; ſic non minus lepidè & facetè Iuuenalis ſtultum & inſanum hominẽ ventoſam cucurbitam quærere iubet, quod ipſum tam prouerbiale eſt, quã illa ſuperiora. Locus eſt ſatyr. 14.

Vnde tibi frontem libertatémque parentis,
Cum facias peiora ſenex? vacuúmque cerebro
Iampridem caput hoc ventoſa cucurbita quærat?

Siue autem per cucurbitam intelligas κολοκύνθην, quę ſumpta humores cerebri actionem impediẽtes potenter educit, ſiue etiam τὴν σικύαν, quam vẽtoſam dicimus, qua ſanguis leui ſcarificatione educitur; eôdem recidit.

Anima vna. 51

Μία ψυχή. De concordibus animis dicetur, quorum ſit tanta non modò rerum fortunarúmque omnium communio, ſed adeò ſolida tribalíque (quod aiunt) clauo voluntatum commiſſio, vt eadem pænè ſubſtantia, eadem natura plurium, non diuerſæ, nec plurium ſingulæ animæ, ſed vna eadémque pluriũ eſſe videatur. Vſus eſt hac διανοίᾳ Ouid. Metamorph. 3. vbi Narciſſum de vmbra ſua in limpidiſſimis aquis egregiam adoleſcentis formam exprimente, quam amatorem putabat, inducit loquentem:

Nunc duo concordes anima moriemur in vna.

Lucas item Euangeliſtes Act. 4. de primitiua Eccleſia mox ab aſcenſu Chriſti in cælum ſancita rerum omnium communicatione & concordia mentium ac voluntatum vſa, ſic narrat. Τοῦ δὲ πλήθους τῶν πιστευσάντων, ἦν ἡ καρδία, καὶ ἡ ψυχὴ μία.

Τεγεάτης. 52

Cum Diogene Cynico impudicum impudicámve τεγεάτην poſſumus appellare, non ſecùs ac Galli libidinoſam puellam vel matronam *de Bordeaux* dicunt voce ambigua & oppidum, & proſtibulum indicante. Sic Tegeates ex Lupanari & Tegea Arcadiæ oppido ortus prouerbiali cõuicio appellabitur.

Σειρὰ Διὸς χρυσῆ. 53

Iouis catena aurea. Hactenus noſtrę ætatis neminem ex adagiorũ interpretibus fuiſſe, qui explicaret τὴν ἀλληγορίαν

παροιμιώδη, quæ exſtat apud Homerum Iliad. θ. & apud Orphea in Argonauticis, mirari me, fateor. Eraſmus in Cõuiuio fabuloſo, neſcio quid innuit principes, inferiorũ bona per præfectos tanquam per catenam ad ſe rapere. Mihi verò longè aliud voluiſſe Homerum perſuadeo: cùm hoc epiphonemate claudat concionem ſuam Iuppiter:

Τόσσον ἐγὼ περί τ᾽ εἰμὶ θεῶν, περί τ᾽ εἰμ᾽ ἀνθρώπων.

Tantum ego præcello diuos, præcello hominéſque. Et cùm Minerua reſpondeat patri quaſi obſcuriorem orationem eius declarans hoc carmine:

Εὖ νυ καὶ ἡμεῖς ἴδμεν ὅτι σθένος οὐκ ἐπιεικτόν.

Nouimus & robur non eſſe domabile. Dicetur ergo Iouis catena aurea, prouerbialiter de immenſa potentia cũ pari opum ſplendore, generis claritate, & virtutum omniũ ornamentis coniuncta, nullis caſibus obnoxia, nullis viribus humanis deiicienda, per ſe munita & valida, alióſque vel extollere, vel deprimere & attenuare potenti. Huius explanationis primus interpres ipſe Homerus prodeat, deinde Orpheus quanuis annis maior, vnde & Homerum ſumpſiſſe, coniectura non leui adducor; quippe per origi-nem oſtendat. Sed Homerum Iouis perſona ad cæteros deos deáſque orantem videamus:

Εἰδ᾽ ἄγε πειρήσασθε θεοὶ ἵνα εἴδετε πάντες,
Ζειρὴν χρυσείην ἐξ οὐρανόθεν κρεμάσαντες,
Πάντες δ᾽ ἐξάπτεσθε θεοὶ, πᾶσαί τε θέαιναι,
Ἀλλ᾽ οὐκ ἂν ἐρύσαιτ᾽ ἐξ οὐρανόθεν πεδίον δὲ
Ζῆν᾽ ὕπατον μήστωρ, οὐδ᾽ εἰ μάλα πολλὰ κάμοιτε,
Ἀλλ᾽ ὅτε δὴ καὶ ἐγὼν πρόφρων ἐθέλοιμι ἐρύσσαι,
Αὐτῇ κεν γαίῃ ἐρύσαιμ᾽ αὐτῇ τε θαλάσσῃ
Ζειρὴν μέν κεν ἔπειτα περὶ ῥίον οὐλύμποιο
Δησαίμην, τὰ δέ κ᾽ αὖτε μετήορα πάντα γένοιτο,
Τόσσον ἐγὼ περί τ᾽ εἰμὶ θεῶν, περί τ᾽ εἰμ᾽ ἀνθρώπων.

Quæ vtcunque verti:

Eia quid valeam diui facitote periclum.
Aurea ſublimi cælo demiſſa catena
Pendeat: hanc omnes diui verſate deæque:
Nec tamen ex cælo terram deducere ad imam,
Poſſitis Iouis auguſtum & ter nobile numen;
Sæpius hæc quanuis vos cura labórque fatiget.

Ayuntamiento de Madrid

At quoties hanc ipſe volam tractare trahendo,
Ad me ſubducam pariter terrámque fretúmque.
Deinde catena grauis figetur vertice Olympi,
Omnia qua ſubnexa ſimul ſublimia fient:
Tanto homines ſuperóſque omnes ſupero interuallo.

Catena aurea indicat & nobilitatem generis, & opũ ſplendorem:& quoniam inter metalla omnia auro virtus,& dignitas præcipua;vnde principibus viris catenæ aureæ familiaris geſtatio.Quod hanc cælo ſuſpenſam omnes Deos deáſque contrectare ille iubeat ſi forte queant ſolo deprimere:tanta ſe eſſe potentia ſignificat:vt nullus eam affligere & labefactare poſſit. Quod verò ſibi procliue ait eſſe cũ hac pariter terram & mare, hoc eſt vniuerſi naturam, in altum rapere,raptáque alligare cælo:omnium rerum imperium penes ſe vnum eſſè & cuncta pro arbitrio ſe moderari oſtendit,& excelſa & inſignia deprimere, & vt vtar Virgiliano adagio,fundo vertere,& ima extollere, quantum & quoties libeat.Non negauerim tamen, quod monent interpretes,Homerum his verſibus Iouem omnium rerum auctorem facere,& cuncta ab illo originem ducere: quod adeò nõ repugnat noſtræ interpretationi vt magnopere conferat.Immenſam namque potentiam & vires habere oportet,in quem referuntur omnia. Vertamur ad Orphei Argonautica.

Ὅσσά τ' ἔην γεγαῶτα, καὶ ὕστερον ὅσσα ἔμελλεν
Γίγνεσθαι Ζηνὸς δ' ἐνὶ γαστέρι σύῤῥα πέφυκε.
Ζεὺς πρῶτος γένετο, ζεὺς ὕστατος ἀργικέραυνος.

Condita quæ ſunt cunque,& quæ condenda ſuperſunt,
Omnia ea antè Iouis in ventre catena fuerunt.
Iuppiter altitonans primus fuit,vltimus idem.

Vſus prouerbij erit huiuſmodi:Chriſtus morte ſua tanquã catena Homerica omnia ad ſe pertraxit.Euãgelium Chriſti ſummos infimóſque tanquã Deos deáſque Homericas, aurea verborum catena ad ſe adduxit. Hunc hominẽ ſuæ eleemoſynæ cęteræq; virtutes,perinde vt catena Homeri, in cælum ſubducent. Pauli Apoſtoli heroicæ virtutes non ſecus ac catena illa apud Homerum terrę affligi nunquam poterunt.Sed vt magis occaſionem calumniandi omnem excludam,age proferantur ex oraculo dæmonis, citante Porphyrio ἐκ λογίων φιλοσοφίας ιο, elegantiſſima metra.

Ayuntamiento de Madrid

Ἀθάνατε, ἄῤῥητε, πατὴρ αἰώνιε μύστα,
Κόσμοιν ἀμφιδρόμων ἐποχούμενε, δέσποτα ἰώτεις
Αἰθερίας. ἀλκῆς ἵνα σοι μένος ἐστήρικται,
Πάντ' ἐπιδερκομένῳ, καὶ ἀκούοντι ὦασι καλοῖς.
Κλῦθι τέων παίδων, οὓς ἤγρσας αὐτὸς ἐν ὥραις.
Σὴ γὰρ ὑπὲρ κόσμοιν τε, καὶ οὐρανὸν ἀστερόεντα
Χρυσῆ ὑπερχεῖται πολλὴ αἰώνιος ἀλκὴ
Ἧς ὕπερ ἠώρησας, ἑλίσσων φωτὶ σεαυτόν.

Vides hanc Deo tribui auream poteſtatem ſuper mundum & cælum ſtelliferum, cùm voluerit ſummum & primarium imperium ea ratione, qua aurum reliqua omnia metalla dignitate antecedit, rectè ſignificare?

Οἴ οἱ μοι, τρίποδες στοναχήσετε, ὤχετ' Ἀπόλλων. 54

Heroicus verſus ex oraculo quodam Apollinis, quo poſt ſacroſanctum Euangelium Chriſti per Apoſtolos promulgatum interitum ſuum deplorat, & oracula abolitum iri. Extſtat autem apud Eugub. lib. de perenni philoſophia 3. Nos ſic reddidimus. Heu tripodes lugete, perit præſagus Apollo. Quo tempeſtiuè vtemur hac noſtra ætate ſignificaturi exploſum iri omnem barbariem, ſophiſtarumque garrulitati tandem ſilentium imponendum, inuecta politiorum litterarum luce, & liberalium honeſtarúmque artium & diſciplinarum admiſſis paſſim & in pretio habitis profeſſoribus. Vt enim Apollo ſe conſulentes ambiguis & perplexis reſponſis illuſit, incertioreſque domum remiſit quàm adeuntes acceperat, ita barbari ſuos alumnos inanibus Ixionis vmbris, & figmentis Archigenæ indigentibus miſerè torſerunt. Horum tripodes cum ſuis auctoribus omnibus ex ſcholis tandem aliquando profligatum iri, Dei benignitate inductis honeſtarum artium ornamētis, certiſſima ſpes eſt. Licebit etiam in hæreticos vibrare, ſic loquendo. Hæreticorum & impoſtorum tripodes tandem conticeſcent, vt illi Delphici. Plangent ſuos tripodes Anabaptiſtæ, ab eccleſia exturbati, non ſecus ac Apollo Delphicus. Hinc non diſſimile eſt, ſed eiuſdem planè ſenſus aliud eiuſdem, quod etiam volui proponere:

Οἴ οἱ μοι χρησμῶν ὑπολάμπεται ἠελγένεια:
Heu reſponſorum nobis lux deficit alma.

Quod ipſum quoque iocoſè iacietur in Dialecticos barbaros & omnes cuiuſcunque ordinis veteris inſcitiæ tele-

Ayuntamiento de Madrid

tas, quibus eo magis omnia placent, quo ſunt magis ſordida, impura, diſſoluta, & ab omni elegantiæ cultu magis aliena. Eorum ſcriptis & nugis, quibus nobiliſſima ingenia olim excruciabant, & planè deterrebant, cùm indicabimus ſubſannando nihil hodie eſſe contemptius, & vilius; dicemus, χρησμῶν ὑπολείπεται ἰερίγινα.

## Inuenies aliam Galatheam. 55

Adhortaturi ne quis ea captare pergat, quæ nequit aſſequi, ſed potius iuxta Terentium, id velit, quod poſſit: Vel animum cura & mœrore confectum ob felicioris ſtatus amiſſionem vel aduerſum caſum rerumque proſperarum iacturam ſpe meliorum accenſuri: oportunum illud Theocriti Idyl. ια. à Virgilio ſenſu non verbis redditum:

Ευρήσεις Γαλάτειαν ἴσως καὶ καλλίον' ἄλλαν.
Forſitan inuenies Galatheam vel meliorem
Forma aliam. Virgil. Ægloga 2.
Inuenies alium ſi te hic faſtidit Alexis.

## Pacem orare manu, præfigere pupibus arma. 56

Calumniam cum Virgilio Orco mandabo eorum, qui negabunt aſſignandum adagiis, quod apud Virgil. Æneid. 10. legitur à Iunone Iouis germana & coniuge dictum:

Pacem orare manu, præfigere puppibus arma,

Quo voluit ſignificare, ideo Troianos ſupplices eſſe Italis, vt mentiantur amicitiæ & concordiæ fœdera; quò ſecuros nihilque malorum metuentes ex improuiſo adortos ſubigerent, & opprimerent. Conueniet dici de iis, qui ſimulata beneuolentia, nihilo minus perniciem moliuntur: vel qui ita amicitiam prætendunt, vt interim tamen ad omnem occaſionem parati ſint lædere.

## Fornax ferrea. 57

Moyſes propheta exaggerans grauitatem ſeruitutis, qua Iſraëlitæ in Ægypto premebantur, laboribus intolerabilibus & iniuriis vexati & prorſus inhumaniter tractati ab Ægyptiis, huiuſmodi ſeruitutem τροπικῶς fornacem ferream vocat Deuteron. 4. & hunc ſequutus Salomon in dedicatoria templi oratione, & Hieremias cap. 11. Metaphora ſumpta eſt à fornacibus lateres torrentibus. Dicetur de neceſſitudine quacunque graui, & duriſſima ac

Ayuntamiento de Madrid

diuturna afflictione. Sic iugum ſeruitutis Turcicæ, quod Thraces, Phryges, Armeni, Græci & propemodùm vniuerſa occidentalis Aſia, bonáque Aphricæ, Europæque pars perferre cogitur, fornax ferrea iuſtè appellari poſſit.

## Oua aſpidum ruperunt. 58

Non dubito inter tot interpretes Latinos & Græcos, quorum exſtant commentarii in eminentiſſimum Vatem Eſaiam complures fuiſſe, qui allegoricam hanc παροιμίαν luculenter & ſcitè expoſuerint. Quorum quia mihi deſunt monumenta, alea ingenii tentanda eſt: donec adſit Palamedes aliquis, vel Theſeus potius, qui hærentem expediat, & oblata dextera tueatur. Propheta ergo volens oſtendere, quàm immanibus ſe ſceleribus incæſtaſſent Iudæi, quæ ſuis auctoribus exitio forent; per comparationem eos ſimiles facit iis, qui aſpidis oua ruperunt; quo non eſt aliud in ſerpentum genere tenacius iræ, magíſque vltionis auidum, dæmonis exemplo. Ingentia ergo ſcelera μεταφορικῶς vel ἀλληγορικῶς aſpidum oua rectè dicta ſunt, quia nimirum cacodæmonum virus, ſemen & partus crimina & peccata ſunt. Porrò rumpẽtes, ipſi peccatores, nullam ſuæ ſalutis rationem habentes, qui ouorũ aſpidis ruptione, hoc eſt, ſcelerum partu ſibi exitium accerſunt, mortémq; æternam ac ſecundam. Gemino nãque diſcrimini ſe exponunt. oua aſpidum rumpentes, vt vel à parentibus fœtum ſuum violatum dira vltione perſequentibus, vel ab ipſis fœtibus ex ouis ruptis erumpentibus vel excluſis læthο dedantur.

## Qui comederit de ouis eorum, morietur; & quod confotum eſt, erumpet in regulum. 59

Idem Eſaias deterrere volens ne quis ſocietatem haberet cum impiis, conſiliiſque acquieſcere Iudæorum, prophetis Chriſto eius inſidiantium, anceps periculum lætaléque iis proponit, qui id tentarent, huiuſmodi ἀλληγορικῇ παροιμίᾳ vſus. Qui comederit de ouis eorum, morietur, & quod cõfotum eſt, erumpet in regulum. Erit ergo oua aſpidum, qui impiorum & facinoroſorum familiaritate & ſocietate ſibi nocet; fouet verò; qui alios etiam à culpa vacuos dira lue conficere & labefactare ſtudet: vel impuros, flagitioſos, impióſque auxilio ſuo opibúſque iuuat & tutos reddit.

Ayuntamiento de Madrid

Vnde ſubditur in allegoria, erumpet in regulum; cuius ſerpentis afflatus proxima quæque ſæuiſſima lue corrumpit. De hoc ſerpente multa Plin. & Ambroſius, aliique phyſici. Nos breuitati ſtudentes, ne videamur aliena inculcare, conſultò his ſuperſedemus.

## Occidit ei Sol, cùm adhuc eſſet dies. 60

Hieremias vates indicaturus ciuitatem Hieroſolymorum cum populo ſuo grauibus calamitatibus oppreſſum & euerſum iri, etſi opibus viríſque potẽtem ac florentem, nihilque minus quàm duræ ſortis inclementiam metuentem aut exſpectantem, ſed tanquam media in luce de nocte ſecuram: hoc edidit oraculum: Occidit ei Sol, cùm adhuc eſſet dies. Traductum videtur à ſpurcis tempeſtatibus, quibus interdum ita eripitur cauſſa diei ſolis ſplendor: vt in atra nocte verſari ſe homines quota diei parte adhuc reliqua credant. Idem ſolet aliquando in eclypſi ſolis accidere, vt anno 1543. 24. Ianuarii, experientia deprehenſum eſt. Locus adagio erit, ſi quem egregium præpropera morte abreptum fuiſſe dicamus & viuere deſiiſſe, cùm ſe primùm viuere ſentiret, dulcéque putaret hac lucis vſura frui. Vel, cùm repentè ex magno rerum ſucceſſu, opúmque affluentia, & nominis dignitate in miſerias coniectum alicuius florentis Reipub. ſtatum innuere voluerimus.

## Nunquid fœderabitur ferrum ferro ab Aquilone, & æs? 61

Idem Hieremias ſanè perquam elegans vſurpat ἐρώτημα prouerbiale: Nunquid fœderabitur ferrum ferro? Quod recentiores ſic vertũt. Num ferrum affligit ferrum? Munſterus autem, Nunquid franget ferrum ferrum? non vitans amphibologiam caſus, nec colliſionem conſonantium: quam videtur hic refugiſſe vetus interpres. Omnis ſenſus hic mihi videtur ex præcedentibus & conſequentibus colligi poſſe. Meo præſidio fulta (loquitur autem ad Hieruſalem Deus) non eſt quòd metuas regem Babyloniorum, cùm non minus valida & inuicta ſis futura, quàm ille: vſque adeo autem munita eris (me ſuppetias ferente) vt vim vi repellere, armíſque impetentem armis propulſare poſſis: vt non ſit neceſſe tibi, cùm eo pacis leges inire, illiúſque amicitiam colere, vel ſequi fortunam.

Ayuntamiento de Madrid

Aptè vtemur eo, cum duos pares potentia & opibus ſed vehementer mutuo odio flagrantes negabimus in gratiam redituros, vtpote non facilè expugnabiles, & æquè ad iracundiam & vltionem promptos.

Οἰκοδομεῖτε τὰ μνημεῖα τῶν προφητῶν. 62

Saluator Chriſtus acerrimè inſectans phariſæorum ac ſcribarum ſimulatam religionis ſpeciem erga memoriam ſanctorum vatum ab ipſorum maioribus ob honeſti & veri libertatem crudeli morte affectorum: inſuper inuectus in ſuperficiariam ac fictam eorum in homines pios ſanctóſque obſeruantiam & culturam, cum mente animíſque fauerent maiorum ſceleribus, inque iuſtos odiis, & parricidiis, qui moliebantur paria vel longè atrociora, præclaro prouerbiali noëmate eos teſtatur οἰκοδομεῖν τὰ μνημεῖα τῶν προφητῶν, καὶ κοσμεῖν τὰ μνημεῖα τῶν δικαίων. extruere monumenta Prohetarum, & ornare monumenta iuſtorum. Verba eius apud Lucam Euangeliſtam hæc leguntur,

Οὐαὶ ὑμῖν, ὅτι οἰκοδομεῖτε τὰ μνημεῖα τῶν προφητῶν, οἱ δὲ πατέρες ὑμῶν ἀπέκτειναν αὐτούς. Ἄρα μαρτυρεῖτε, καὶ συνευδοκεῖτε τοῖς ἔργοις τῶν πατέρων ὑμῶν. ὅτι αὐτοὶ μὲν ἀπέκτειναν αὐτοὺς, ὑμεῖς δὲ οἰκοδομεῖτε αὐτῶν τὰ μνημεῖα. Apud Matthæum verò legitur, Matth. 23. Κοσμεῖτε τὰ μνημεῖα τῶν δικαίων. Quotquot hac tempeſtate fictæ religioni ſuæ veram religionem Apoſtolorum & prophetarum teſtimoniis confirmatam prætexunt; næ illi verè οἰκοδομοῦσι τὰ μνημεῖα τῶν προφητῶν.

Πηγαὶ ἄνυδροι. 63

Petrus Apoſtolus epiſtola 2. grauiter inſectans falſos doctores, qui ſyncera doctrina deſtituti & charitate vacui tantum ob quæſtum & ambitionem, non etiam ob veram pietatem, munus euangelicum profitentur, vocat eos πηγὰς ἀνύδρους. hoc eſt, fontes aqua vacuos, non ſine prouerbiali facie. Eſtque etiam mirus lepos in contrariis dictionibus, cùm fontis definitio ſit locus perpetuò aquã fundens adeò vt vel differentia vel proprium eius ſit, aquam habere ſemper, cui repugnat, aridum eſſe. Quadrat in eos, qui ſuæ profeſſionis vocabulo præclaro minimè reſpondent.

Κύβεια. 64

Aptiſsima metaphora meréque prouerbiali Apoſtolus Epheſ.

Ayuntamiento de Madrid

Epheſ. 4. verſutiam & impoſturam pſeudochriſtianorum & hypocritarum inſignit, mira vafritie ſimplicitati imperitorum illudentium & inſidiantium, vocans eam κύβειαν, id eſt, aleam, vel ſi ita loqui liceat, aleationem. A moribus alea ludentium aſtu miro ac dolo colluſorum pecuniis inhiantium, malitioſéque non rarò interuertentium. Inde verbum κυβεύειν, pro verſutè aliquid agere, dolóque malo tentare & decipere vſurpari poſſe videtur. Alias κύβεια pro euentu quocunque ſcriptoribus frequens eſt, præſertim Latinis, vt Martis alea. Apoſtoli verba ſunt hæc: ἵνα μηκέτι ὦμεν νήπιοι κλυδωνιζόμενοι καὶ περιφερόμενοι παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας, ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων, ἐν πανουργίᾳ πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης. Quæ ſic verto; Ne amplius ſimplices ſimus æſtu iactati, & circumacti omni doctrinæ vento, per aleam hominum, per verſutiam ad aſſultum errorum. vel, vt alii, in hominum alea & aſtuta arte fallendi. Nec prætermittendum video, illud κλυδωνιζόμενοι καὶ περιφερόμενοι παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας, poſſe inter ſacra adagia referri: quibus verbis ſignificanter Apoſtolus taxat homines motoriam in religione & fide Chriſtiana fabulam agentes, variis & quibuſque nouis opinionum & errorum fluctibus ſe permittentes.

Σπιλάδες. 65

Peſtiferos homines cæteris oratione & fœdo morum exemplo pernitioſos, Iudas Apoſtolus σπιλάδας vocat per enallagen metaphoricam, quæ prob[illegible] adſcribitur παροιμίαις, maximè cùm ea vſus ſit Paulus, &, quod ſanè mirandum puto, Iuuenalis ſatyr. cuiuſdam initio, qui poſteriores tropum duplicant, maculæ vocabulo etiam, ruga, addentes. Iudas: Οὗτοί εἰσιν οἱ ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες, συνευωχούμενοι ἀφόβως, ἑαυτοὺς ποιμαίνοντες. Paulus ad Epheſ. 5. de Eccleſia. ἵνα παραστήσῃ αὐτὴν ἑαυτῷ ἔνδοξον τὴν Ἐκκλησίαν, μὴ ἔχουσαν σπῖλον, ἢ ῥυτίδα, ἤ τι τῶν τοιούτων, ἀλλ' ἵνα ᾖ ἁγία, καὶ ἄμωμος. Vt exhiberet eam ſibi ipſi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut quicquam eiuſmodi; ſed vt ſit ſancta & inculpata. B. Auguſtinus alicubi tractans exponenſque hæc Paulina, Maculam ad mores vitioſos refert rugam ad vanam corruptámque in oratione doctrinam. Non malè exponendo Iuuenalis principio accommodandus: qui ſaty. 14. inceſſens paren-



Ayuntamiento de Madrid

tum in diſciplinæ liberorum prauitatem, eos ait maculam & rugam nitidis rebus figere, id eſt, teneram illam indolem nullis adhuc vitiorum ſordibus imbutam, probéque ſi formaretur, virtuti natam, peſtiferis perſuaſionibus, & fœdis morum exemplis contaminare.

## Vict. Giſelinus Lectori.

MAiorem quendam in modum ſæpius optaui, tantum mihi otii ſuppeditaret, quo ex animi ſententia liceret hunc noſtrum cinnum planè ad prioris exemplum cõformare. Id verò nunc factum non eſſe valde gaudeo, cùm aliis de cauſſis, tum quòd in ipſo meo exemplo, nempè locis communibus prioris tomi, adeò multa iampridem cœperim deſiderare, vt vel eos inſigniter immutandos & caſtigandos eſſe putem: vel totum opus ad aliam formam, quam mihi verißis. & optimam reperiſſe videor, reducendum. Adhæc in materia tàm varia, incondita, rudi, ne dicam ſæpè inepta & ipſis auctoribus indigna, neceſſe fuiſſet ſummo vti iudicio & delectu, minimáque cum laude maximum & tædioſiſs. capere laborem: qui alterum tantum temporis, atque hîc ſumpſimus, poſtulaſſet. Ne tamen voluntas interea potius, quàm poteſtas adiuuandi defuiſſe videatur; id quod proximum erat, Eraſmi tutum apprimè, facile, & noſtro inſtituto accommodatum conſilium de ſecundo hoc indice ordinis vice ſubſtituendo ſecuti ſumus; & omnem hanc adagiorum ſementem in quaſdam areolas & puluinos ſibi, vt videbatur, ſuos diſſeuimus: ſi non accuratiſſimè, certè non temerè & inaccuratè.

## *AFFINIVM SIBI MVTVO ET pugnantium Adagiorum Index.*

*Aberrandi. vide. Error.* Αμφαζοιεῖν. A lineis excidere. Extra curriculum ferri. De ſcammate egredi.

*Abſurda, præpoſtera. v. Impoſs. Diſsimil.* Fronti ocream, tibiæ galeam applicat. Herculis ſacrificium. In aſini aures canere. Acceſſorium operis loco. Groſſus maturus eſui ineptus, aliis &c. Flumina in terram commutat. Glomerare inglomerabilia, &c. Mandrabuli in morem. Fulmenta lectum ſcandunt. Indoctus pater erudit filium. Crocum in

Ayuntamiento de Madrid

Ciliciam. Fures ipſi accuſant. A cauda ad os transferre. Ἀφεγγοδιόνυσα, ἀχεϱόδητα κύμβαλα, &c. Sanæ parti ſcalpellum adhibere. Hercules in Lydia. Teſtudo volat,&c. Ornamentum in luto,dignitas in indigno.Pica Sirenem imitans.Eburneis raſtris ſolum vertere. Ligonibus aureis terram fodere. Volſellis pugnare cum gladiis.Serra gloriatur contra trahẽtem.Arare boue & aſino. De gallo ad aſinum. Saturninus. Dum vitat humum, nubes & inania captat. A bellariis epulum commendare. Albati ad exequias, pullati ad nuptias procedunt. Alcinoo poma dare. Nihil ad ius. Oleribus verba facere. Σκιαμαχεῖν. Aufidus Hadriam retro fugit.

*Acceſſio parua,nimia.v.penſatio.* Mantiſſa obſonia vincit. Faciem accendere. Acceſſorium operis loco. Ad aliud procœmium tranſeo.In aceruum metere. Addere gangrænam. Vnguis in vlcere. De parua ſcintilla magnum ſæpè excitatur incendium.

*Æqualitas.vide,Similitud.* In eandem lancem imponere. QuisEteobutades,quiſue ſeruus.Media agina ferri.Æqualia reddere capita in pugna. Regula rectior. Coruus abſente graculo pulcher.Senum conſilia,iuuenum lanceæ.Vt quiſque è bulga matris. Trutinâ penſare, &c. Rotundæ, quàm quadratæ menſæ præſtat accumbere. In centro & circumſ. Nube pari. Medium ferire.Calauria pro Delo.

*Æquanimitas. v. Medioc. Prud.* Neque defraudat,neque marginem excedit. Quod magas inter organa.Intra limites proprios conſiſtere. γνώμη τῇ ἀρίστῃ χρῆσθαι. Saburratus. Qua in re quiſque clarus eſt, ad eam properat. Pygmæi, vel Thiodamas cum Hercule. δίκλω ζυγοῦ.

*Alba.* Niue candidius, &c.

*Alienum,aliena curare.v. Alius. Abſurd. Mutat. inſt. contrarium. Proprium.* Charixenæ non ſunt iſta. Manum peteris,& pedem porrigis. Aliena in miſeria cruciatum proprium metit.Equus ſeſſorem rapit.Vbi Atridarum ſcapha, &c. Retibus confert,nihil tamen capit. Extra curriculum ferri.Laui manus.Cibus alienis dentibus mãſus,nauſeoſus. Panis filiorum &c. Pro amphora,vrceus.

*Alius opera.* Per fideicommiſſa quædam. Coctum ab alio edere.Ad arculas ſedere. Litteræ mutæ.Ferrũ ferro acuitur.

*Ambitus.* Frumentum in populum.



Ayuntamiento de Madrid

*Amicitia, amor. vide Concord. c. Inimic.* Tantali philoteſia. ὁμόθεν ὅικαδε. Nauigare cum felicibus. Concinere. ἀνεὶ χρὴ ἁρμόζειν. Rectis an inclinatis haſtis. Ars amat fortunam, fortuna artem. Quorſum opus amicis, ſi faueat Deus? Amicus cum vitiis ferendus. Amore fruſtrà, odio ne ſis fruſtrà. Amicus Plato: magis tamẽ amica veritas. Caritate ſæptum eſſe oportet. Balneum ingreſſus depone odium. Acum & filum ſumens rupturam conſue. Non ſoli Atridæ vxores amant. Vilis amicorum annona eſt. Non odi. Martialis affectio. Amor fit ira iucũdior. Idem velle & idẽ nolle &c.

*Anceps, dubitatio, obſcuritas. c. Certum.* Iuſtitiæne murum an fraudis. Archimedeum problema. Sol Apollo, & Apollo ſol. Pyrrhonia hæſitatio. Statua viatores omnes intuens. In Ceo quis dies. Ignotius quàm maris chòes. Bona mala. Vtrumque. Rectis an inclinatis haſtis. Iactus retis. κύβος. Per nebulam, caliginem videre, &c. Animo nunc huc, nunc fluctuat illuc. In medio relinquere.

*Annumerare.* Albo adſcribere.

*Aperire.* Quaſi mappa miſſa. Sphingis ænigmata diſſoluit. Canibus oſſa prodo.

*Aptè. v. Eleg. c. Inept.* Aſteropæus. Lapis ad funiculum. Omnia bonos viros decent. More maiorum. Conueniunt rebus nomina ſæpe ſuis. λέγειν καίρια.

*Approbandi. v. Laus. c. Damnan.* Scruta laudat ſcrutarius. Omnem lapidem vnctum adorantes. Velut Mineruæ calculus. Macte virtute.

*Arrogantia, ſuperbia. vide Philaut.* In pura immigrat fames. Turgida nomina. Coturnicis naturam induere. Opulentum ſpirat. Ampullas loqui. Angularis bombyx. Saperdæ videmur, cùm ſimus σάπεροι. Telephus è perula. τραγικῶς φράττειν. Nõ verbis, at facto opus eſt. Megabyzi ſermones. Ruſticanus Oenomaus. Ambitioſior Cleophonte. Lapitha. Tigramen ſalutare. Otus, & Othus. Verba ſine penu & pecunia. Nihil ad medicorum arrogantiam. Briareus apparet, cùm ſit lepus. In pace leones, in prælio cerui. Flumina in terram commutat. Vter faſtu plenus. Fulmenta lectum ſcandunt. Ioui paria intonat. Tanquam pauo circumſpectans ſe. Piſandri galea & ſupercilium. Gorgonei capitis poſteritas. Gallus bibit, neque meit; Myxus non bibit, attamen meit. Argentea fame conuiuari. Currulis, &c.

Ayuntamiento de Madrid

Ηεϱῶιον βαδίζειν. Io. Saturnalia. Mythæcus cùm ſit, Agamemnonem ſimulat. Herculana ſcabies. Cenſor bonus. Clemens Laniſta. Πτωχαλάζων. Altius Oromedonte. Aſtydamæ in morem. Calceos mutare. More galli pugnacis. σπλάγχνον, &c. Senator abſque prouocatione. Legatus ſine mandatis. Fortes in tabula. Quaſi locum in balneis. Vmbram tuam metire. Vter. Neſcit ſeipſum. Loqueris equo inſidens. Homo genibus elefantinis. Adoniæ conuiuium. Iulio & Cæſare conſulib. Ebrius. Στωμύλματα, &c. Αγάλματα τῆς ἀγορᾶς. Regiè & regaliter. Superfluens. Cælo animum ferre. Αλαζών.

*Aſperitas. vide, Crud. Moroſ. Grau.* Salmoneus alter. Draconis leges. Vua acerba immitior. Muræna. Quaſi Nauplius Caphareo rediens. Annum in menſem contrahit. Gygantizare. Echeti imperium. Iube factu procliuia. Marſyæ mors. Licynii &c. Veſpa acerbior. Mulgens hircos ſanguinem educit. Lycurgeus. ὀλόσχοινος. Canem mortuum &c. Pater flag. &c. Εχάτη βελτίστης. Orba tigride peior. Antiphates trepidi laris & Polyphemus. Fretis acrior Adriæ. Mala beſtia. Neptuni ſeu maris filii. Σκυϑικὴ δίκη.

*Aſſiduitas. v. Conſtant. diut.* Puteus ſi hauriatur, melior euadit. Studium generat ſtudium, ignauia ignauiam. Benefacta benefactis aliis pertegito ne perpluant. Gutta cauat lapidem.

*Attentio.* Hoc age.

*Audacia. v. Temer. Impud. c. Metus.* Ignaui quiduis tentant. Canis nouem animas habens. Ferreus. τίς ποθὲν εἰς ἀνδρῶν &c. Aes triplex circa pectus.

*Auxilium. v. Refug.* Iolaum implorat. Alaudæ in nido gramen latet. Andromachen ex anguibus cõcinnare. E media flamma ſeruare. Arma Achillea. Per fideicõmiſſa quædam. Sunt oculi mihi, ſunt aures, &c. Petis tanquam Cæſaris candidatus. Loricæ gladius. Suffragia emendicata.

B.

*Beatè. v. Bona, Fel. c. Miſ.* Cyclopica vita. Herculis cornu. Saturnia vita. Pergama triſtia non incolit. Terra lacte & melle fluens. In regno ſuo eſſe.

*Bellicoſi.* Smyrnæi. Tyrtæo bellicoſior.

*Beneficium rectè confer.* Gubernatori ſomnolento ne benefacito.



Ayuntamiento de Madrid

*Bibacitas vide Ebrius.c.Frug.* Pulmonis vitam agit. Charadrii vitam viuit. In triclinio choa. Ranæ. Quis iſtic eſt fluuius, quem non recipiat mare? ἀπνευστί, Ductim.

*Bonæ fortunæ, ominis, inſtituti.v.Felic.c.Infort.* Fortunatus ſapiens. Albus dies, &c. Ter ſex iacit. Vnione ſignare. Sagitta attigit. Mortalis deus. ἰσόθεος, ζάθεος, &c. Rex ſum. Bonorum Ilias; Bonorum plauſtra, &c. Conſilium non ſine diis. Cum Deo. Non ſine diis, &c. Spes bona oſtenſa, ex Hom. Iupiter plue mel. Bona ſalute. Hac nos Deus ducit. Iouis Corinthus. Fauſtum & felix ſit lumen. Bene eueniat, &c. ὡς ἦλθε μυθῶν. Diis ſecundis. Amores ſternutauerunt.

*Breuiloquentia.* Chilonius modus. Annum in menſem contrahit. Theatrum ſimul aperit, & claudit. ἐν κεφαλαίῳ.

C.

*Calliditas.* Themiſtoclea vafricies. πυρπαλάμοι. Manducones. Embarus es. Pardalis exuuium induere. Archilochia vulpes. Dædala machæra. μάσθλης ἄνθρωπος. κιναλώπηξ. χηναλώπηξ. Nullus aleator ſapientior te. Seſquiulyſſes. Perdicis vafrities. πάλαισμα.

*Calumnia, obtrectatio, maledicta.* Gephyræi &c, Fumus è ficubus. Ignem ſpirat. Cuminum ſerere. Scommata Dionyſiaca. Adſpergere. Epirotico cane vehementius. Bupalia pugna. Sphettius. Gorgonei capitis poſteritas. Πομπεύειν. γλωσσαστρίδες. Αἰξωνεύεσθαι. Stultorum theſaurus maledicentia. Ocyma cantare. Maledicus à malefico non diſtat niſi occaſione. Hiantia ſepulcra. Cynicus. χοροιδιτεῖσθαι.

*Caluities. c. Capill.* Lunulæ. Cari capite nudius. Priamiſare. Ouo nudior aut glabrior. Tranquillitate caluior, &c. Cucurbita glabrior, &c.

*Capillus. c. Caluic.* Comæ venuſtate vel Abſolona vincit. Achilleæ comæ.

*Carum. v. Lubent. Amic. c. Repell.* Tota vita. Sanguis & anima. Plus oculis ſuis. Capra cynnamomum. Pro aris & focis. Oculis carius. Mellitum. Sanguis meus.

*Caritas annonæ.* Argenteo vomere aratur.

*Cedendum multitudini & potentiæ.* Hinnulus ne cum leone partiatur. In paguro ſapientia. Vni cum duobus non pugnandum. Submittere faſces. Veſparum examen, &c.

Ayuntamiento de Madrid

*Certum.v.Vinculum,Fides.c. Anceps*. Trabali clauo figere. Murus Semiramidis. Tabellis obſignatis agere. Neceſſitas linealis. Exarmat Argiuos hoc oraculum. Hirundo æſtatem loquitur. Cæſaris candidatus. Viſus fidelior auditu.

*Clamoſus,rabula,vide Rix.* Cuculus, Non es apud Centauros. Chius Coum loqui non ſinit. Suilla harmonia. Vna clamore Neadas ſuperat.

*Commiſeratio. c. Crudel.* Aliena in miſeria, cruciatum proprium metit. Virtutem infortunatam deſpicere, miſerum. Omnia iudicia abſolutoria ſunt.

*Commoditas. c. inutile*. Ωχυτόκιοι τελέφυ. Fructibus non ſtadiis certare. Equum Scytha. Agri podex, &c. Bona mala, Hortus altera ſuccidia. Salaminia nauis.

*Commune.c. Propr.* Commune tanquam Siſapo.

*Concordia,v. Amic. Simil.c. Diſſent.* Communibus oſtiis excludere. Vnum alueare. Funiculus triplex non facilè rũpitur. Spinæ ſe inuicem complectuntur. Ξυνηρετμεῖν. Anima vna. Τὸ ἐμὸν γ᾽ ἐμοὶ λέγεις ὄναρ.

*Coniectura,v. Anceps.c.Cert.* Achaicũ telum. Hirundo æſtatem loquitur. Auis quæuis non portendit. Tale ingenium, qualis oratio. Cribro vaticinans.

*Conſcientia.* Noxa caput ſequitur. Conſcientia crimen prodit. Lemnij, Imbrij. Animo conſcio nihil miſerius. Felix nihil conſcire ſibi, &c. Solidæ petræ innitendum. Conſcientia mentem exagitat.

*Conſilium,deliberatio.* Iuſtitiæ ne murum an fraudis. Coſæ conſilium. Monitor capras age. Pater parum ſanus erudit filium. Capita conferre. Puluillum conſulere. ἐπεῖλθε μυθεῖον, &c. Noctu vrgenda conſilia.

*Conſtanter,v. Inconſt.* Gradum figere. Inconcuſſa columna, &c. Tydeus corpore, animo Hercules. Lineæ inſiſtere. Stylo ferreo. Ignis cineribus alitur ſuis. Ille velut pelagi rupes immota. Fac nidum vnum vna in arbore.

*Conſuetudo.c.Deſuet.* Barbarus euaſit inter barbaros. Amnis curſum inhibere. Cum vulpe habens commercium, dolos caue. Pardus maculas non deponit. φήμη ζωθεῖν.

*Contagio, v. Illeceb.* Cum vulpe habens commercium dolos caue, Adulter adulterum trahit. Talis quiſque eſt, quales, quibuſcum familiaris. Charonia.



Ayuntamiento de Madrid

*Contemptus, c. Dign. Excell.* Quadrante dignum. Cadaueris inſtar venuſtus. Fimo abiectior, &c. Ne cicadam quidem inumbret. Circa terram natat. Coſæ cōſilium. Ne in viginti quidem eſſe poteſt. ἀποθυμνίζεσθαι. Scrutarius ῥωποπώλης. Vmbræ me prohibēt. Lateritius, &c. Caris loco habere. Circa radices montis hærere. Nihil amplius eſt. Eis, quæ è triuio, ſimile. Edentulæ maxillæ. In cinere ſcribere. Inter Soſias & Tybios referre. Vulgari piſci non inſunt ſpinæ. In ſolum. Ne vicini quidem ſentiunt. Fungus putidus &c. Numus plumbeus, Semis, &c. Nihili eſt, aut nihil curæ eſt. Feminæ aut infantis iactus. Vilior pomis vitioſis. Bambalio. Litteratus. Platano aſſimilis. Proci Penelopes. Proletarius ſcriptor. Minuūt præſentia famam. Numo addicere. Inter medios collocare. De plebe, &c. Cinerē quærere. Contemnunt ſpinam, cùm cecidere roſæ. Digni pilo. Hircus. Cuculus. ἐάσω μὲν ἐᾶν. Palea. Sarmentarij. Semiſſi. Aſinarij. Hallex. Αὐτοχύτρολοι. Αὐτολήκυθοι. Vas vacuum detergere. συρφετός.

*Contentus. Non contentus.* Da panem & pugnum. Offula contentus. Terram continentem incolētes mare deſiderant. Paruis parua dant dij. Suus rex reginæ placet, &c. Contenti ſimus hoc Catone. Non rudit onager, &c.

*Contumelia afficere.* Calcibus proterere. ἀποσκυτίσαι.

*Correctio dicti aut facti.* Amara bilis amar. &c. Spongia medebitur. Poſteriores prioribus potiores.

*Craſſè, v. Leuiter. Indil. Neglig. c. Perfectè.* Παχυμερῶς, &c. τύπῳ λέγειν. Ab Syra area. Mittere lineam. παχυμέστερον τύπον περιλαβεῖν.

*Crudelitas, præſertim facti. v. Aſper. c. Commi.* Marſyæ mors. Grauiora, quàm ab Archidamo Athenienſes. Agreſtis apis. Thyeſtæa cena. Attica hoſtilitas. Medea immanior. Taurica ara crudelior. Medica menſa. Iniice. Reges, viſ. &c. Coquere hædū in lacte matris. Cane milite peior. Laniena Hippocratica. Sicula aula. Titani. Saturni hoſtia.

*Cura cuſtodia. v. Dilig. c. Neglig.* Vt lucorum delubra, ſiue, vt templorum ſacra. ἐγὼ μάγειρος ἀετύσω σοφῶς. Vlyſſis vinculum. Quaſi theſaurum draco. Ades tritico, dum molitur, tuo,

*Curioſitas, v. Subtil.* ἐξακανθίζειν. Cybaritici canes. Inferorū triacadas. Cerebrū interius inquirere κοινοφθαλμίζειν.

Ayuntamiento de Madrid

Muſca eſt. Aliud homini, aliud humanitati ſatis. Delatoria curioſitas. Venator cum auritis plagis. τί τ' ἀλλότριον ἄνθρωπε, &c. διαςρέφειν ὀφθαλμόν. Curioſus idem & garrulus.

D

*Damnandi, c. Approb.* Appropera, vt letho ſis vicinior Inter Soſias & Tybios referre. Quæ tibi vox excidit? Ceræ miniatulæ. ὀβελίζειν. Limare, &c. Abiiciendum in mare.

*Debilitare. c. Fortit.* Exungare. Pennas incidere. Neruos frangere.

*Delatores, v. Perfid.* Cybaritici canes, &c. Fumus è ficubus. Tritones piſcinarum. Thorycionem imitatur. Corycæus audit.

*Delectus, ſine delectu. v. Conſil.* Non quacunque manu. Thymo nemo veſcitur, vbi adeſt caro. Omnem lapidem vnctum adorantes. Elige viam optimam. Cùm aquila eſſe queas. inter graculos primas ne opta. Præſtat vineæ vlmum eſſe, &c. Quicquid in buccam venerit.

*Deliciæ, v. Diſſol. Ventr. c. Frugal.* Cucumere veſcens chlamidem texito. Tritones piſcinarum. Alcinoi horti, &c. Melanthio delicatior. Vuida vita. χαρυκκάια. Sybaris. Alexandrinæ deliciæ. Medica menſa. Phœacum more viuere. Seplaſia dignus. Iunonius puer, &c. Inter meros lepores. Theſſalus miſſus. Ebria cæna. Κατεσθίειν ἀχιλλείους. Menſæ Siculæ, Aſianæ, &c. Viuere. Obſonare pollucibiliter.

*Deprecatio. v. Exſecrant. Repell.* Hoſtibus eueniat. Nauis ſcopulum deprecatur. In Ægypto optarit eſſe potius. Reiicientis culpam ex Hom. ἔξω κακὸν Ne Di ſirint.

*Deprehenſi, c. Occult.* Deprehenſum occultum ex Hom. Hæc Helena.

*Deriſio, v. Riſus.* Scommata Dionyſiaca. Μυκτηρίζειν Naſuti, Naſus, &c. Aſinus Ægyptius. Inſuere in ſaccum, vel culeum. Pulcra apud pulchros ſimia.

*Deſperatio, v. Internecio. Nut. in deterius. c. Spes.* Κυθνώλης. Rudens omnis diſruptus eſt. Salus, ſi cupiat, ſeruare hunc non poſſit. Neque remi, neque venti. Paxillus infractus eſt. οἴχεται ἀπόλλων, &c. Mortua res eſt. Hactenus habui, potui, &c. Conclamatum eſt.

*Deſuetudo* Ab aula receſſit.

*Deterrendi, dehortandi.* Habenas ignarus ne tractet. Vt nutrices Lamiam.

Ayuntamiento de Madrid

*Detrimentum .nto adficere.c. Auxil.* Onerat aliquam zamiam.Lacuna.Securim iniicere. Mantis te vidit.

*Deus.*Deo præeunte nullus officit obex. In deorum genibus poſitum eſt . Hac nos Deus ducit. Quorſum opus, &c.Oculus Dei fortiſſimus. Deus hoc habeat decus.Cunctabundus natura Deus. Cede Deo . Valet ima ſummis mutare. Fata viam inuenient. Aderit vocatus Apollo. Rex Iupiter omnibus idem eſt.

*Difficilia,v. Impoſſ c. Procliu.*Contigua ſoluis. Grauius, quàm ſit Troiam capere.Amnis curſum inhibere.Non eſt cuiuſuis rectè condire.Scaperdam trahere. Aduerſo æstu. Camelus pyrrhicham didicerit. Lippus oculus ſolis radios non fert.Violento remigio.In aceruum metere. Non ſus quiuis hoc ſciet . Teucrum Pacuuij ediſcere. Theſaurus in agro abſe.Chironia vlcera.

*Diffidentia,c. Fides.* Cochleis diffidentior. Graculo imperſuaſibilior.Grȩca fides.Sed quis cuſtodiet ipſos Cuſtodes?Fronti nulla fides.Nec mulieri,nec gremio fidendum.

*Dignitas,pretium.v. Excell. c. Contempt.* Moſis tabulæ. Byſſina verba . Cuius nunc calent aræ. Fructibus non ſtadiis certare.Siphnia arra.Nectar ſpirat.In paguro ſapientia.De meliore nota.Multorum aliorum inſtar.Aurea barba dignus.Vnum quidem ſed leonem. Sulcus Ægypti Libyæ arenas non curat . Minerua Phydiæ.Quaſi locum in balneis occup.Primus,ſecundus,tertius,&c.Peplo dignus. Lydia arena.

*Diligentia,conatus.v. Cura.c. Indil.Ignau.* Euclonis gallus gallinaceus.Multis brachiis æqualis.Cum mortuis cõuerſari.Puteus ſi hauriatur, melior euadit . Vtroque velo fugere.Ab alno ſpectare.Tu ipſe & liberi tui.Polypus,&c. Non omnia per boues obtinebis , Cyrenæus videris. Omni voce. Curribus. & pedibus . Cominus & eminus niti. Sapit demorſos vngues.Pluteum cædit . ἀναπεμπάζεσθαι. Recoquere. Pedem ab illo nunquam, &c. Rurſum prorſum.ἀνὼ καὶ κατὼ&c.Ars portus inopiæ. &c. Quantum pedes poſſunt. Spicilegium relinquere . Demandere calamum. Expellere furca, vel furcillis.Vtraque manu cædere. ῥαβάπλειν χειρὶ καὶ ποδὶ, καὶ πάσῃ δυνάμει. Aurum ex ſtercore colligendum . Calculum à linea mouere . Conando Græ-

ci Troia potiti ſunt.

*Diſcrimen, periculum. c. Secur.* Inter famē, & necē. Curriculum animæ decurrere. Nox gubernatorē prudentem terret. Argi tumulus. Extra callem. Ignem ſtipulæ admouere. Agaſonem vincit. Tempeſtas ingruit. ἐκκιβεύειν. Animæ ſcrinium ſeruitus. Tria Theramenis cauenda. Via Scirronia. Subula leonem excipere. Εἰς πόντον ἀπελθεῖν. Tua res agitur, paries cùm proximus ardet. αὐτὸς τῷ βέλει.

*Diſſimilitudo, v. Abſurd. Intempeſt. c. Similit.* Delphinum patina non capit. Quid Delphino & boui commune? Iſtîc vellus non carpitur. Quid Lecytho cum ſtrophio? Quantum aquila culicem. Fulicam cygno comparas, &c. Quid cothurnus cum claua. Quid barbiton crocoto loquitur? Nihil ad Perſium. Simia in pelle leonis. Quid cani cum balneo? Rem non nouam aggredi. Pygmæi, vel Thiodamas cum Hercule. A Dorio ad Phrygium. Vitis & braſſica. Siluis te feras agitare putaſti. Saul inter prophetas.

*Diſſentire, c. Concord.* Σολοικίζειν τῷ νοήματι. Πολεμεῖν χρόνῳ.

*Diſſoluti, v. Moll. Delic. c. Pud. frugal.* Smyrnæi mores. Canopiſmus. Pheacum more viuere. Sardanapalus. Diſcinctus. Copa. Mores Maſſilienſes. Indulgere genio. Nepos. Poſtremi.

*Diuitiæ, v. Potent. c. Paupert.* Plutus mortuus, &c. Quātum vel Midam ſatiarit. Larus fortuna ſuperior eſt. Darii opes. Gygis opes. ἀρχῆς πυγαί. Vua ab vua ſeneſcit. Diuitiæ non ſemper optimis. Tantalicæ conditiones. Arabum gazæ. Perſici apparatus. E ſcurra facilius diues, quàm paterf. Quantum vbique poſſunt duo oboli? Vbi vber, ibi tuber. Lydia arena. Pythiæ Myſi talenta. Ars, cenſus, opera vita. Narciſſi opes.

*Diuturnum, ſemper. v. Aßidu. Longæu.* Polypus, ſcopulo affixus. Circa radices montis hærere. Nocti æquare diem. Non hodie aut heri inſtitutum. Ad Sirenum ſcopulos cōſeneſcere. Adamante notare. Longo in itinere etiam palea oneri eſt. ſocopulis iiſdem hærere.

*Docere, diſcere.* Expiatis bona contingunt. Etiam vetus arbuſt.

E

*Ebrius, v. Diſſol. Delic. Bibac. c. Frug.* Quatuor habens capita. Vinum lac Veneris. Omnia omnibus annuit.

Ayuntamiento de Madrid

*Efficax*.Incantatione quauis efficacius.Montes transferre.Parua pluuia magnus &c.

*Elabi*.Rodere caſſes.Sparſis redemerunt crimina nummis.Nummum quærit peſtilentia,duos &c.

*Elegans,v.Ornat.c.Inept*.Priſca manus.Pectide ſuauior. Res olei & palæſtræ. Vncta locutio. Palæſtram orationi addere.Calcei Sicyonij.Minerua Phydiæ. Ad oculos magis quàm ad veſicam pertinet.Quod pulcrum eſt, placet. Herculis clypeus.Genium aliquid habere.

*Error,v.Aberr*.Solæcus,&c.In montes offendere.

*Eruditus homo,opus.c.Inerudit*.Luſcinia Muſarum.Mercurij typus &c.Telephi citiparium.Muſarum fauus. Cùm Muſis certare,&c.Lingua quidem ſegnis', ſed dextera viget.Phidias pacem amat.Bibliotheca animata. Ver vnicũ inter anni partes.Quod magas inter organa.Coloſſi fragmenta.χαρυκχεία.Antrum Mercurij.Expiatis bona contingunt. Vinum equus poëtæ. Ab Hymetto. Eruditi oculi. Chium & Ammineum miſcet.Pentathli ſimilis. Quis iſtic eſt fluuius,quem &c.Nouem Muſis cælatum opus.

*Euentus,v.Fort*.Coſæ conſilium.Sapientia in exitu canitur.

*Excellentia inæqualitas,v.Dign.c.Æqual. Contemp*.Corinthia verba & Ionica. Loricæ ſeu coronæ inſtar. Coryphęus.Palamedeum inuentum.Delphinum patina non capit.Sol nõ inuidet veſperæ.Cælotenus altum.Byſſina verba.Igne aliud feruentius.Quantum aquila culicem. Cubitis metiri,vt Nili incrementa.Ver vnicum inter anni partes.Omnibus iudicibus vincit.Vna voce vincere.Daphnis inter paſtores primus.Extra omnem aleam. Chorus illius maior,meus concinentior.Longè viciſti.Roſcius. Scintilla etiam exigua &c.Familiam ducere . Homo omni exceptione maior.Solem in manibus geſtare.Talem oportet ducere,aut non ducere.Ducere funem.Athleta.Λιοπτὴς Flos. Cedro dignum.Hercules.Deus,è cælo lapſus.

*Exſecrandi,v.Calum.Repell.Deprec*.Ἀποκοσκυλίζειν.Diris agere.τραγικαὶ ἀραί.Iupiter plue calamitates. Morboniam mittere.Ocyma cantare.Αἴθ᾽ ὄφελες τ᾽ ἄγονος τ᾽ ἔμμεναι,ἄγαμός τ᾽ ἀπολέσθαι.

*Experientia,v.Iterat*. Semel in laqueum vulpes. Εκκυβεύειν.Duro flagello mens docetur rectiùs.Cedrus cecidit.

Ayuntamiento de Madrid

A vipera morſum culpas nunquam ipſe morſus. Ventorum ſtationes. Multum nauigauit aquæ. Recoctus. Figulinam de dolio diſcere. Calculum à linea mouere.

F.

*Facundia, virtus perſuad. c. Ineloq.* Mercurij typus. Os ἀνδιχάκερνιον. Iliſſus in faucibus. Ignis in vepribus. Mercurij cathena. Quanto verborũ ſtillat auro. Mercurij virga excitare. Cubitis metiri, vt Nili incrementa. Sirenibus ad perſuadendum aptior. Inſtar tubæ olympicæ. Arma Achillea. Aureum lac delibare. Ad Scirrhonem tendere. Μουσῶν χαρθὲν στόμα. γοργιάζειν. Atticè dicere. Ab aure reuinctos ducit.

*Fames, v. Frug. Sord. c. Delic.* In pura immigrat fames. Splendida cena famem non ſedat. Mugilis vitam agere. Argentea fame conuiuari. Choros tragicos moleſtè fert. Autumnalis appetentia. Fames præter ſe edulcat omnia. A te ſudor abeſt: abeſt ſaliua mucúſque. Diurnũ petere. Ipſo è rogo carpere cænam.

*Familiaritas nimia. c. Moroſitas.* Familiaris dominus fatuum ſeruum nutrit. Parietes amicitiæ cuſtodes.

*Felicitas, v. Bon. Beatè. c. Infort.* Fici cadunt in os comedentis. Solem, ventum auerſum habere. Felici diplomate vti. Τρὶς ἓξ βάλλειν Lac auium fert Samus Ionica. Hereditas ſine ſacris. Noua lux effulſit.

*Felicitas cum infortunio.* Corinthus ſuperciliosa. Deorum dona ſæpè non dona. Riſus profundior lacrimas excutit. Paludem & ſalinas emere oportet. Spinoſum aliquid in prato. Κάλλιστ' ἐνδοῖ πᾶσαι.

*Femina.* Sit mihi Tritogenes gnatus, non Tritogenia. Acheæ non Achiui, &c. Primo crede mulieris conſilio, ſecundo noli. Tres feminæ nundinas faciunt. Femina aut minus quàm canem, aut plus quàm ſenionem, iacit.

*Feſtinatio. c. Tardit.* Οὐχ ἕδρας ἔργον, οὐδ' ἀμβολᾶς. Citiùs, quàm gradatim. Ne propera, nondum ignem calcas. Boreadibus pernicior. Præ Nili catarractis. Abaridis ſagitta. Αὐτοβοεῖ. Prior occupauit. De ſummo pectore, ἀπὸ χειλέων. Sub manu. Conclamare vaſa. Qui feſtinis eſt pedib. offendit. Celer vt mens, vt ala. Dedalæis ferri remigiis. ῥυονομερῶς. Θέειν ἀνιμένοισιν ὤμοισι. Demiſſis manibus fugere.

*Fides, v. Certum. c. Perfid.* Veriora Bacidis dictis. Xeno-

Ayuntamiento de Madrid

cratis teſtimonium. Iniurato huic credas. Magnus bonúſque. Semper aliquem virum magnum. Arietinum oraculum. Ἀπλέρες μῦθος.

*Finis, ceſſatio. v. Prohib. c. Initium.* Inhibere remos. Magis quàm Sol Heracliti extingui. Nondum omnium dierum ſol occidit. Sufflaminare. Excutere puluerem pedum. πλάτρος ἢ φιλόδησία. Zonam deponere vel amittere.

*Fletus. c. Riſus.* Maryandinus tibicen. Myſorum more inclamat. Lacrimæ Simonidis.

*Forma, deformitas.* Scapha lignea. Vmbræ, &c. Suis typus. κηρελοθήτες. Vmbris macilentior. Vuæ paſſæ ſimilis. Laudaret faciem Liuor quoque. Qui te conſpexerit augurium capere poſſit. Dorcas. Fumus pulchriorem ſequitur. Sublata lucerna nihil diſcriminis inter mulieres. Ἀλφεσίβοια.

*Fortitudo, Firmitas. v. Conſtant. Vincul. c. Infirm.* Murus Semiramidis. Amentata ſententia. Atticus miles. Acernus. Ne Mars quidem expugnarit. ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶς. Naxia cos. Pro aris & focis. Gradum figere, &c. Vinculis Hippocratis alligare. Vnus lanius non timet multas oues. Pons à tergo abruptus eſt. Quaſi lupus ab armis, &c. Patiens pulueris atque ſolis. Campæ dictis abiguntur. Strenuis abundè dictum puto. Durior adamante. Dimicare pro carnibus. Nodus ineſt. Pecunia neruus.

*Fortuna, fortunæ commutatio. v. Viciſſim, Vita hom.* Ἐκκυβίσαι. Homo Dei ludibrium. Cerdo cras, hodie nihil. Rex aut aſinus. ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶς. Circulus res mortalium. Victoria ὑπεραλκής. Hodie ſeruus, cras liber. Vecticulariam vitam viuere. Ne currente rota funis eat retro. Spongiæ. Inuenies aliam Galatheam. κύβοια κύβος. Hæc tela texitur.

*Fraus, impoſtor. v. Simul. Furt. Inſid. c. Fid. Integr.* Theſſalicum numiſma. Syri aduerſum Phœnices. Pergæa Diana. Vulpis reliquiæ. Laconiſare. χιλικίζειν. Simiolum obtueri. Æoliſare. Cum vulpe habens commercium dolos caue. Pro virgine cerua. βυσαύχην, &c. Telchines. Fures ipſi accuſant. Cercops, &c. Eſcam hamo circumponere. In caſſes inducere. Siſyphus. Aliud quid ποίκιλα. Omnibus piſcib. ſua ineſt ſpina. Obolum reperit Parnoetes. Planus. πιθηκίζειν. χειρωνίτας. Vt ſportulam furunculus captare. Tangere. Eludere, circumducere, &c. κερκώπης, παιπάλημα. παλίμβολος. Vlyſſes. Arte Pelaſga.

Ayuntamiento de Madrid

*Friuolum.v.Contemp.Infir.c.Dign.* Abſque oleo pingere.Manipularis ſententia.Ilio indigna verba,ὡς πίφραγμένα.Arena ſine calce.

*Frugalitas,v.fames.Sord.Medioc.c.Profuſ.* Muſicus apparatus.Aëre & rore paſtus.Laconicè cænat. Eſt modus matulæ.Anima ſicca ſapientiſſima.Phidias pacem amat. Mel ſummis digitis delibandum.Hecales cena.Icci cena.Vento viuere.Cogitato quàm longa ſit hiems. Lucerna qui indigent,oleum affundunt. Animæ eſurienti &c. Nunquam lagenã crateri impone.Cena terreſtris. Cena ſine ſanguine.Dignus qui ranis miniſtres. Sumptus cenſum ne ſuperet.Parſimonia ſummum vectigal.

*Fucatè,v.Fraus Simul. Inſid.Moll.c. Simpl.* Geometriam exercet in ſuperciliis.Intus Hecuba, foris Helena. Atqui ſuilla caro eſt.Proſopion habet,non proſopon.Totam ſpirare Aſiam.Galathum Sycaminorum in malis habere.Tabernariam exercet in fronte. Formoſus ſine pulchritudine.κενοπάφιον.Vulpes pro leone.πίθηκος ἀνδρεῖος.

*Furtum,Plagium,v.Rapac.* Fuci. Neoclide furacior. Simone rapacior.Manus in Ætolis habet, mentem in Clopidis.Mulctores reipub.peſtis. Tritones piſcinarum. Tanquam Palladium.βιβλιακὴ γνῶσις.Aquę furtiuæ dulciores.Mutuum ſumpſiſti.

G

Quo in loco verbum Græcum eleganti circuitione exprimit, νευροσπαστεῖσθαι. quaſi dixerit, vt fidiculis neuroſpaſta mouentur, ſic tua libidine, vt neruia aut fidicula traheris. Verbum Græcum in ea re frequenter vſurpatur à Philoſophis, præſertim Stoicis. Significatur proſtibulum nulli non expoſitum.

## Satyrion bibere. 10

Satyrion bibiſſe dicuntur, qui Venerem appetunt, & queis venas inflauit tetra libido, vt loquitur Horatius. Sic enim Petronius Arbiter in Satyrico: quo loco narrat ſe caſu lapſum in fornicem. Iam procella (inquit) meretrix aſſem exegerat, iam illa mihi manum iniecerat, & niſi valentior fuiſſem, dediſſem pœnas, adeò vbique omnes mihi videbantur Satyrion bibiſſe. De Satyrio herba, eiuſque viribus, ſcitè Plinius lib. 26.cap.10.

## Vide eſt quod licet. 11

Idem Petronius gnomen certè prouerbialem extulit. Vile eſt quod licet. Nam quod eſt omnibus licitum, putatur eſſe vile & abiectum,adeò id verum. Omnia rara,cara, itemque illud.

Quod licet, ingratum eſt:quod non licet,acrius vrit.

## Et vitula tu dignus & hic. 12

Egregiè hoc vſurpatur,quoties in re controuerſa de lite ſic pronunciamus. Vt vtrique diſceptatori partem gloriæ adiudicemus, ne dum alteri gratum facere volumus, alteri ſimus infeſti.Ea ratione noſtri dictitant, Omnem comparationem odioſam eſſe: itaque prudenter faciunt arbitri honorarii, qualis Palæmon apud Maronem, qui ita ſe gerunt, vt in omni vel etiam leuicula contentione, partem



Ayuntamiento de Madrid

neutram offendant, ſi tamen id religio, vel verecundia permittat.

## De meliore nota. 13

Prouerbium à doctis hominibus vſurpatum, ducta à vino metaphora, quod in cadis vel amphoris conditum olim notis ſignabatur & titulis: quod & Turnebus & alii multi obſeruant. Erit autem vſus adagii, quoties intimo quodam affectu amicum commendabimus: aut auctorem optimum laudabimus, vt qui ſit de meliore nota, non vulgaris, & vnus è multis.

## Infelix lolium, & ſteriles dominantur auenæ. 14

Carmen à poëta non vno loco dictum. Quod ſi in album adagiorum referas, ſicuti vſurpari ſolet à doctis hominibus, torquebitur non inuenuſtè in ingenium alioqui benè cultum, præſtantique diſciplina informatum, ſed quod tamen opinionum deprauatione, maláque conſuetudine corruptum ſit.

## Aurea barba. 15

Tritum eſt Perſii carmen:

Præcipui ſunto, ſitque illis aurea barba.

Et illud Maronis in Eclogis,

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu,
Si fætura gregem ſuppleuerit, aureus eſto.

Carminis Perſiani litteralem, vt ita loquar, ſententiam attigit Turneb. Aduerſ. 1. ſed prouerbii non meminit: quo tamen vſi ſunt magni quidam Iureconſulti, qui noſtra & patrum memoria celebres fuerunt. Sed quod genus adagii, & quis vſus? Certè vt diis olim ſe magnam rependere gratiam putabant veteres illi gentiles, ſi aurea barba, quos ſibi putabant propitios, donarent: ita ei homini, qui nobis impenſè fauet, opémque fert in re anxia, ſumméque neceſſaria, ſummum præmium perſoluimus, ſi eum cumulatè laudamus, magnóque honore afficimus.

## Venti hominum internuncij. 16

Noſtri, quoties aliquid noui accidit, cuius non ſatis certus rumor eſt, dictitant id ſibi vento aliquo ad ſe delatum. Et à veteribus exiſtimatum eſt ventos eſſe hominum

Ayuntamiento de Madrid

internuncios, à quibus hominum preces deferrentur ad Deos. Quò alluſit ille,

Partem aliquam venti diuûm referatis ad aures.

Sed id ſi prouerbialiter accipi placeat, vt ferè fit, optatio erit eius, qui rem intimo animi voto cupitam velit aut aſſequi, aut extorquere, vel à principe viro, vel ab iis qui gratia multùm valent.

## Teſtamentum, hominis ſpeculum. 17

Vulgo id olim dictum & creditum fuiſſe, teſtamentum eſſe hominis vitæ anteactæ ſpeculum, tradit Plinius 8. epiſtol. 18. de Tullo Domitio, qui toto vitæ tempore moribus non ſatis probatis, laudabile teſtamentum reliquerat. Falſum eſt nimirùm, inquit, quod creditur vulgò, teſtamenta hominum, ſpeculum eſſe morum: cùm Domitius Tullus longè melior apparuerit morte, quàm vita, &c.

## Athenas non puto magis Atticas. 18

Elegans formula prouerbialis, pro eo qui ſit inſigniter eloquens, diſertus, in dicendo preſſus & ſubtilis, quales fuiſſe oratores Atticos teſtatur Cicero, aliique multi. C. Plinius 4. epiſt. 3. qua ſtylum Antonini commendat: Hominemne Romanum tam Græcè loqui? Non mediuſfidius ipſas Athenas tam Atticas dixerim.

## Nihil infelicius quàm ex beato miſer. 19

Cicero in Partitionib. huius ſententiæ meminit, qua ſignificatur multò grauiùs & calamitoſiùs infortunium haberi, quod in eum cadit qui fuerit aliquando felix. Quoties enim meminit ſe beatum fuiſſe, ſe locupletem, ſe honoratum, videtque hæc omnia ſibi erepta, vitam morte duriorem putat.

## Pugna Cannenſis. 20

Miſeram illam proſcriptionem Syllanam, quæ ciuibus Romanis cruentiſſima fuit, omninóque vrbi calamitoſa, propter infinitam hominum ſtragem, veteres pugnam Cannenſem appellarunt. Cicero pro Roſcio: Te pugna Cannenſis accuſatorem ſat bonum fecit. Multos cæſos non ad Thraſimenum lacum, ſed ad Seruilium vidimus. hæc ille. Sed & oratores ex Cannenſi caterua, ignobiles vocabant, qui eo tempore multis cæſis, & facundioribus interfectis, aut mortuis, repente extiterunt, & ad cauſas

Ayuntamiento de Madrid

& iudicia acceſſerunt. Arnobius alludens ad verba Ciceronis: Poteſt quidem proſcriptio, inquit, quemadmodum, Tullius ludit, pugna dici appellaríque Cannenſis.

## Compedes nectere. 21

Compedes nectere ii dici poſſunt, qui negotium aliis faceſſunt, aut etiam qui operam aliquam honeſtam amicis curant, & quaſi machinantur, vnde non ſit effugiendi occaſio tam facilis. Quo ſenſu accepit Plinius iunior epiſt. 28. ad Romanum, lib. 9. Iam tibi compedes nectimus, quas effringere nullo modo poſſis. Vſus erit adagii, vt ſi adoleſcenti erudito, ſed vita paulùm licentiore, parumque de rebus aliis ſolicito, paretur aliquis magiſtratus, aut etiam coniugii vinculum, è quo ſe non expediat, ſed conſiſtere neceſſe habeat, vt qui vincti compedibus tenentur.

## Populus Alcidæ gratiſſima, vitis Iaccho. 22.

Virgilianum hoc etiam prouerbiale: quo ſignificatur non omnia omnibus conuenire, ſed certa quibuſque, vt maximè viris principibus arridere. Vt enim non quiuis cultus quemque decet, ſic non quiduis placet cuilibet.

## Sequitur varam vibia. 23

Prouerbium ab iis intactum, niſi fallor, omnibus, qui variè adagia collegerunt, adnotauit Ioſep. Scaliger, vir Doctiſſ. quod è ſitu iam primùm erutum, ſic coniectando explicat ex veterib. gloſſis nondum editis, in quibus ita ſcriptum reperit: Varam vibia. Perticæ duæ ſunt inter ſe colligatæ, quæ aſſerem ſuſtinent, vnde prouerb. Vibia varam ſequitur. hactenus gloſſæ. Vara ſignificat perticam ab ſummo furcillatam: Vibia perticam tranſuerſam, quæ furcillæ illi impoſita & colligata eſt. quare ſi Vara cadat, & Vibiam ſimul cum illa cadere neceſſe eſt. Prouerbium dicit in eos quadrare, qui cùm vni vitio indulſerint, deplorata omni verecundia, & profligato pudore ad alia feruntur præcipites, quaſi omni iacta bonorum alea. Hiſpani, in his dictis arguti, dicunt, funis ſecutus eſt ſitulam. Cùm enim ſitula decidit in puteum, & funis quoque, quo illa apta pendebat, ſequitur.

Ayuntamiento de Madrid

## Temporaria ingenia. 24

Temporaria Græcorum ingenia, ſcitiſſimè dixit Curtius, quaſi tempori ſeruientia, & fortunæ obſecundantia, non ſine adagii facie, quod idem dici poteſt de noſtris Protheis in varias ſeſe formas pro ratione temporum mutantibus. Si quid laudat quis, laudant: ſi negat, negant id quoque: in quo putant quæſtum multò eſſe vberrimum.

## Iliacos intra muros peccatur & extra. 25

Et hoc Horatianum ita vulgò tritum, vt qui ignoret, in Latina lingua peregrinus appellari meritò debeat, auſim referre in album prouerbiorum: quod per parodiam quandam ſolitus erat enunciare perdoctus medicus Syluius, noſtrorum patrum ætate, dum declamitaret pro ſuggeſtu in imperitos quoſdam medicos, qui artem ſuam ineptè Lutetiæ venditarent. Dicebat enim.

Pariſios intra muros peccatur & extra.

Significabat Empiricos non modò in ſuburbiis Lutetianis, vbi ſolerent agros inuiſere, ſed & quoſdam eſſe Empiricis ſimiles, medicos nomine, qui in ipſa vrbe media non minus periculoſè peccarent.

## Et me quoque dicunt Paſtores vatem, ſed non ego credulus illis. 26

Honeſta ſui ipſius extenuatio, qua ſignificatur animus à nimia illa & immoderata φιλαυτίας opinione alienus. Nihil ſtatim nobis debemus tribuere, quoties laudis aliquid impertitur: ſunt enim qui non perinde iudicio valent, vt de doctrinæ alicuius laude verè pronuncient: adeò,

Non cuiuſlibet eſt habere naſum.

Poëta non ſtatim habendus eſt, qui verſus cudit, qui epigrammata, & res ludicras alias ſcribit. Eum eſſe inſigniter eruditum oportet, qui hoc nomine donari velit, non ex opinione vulgi, ſed ad examen hominum de ea re verè ſtatuentium. Itaque quod ait Horatius,

Ingenium cui ſit, cui mens diuinior, atque os
Magna ſonaturum, des nominis huius honorem.

Ayuntamiento de Madrid

## Compunctus notis Threicijs. 27

Apud Ciceronem, ſeruus compunctus notis Threitiis de barbaro homine accipitur, ſed & de eo qui ſit in extrema natus barbaria. Thraces enim tales habebantur, homines ad cędem conducti, quibus vti ſolebant olim tyranni illi barbari, vt Romani imperatores ſuis Prætorianis. Hanc loquendi formulam video appoſitè flecti in nefandos illos, & communi luce indignos ſicarios, & carnifices, cruoris humani prodigos, omni bellua deteriores, qui non tam compuncti notis Threiciis (id enim leuius) quàm intimo malæ conſcientiæ verbere ſe conduci paſſi ſunt, immò & ſe miſerè obtulerunt ad cædem faciendam: digni qui ad barbaras terras ablegantur, vt qui animum induxerint pluſquam barbarum.

## Sermo galeatus. 28

Cur prologus galeatus à D. Hieronymo dictus eſt ille, quē ſacris Bibliis prȩfixit, non temerè quæſitū eſt à doctis viris, qui ſuperiore ætate floruerunt. Certè galeatum vocari, quoniam commune eſſe poſſit, Sulpitius Victor tradidit: ſicut galea ſeu galeatum omnibus indigis poteſt eſſe commune, Sermo itaque galeatus dicetur prouerbialiter, qui erit vice communis cuiuſdam procemij, vt galeatum præſidum omnium commune eſt, & galeati omnes tuentur.

## Aut erit, aut non. 29

De veraci minimeque dubio reſponſo id intelligitur, ex verbis Tireſiæ vatis, apud Horatium.

O Laërtiade, quicquid dicam, aut erit, aut non.

Non vt vatum vulgus, qui ambage verborum mendacia inuoluebant ſicque miſeris hominibus imponebant. Quā explicationem non fallaci & ſciolo Grammatico, ſed Turnebo doctiſſimo homini debemus, vt & multa alia, vt liberè acceptum ei referamus, quod meritò nos debere fatemur ingenuè.

## Quincte puta aut Publi. 30

Id etiam prouerbium olet, Quincte puta aut Publi apud Horatium: in quo expreſſit Romanorum mores, qui cùm aliquem honorificè; vt liberum & ingenuum appellabant, prænomine ſalutabant. Nam ſalutare cognomine

familiaris erat, vt apud Ciceronem, Cæſar Pulcro:&Polybius in hiſtoria ſemper ſuperiorem Africanum honoris, vt opinor, gratia, Publium appellat. At Perſius ſalſè ſcribit de libertino nuper manumiſſo, in 5. ſatyra.

Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama. papæ, Marco ſpondente recuſas
Credere tu nummos, Marco ſub iudice palles.
Marcus dixit, ita eſt: aſſigna Marce tabellas.

## Momento turbinis exit Marcus Dama. 31

Satyrica certè, nec minus prouerbialis loquendi forma, qua ij notantur maximè qui è vili conditione ad honoris aliquam euecti dignitatem, prioris ſuæ conditionis non memores, ſeſe aliquid eſſe putant: vt qui ad magiſtratus apicem quendam contendunt, nullo ſuo merito, ſed fortunæ indulgentia. Ita Perſius Satyra. 5.

Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama.

## Triton exteruit freta. 32

Vidi etiam nuper inter litteratos homines, haud poſtremi ordinis, qui Virgilianum id.

Hunc velut immanis Triton & cærula concha
Exterrens freta,

Vſurparent παροιμιακῶς de tumultu & claſſico belli: vt cùm aliquis belli rumor increpuit, aut cùm iam fiunt apparatus, ſcribuntur milites, cogitur commeatus & alia quæ bellicos furores ſolent antecedere.

## Profundum. 33

Vocem hanc prouerbialiter vſurpari pro ventre didicimus, vno maximè loco Grammatici veteris Capri admoniti. In profundum, ait, nummi, vel in arcam conduntur lepidè quidem veréque. Nam & gurges eodem ſenſu accipitur.

## Cynica cœna. 34

Dicuntur vti cœna Cynica ij, qui victu tenuiſſimo viliſſimóque vtuntur, vt duris & incoctis oleribus, pane rancido, fabis, lenticulis. Eum enim fuiſſe Cynicorum victum facilè colligimus ex Luciani Cynico: & verſu Petronij Arbitri.

Ipſi qui Cynica traducunt tempora cœna.

Ayuntamiento de Madrid

Aufidij iactantia. 35

E veneranda antiquitate multa paſſim licet colligere, quæ primo quidem aſpectu ſimpliciter, & minimè figuratè dicta videri poſſunt, at ſi penitius ſpectemus, habent aliquid recõditum dignumque lepore illo Attico, vt quod ſcribitur de Aufidij iactatoris inſolentia, qui Fundis in oppidulo Præturam gerens, ſic elatus erat & arrogans, vt inſignibus magiſtratus Romanos Conſules ſuperaret, cùm tamen Romæ tantùm ſcriba eſſet: quod munus vile fuit & vulgare: adeò vt prætextam & latum clauum, vt Prætor aut Conſul Romanus geſtaret, æquare volens amplitudinem Romani magiſtratus: Id vel in quoſdam Regulos vicanos, qui ſe Rege ipſo ſummo putant ſuperiores: aut in ædiles illos oppidanos, qui non minus altum ſpirant, quoties aliquid imperant plebeculæ, aut in magiſterculos illos lutoſos, & infimi ſubſellij litteratores, qui ſe in ſua pellicula ita magnificè efferunt, vt non ſit aliud hominũ genus impotentius, vel arrogantius.

Forma rarã mixturã cum ſapientia facit. 36

Petronius Arbiter: O felicem matrem tuam, quæ te talem peperit. Macte virtute eſto. Raram facit mixturam cum ſapientia forma. Qui locus vnius voculæ ambiguitate duobus accipi modis poteſt. Aut enim interpretamur, formam corporis non niſi rarò habere cum ſapientia commercium, eo quod qui fere pulcri ſunt, ingenium non excolant: Aut, raram hîc pro excellenti laudandáque accipiam, nempe illud eſſe præſtantis animi opus, ſi quis eleganti forma præditus virtutem colat: cui non erit alienum illud poëtæ:

Gratior eſt pulcro veniens é corpore virtus.

Diſpoſitis prædiues hamis. 37

Iuuenalis illud dictum videtur, de homine incendium metuente, & vaſa aquaria, contra incendium parata habente. Multò venuſtius erit, ſi aliò torqueatur, vt ad hominem prouidentem ſibi ſuiſque rebus, & ſe aduerſus perturbationes omnes animi vel comparantem, & quaſi armantem: eum denique qui incurſibus futuris omnibus accuratè proſpiciat.

Seruilis nequitia, improbitas. 38

Ayuntamiento de Madrid

Suſpecta iam olim fuiſſe ingenia ſeruorum, patet è multis auctorum veterum locis. Symmachus epiſtol.6. ſeruilem ſtropham: aliis locis, ſeruilem nequitiam dicit. Terentius: Ne id faceres quod vulgus ſeruorum ſolet, dolis vt me deluderes. Longè pulcer eſt Saluiani locus 8. lib. de prouidentia: animos ſeruiles iam per ſe malos dominorum nequitia fieri peiores.

## Hecaten ſorex. 39

Hecaten ſorex prouocat, prouerbium certè vetus & adnotatum à Polyhiſtore Ioan. Pierio. Veteres cùm vellent hominem indicare qui eſſet illapſus in hoſtium manus, quique flebilibus modis imploraret opem, ſoricem pingebant ab eluro comprehenſum, exauditur enim ſtatim miſerabilis eiulatus, & vox veluti auxilium implorantis. Hinc adagium. Sorex Hecaten. Cauſam reddit Simnius Capito, quòd is qui incidit in hoſtium manus, illorum ducem implorat. Eſt verò æluros ſub tutela Hecates vt tradit Verrius Flaccus.

## Vxor vſuraria. 40

Vxor vſuraria, mulier ea dicta olim fuit, qua quis vteretur velut mutuatitia: ſicuti pecunia vſuraria, quæ ad vſum accipitur mutuò. Id hodie in contumeliam meritò trahitur, ſi vxor ſit vſuraria Malim ergo ad alios flecti ſenſus, vt ad domum vſurariam, vt ad ſuppellectilem, ad hanc ipſam vitam qua viuimus.

## Cras credo, hodie nihil. 41

Titulus is fuit Satyræ Varronis: quæ verba puto eius eſſe qui non ita facilè fidem alicuius dictis habeat, niſi aliqua primùm præſtita temporis vſura ad rem certiùs explorandam. Rectè à quodam vetere monitum, μὴ πίστευε πάχιστα: & alio μέμνησο ἀπιστεῖν.

## Non ego Daphnin iudice te metuam. 42

Prouerbialiter accepta hæc allegoria à quibuſdam, qui ſe ſuis antagoniſtis & ſyndromis ingenio & doctrina ſuperiores eſſe aſſeuerarent, ea ſui fiducia freti, vt facilè admitterent, arbitros eos, quos in rebus aliis non ſatis æquos eſſe ſibi noſſent. Is eſt ſermo paſtoris paſtorem prouocantis apud poëtam.

Non ego Daphnin

Iudice te metuam, ſi nunquam fallit imago.

Lingua factioſi, inertes opera. 43

Plautinum hoc eſt, in homines, qui ligua prompti ſunt ad promittendum ſe aliorum cauſa libentiſſimè facturos eſſe, qui tamen cùm ad rem ventum eſt, opera inertes ſunt, neque fidem & diligentiam amico præſtant. Turneb. aduerſ. huc pertinet epigramma Martialis in Baccharam, egregium pollicitatorem. Epigrammatis initium eſt,

Siquid opus fuerit, ſcis me non eſſe rogandum,
Bis vno dicis Bacchara, terque die
Penſio te coram petitur claréque palámque,
Audis: ſed neſcis Bacchara quid ſit opus. &c.

Malè. 44

Plautus vbi dixit, ſcortum conductum malè: non intellexit, vt vulgò hanc vocem ſolemus accipere, ſed malè, id eſt magno precio. Sic enim Donatus ad Eunuch. Terentianam. Contrà legere eſt melius emere, pro cariùs emere. Martialis, Adeò benè emit, inquis, immo non ſoluit.

Doliaris anus. 45

Plautus quo loco appellat doliarem anum, Donatus apud Terentium exponit ſuffarcinatam, præpinguem, tumidam & obeſam, tanquam ſuffartam. Sic enim à Paulino ſuffarcinatus vſurpatur.

Mundi cymbalum. 46

Rhetores olim declamatores, iuuentutis cymbalum per contumeliam nominari ab Heſychio legimus: vti à Tyberio Appion Grammaticus: quod non minus illi quã hic, ſtreperent ad aures iuuenum multa & inani loquacitate: ducta tranſlatio à Gallis Ideæ matris ſacerdotibus, qui cymbalis vtebantur in eius ſacris. Facillimum id eſſe torquere in quoſdam nugiuendos Rhetorculos, & Gallocicos ſophiſtas, quales Lutetiæ verbo ſolemni deſignantur, à quorum ore miſera iuuentus pendet, & à quibus nihil ſapere diſcit: ſed quorſum in media luce adhibere faculam?

Eportis occurrere. 47

Turneb. id prouerbij notat, & illud citat Lucretij,

Et quibus è portis occurri cuique deceret.

quod

Ayuntamiento de Madrid

quod exprimere ait prouerb. ab Ariſtotele poſitum lib.4. Phyſicæ auſcultationis, ἤτοι μὲν οὖν ἢ κατ' ἀνάγκας πρὸς τὸ πρόβλημα ἀπαντῶσι.

## Impenſum precium. 48

Impenſum precium, pro magno Liuius dixit: vnde & impenſè, aduerbium, quod eſt valdè & vehementer. Quæ tamen vox an prouerbium oleat, iis iudicandum relinquo qui ſunt naris emunctioris.

## Fellis pullaria. 49

Apud Auſonium, Marcus quidam felles pullaria dictus ſymbolicos, id eſt puerorum raptor, corruptorque: vt apud Plautum, felles virginalis, raptor virginum, à fellis rapacitate. Apud veteres, pueri pulli vocabantur: hinc pulliprémo, compreſſor puerorum, nefandus pædico.

## Ex vultu mores colligo. 50

Sententia hæc primum fuit, eáque poſtea vulgò excepta prouerbij naturam non temerè induit. Eo vſus eſt Petronius Arbiter Satyrico. Vides me? nec auguria noui, nec Mathematicorum cœlum curare ſoleo: ex vultibus tamen hominum mores colligo, & cum ſpatiantem vidi, quid cogites ſcies. Idem paullòpoſt, vbi de ancillæ μεγαληγορίᾳ, nimiáque arrogantia, quæ ſibi placeret impenſius, ait: Mirari equidem tam diſcordem libidinem cœpi, atque inter monſtra numerare, quod ancilla haberet matronæ ſuperbiam, & matrona ancillæ humilitatem.

## Conuenit vt veſpis. 51

In Probæ Valeriæ carmine, prouerbiale illud legitur, conuenire vt veſpis. Nam veſpæ pro ſuis latibulis velut coniuratæ magno conſenſu dimicant, petunt prope accedentes, & aculeis fodiunt. Carmen eſt eiuſmodi.

> Conuenit vt veſpis, quarum domus arce monetæ
> Turbat agens ſtrictis per lutea corpora telis.

Hoc accommodatur, vt nonnulli vſurpant iuris interpretes, corporibus & collegiis, ſua iura ſuaſque immunitates arctè retinentibus, accurateque defendentibus: vti etiã interdum facere videmus cœnobitas, qui ſua prædia, ſuas ædes, ſuaſque poſſeſſiones vno conſenſu & coniunctis viribus ab iniquis inuaſoribus aſſerunt, nec id mirum certè quam pro aris & focis dimicant, vt eſt in alio prouerbio.



Ayuntamiento de Madrid

## Circum puteum choreas agere. 52

Plutarch. de diſcrimine inter adulatorem & amicum; τὴν περὶ τὸ φρέαρ ὄρχησιν ἀτυχῶς ὀρχῆσθαι. Qui putei non ſunt obſtructi, neque ſepti marginibus, & in quibus nihil eſt quod obiectu ſuo prohibeat ne quis in eos incautior fortè cadat, magnum periculum adeũt, qui circa eos choreas ducunt. Prouerbij ergo vſus erit in eos, qui per ludum & laſciuiam tale aliquid factitant, vt eo ipſo ſe in magnum aliquod periculum coniiciant. Id adagium debemus Mureto, viro politiſſimo, cuius nos monuit poſtremis ſuis lectionibus. Nec enim ei ſimile eſt quod Eraſmus in adagia retulit, Lupus circũ puteum choreas ducit.

## Exire è poteſtate. 53

In eos id rectè flectitur, qui nihil penè mentis habent, quique aut inſani, aut inſanis proximi. Eo ſenſu dicit Cicero exiſſe è poteſtate furioſos, iracundos, inſanos. quod loquendi genus manauit à ritu maiorum, qui furioſos poteſtati permittebant ſuorum agnatorum & gentilium.

## Naturam latrare. 54

Non eſt hoc alienum à natura prouerbij Eunianum, quo & vſus eſt Lucretius, nil aliud ſibi naturã latrare, vbi latrare accipitur pro poſcere, vt Feſtus Pompeius interpretatur. Ad eundem planè ſenſum dixit vir ſanctiſſimus Auguſtinus, non eſſe ſumẽdum cibum niſi latrante ſtomacho.

## Digamma. 55

Cicero αἰνιγματωδῶς quidem ſed non ſine prouerbij facie dixit epiſtola quadam ad Atticum: Neque Romæ ſolum, ſed etiam Deli tuum digamma videram, quibus verbis ſignificat eum non eſſe prædiorum emptorem, ſed fœneratorem, nempe quia prima littera huius vocis eſſet f. quod digamma Æolorum dicitur. At in Delo celeberrimum erat emporium, vt Strabo ſcribit: quo loci fœnus exercebat tempore mercatus Pomponius Atticus. Ea ergo vox torqueri poteſt in fœneratores.

## Lima non ſplendet, ſed atteritur. 56

Eruditi quidam homines non longè antè vſi ſunt hoc Pliniano veluti adagio, quo nimiam ſtyli diligentiam, & intempeſtiui, nimiique ſtudij curam improbant. Sic Plinius 5. epiſt. 11. Perfectum opus, abſolutumque eſt, nec iam

Ayuntamiento de Madrid

lima ſplendeſcit, ſed atteritur.

## Iterum ad Troiã magnus mittetur Achilles 57

Simpliciter de bello quodam futuro dici poſſet, ſed longè venuſtius erit ſi torqueatur ad alios vſus, vt cũ dicemus non defuturum præſtantem patronum & defenſorem, qui nobis opem ferat, noſq; vindicet à contumeliis aut iniuriis eorum qui nobis ſiniſtri aliquid machinantur.

## Premere iugulum. 58

Parœmia eſt elegans, quã variè vſos fuiſſe veteres meminimus, noſtroſque etiã Gallos. Plinius 1 Epiſt.20. Corn. Tacito: Tu omnia quæ ſunt in cauſa putas exequenda: ego iugulum ſtatim video, hunc premo. Quaſi diceret; ſtatim quæro ſummum cauſæ caput, præcipuamque de qua agitur, quæſtionem. Is eſt Rhetorum ſtatus, cardo, & quaſi vertex orationis. Ad id cætera referuntur, primò videndum ab iis qui facilius ſe volunt è longioris cauſæ labyrinthis expedire. Galli pragmatici dicunt ſuo idiotiſmo, præcipum punctum, & vbi iacet lepus: ducta à venatoribus tranſlatione, rectè quidem & verè. Etenim (abſit dicto inuidia) formularij iſti, adeoque rabulæ ſunt in perpetua venatione: nec mirum ſi perpetuo inueſtigent, quo loci lepus latitet, adeoque aliæ beſtiæ lepore meliores.

## Infelix arbor. 59

Infelicem arborem pro ſtipite & furca ſumi à doctis palam eſt, de ea ſontes ſuſpendebantur: qua cauſa nulla arbor lignumúe erat infelicius.

## In propria pelle quieſcere. 60

Horatius 1. Serm. 6. ingenuo ſi non eſſem patre natus: vel meritò, quoniam in propria non pelle quieſſem. Sumptũ à veſtitu & calceis, quę tanquam hominum pellis ſit. hic enim libertinis latum clauum, ſenatorij ordinis proprium, & calceos lunatos ſi gerat, intra pellem ſuã quieſcere non putatur. Fortè tamen à Cumano aſino tractum id videri poteſt, qui leonis exuuio leonem mentiebatur.

## Deſtituere. 60

Deſtituendi verbum etiã συμβολικῶς & παροιμιωδῶς accipi reperio. Is enim dicitur deſtituere, qui quod promiſit, non præſtat, vt qui promiſſã pecuniã non ſoluit. Cic. ad Attic. Quid Arrius narret, quo animo ſe deſtitutũ ferat.



Ayuntamiento de Madrid

## Rumpantur vt ilia Codro. 62

Si quis in ſe concitet inuidiam, quod ſit alijs magis induſtrius, quòd ſtudioſior, quòd eruditior, non debet à ſtudiis proinde abſtrahi, aut indignè ferre, ſed conari potius, vt poſterioribus etiam melioribus, inſtitutum curſum perſequatur, nihiloque minus induſtriam excitet, inuidi cacoethes ne quidem pili facitat, ſic enim tandem fiet vt rũpantur ilia Codro.

## Linea extrema amare. 63

Amare extrema linea, eſt amare impenſiſſimè ducta translatione à curriculis vel ſtadiis, in quibus prima linea curſus erat in carceribus, vltima in fine, quæ & calx dicebatur, quòd ſcilicet calce vel creta notaretur. Vltra autem calcem nihil ſupereſt quo curſus tendatur ſpatiáque palæſtrarum & curriculorum lineis erant incluſa. Tertullianus in Hermogenem. Adiiciam & ego propter non intelligentes, quorum Hermogenes extrema linea eſt.

## Iiſdem lineis dimicare. 64

Tertullianus etiam dixit, iiſdem lineis dimicare, pro, in eodem gradu: quia ſic interdum collato pede pugnabatur, vt lineæ ductæ pedem ſemper inſiſtere oporteret, nec inde referri, hocque genere exercitationis vtebantur.

## Populus fundus factus. 65

Arguta quidem, ſed aliquanto abſtruſa loquendi formula, à Cicerone vſurpata, Populus eſt fundus factus. Ex eo dictum, quòd cum legem Romanam aſciuit & approbauit, videatur in eo populo, vt in fundo reſediſſe: proinde quaſi lex vrbem Romam, in qua lata eſt, pro ciuitate habeat, populum illum à quo eſt aſcita, pro fundo quodam ſuo, vt in eo ſedem ponat. Ita per tranſlationem ea dicendi ratio auctoritatem ſignificare cepit: niſi quis putet, quod fundus, cùm in ſolo ſit, optimus ſit ſponſor & auctor ex eo tractã eſſe tranſlationem hæc & plura alia Turneb.

## Si ad vitulam ſpectes, nihil eſt quod pocula laudes. 66

Dictum hoc per comparationem: qua vſus eſſe poteſt in rebus certe commodis & expetendis: vt ſi dicas, Magnum eſt & vtile te veſci epulis patrisfamilias eiuſque menſæ aſſidere, ſine tuo aliquo ſumptu: ſed maius & hono-

Ayuntamiento de Madrid

rificentius, ſi idem tibi ſuam filiam, honeſtam iuuenculam benè dotatam elocet, omnes vt tecum annos

Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.

## Atra fax. 67

Apud poëtam atra fax, pro infeſta, dira, noxia, peruerſa, iniuſta vſurpatur:

Quid face Troianos atra vim ferre Latinis.

Atrum colorem, pro infauſto habitum fuiſſe, innumerabiles auctorum teſtantur loci: vt atræ curæ apud Horatiũ, & μελαίνας ὀδύνας dixit Homerus.

## Conturbare rationes. Expedire rationes. 68

Res rationeſque benè expedire dixit Plautus. Contrarium vero apud Terent. conturbare rationes, & conturbare apud Ciceron. Qui enim ſoluendo non ſunt, neque ſe extricare nominibus poſſunt & ære alieno, illi conturbant: nec enim eorũ rationes explicari & expediri poſſunt.

## Polentam prenſitare. 69

Plautus: Vbi flent nequam homines qui polentam prenſitant Molitores ſerui non pane, ſed polenta in piſtrino nutriebantur, iique ſoliti erant de polenta, id eſt de hordei farina eſitare furtim, cum famelici eſſent.

## Scribere nummos. 70

Scribere nummos, eſt nummos non præſentes ſoluere, ſed pro iis in certum diem ſoluendis apud trapezitam ſe obligare, & per argentarium in certam diem cauere redditum iri nummos qui debeantur.

## Lenta ſalix quantum pallenti cedit oliuæ. 71

Laudatio eſt doctiſſimi cuiuſdam viri ex comparatione cum aliquo alio, qui non perinde doctus ſit.

## Cantando tu illum? 72

Et hoc prouerbiale, ex eodem poëta ſumptum. Rectè in eum dicetur, qui ſe præſtanti & egregiè docto viro conferre auſit. Hoc enim hemiſtichium per ἀπὸ σιωπήσεως, habet energiæ non parum ad reprehenſionem iactabundi hominis.

## Sol creſcentes duplicat vmbras. 73

Apud poëtam ſignificatur inſtans nox, ſed venuſtè ad prouerbium. Si abeat vel decedat aliquis egregiè doctus,



Ayuntamiento de Madrid

maiorem interdum ſui admirationem facit, quàm cum vna nobiſcum verſaretur. Cui ferè ſimile Plinianum illud: Magna Iſæi fama præceſſerat, maior inuentus eſt.

## Homo ſum. 74

Nihil ſæpius vſurpatur à nobis, non ſine adagij ſenſu, quoties nimiam facilitatem aut molitiam, incogitantiam ve aliquam, aut denique incuriam deprecamur, homo ſum inquit ille, apud Comicum, humani à me nihil alienum puto. Et illud apud Ciceronem, Siquidem homo eſſet. quod idem valet ac, ſi quid humanitatis in ſe haberet.

## Mitra indutus. 75

Mitram geſtaſſe, ſignum mollitiei fuit, parumque virile. Virgilius in 4. vbi Æneas notatur vt effœminatus ab Iarba. Mæonia mentum mitra, crinemque madentem. Subnixus. Apud Lucian. Iuno Ioui obiiciens mollitiem Bacchi, μίτρᾳ ἀναδεδεμένος τὴν κόμην. Virgil. alio loco. Et manibus manicas, & habent redimicula mitræ, Lydorum & Phrygum tegmen capitis erat parum virile: Sed quò ſit adagium huc conferendum, iis relinquo cogitandum, qui miſeram ſeculi huius deprauationem aduertunt, quo viri cultu muliebri, capillitio, inceſſu, ſermone licentuis & inſanius abutuntur.

## βαταλίζεσθαι. 76

Batalus Epheſius tibicen prouerbio locum dedit, βαταλίζειν, in molles & effœminatos, quod is muliebribus ſandaliis primus omnium in ſcenam prodiiſſet teſtes ſunt Plutarch. & Libanius ſophiſta. Ex eo Græci βαταλίζεσθαι dicunt, pro eo quod eſt turpiter & effœminatè viuere. Ab eo Batalo nonnulli putant ipſum Demoſthenem Batalum cognominatum, quòd ipſe in adoleſcentia eſſet ad voluptatem propenſior, & veſte muliebri aliquando vſus, vt ſcribitur à Suida. Id tamen nominis ſimpliciter ad molitiem transferunt auctores quos modò nominaui.

## Qui ſemel tantum, penè nunquam eſt. 77

Prouerbium erutum è iuris interpretibus. Cui ſimile illud Aſconij, Semel vicium eſſe, id pene nunquam: quod idem, ſed aliis verbis Celſus dixit, ex iis quæ fortè vno aliquo caſu poſſunt accidere, iura non conſtitui, l. ex his. ff. de legib.

Ayuntamiento de Madrid

## Qualis domina, talis canis, 78

Ancillas, herarum ſuarum imagines, elegãter vocat Nazanzenus, Oratione aduerſus mulieres curioſiore cultu vtentes. Hoc dicitur in laudem vel vituperationem familiæ alicuius.

## Fertilitas barbara. 79

Id etiam notatum à Turnebo, naturam induere videtur adagij. Cicero 2. Tuſcul. Illi autem voluerunt nihil horum ſimile apud Lacænas virgines, quibus magis palæſtra, Eurotas, ſol, puluis, labor, militia ſtudio eſt, quã fertilitas barbara. Nomine fertilitatis barbaræ ſignificat delicias, ornatus luxúmque, quibus Troianorum & Medorum nurus & virgines ornatæ magnificè comptæque erant, vt quemadmodum fertilitas in ſolo feraci & fœcundo dicitur frugum copias gerente: ita fertilitas dicatur in illis, quæ cultum veſtitúmque eximium geſtant; gemmíſque & margaritis, torquibus & catenis aureis ornatæ ſunt.

## Deridendum & comedendum propinare. 80

Sumptum id ab antiquorũm conſuetudine, Deridendum & comedẽdum propinare. Reges enim phialos interdum compotoribus propinabant, quas illi auferebant. Suidas: προπεπωκότες, ἀντὶ τοῦ προδεδωκότες. ἐκ μεταφορᾶς δὲ λέγεται. προπεπώκεσαν δὲ παρ' τὴν συνουσίαν πολλὰ μὲν ἀργυρώματα.

## Ἀπόσπασμα θεοῦ. 81

De re vel diuina, vel quæ aliquid cum diuinitate participationis habeat: vt noſter animus à Deo libatus aut hauſtus, ἀπόσπασμα θεοῦ dicitur Stoicis, id eſt quiddam à Deo tractum & ſumptum.

## Contorquere. 82

Contorquere Ciceroni, eſt oratione non rectã, ſed tortuoſa vti: quo genere ſolebant plerunque ſuas contegere argumentationes Stoici. Deinde (inquit) contorquent, & ita concludunt, non igitur ſunt dij, nec ſignificãt futura. Eſſet recta oratio, ſi igitur ſunt dij, ſignificant futura. Id prouerbium erit, ſi ad mendaces accommodetur, qui vt imponant, obliquè aliquid narrant.

## Diogenis pera. 83

Diogenis pera dicitur, de ſumma victus tenuitate, vel etiã fortunarum anguſtiis. Eo eſt vſus Nazanzenus epiſtola

G iiij

Ayuntamiento de Madrid

ad eos qui verſantur in Repub. quos ſtatim initiò increpat, vt qui ne à Diogenis quidem pera temperaturi eſſe viderentur, qui Philoſophicũ pallium, baculum, ipſúmque vitę præſcriptum à Philoſophia modum vituperarent.

## Cantus Ionici. 84

Horatius: Motus doceri gaudet Ionicos matura virgo. Motus Ionicos dixit pro ſaltatione laſciuiore & molliore, qualis erat Ionum, quos petulantiores & effœminatiores fuiſſe conſtat. Et Ionicus ſaltator, pro molliculo & effœminato, ſeſéque mouente delicatiùs. Fuit etiam apud Siculos ſaltationis quoddam genus blanda & voluptuaria in honorem Dianæ celebratam. Ionicum appellatũ tradit. Iul. Pollux.

## Vulgaris mulier. 85

Ea eſt vulgaris mulier, quæ ſui copiam facit, ſéque proſtituit, vti & accipitur apud Iuriſconſultos. Sic vulgaris Venus, πάνδημος: & vulgo concepti nati, qui incerto patre nati ſunt.

## Alternum pedem facere. 86

Alternũ pedem facere, eſt claudicare. Sic enim Papinius de Elegia, cuius alter verſus longior, alter breuior.

Quas inter vultu petulans elegeia propinquat
Celſior aſſueto, diuáſque hortatur & ambit
Alternum factura pedem.

Et Maro de Ænea ex vulnere claudicante.

Alternos longa nitentem cuſpide verſus.

Quanquam ſit veriſimilius, alternũ hîc pedem ob verſus dici Elegiacos, qui alterni breuiores & longiores ſunt, & claudicant, vt à Cicerone dicitur epigramma alternis verſibus longiuſculis. Multo erit lepidius, ſi dicatur de eo qui ſubinde miſcet falſa veris: nam & claudicationis verbum pro fallaci & veteratore accipi apud ſacros auctores meminimus.

## Terra, commune ſepulcrum. 87

Qui locupletes erant, in ſuis fundis aliquid loci ſepulturæ ſeponebant, & priuata habebant ibi ſepulcra, ſibi ſuęque familiæ: at plebecula, quæ agris fundíſque carebat, in loco aliquo communi ſepulturæ deſtinato humabantur, ſepulcrúmque cõmune vocabatur. Ex quo illud Horatij

Ayuntamiento de Madrid

Hoc miſeræ plebi ſtabat commune ſepulcrum.

Et Catullus,

Troia nefas, commune ſepulcrum Europæ, Aſiæque.

Sic Lucretius terram mortuos omnes ſuo ſinu receptantem, commune ſepulcrum dixit.

Omniparens eadem rerum commune ſepulcrum.

Concinnius noſtri quidam, à quibus Italia, cœmeterium Gallorum dicta fuit: vt & Portugalia, non à Gallorum portu, vt olim, ſed quia proximè Gallis longè multis mortem importarit, vocitatur.

## Quid mihi cum longis tibiis. 88

Τί μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς, prouerbium eſſe dicit Dio, de iis qui ſibi quid non vtile faciunt. Quod & paulò aliter effert, τί γάρ με δεῖ μακροῖς αὐλοῖς αὐλεῖν; Turneb. hoc dictum putat, vel ex eo quòd ad rem diuinam & puluinaria adhiberent tibicines, qui tibiis canebant longis, vt præcentoriis & thurariis: cùm tamen interdum ſacrificium ſibi non profuiſſe cenſerent: Vel ex eo quòd quis tibias tractare commodè paruas cùm poſſet, vt puellatorias, quas Græci παρθενίους vocant, aut gingrinas quæ breues erant, magnas longáſque ſumeret, quas commodè non poſſet inflare. Dicitur commodè ab iis, qui in aliquo negocio magnas impenſas facere nolint, ſatis ſibi conſcij quàm ſint in tenui re: vel quia id nón adeò magni momenti putent.

## Non ſum adeò informis. 89

Modeſta eſt ſui laudatio, ἀπολογητικῶς accepta & περιαυτολογικῶς à litteratis quibuſdam hominibus, qui ſe minimè haberi, aut non ſuo æſtimari precio ægrè tulerunt. Ex quibus vnus fuit, quem non habemus neceſſe nominare, qui quòd ſe proſcindi verbis agnoſceret quorundam libellis famoſis publicè editis, ſibíque omnem artium meliorum cognitionem, qua tamen inſtructus erat, iniquè detrahi, vt omnium infantiſſimo, peritè quidem & modeſtè prudentérque mutuatus eſt iſtuc poëtæ optimi.

Non ſum adeò informis, nuper me in littore vidi,
Cùm placidum ventis ſtaret mare.

## Ligna ſecanti vis eſt magna ſecuris. 90

Adagium quod referimus acceptum Nazanzeno. Eo ſi-

Ayuntamiento de Madrid

gnificatur cohortationem valere plurimùm, vt magis excitetur eius animus, qui iam ex ſeſe procliui eſt animo ad aliquid faciendum. Notum illud Ouidij.

Qui monet vt facias quod iam facis, ille monendo
Laudat, & hortatu comprobat acta ſuo.

## Atticus Atticis oblectatur. 91

Idem Gregorius Epiſtola quadã ad Ecebolium, vſurpat id prouerbij, Atticum Atticis oblectari: quo facillè intelligimus ſimilem quæri à ſimili, & pares cum paribus facilè congregari. Vt dixit Cato maior apud Tullium. Mallem intelligere de nobilibus, qui ſæpiùs & iucundiùs vtuntur conſuetudine nobilium; vel de doctis hominibus, qui ſui ſimilium colloquia & familiaritatem appetunt.

## Cùm caluus ſis, cum ariete obuerſa fronte ne congrediaris. 92

Et hoc etiam reperio apud eundem Nazanzen. Epiſtola quadam ad Euſtochium ſophiſtam: quo prouerbio monemur, minimè laceſſendos eos eſſe, qui ſuapte natura ſunt ad iracundiam proni. Nec verò ſunt irritandi ij, qui natura ſunt irritabili, vt eſt vatum genus, de quibus Horatius.

## Ante focum ſi frigus erit; ſi meſſis in vmbra. 93

Laudatur rei cuiuſque tempeſtiuitas, ad quam ſe vir prudens accommodet. In eo poſita eſt omnis humana prudentia, vt obſeruentur imprimis circunſtantiæ omnes locorum & temporum: vt noſtram omnem propriam naturam aptemus naturæ communi & vniuerſæ, cuius certæ & indubitatæ vices, certáque momenta: vt etiam cum aliqua ingenua animi delectatione mutationem omnem æqui conſulamus.

## Mantua væ miſeræ nimiũ vicina Cremonæ. 94

Noxiæ eſt vicinitatis deteſtatio. Interdum enim fit, vt aliquid mali nobis impendeat, aut etiam malè afficiat, occaſione mali vicini. Longè pulcrius erit, ſi aliò flectatur: vt ſi apud quoſdam, quorum præiudicium haberi poteſt inſtar præiudicij, poëtæ nomen malè accipiatur, ob vitam cantorum deprauatam. Putantur enim vicini cantores & poëtæ, qui quædam habeant inter ſe communia.

Ayuntamiento de Madrid

## Numeros memini, ſi verba tenerem. 95

Id prouerbialiter ab eo dici poteſt, qui rei quidem ſubiectæ, & de qua agitur, ſententiam memoria tenet, ſed tamen ipſiſſima verba recordari non poteſt, ob imbecillitatem memoriæ. Atqui numerorum non poſſumus meminiſſe, niſi verba teneamus. Nulli enim eſſe poſſunt in oratione numeri ſine verbis. Id tamen dicitur ex conditione: ex quo cognoſcimus longè pulcrius eſſe, multóque concinnius, ipſiſſima verba ex auctore quem citamus, & cuius ſententiam laudamus, dicere, quàm ſententiam dicere, vel quid aliud comminiſci.

## Nihil ſtultius mulieris iuramento. 96

Senarius Græcis quem olim circumferri meminimus, quo dicitur, cœlum ridere, quoties mulier iurat.

Γυναικὸς ὀμνυούσης, γελᾷ οὐρανός.

Imperator in Authent. de nuptiis, §. quæ verò. ait, in mulieribus periurium eſſe promptum: ideóq; illic Iuliam Miſtellam legem abrogat, quæ à mulieribus quoddam iuramentum in eo caſu exigebat.

## Roma illic eſt vbi imperator eſt. 97

Herodianus lib. 1. vbi de Commodo recens ad imperij culmen euecto, in Oratione illa cordata Pompeiani, qua illi diſſuadebat ne priùs Romam rediret, quàm barbaros ad Iſtrum coëgiſſet, huius meminit adagij.

## Amantem redama. 98

Huius prouerbij ſententiam bellè & ſtudioſè locupletauit vir multiſcius Tiraquellus, ad leges connubiales, & quod non dubium eſt quin alicubi Eraſmus attigerit, aut ij etiam qui prouerbia collegerunt. Martialis 6. Epigramm.

Vt preſtem Pyladen, ſit qui mihi præſtet Oreſten,
Hoc non fit verbis, Marce, vt ameris, ama.

Plinius iunior Panegyrico ſcribit nihil inter fuiſſe inter Traianum, cùm priuatus eſſet, & cùm princeps factus, niſi quòd princeps à pluribus amabatur, quia & plures amaret. Et deinde: Poteſt fortaſſe princeps odio eſſe nonnullis, etiam ſi ipſe non oderit: amari niſi amet, non poteſt. Et Libanius ad Clematium ſcribit, fas eſſe amantem redamari, quod prouerbio vetere celebratum dicit. D.

Ayuntamiento de Madrid

Auguſtinus: Nulla eſt maior ad amorem imitatio, quàm præuenire amando. Tritum illud Heſiodi.

Τὸν φιλέοντα φιλεῖν. Hinc anterota Cupidinem veteres effinxerunt, id eſt amorem reciprocum: de quo quia varia multi ſcripſerunt, hîc conſiſtendum ducimus.

## Senectam non facit crinis vnus. 99

Hoc vſus Gregor. Nazanzen. in iambico quodam carmine: cui prouerbio ſimile illud vetus, vna hirundo non facit ver. velim ad auctoritatem illam ſene dignam referri, quæ vna ſoláque actione quantumuis honeſta non comparatur.

## Cyatho mare metiri. 100

Vulgò ii dicuntur cyatho mare metiri, qui res ſuſcipiunt quæ fieri nullo modo poſſunt. Vſurpatur à Nazanzeno Orat. 2. de Theologia. Idem penè iactatur vulgò à noſtris de magiſtro Alano Ciſtercienſi monacho, qui deterritus fertur de ſancta Triade apud populum diſputare, quòd diceret ſe id nunquam præſtare poſſe, niſi quis in exiguam ſcrobem Oceanum omnem ſimul coniiceret.

## Aſinus onuſtus auro rudere non deſinit. 101

D. Gregorius Nazanze. carmine quodam ad Nicob. memoriæ hoc adagium conſecrauit, Aſinum etiam auro onuſtum rudere propterea non deſinere. Id eſt, ſtultus, quanquam poteſtatem, & immeritam dignitatem aſſecutus, non tamen eſſe ſtultus deſinit, moroſus, difficilis, querulus, inficetus, vt verbo vtar Catulli. Neque enim mores vel humores mutant honores (quod dicitur ioculariter) neque dignitas ingenium.

## Fabuloſa felicitas. 102

Μυθική μακαρία. quo vſus prouerbio Nazanzenus epiſtola quadam ad Amphilochium. Conuenit iis qui cùm ad locum aliquem aut etiam gradum dignitatis prouecti ſunt, veluti aureos quoſdam montes ſibi pollicentur, repentè aduerſa omnia triſtiáque experiuntur. Vt ſi quis aulicam vitam ſpe opum & dignitatum capeſſat, pro theſauro carbones ſtatim deprehendet. Nam pauci ſunt qui vellus aureum tam ab omnibus appetitum expiſcari poſſint, & pauci quos æquus amauit Iupiter.

Ayuntamiento de Madrid

## Leo ex ſimia non æſtimandus. 103

Idem, leonem ex ſimia non eſſe metiendum, dixit in ſuis certè aureis Carminibus. Viri cuiuſdam ſummi egregiéque periti, ſuóque merito laudati ſollertia non eſt æſtimanda ex ſcurræ cuiuſdam aut paraſiti vel nebulonis oſtentatione. Quid enim tam leoni diſſimile quàm ſimius, & quid tam diſpar excellenti doctrinæ, quàm ſtolida quædam eruditionis opinio?

## Luto margaritam committere. 104

Idem Oratione in nonam Dominicam, quo loco docet de obſcuris rerum Chriſtianorum myſteriis apud quoſuis non loquendum neque diſputandum. Sumptum ab Euangelica doctrina, qua vetamur de rebus ſacris apud impuros & ſceleſtos colloqui. Opus enim eſt vas eſſe ſincerum, antequàm quid adeò ſerium infundatur. Penè huic, ſed alio ſenſu, ſimile Perſianum illud è 1. Satyra:

--- Ecce inter pocula quærunt
Romulidæ ſaturi quid diu poëmata narrent.

## Linguam armare vinctis manibus. 105

Nazanzenus Oratione prima aduerſus Eunomianos, vtitur eo adagio, manibus vinctis armare linguam: quo loco eos arguit, qui immodica diſputandi libidine, quaſi morbo aliquo perculſi, nullam tamen virtutem Chriſtiano dignam colerent. Quod idem factitant permulti ex iis qui ſe rerum diuinarum κληρονόμους, vtinam tam verè quàm audacter, venditant: quæ enim eorum ratio? qui mores? quæ officia vitæ? ſciunt quæ recta ſunt, ſed facere nolunt.

## Poteſt & ab hoſte beneficium accipi. 106

Ἐγὼ τι κέρδος ἐκλέγω καὶ δυσμενοῦς.

Et hoſte ab ipſo commodum quoddam lego, ait Nazanzenus. Quo loco Nicetus ſcholiaſtes admonet eſſe prouerbium. Nam dum veremur ne in reprehenſionem incidamus, vitæ rationem omnem accuratiùs inſtituimus ac moderamur, certè videmur non paruam ab iis vtilitatem capere, qui ad reprehendendum ſunt propenſiores. Argumentum id tractat pluribus Plutarchus eo commentario, quo docet, qualiter ab inimicis quis vtilitatem eapiat.

Ayuntamiento de Madrid

## Argus foris, domi talpa. 107

Digna certe parœmia, quæ non poſtremo in numero habeatur, quam ſumus mutuati à Lodoico Viue, noſtrorum patrum memoria doctiſſimo. Ea ſignificatur nos oculatos interdumque Lynceos eſſe in erratis aliorum, in noſtris autem cæcutire. Variè id ab aliis efferri ſcio, ſed vt varia ſint, ſententia eſt eadem.

## Intus Nero, foris Cato. 108

In eos qui ſeſe populo ſanctimoniæ & probitatis nomine venditant, cùm tamen ſceleſti ſint, animóque omnino prauo, id torſit D. Hieronymus in Matthæum 6. Eius hæc verba: Intus Nero, foris Cato, totus ambiguus, monſtrum eſt velut quædam beſtia compacta, ſecundum illud poëtæ: Leo pars prima, vltima Draco, media ipſa Chimera.

FINIS.

Ayuntamiento de Madrid

# INDEX ALPHABETICVS OMNIUM Adagiorum, quæ in hac altera Epitomes parte continentur.

A Bellariis epulum commẽdare. 366
A caluo ad caluũ. 95. 198. 236.
A cauda ad os transferre. 109
A Dorio ad Phrygium. 275
A limbo tunicam abſoluere. 366
A lineis excidere; lineæ inſiſtere. 93
A riſu effuſo abſtine. 176
A ſcapha in triumphalem quadrigam. 87
A te ſudor abeſt, abeſt ſaliua mucúſque. 260
A veru rapere. 158
A vipera morſum culpas, nunquam ipſe morſus. 106
Ab aluo ſpectat. 63
Ab animalibus abſtine. 177
Ab area Syra. 148
Ab aula receſſit. 352
Ab aure reuinctos ducit. 328
Ab Herode ad Pilatum. 189
Ab Hymetto. 148
Abaridis ſagitta. 98
Abderologus. 82
Abdominis miniſter. 50
Abiectior fimo. 24
Abiiciendum procul. 141
Abiit in fumum. 156
Abſens hæres non erit. 198
Abſque oleo pingere. 210
Abyſſus malorum. 43
Acceſſorium operis loco. 45
Acclamat inſtar Ciconum. 18
Acerbior veſpa. 91
Aceruus. 122
Achææ, non Achiui. 86
Achaicum telum. 46
Acheruntem pedibus ſubiicere. 348
Acheruntícus ſenex. 390
Achilleum ſpirat. 34
Achilleum votum. 68
ἀχρειόγελως. 294
Acum & filum ſumens, rupturam conſue. 217
Acutum omne abs te dimoue. 175
Ad aliud prœmium tranſeo. 86
Ad arculas ſedere. 167
Ad clitellas natus. 213
Ad fores venire. 82
Ad gentiles & agnatos deducendus. 166. 240
Ad genua venire. 67
Ad interiora ſe conuertere. 371
Ad inferos proficiſci. 170
Ad lucernæ lumen ne te ſpecu-

Ayuntamiento de Madrid

lo contempleris. 176
Ad manticam res rediit. 283
Ad manus ferre. 86
Ad oculos magis quàm ad veſicam pertinet. 233
Ad perditam ſecurim abiicere manubrium. 213
Ad perpendiculum. 171
Ad ſcamma producere. 222
Ad Sciphonem tendere. 130
Ad ſidera vſque notus. 318
Ad Sirenum ſcopulos conſeneſcere. 219
Ad ſolarium verſari. 229
Adamante durior. 281
Adamante notare. 219
Addere gangrenam. 112
ἀδελφίζειν. 159
Aderit vocatus Apollo. 315
Ades tritico, dum molitur, tuo. 211
Adoniæ conuiuium. 208
Adriæ fretis acrior. 247
Adſcribendus in Ialemos. 58
Adſpergere. 64
Aduerſo æſtu. 70
Adulter adulterum trahit. 100
Ædificant domos, & non habitabunt. 196
Æditus Coniſſalis. 6
Ægypti ſulcus Libyæ arenas non curat. 183
in Ægypto optarit eſſe potius. 105
Æneus clauus. 181
Ænigmata ſphingis diſſoluit. 75
Æoliſare. 50
Æqua & iniqua. 131
